K. Holl

IOSEPHI BINGHAMI,

RECTORIS ECCLESIAE HAVENTINAE
IN AGRO HANTONIENSI ANGLIAE,

ORIGINES

SIVE

ANTIQVITATES ECCLESIASTICAE.

EX LINGVA ANGLICANA IN LATINAM
VERTIT

IO. HENRICVS GRISCHOVIVS,

HALBERSTADIENSIS.

VOLVMEN SEPTIMVM.



HALAE,
SVMTIBVS ORPHANOTROPHEI
M DCC XXIX.

ΣΥΝΟΨΙΣ.

LIBER DECIMVS SEXTVS
De vnitate & disciplina veteris ecclesiæ.

CAPVT PRIMVM
De vnione & communione obseruata in veteri ecclesia.

CAPVT SECVNDVM

De disciplina ecclesiæ & variis eius generibus, deque variis methodis in eius administratione obseruatis.

CAPVT TERTIVM

De personis, quibus pœnæ ecclesiasticæ infligi potuerint, & de criminibus, propter quæ inflictæ sint.

CAPVT QVARTVM

De sic dictis grandibus criminibus sigillatim, quorum præcipuum idololatria. De diuersis eius speciebus & gradibus pœnarum, pro delictorum proportione & qualitate illis constitutarum.

§. III.

CAPVT

CAPVT QVINTVM

De curiosarum & vetitarum artium exercitio, hoc est, de diuinatione, magia & incantamento: Et de legibus ecclesiæ, ad puniendum eas promulgatis.

CAPVT SEXTVM

De defectione a religione christiana ad iudaismum & paganismum; de hæresi & schismate, sacrilegio & Simonia.

CAPVT SEPTIMVM

De peccatis contra præceptum tertium, blaſphemia, profana iurandi adſiduitate, periurio, & votorum violatione.

CAPVT OCTAVVM

De peccatis contra præceptum quartum, ſiue de transgreſſionibus legis, religioſum diei dominicæ obſeruationem iniungentis.

§. *II.*

CAPVT NONVM

De grandibus peccatis contra præceptum quintum, inobedientia in parentes & dominos, coniuratione & rebellione aduersus principes; & contemtu legum ecclesiæ.

CAPVT DECIMVM

De grandibus peccatis contra præceptum sextum, homicidio, parricidio, αὐτοχειρίᾳ, membrorum corporis laceratione, vsu poculi abortionis, ceteris.

CAPVT VNDECIMVM

De grandibus peccatis contra præceptum septimum, fornicatione, adulterio, incestu, ceteris.

§. XII.

CAPVT DVODECIMVM

De grandibus peccatis contra præceptum octauum, furto, oppressione, vsura, iustitiæ violatione, fraudibus ac fallaciis in rerum commercio ac negotiatione.

§. XIV.

CAPVT DECIMVM TERTIVM

De grandibus criminibus contra præceptum nonum, falsa accusatione, libellis famosis, obtrectatione, calumnia & maledicentia, contumelia & iniuria, ceteris.

CAPVT DECIMVM QVARTVM

De grandibus peccatis contra præceptum decimum, inuidia, auaritia, ceteris.

I. N. I.



I. N. I.

ORIGINVM ECCLESIASTICARVM

LIBER DECIMVS SEXTVS

DE VNITATE ET DISCIPLINA VETERIS ECCLESIAE.

CAPVT PRIMVM

DE VNIONE ET COMMVNIONE OBSERVATA IN VETERI ECCLESIA.

§. I.

De fundamentali vnitate fidei ac obedientiæ in leges CHRISTI.



ISCIPLINA ecclesiastica quum eo potissimum spectet, vt in rebus omnibus necessariis vnitatem conseruet ecclesiæ, eamque puram præstet atque a corruptione liberam, extrudendo indigna membra societate & communione illius, & denegando illis omnia, quæ ad eam spectant, priuilegia; nihil tam aptum tamque conveniens ad inchoandum de veteris ecclesiæ disciplina sermonem erit, quam præfari quædam de ista vnione ac communio-

ne, quam in omnibus ſuis membris, in vno corpore myſtico ſub *CHRISTO* vniuerſali capite ſuo vnitis, conſeruare adlaborit. Et heic quidem primum omnium vnitati fidei maxime inſiſtebant, tamquam fundamento, in quo omnia reliqua vnitatis chriſtianæ genera nitebantur; & proximo loco vnitatem requirebant ſanctitatis ſiue obedientiæ, vt eccleſia vna eſſe poſſet in obſeruandis legibus ac inſtitutionibus *CHRISTI.* Sunt [*a*], qui primum iſtud vnitatis genus ad fundamentum & eſſentiam [*] eccleſiæ referunt, reliqua autem genera omnia neceſſaria tantum eſſe putant ad decus & ornamentum [†] illius. Ego vero exiſtimo, veteres [*b*] & fidei & obedientiæ vnitatem inſtar fundamenti ad ipſam eſſentiam eccleſiæ neceſſariam crediſiſſe, quia *CHRISTVS* vtramque coniungit, tamquam petram, ſuper quam ædificanda ſit ipſius eccleſia. Nam quemadmodum de fide dicit, *Super hanc petram ædificabo meam eccleſiam: & portæ inferorum non ſuperabunt eam.* Matth. XVI, 18. ita de obedientia in leges ſuas ait, *Qui audit ex me ſermones iſtos, & eos præſtat, adſimilabo eum viro prudenti, qui ædificauit domum ſuam ſuper petram: decidit autem nimbus, & venerunt flumina, & flauerunt venti, & inciderunt domui illi; ſed non cecidit: fundata enim fuerat ſuper petram. Et quiſquis audit ex me hos ſermones, & eos non præſtat, adſimilabitur viro fatuo, qui ædificauit domum ſuam ſuper arenam: deſcendit autem pluuia, & venerunt flumina, & flauerunt venti & impegerunt in domum illam: & cecidit, & fuit caſus eius magnus.* Matth. VII, 24-27. *Lucas* euangeliſta eumdem locum recenſens, ita reddit: *Qui audiuit* (ſermones meos) *nec præſtitit, ſimilis eſt cuipiam, qui ædificauit domum ſuam ſuper ſolum abſque fundamento, cui illiſum eſt flumen: itaque ſtatim cecidit, fuitque ruina domus illius magna,* Luc. VI, 49. Vt adeo obedientia, æque ac fides, pars huius fundamenti ſit, ſuper quod eccleſia *CHRISTI* ædificatur: & is, qui non retinet obedientiæ vnitatem, eſſentiali fundamenti iſtius parte deſtituatur, nec verum ac viuum myſtici corporis *CHRISTI* membrum ſit, ſed infructuoſus tantum, & a radice præciſus ramus.

(*a*) Claget *of Church-Unity* p. 196.

(*) *To the very Being of the Church*, Ad ipſum eſſe eccleſiæ.

(†) *To the Well-being of it*, Ad bene eſſe illius.

(*b*) Vid. Auguſtin. de vnit. eccleſ. c. XXI. (c. XIIX. edit. Baſil. MDLXIX. vid. infra ſub litt. (q).

Quo

Quo respiciens seruator alio loco dicit, *Quisquis soluerit vnum ex mandatis hisce minimis, & ita docuerit homines, minimus vocabitur in regno cælorum*, Matth. V, 19.

QVAMOBREM quum mitteret apostolos suos ad docendum omnes populos, duo illis præcipiebat, primum, *vt baptizarent illos in nomen* siue fidem *patris, filii & spiritus sancti;* & deinde, *vt docerent eos seruare omnia, quæ mandarit ipsis*, Matth. XXVIII, 20. Et ob eamdem rationem vetus ecclesia nullum vmquam admittebat ad baptisma (quod ordinarium ostium erat, per quod proselyti admittebantur & tamquam membra cum corpore ecclesiæ vniebantur) nisi ad duo ista præstanda eos adduxisset: 1. Ad edendam professionem præcipuorum christianæ fidei articulorum: Et 2. ad promittendam sanctam obedientiam legibus & præceptis *CHRISTI:* quemadmodum libro quodam antecedente [*] ostendimus pluribus, quando de necessariis conditionibus, ab hominibus ante baptismum suum requisitis, egimus. Vbi speciatim ex AVGVSTINO adnotauimus, quod excellentissimum librum *de fide & operibus* scripserit, vt obedientiam & studium bonorum operum, æque ac fidem, ei necessarium esse ostenderet, qui christianus esse cupiat: contra nonnullos, qui quidem fidei in *CHRISTVM*, non vero obedientiæ, legibus ipsius præstandæ, professionem ab hominibus, si tamquam christiani cum ecclesiæ corpore per baptismum vniri velint, necessario requiri dictitabant. Homines baptizandos & ecclesiæ vniendos esse contendebant, si fidei fundamentum inconcussum retineant, quæcumque demum mala opera super illud ædificarent: per quasdam enim pœnas ignis eos posse purgari ad salutem percipiendam merito fundamenti, quod tueantur. Ad quæ AVGVSTINVS respondebat, falsam hanc esse verborum apostoli interpretationem; & licet hi homines tantæ impudentiæ sint, vt ecclesiæ praxin nouitatis incusent, fuisse tamen firmam ac perpetuam maiorum consuetudinem, vt eos, qui malam turpemque vitam, facinoribus & flagitiis euidentissimis notam, mutare noluerint, a baptismo arcerent, eisque communionem ecclesiæ constanter denegarent; idque regulis antiquæ veritatis fundari, manifesto declarantis, quod, qui talia faciant, regni Dei possessionem non

(*) Lib. XI. cap. VII. §. VI. volum. IV. p. 270.

ſint occupaturi. Quando igitur & fides & obedientia ad baptiſmum ſimpliciter & abſolute requiri creditæ ſunt, non minus neceſſario ad homines in vera & perfecta eccleſiæ vnitate conſeruandos requiri exiſtimandæ ſunt, niſi ſtatuere velis, rem aliquam neceſſariam eſſe ad reddendum aliquem hominem chriſtianum, quæ non ſit neceſſaria ad reddendum eum vel conſeruandum membrum eccleſiæ.

Si iam quæratur, quinam fidei articuli & quænam praxeos capita ita ad fundamentum & eſſentiam chriſtianiſmi & vnitionis multorum chriſtianorum in vnum corpus eccleſiæ, ſpectare credita ſint: veteres in ſoluenda hac quæſtione plane & dilucide loquuntur. Quod enim ad articulos fidei fundamentales attinet, eos eccleſia ſemper e ſcriptura in ſua ſymbola conlegit, quorum profeſſio ab altera parte numquam non neceſſaria, & ab altera parte ad admiſſionem membrorum in eccleſiam per baptiſmum idonea credebatur; & conſequenter cum neceſſaria tum idonea ad hominem in vnitate eccleſiæ conſeruandum, quatenus ad vnitatem fidei pertinet, generatim ab omnibus chriſtianis requiſitam, vt vnum corpus & vnam credentium eccleſiam conſtituant. Huius rei reſpectu, vt libro quodam ſuperiore [†] oſtendimus, ſymbolum a veteribus vocari ſolebat *κανὼν* & *regula fidei*, quod eſſet nota regula, ad quam orthodoxiam & hæreſim examinabant & diiudicabant. Huic regulæ ſi quis adhærebat, orthodoxus chriſtianus & in fidei catholicæ communione eſſe credebatur: Sin autem ab ea in vllo fidei capite deflecteret, ſpectabatur tamquam qui ſe ipſe præſcidiſſet & ab eccleſiæ communione ſeparaſſet, fouendo opiniones hæreticas & communem fidem deſerendo. Ita patres concilii *Antiocheni* [b] *Paulum Samoſatenſem* a canone, hoc eſt a ſymbolo eccleſiæ, receſſiſſe dicunt, eo quod *CHRISTI* negaret diuinitatem. IRENAEVS [c] *regulam veritatis im-*

(†) Lib. X. c. III. §. II. vol. IV. p. 65.

(b) Epiſtol. concil. Antioch. ap. Euſeb. lib. II. c. XXX. *Ὅπου δὲ ἀποστὰς τοῦ κανόνος ἐπὶ κίβδηλα καὶ νόθα διδάγματα μετελήλυθεν, οὐδὲν δεῖ τοῦ ἔξω ὄντος τὰς πράξεις κρίνειν.* *Quoniam a* fidei regula *recedens ad ſpuriam & adulterinam doctrinam ſe transtulit, hominis ab eccleſia alieni actus examinare nihil attinet.*

(c) Iren. lib. I. c. I. §. XX., p. 44. *ὁ τὸν κανόνα τῆς ἀληθείας ἀκλινῆ ἐν ἑαυτῷ κατέ-*

mobi-

mobilem vocat, de eaque ſic loquitur: *Hanc* [*d*] *fidem eccleſia, & quidem in vniuerſum mundum diſſeminata, diligenter cuſtodit, quaſi vnam domum inhabitans: & ſimiliter credit iis, quaſi vnam animam habens & vnum cor, & conſonanter hæc prædicat, & docet & tradit, quaſi vnum poſſidens os. Nam etſi in mundo loquelæ diſſimiles ſunt, ſed tamen virtus traditionis vna & eadem eſt. Et neque hæ, quæ in Germania ſunt fundatæ eccleſiæ, aliter credunt, aut aliter tradunt: neque hæ, quæ in Hiberis ſunt, neque hæ, quæ in Celtis, neque hæ, quæ in Oriente, neque hæ, quæ in Aegypto, neque hæ, quæ in medio mundi ſunt conſtitutæ: ſed ſicut ſol creatura Dei in vniuerſo mundo vnus & idem eſt; ſic & lumen, prædicatio veritatis, vbique lucet, & illuminat omnes homines, qui volunt ad cognitionem veritatis venire. Et neque is, qui valde præualet in ſermone, ex iis qui præſunt eccleſiis, alia quam hæc ſunt dicet: nemo enim ſuper magiſtrum eſt: neque infirmus in dicendo deminorabit traditionem. Quum enim vna & eadem fides ſit, neque is, qui multum de ea poteſt dicere ampliat, neque is qui minus, deminorat.* Ita TERTVLLIANVS [*e*] ait: *Regula fidei vna omnino eſt ſola immobilis & irreformabilis, credendi ſcilicet in vnicum Deum omnipotentem mundi conditorem, & filium eius Ieſum Chriſtum, natum ex virgine Maria*, cetera. *Hæc regula*, inquit alibi [*f*], *a Chriſto inſtituta, nullas habet apud nos quæſtiones, niſi quas hæreſes inferunt & quæ hæreticos faciunt. --- Nihil vltra ſcire, omnia ſcire eſt.* Et alio loco [*g*]: *Hanc regulam ab initio euangelii decucurriſſe, etiam ante priores quoſque hæreticos, nedum ante Praxean heſternum, probabit tam ipſa poſteritas omnium hæreticorum, quam ipſa nouellitas Praxeæ heſterni.* CYPRIANVS [*h*] dicit, eamdem eſſe legem, quam vniuerſa catholica eccleſia teneat,

χων, ὃν διὰ τȢ βαπτίσματος εἴληφε, qui regulam veritatis immobilem *apud ſe habet, quam per baptiſmum accepit.*

(*d*) Iren. ibid. c. III. p. 46. *ταύτην τὴν πίστιν ἡ ἐκκλησία, καίπερ ἐν ὅλῳ τῷ κόσμῳ διεσπαρμένη, ἐπιμελῶς φυλάσσει, κ.τ.λ.* vid. lib. X. c. IV. §. I. ſub litt. (d). vol. IV. p. 81.

(*e*) Tertul. de veland. virgin. c. I.

(*f*) Id. de præſcript. aduerſ. hæreticos c. XIII.

(*g*) Id. contr. Prax. c. II.

(*h*) Cyprian. epiſt. LXIX. al. LXXVI. ad Magnum p. 183. (p. 296. edit. Amſtelod. MDCC.) Quod ſi quis illud opponit, vt dicat, *eamdem Nouatianum legem tenere, quam catholica eccleſia teneat*, eodem ſymbolo, quo & nos, baptizare &c. -- ſciat, quiſquis hoc opponendum putat; primum, non eſſe vnam nobis & ſchiſmaticis ſymboli legem; neque eamdem interrogationem. Nam quum dicunt: Credis remiſſionem peccatorum & vitam æ-

et ipſos *Nouatianos* eodem ſymbolo baptizare, etiamſi ratione ſenſus articuli de eccleſia a catholicis diſcrepent. Vnde NOVATIANVS in libro *de trinitate* [*i*] non dubitat ſymbolum eodem nomine *regulæ veritatis* appellare. Et HIERONYMVS [*k*] in eumdem modum, contra *Montaniſtarum* diſputans errores, ait: *Primum in fidei regula diſcrepamus. Nos patrem & filium & ſpiritum ſanctum in ſua vnumquemque perſona ponimus, licet ſubſtantia copulemus: illi, Sabellii dogma ſectantes, trinitatem in vnius perſonæ anguſtias cogunt.* Ex quibus omnibus liquido apparet, fundamentales fidei articulos fuiſſe eos, quos eccleſia primitiua in ſymbola ſua ſummatim redegit, quorum in profeſſione homines tamquam membra in corporis ſui vnitatem per baptiſmum admittebat; & ſi qui deſererent hanc fidem vel corrumperent, non amplius pro chriſtianis habebantur, ſed pro hæreticis, qui vnitatem eccleſiæ ſoluta vnitate fidei ſoluiſſent, etiamſi non aliam præterea ſeceſſionem ab illius communione feciſſent. Nam vt CLEMENS ALEXANDRINVS [*l*] ex HERMA PASTORE obſeruat, *Fides virtus eſt, quæ eccleſiam continet.* Vnde HEGESIPPVS, vetuſtus ille hiſtoricus, de antiquis loquens hæreticis, ait [*m*]: *Vnitatem eccleſiæ diſciderunt, adulterinam inuehentes doctrinam aduerſus Deum & aduerſus CHRISTVM eius:* Hoc eſt, negantes quoſdam de præcipuis ac fundamentalibus articulis fidei. Qui ex hiſce vel vnicum infringit, ille nec eccleſiæ vnitatem nec ſuam ipſius, tamquam chriſtiani, characterem tueri poteſt. *Idcirco*, inquit CYPRIANVS [*n*], *per omnia debemus eccleſiæ catholicæ vnitatem tenere, nec in aliquo fidei & veritatis*

ternam per ſanctam eccleſiam; mentiuntur in interrogatione, quando non habeant eccleſiam &c.

(*i*) Nouat. de trinit. c. I. *Regula* exigit *veritatis*, vt primo omnium credamus in Deum patrem & dominum omnipotentem, cetera. Cap. IX. Eadem *regula veritatis* docet nos, credere poſt patrem etiam in filium Dei, cetera.

(*k*) Hieron. epiſt. LIV. ad Marcellam.

(*l*) Clem. ſtromat. lib. II. p. 454. edit. Oxon. ἡ συνέχουσα τὴν ἐκκλησίαν ἀρετὴ, ἡ πίστις ἐστί. Hermes Paſtor lib. I. viſion. III. c. VIII. Prima earum, quæ turrim (nempe eccleſiam) continet manu, fides vocatur: per hanc ſalui fiunt electi Dei &c.

(*m*) Hegeſip. ap. Euſeb. lib. IV. c. XXII. Ἐμέρισαν τὴν ἕνωσιν τῆς ἐκκλησίας φθοριμαίοις λόγοις κατὰ τοῦ θεοῦ καὶ κατὰ τοῦ χριστοῦ αὐτοῦ.

(*n*) Cyprian. epiſt. LXXI. ad Quintum p. 194. (p. 303. edit. Amſtelod.)

hoſti-

hostibus cedere. Nec christianus [o] *videri potest, qui non permanet in euangelii eius & fidei veritate.* TERTVLLIANVS, *Si hæretici sunt,* inquit [p], *christiani esse non possunt.* Eadem dicuntur a LACTANTIO, HIERONYMO, ATHANASIO, HILARIO multisque veteribus scriptoribus aliis, quorum sententiam hac de re fusius repræsentauimus alibi [*]. Quemadmodum igitur vnitas erat fidei, necessario tuenda in certis articulis fundamentalibus, ad faciendum quempiam christianum: Ita hi articuli semper reperiebantur in symbolis ecclesiasticis; quorum professione vnitas fidei conseruari credebatur; secessio autem ab illis in aliquo fidei capite, vnius istius fidei existimabatur violatio, & defectio ab vnitate ecclesiæ.

QVOD ad capita obedientiæ erga leges & præcepta *CHRISTI* attinet, quæ ad fundamentum & essentiam christianismi ac vnitatis ecclesiasticæ spectare iudicabantur, ea generatim comprehendebantur his breuibus formulis *abrenuntiandi diabolo eiusque cultui & operibus, nec non addicendi sese Christo, & promittendi vitam regulis euangelii ipsius respondentem.* Per quam rem intelligebant abrenuntiationem omnium grandium peccatorum, idololatriæ videlicet, veneficii, homicidii, iniustitiæ, intemperantiæ, impuritatis, & quidquid mundanarum & carnalium cupiditatum nomine insigniri potest, atque contra generalem euangelii tenorem gratiamque Dei, quæ illuxit omnibus hominibus, erudiens nos, vt *abnegata impietate & mundanis cupiditatibus temperanter & iuste & pie viuamus in præsenti sæculo,* resistit & repugnat. Quicumque secundum hanc regulam incedebant, & actiones suas vitamque vniuersam ad hanc generalem officii christiani normam instituebant; *adiicientes fidei suæ virtutem, virtuti vero notitiam, notitiæ vero continentiam, continentiæ vero tolerantiam, tolerantiæ vero pietatem, pietati vero fraternum amorem, fraterno vero amori caritatem;* hi verus *Israel* Dei & in perfecta ecclesiæ eius vnitate erant. Quoad hæc faciebant, labi haud poterant. Nihil eos separare valebat ab ecclesia ipsius, vel ab amore Dei in *CHRISTO IESV.* *Ita enim ample subministrabatur illis introitus in æternum regnum domini nostri & seruatoris Iesu Christi.*

(*o*) Cypr. de vnit. eccles. p. 114. (p. 82 edit. Amstelod.)
(*p*) Tertull. de præscript. c. XXXVII.
(*) Lib. I. c. III. §. IV. vol. I. p. 33. 34.

Quod-

Quod ſi autem homines vitam agerent huic regulæ contrariam, *ambulantes in operibus carnis non ſpiritus, Deum profitentes ſe ſcire, ſed factis negantes;* quamlibet corpore & externa ſpecie viſibili corpori eccleſiæ vniti eſſe poſſent, interne tamen & ſpiritualiter ab eo erant ſeparati. AVGVSTINVS [q] expreſſis verbis hoc adfirmat, *Quum boni*, inquiens, *& mali dent & accipiant baptiſmi ſacramentum, nec generati ſpiritualiter in corpus & membra Chriſti coædificentur niſi boni, profecto in bonis eſt illa eccleſia, cui dicitur, Sicut lilium in medio ſpinarum, ita proxima mea in medio filiarum*, Cant. II, 2. *In his eſt enim, qui ædificant ſuper petram, id eſt, qui audiunt verba Chriſti & faciunt. --- Non eſt ergo in eis, qui ædificant ſuper arenam, id eſt, qui audiunt verba Chriſti & non faciunt. -- Qui ergo compage caritatis incorporati ſunt ædificio ſuper petram conſtituto, & lilio inter ſpinas candenti, ipſi vtique poſſidebunt regnum Dei. Qui autem ſuper arenam ædificant, vel in ſpinis deputantur, quis dubitauerit, quod regnum Dei non poſſidebunt.* Et paullo poſt [r], recitans hæc verba apoſtoli Gal. V, 19. 20. 21. *Manifeſta ſunt opera carnis, quæ ſunt fornicationes, immunditiæ, luxuriæ, idolorum ſeruitus, veneficia, inimicitiæ, contentiones, æmulationes, animoſitates, diſſenſiones, hæreſes, inuidiæ, ebrietates, comeſſationes & his ſimilia, quæ prædico vobis, ſicut prædixi, quoniam qui talia agunt, regnum Dei non poſſidebunt;* ſubiungit: *Omnes iſti non ſunt in lilio, nec ſuper petram, inter hos autem & hæretici poſiti ſunt.* Rurſus, loquens de dono ſpiritus, bonos homines ſanctificante, *Hoc deeſt*, inquit [s], *omnibus malignis & gehennæ filiis, etiamſi CHRISTI baptiſmo baptizentur, ſicut Simon fuerat baptizatus. Multi tales* [t] *ſunt in ſacramentorum communione cum eccleſia, & tamen iam non ſunt in eccleſia: alioquin & tunc quiſque præciditur, quum viſibiliter excommunicatur, conſequens erit, vt tunc rurſus inſeratur, quum viſibiliter communioni reſtituitur. Quid ſi ergo fictus accedat, atque aduerſus veritatem & eccleſiam cor inimiciſſimum gerat, quamuis peragatur in eo illa ſolemnitas, numquid reconciliatur, numquid inſeritur? Abſit.* Alio loco [u] ait: *Sermo diuinus impias turbas eccleſiæ, quæ nec in eccleſia deputantur, tamen propter ſa-*

(q) Auguſtin. de vnitate eccleſ. c. XXI. (c. XVIII. tom. VII. opp. p. 551. ed. Baſil.)
(r) Ibid. c. XXII. (c. XVIII. ead. pag.)
(s) Auguſt. ibid. c. XXIII. (c. XIX. p. 555.)
(t) Ibid. c. XXV. (c. XX. p. 559.)
(u) Auguſtin. ibid. c. XIII. (c. XII. p. 534.)

cra-

cramenta, quæ cum ſanctis communiter habent, quia in eis eſt quædam forma pietatis, cuius virtutem negant: ſicut ait apoſtolus: Habentes formam pietatis, virtutem autem eius abnegantes, ſic redarguit, tamquam omnes tales ſint, & nullus bonus omnino remanſerit. Idem ſæpius repetit aliis [x] in locis, quæ heic copioſius recitare nihil attinet. Nos obſeruamus tantum, quod quemadmodum caritas pro eſſentiali chriſtianæ virtutis parte habita fuit: (quandoquidem *CHRISTVS* eam fecit characteriſticam diſcipulorum ſuorum notam, *Ex hoc*, inquiens, *omnes cognoſcent, vos eſſe diſcipulos meos, ſi caritatem habueritis alii in alios*:) Ita veteres huic vni virtuti magnum pretium ſtatuerint, eaque ſine nullum vmquam hominem vere in eccleſiæ vnitate eſſe crediderint, quantumcumque ius communionis eius alioquin ſibi ipſe arrogaret.

§. II.

De vnitate amoris ac caritatis, tamquam eſſentiali parte chriſtianæ obedientiæ.

NON exiſtimo, inquit AVGVSTINVS [y], *quemquam ita deſipere, vt credat ad eccleſiæ pertinere vnitatem eum, qui non habet caritatem. De fide enim Iacobus apoſtolus quum loqueretur aduerſus eos, qui ſibi quod crediderant ſufficere arbitrabantur, & bene operari nolebant: Tu credis, inquit, quoniam vnus Deus eſt, benefacis, & dæmones credunt & contremiſcunt. Nempe in vnitate eccleſiæ dæmones non ſunt, nec ideo tamen poſſumus dicere, aliud eſſe quod credunt, quum & domino*

(x) Auguſtin. contra Creſcon. lib. I. c. XXIX. Non exiſtimo &c. vid. §. II. ſub initium. Lib. II. c. XV. Iſta quippe in baptizatis & baptizantibus viſibili baptiſmo reperiuntur. Ad illum tamen fontem propriam, cui nemo communicat alienus: ad illum fontem ſignatum, hoc eſt ad ſpiritus ſancti donum, quo caritas Dei diffunditur in cordibus noſtris, nullus iſtorum, niſi mutatus accedit, ita omnino mutandus, non vt non ſit, ſed ſit cæleſtis particeps pacis, ſanctæ ſocius veritatis, plenus indiuiduæ caritatis, ciuis euangelicæ ciuitatis. C. XXI. Qui mente peruerſa videretur intus eſſe, quum foris ſit, ab ipſo Chriſto iam iudicatus eſt. --- Omnia iſta monſtra abſit omnino vt in membris illius columbæ vnicæ computentur; abſit vt intrare poſſint limites horti concluſi, cuius ille cuſtos eſt, qui non poteſt falli. Cap. XXXIII. Nec propter malos, qui videntur eſſe intus, deſerendi ſunt boni, qui vere ſunt intus. Cap. XXXIV. Qui (mali) quum ſint a bonis vita moribuſque ſpiritualiter ſeparati, corporaliter tamen eis in eccleſia videntur eſſe permixti vſque in diem iudicii, quo etiam corporaliter debitas ſeparabuntur ad pœnas.

(y) Auguſt. contr. Creſcon. lib. I. c. XXIX.

Iesu dixerint, quid nobis & tibi est, fili Dei? Vnde Paulus apostolus, Si habeam, inquit, omnem fidem, ita vt montes transferam, caritatem non habeam, nihil sum. Et alio loco [z] ait: *Huius fraternae caritatis inimici, siue aperte foris sint, siue intus esse videantur, pseudochristiani sunt & antichristi. Inuentis enim occasionibus foras exierunt. --- Sed etiam si occasiones desint, quum intus videntur, ab illa inuisibili caritatis compage separati sunt. Vnde Ioannes dicit, Ex nobis exierunt, sed non erant ex nobis. Non ait, quod exeundo alieni facti sint, sed quod alieni erant, propter hoc eos exiisse declarauit.* Haec caritas necessaria erat ad incorporandum homines aedificio [a] super petram obedientiae constituto; sine qua consistere illud non poterat. Compages structurae, caritas, requirebatur tamquam pars principalis fundamenti, in quo vniuersum aedificium innitebatur apte compositum & per caritatem vnitum, tanquam membra mystici corporis *CHRISTI.*

§. III.

Alia vnitatis genera, necessaria ad decus & ornamentum ecclesiae.

In hunc modum veteres communiter loquuntur de his vnitatis generibus, quae ad fundamentum & ipsam essentiam ecclesiae spectare diximus, vtpote adeo absolute necessaria, vt sine illis ecclesia consistere non posset. Necessaria erant vnicuique ecclesiae membro, & necessaria in quibuscumque casibus ac circumstantiis: quandoquidem nulla in re licitum erat fidem abnegare; nec quisquam vlla occasione sobrietatis, pietatis, iustitiae & caritatis officio poterat eximi. Erant & alia vnitatis genera, necessaria quidem ad decus & ornamentum ecclesiae, non autem ita absolute ad essentiam eius necessaria, vt fieri non posset, vt aliquis in extraordinariis quibusdam casibus & circumstantiis ea obseruare minus valeret, vel in eorum exercitio impediretur, quin poenam violatae vnitatis ecclesiae incurreret, aut prorsus communione eius excluderetur. Est vniuscuiusque hominis christiani, cum ecclesia in vnum corpus coalescere beneficio baptismi, eumque de legitimi cuiusdam ministerii recipere manibus; Est illius, se coniungere

(z) Augustin. de bapt. lib. III. c. XIX.

(a) Augustin. de vnit. c. XXI. (cap. XVIII.) Compage caritatis incorporati sunt aedificio super petram constituto.

in

in communione cum ea ecclesia, in qua viuit, & coire cum illa ad cultum Dei publicum, ad preces, ad administrationem verbi ac sacramentorum & reliquorum sacrorum officiorum omnium; Est illius, viuere sub ordinarii & legitimi cuiusdam ministerii gubernatione, seque submittere omnibus regulis ecclesiæ in cultu & disciplina, quæ verbo Dei non aduersantur. Fieri autem potest, vt quis baptismum habere nequeat, quantocumque eius æstuet desiderio. Repentina mors præuenire consilium eius potest, dum serio ad eum se præparat. Rebus ita se habentibus, ecclesia beneficiorum suorum communionem ei non negabat, vtvt numquam in eam cum solemnibus ritibus admisso, sed animum eius pro re ipsa amplexa, post obitum eum tractabat tamquam filium in gremio suo defunctum. Ita multis martyribus aliisque pluribus accidit, qui non ex contemtu quidem, sed vrgente aliqua nec præuisa necessitate præventi, sine baptismo diem suum obierant. Ita quoque fieri poterat, vt quis in summo vitæ periculo constitutus, si baptismum desideraret, habere eum non posset, nisi de manibus hæretici vel laici. Quo in casu ecclesia homini sic baptizato eamdem beneuolentiam præstabat, eo quod animo ac voluntate ecclesiæ addictus erat, nec contemtus aliquis ministerii eius, sed necessitas ipsum compulerat, baptismum potius de hæretici vel laici sumere manibus, quam sine illo e vita discedere. Similiter si quis vere cuperet cum ecclesia in publicis eius conuentibus se coniungere, nihilo tamen secius, interueniente magno quodam impedimento, ab huius priuilegii vsura arceri poterat, infirmitate videlicet vel carcere, vel exilio: Qua ratione non separatus erat a communione ecclesiæ in adoratione siue precibus; sed spiritus eius in religiosis ecclesiæ conventibus semper aderat præsens, etiamsi corpore ab illis vel longissime abesse cogeretur. Vel si cura de iuuandis indigentibus, qui opem eius requirebant, a solemnibus in æde Dei congregationibus eum euocaret, idonea erat eius ratio, & istiusmodi actio pro christianæ vnitatis violatione non habebatur, quum ipse Deus hoc permittat, immo sua ipsius regula requirat, *Misericordiam volo & non sacrificium:* Quæ res in istiusmodi casibus, vbi homines agunt sincere, nec Deum illudunt, tam coram Deo, quam coram ipsius ecclesia eos excusat.

 Por-

Porro requirebatur, vt homines ad omnes innocentes consuetudines & legitimas constitutiones ecclesiæ se accommodarent; & speciatim disciplinæ eius se submitterent, si quod flagitium cum publico scandalo commisissent. Si quis autem vel morbo, vel infirmitate corporis, vel senectute impediretur, quo minus regulas ecclesiæ de ieiunio obseruaret; vel si propter paupertatem a labore corporis, ad celebrandos dies eius festos, abstinere non posset; tum ille regulas eius vel bonum ordinem migrasse haud existimabatur, quia istiusmodi res natura sua ita comparatæ sunt, vt admittant tales exceptiones. Neque quispiam secessionis ab ecclesia accusabatur, eo quod contra consuetudines eius, in eiusmodi casibus viueret. Ita, licet requireretur, vt pœnitentes, sub disciplina constituti, ecclesiæ reconciliarentur per impositionem manuum & absolutionem; tamen, si quis vere pœnitens, qui absolutionem desiderauerat, linguæ vsum perderet vel moreretur ante, quam recipere eam posset; hoc conditioni eius obesse non iudicabatur. Voluntas eius & desiderium & consilium reconciliandi sui satis esse existimabatur ad restituendum eum paci ac vnitati ecclesiæ, quamuis receptis externæ absolutionis ritibus ac cærimoniis destitueretur.

HAEC magna illa differentia erat inter ista vnitatis genera, quæ ad ipsum fundamentum & essentiam ecclesiæ spectare credebantur, & ea, quæ vt necessaria ad decus & ornamentum eius requirebantur. Ista nullum legis ecclesiasticæ admittebant laxamentum; hæc autem in his & similibus casibus admittebant. Nulla res cuipiam libertatem dare poterat abiiciendi bonam conscientiam aut faciendi naufragium fidei. Nulla necessitas tanta esse poterat, vt homini daret iustam abnegatæ alicuius fundamentalis veritatis excusationem, vel ipsum a manifesta harum necessariarum regularum magnarumque linearum officii, quod vniuersalem sanctitatis praxin in pia, iusta ac pura vita, tamquam absolute necessariam salutis conditionem, requirit, violatione liberaret. Diuersæ tamen necessitudines hominibus vacationem rerum posterioris generis dare poterant; adeoque vtilissimum est, has res curate distinguere, si de vnitate ecclesiæ loquamur. Quemadmodum itaque de prioribus maxime generibus vnitatis diximus, ita de his posterioribus paullo distinctius loquemur & ostendemus, quatenus veteres eorum vrserint necessitatem. §.IV,

§. IV.

Inter hæc referebatur primo, *Neceſſarius vſus vnius baptiſmi, ordinarie per legitimi alicuius miniſterii manus adminiſtrandi.*

Et heic primum omnium requirebant, vt homines eccleſiæ ſeſe adiungerent per baptiſmum; & cum quidem ſemel tantum & ordinarie per legitimi cuiuſdam miniſterii manus adminiſtrandum, niſi extrema quædam neceſſitas eos aliter agere cogeret. Neceſſitatem baptiſmi ex tenore vrgebant mandati, quod acceperant apoſtoli, *Ite, baptizate omnes nationes:* Et ex his ſeruatoris verbis: *Niſi quis fuerit genitus ex aqua, & ſpiritu, non poteſt introire in regnum Dei.* Erant multi hæretici, qui vſum baptiſmatis aquæ contemnebant, tamquam carnale inſtitutum, & neceſſitatem eius ad ſalutem in quocumque caſu repudiabant, quos libro quodam [*] ſuperiore diſtincte recenſuimus. Contra hos baptiſmi neceſſitatem veteres chriſtiani vrgebant in omnibus caſibus ordinariis, ad reddendum homines membra eccleſiæ; & ſtrenue contendebant, quod homines, qui dedita opera baptiſmum negligerent vel contemnerent, nulla ratione eccleſiæ CHRISTI vniri, nec vllam vitæ æternæ ſpem habere poſſent; eo quod inſtitutionem CHRISTI deſpicerent, quam certam ac ordinariam viam admittendi membra in eccleſiam ſuam fecerit, & per oſtium ingredi recuſarent, quod ipſe generalem vitæ æternæ introitum eſſe iuſſerit. Hanc veterum opinionem de neceſſitate baptiſmi in omnibus caſibus ordinariis, quam contra diuerſas iſtas hæreſes tuiti ſunt, lector in antegreſſa quadam huius operis parte [†] inuenire poteſt pluribus conſideratam; vbi obſeruauimus, quod licet neceſſitatem baptiſmi ad reddendum homines membra eccleſiæ & filios Dei acriter viſerint, palam aperteque profitentes, ſe illis omnibus, qui vel negligenter eum omitterent, vel profane & petulanter contemnerent, non adſpirare; non tamen ſenſerint, eum ita ſimpliciter & abſolute eſſe neceſſarium, vti quidem fidei ac pœnitentiæ vnitatem: quia ſemper crediderint, baptiſmi defectum, ſi nulla interceſſiſſet contemtio, martyrio poſſe

(*) Lib. XI. c. II. volum. IV. p. 153. ſeqq.

(†) Lib. X. c. II. §. XIX. XX. vol. IV. p. 43. ſq.

ſuppleri, vbi fidei exhibitio & maximum, quod dari poterat, obedientiæ teſtimonium, ad vniendum eos *CHRISTO* ipſiuſque eccleſiæ hoc in caſu ſatis erat, illiſque omnia chriſtianæ communionis priuilegia conferebat. Idem de fide ac pœnitentia iſtiuſmodi catechumenorum ſtatuebatur, qui, dum pie ad baptiſmum ſeſe præparabant, repentina morte abripiebantur, antequam eum recipiendi haberent opportunitatem. Quod ipſum oſtendit, manifeſtum eos diſcrimen poſuiſſe inter vnitatem fidei ac obedientiæ, tamquam fundamentalem & ad ipſam alicuius eccleſiæ eſſentiam neceſſariam, cuius defectus ſuppleri non poſſit; & inter vnitatem baptiſmi, quæ quamuis ordinarie neceſſaria eſſet ad ſalutem & decentiam eccleſiæ, non tamen ita abſolute & ſimpliciter neceſſaria erat, quin eius defectus in quibuſdam caſibus per fidem & obedientiam impleri poſſet. Et proinde huius vtriuſque beneficio martyres vel pii catechumeni iudicari poterant mori in eccleſiæ vnitate ſine baptiſmo, ſi eum recipiendi haud idoneam habuiſſent opportunitatem.

FORMVLA quidem baptiſmi in ſe, ſi adminiſtraretur, aliquanto magis neceſſaria erat, eo quod profeſſionem fidei in ſacroſanctam trinitatem, & vniuerſalem obtemperationem legibus *CHRISTI* inuolueret; adeoque baptiſmus, alia formula adminiſtratus, nullus & irritus habebatur in ipſa eccleſia, & neceſſario erat iterandus. Verum tum hæc neceſſitas non oriebatur ex nuda baptiſmi neceſſitate (a qua, vti percepimus, quibuſdam in caſibus dabatur immunitas) ſed ex neceſſitate fidei & obedientiæ, quarum vtraque, tamquam antecedens conditio, ad ipſam eccleſiæ alicuius eſſentiam & characterem hominis chriſtiani in latiſſima nomenclatione requiri credebatur. Vt adeo, quod hanc formulam ita abſolute neceſſariam reddebat, non eſſet abſoluta ipſius baptiſmi neceſſitas, a qua homines in nonnullis extraordinariis caſibus, vbi iſta fidei ac obedientiæ vnitas, tamquam neceſſaria conditio, in eorum mentibus ante baptiſmum vere reperiebatur, abſolui poterant: Sed defectus vtriuſque huius vnitatis, aut certe profeſſionis eiuſdem, in vſitata formula fieri debitæ, neglectio erat, quæ baptiſmum irritum faciebat; quod non leuis ratio eſſet ad ſuſpicandum, eos nec fidem habere nec obedientiam, ad ipſam eſſen-

eſſentiam hominis chriſtiani adeo neceſſarias; ſiquidem nulla earum profeſſio in baptiſmo ipſorum facta erat. Vnde ſiue in eccleſia ſiue extra eccleſiam datus eſſet, ſemper iterandus erat, tamquam res irrita & infecta, propter iſtum defectum fidei ac obedientiæ, quæ ad reddendum quempiam hominem chriſtianum ita ſimpliciter ac abſolute requirebantur.

NECESSARIVM quoque ad vnitatem eccleſiæ, quod ad decentiam eius, credebatur, vt baptiſmus per legitimi alicuius & recte conſtituti miniſterii manus conferretur. Adeoque ſi quis laicus ſine dato ſibi negotio in eccleſia hanc auctoritatem vſurparet, vel hæreticus & ſchiſmaticus extra eccleſiam hanc poteſtatem ſibi arrogaret, ſemper pro grandi vnitatis eccleſiaſticæ violatione habebatur. Et licet eccleſia iſtiuſmodi baptiſmos, ſi in debita verborum formula dati eſſent, non ſemper reſcinderet; rem tamen ipſam tamquam vſurpationem & criminoſi ſchiſmatis actum, manifeſtamque præuaricationem tam in dante quam voluntarie recipiente, numquam non damnabat. Ita vt vnum de antiquis conciliis [*b*] ſic decerneret: *Catholicus, qui filios ſuos in hæreſi baptizandos obtulerit, oblatio illius in eccleſia nullatenus recipiatur.* Hoc re ipſa idem erat, ac anathemate eum ferire, vtpote qui animos addidiſſet hæreticis, ſeque ab eccleſiæ ſeparaſſet vnitate. Et HIERONYMVS [*c*] in eamdem ſententiam ait: *Si iam ipſe bene credebat, & ſciens ab hæreticis baptizatus eſt, erroris veniam non meretur.* Accidere autem poterat, vt quis in ſummo vitæ periculo conſtitutus, non niſi hæreticum ad ſe baptizandum nanciſci poſſet; quo in caſu baptiſmum de hæretici ſeu ſchiſmatici manibus recipere, pro catholicæ vnitatis diſſolutione non habebatur, quia homo animo ac mente catholicæ eccleſiæ adhuc erat vnitus. Hoc AVGVSTINI hac de re iudicium eſt. *Si quem,* inquit [*d*], *forte coëgerit extrema neceſſitas, vbi catholicum, per quem accipiat, non inuenerit, & in animo pace catholica cuſtodita, per aliquem extra vnitatem catholicam poſitum acceperit, quod erat in ipſa catholica vnitate accepturus, ſi ſtatim etiam de hac vita migrauerit, non eum niſi catholicum deputamus. Si autem fuerit a corporali morte liberatus, quum ſe catho-*

(*b*) Concil. Ilerden. c. XIII.
(*c*) Hieron. dialog. cum Lucifer. c. V.
(*d*) Auguſt. de bapt. lib. I. c. II.

lica

licæ congregationi etiam corporali præsentia reddiderit, vnde numquam corde discesserat, non solum non improbamus, quod fecit, sed etiam securissime verissimeque laudamus: quia præsentem Deum credidit cordi suo, vbi vnitatem seruabat, & sine sancti baptismi sacramento, quod obicumque inuenit, non hominum sed Dei esse cognouit, noluit ex hac vita migrare. Si quis autem, quum possit in ipsa accipere, per aliquam mentis peruersitatem eligit in schismate baptizari, etiamsi postea venire ad catholicam cogitat, quia certus est ibi prodesse sacramentum, quod alibi accipi quidem potest, prodesse autem non potest: procul dubio peruersus & iniquus est, & tanto perniciosius, quanto scientius. Alio loco eamdem proponit quæstionem, Num quis catholicus salua vnitate baptismum a separato siue schismatico possit accipere? Et in eumdem modum respondet [e]: *Potest salubriter accipere a separato, si ipse non separatus accipiat: sicut plerisque accidit, vt catholico animo & corde ab vnitate pacis non abalienato, aliqua necessitate mortis ingruentis in aliquem hæreticum irruerent, & ab eo Christi baptismum sine illius peruersitate acciperent, &, siue defuncti, siue liberati, nequaquam apud eos remanerent, ad quos numquam corde transierant. Si autem & ipse separatus acceperit, tanto perniciosius accipit, quanto magis bonum est, quod non bene accipit: & tanto magis valet ad exitium separato, quanto magis posset ad salutem valere coniuncto.* Ita rursus docens, hominum baptizatorum alios baptismum accepisse in domo Dei, vt ipsi sint vere ac spiritualiter domus Dei; alios eo esse donatos in domo Dei, qui vero spiritualiter per mala opera ab ea sint separati; alios denique baptizatos esse in hæresi vel schismate, qui a domo Dei corporaliter segregati sint, & longius quidem, quam illi, qui in ea carnaliter & animaliter viuant, & spiritualiter tantum sint separati; subiungit de his vltimis [f]: *Qui separatiores non magis in domo quam ex domo sunt, neque omnino vtiliter habent (*baptismum,*) neque ab eis vtiliter accipitur, nisi forte accipiendi necessitas vrgeat, & accipientis animus ab vnitatis vinculo non recedat.* Ex quibus apparet, quod si quis, fatali quadam necessitate coactus, baptismum ab hæretico vel schismatico accepisset, id illum schismatis reum non fecerit, quoad in animo ecclesiæ catholicæ vnitatem custodiuerit.

(e) Auguſt. de bapt. lib. VI. c. V.
(f) Id. de bapt. lib. VII. c. LII.

EODEM

Eodem modo comparatum erat cum illis, qui a laico erant baptizati. Regulæ ecclesiasticæ requirebant, vt nulli in ordinariis casibus baptizarent, nisi rite initiati & legitimi ecclesiæ ministri; & secus facere semper nota nocentis erat schismatis, Verum si summa quædam necessitas vrgeret, ecclesia generatim ipsis etiam laicis negotium baptizandi dabat potius, quam vt aliquis, in tantis difficultatibus constitutus, sine baptismo decederet; atque rebus ita sese habentibus baptismum recipere a laico nec illicita vsurpatio erat, nec actio schismatica in dante vel recipiente, quia pro actione ista ecclesiæ habebant auctoritatem. Nolumus hoc loco ad hanc rem probandam producere testimonia, quia in peculiari dissertatione id iam fecimus copiosius, quando historice considerauimus praxin ecclesiæ in permittendo laicis baptismi administrationem in casibus extraordinariis, vbi homines in extremum discrimen adducti ministrum ecclesiæ ad se baptizandum habere non poterant.

In hisce casibus vniuersis, vti videmus, nihil nisi extrema necessitas homines schismatis crimine liberare poterat, dum sese ab ecclesia separarent, siue negligendo baptismum, siue quærendo hæreticos, vel schismaticos, vel laicos ad eum sibi tribuendum. Idem statuendum est de eo, si quis se rebaptizari pateretur, iam antehac siue in ecclesia, siue extra ecclesiam vere baptizatus. Vnitas enim baptismi istiusmodi erat, vt numquam eum repeti liceret. Maximi fidei catholicæ desertores numquam rebaptizabantur ab ecclesia, ad eam reuersi, sed per manus impositionem, vera acta pœnitentia, recipiebantur. Neque ecclesia vmquam rebaptizabat eos, qui in hæresi vel schismate baptismum receperant, nisi dubium esset, an non baptismo illi pars quædam essentialis deesset. Et idcirco, quum multi hæretici ad rebaptizandos catholicos procliues essent, seueræ leges tam in ecclesia quam in republica ad hanc insolentiam reprimendam rogabantur. Qua de re ex instituto disseruimus, vbi antehac de baptismo [*] egimus, & nunc id solum obseruandum est, quod hæc praxis rebaptizandi semper pro actione schismatica habita sit & manifesta violatione vnitatis catholicæ, quæ non nisi vnum baptismum permittebat,

(*) Lib. XII. c. V. §. VII. vol. IV. p. 403 -- 411.

ſecundum regulam illam apoſtoli, *Vnus dominus, vna fides, vnum baptiſma* in eccleſia, quemadmodum multi ex veteribus illud exponunt: aut certe, quia ex diuina voluntate ita conſtitutum erat.

§. V.

Secundo, *Vnitas diuini cultus, in conſociatione & communitate cum eccleſia in precibus, atque adminiſtratione verbi ac ſacramentorum.*

ALIVD vnitatis genus, ad decus & ornamentum eccleſiæ requiſitum, diuini cultus erat vnitas, per quam omnes chriſtiani cum ſua quiſque eccleſia in publica omnium ſacrorum officiorum functione, hoc eſt, in communibus precibus, & verbi ac ſacramentorum adminiſtratione, ſe conſociare debebant. Quæ vnitas non requirebat, vt omnes eccleſiæ de eadem verborum formula, quæ ad has res non eſſet abſolute neceſſaria, congruerent: (Nam, vti ſtatim videbimus, eccleſiæ cuilibet poteſtas facta erat optioque, vt eligeret, quanam methodo ac formula verborum res iſtas vellet peragere: neque vnitatis erat diſſolutio, quando diuerſæ eccleſiæ diuerſas methodos, ritus ac cærimonias in peragendis iiſdem ſacris officiis adhibebant, quoad tenori inſtitutionis inhærebant) ſed quod ad cuſtodiendam vnitatem eccleſiæ his in rebus requirebatur, hoc erat, Vt ſingula cuiuſque eccleſiæ membra conſuetudinibus ac ritibus eccleſiæ ſuæ peculiaribus ac propriis (ſi nihil illegitimi in officia eius inuectum eſſet) ſe accommodarent, ad religioſos conuentus coirent, perpetuamque omnis diuini cultus communitatem cum ea tenerent. Qui vero ſecus agebant, dum aut penitus negligerent religioſos conuentus ad cultum Dei publicum, aut oppoſitas inſtituerent congregationes, aut minus neceſſarias diſputationes excitarent de legitimis cærimoniis & innocentibus conſuetudinibus iſtius eccleſiæ, cuius membra erant, illi ſemper actionis ſchiſmaticæ rei habebantur, vt qui offenderent eccleſiam, peſſimumque fratribus ſuis exemplum proderent. Diuerſi canones in concilio *Gangrenſi* exſtant, contra ſeparatiſtas, *Euſtathianos* vocitatos, facti, qui in rem præſentem apprime faciunt. Canon quartus ita habet

bet [*]: *Si quis de presbytero, qui vxorem duxit, contendat, non oportere, eo ſacra celebrante, oblationi communicare, ſit anathema.* Quintus eſt in eamdem ſententiam [**]: *Si quis docet, domum Dei eſſe contemnendam, & quæ fiunt in ea congregationes, ſit anathema.* Sextus canon priuatos ac illegitimos quosque conuentus interdicit [†]: *Si quis præter eccleſiam vult eccleſiam habere, & contemnens eccleſiam, vult ea, quæ ſunt eccleſiæ, agere, non conueniente presbytero de epiſcopi ſententia, ſit anathema.* Vndecimus ſimiliter eos reprehendit, qui [††] agapas in honorem Dei factas contemnant, de illiſque participare recuſent. Duodeuiceſimus in eos inuehitur, qui [*] die dominico ieiunent, cauſſam huic rei prætexentes vitam, quam agant, aſceticam; quia hoc ieiunium res erat vniuerſali eccleſiæ regulæ ac conſuetudini contraria. Contra ea vndeuiceſimus iſtos aſceticos carpit, qui ſine excuſatione infirmitatis corporis, ex mera inſolentia [**] tradita a maioribus ieiunia diſſoluant. Et viceſimus anathema infligit illis, qui arrogantiæ vtentes [†] adfectu congregationes contemnant, in eccleſiis martyrum haberi ſolitas, & ſacra, quæ in eis celebrentur, ſimul cum eorum memoriis exſecrentur. Inter ſic dictos *canones apoſtolicos* quidam eſt eiuſdem argumenti, ſic decernens [g]: *Si quis presbyter, contemto ſuo epiſcopo, ſeorſum congre-*

(*) Concil. Gangrenſ. c. IV. Εἴ τις διακρίνοιτο παρὰ πρεσβυτέρου γεγαμηκότος, ὡς μὴ χρῆναι λειτουργήσαντος αὐτοῦ προσφορᾶς μεταλαμβάνειν, ἀνάθεμα ἔστω.

(**) Can. V. Εἴ τις διδάσκοι, τὸν οἶκον τοῦ θεοῦ εὐκαταφρόνητον εἶναι καὶ τὰς ἐν αὐτῷ συνάξεις, ἀνάθεμα ἔστω.

(†) Ibid. c. VI. Εἴ τις παρὰ τὴν ἐκκλησίαν ἰδίᾳ ἐκκλησιάζοι, καὶ καταφρονῶν τῆς ἐκκλησίας, τὰ τῆς ἐκκλησίας ἐθέλοι πράττειν, μὴ συνόντος τοῦ πρεσβυτέρου κατὰ γνώμην τοῦ ἐπισκόπου, ἀνάθεμα ἔστω.

(††) Εἴ τις καταφρονοίη τῶν ἐκ πίστεως ἀγάπας ποιούντων, καὶ διὰ τιμὴν τοῦ κυρίου συγκαλούντων τοὺς ἀδελφοὺς, καὶ μὴ ἐθέλοι κοινωνεῖν ταῖς κλήσεσι, διὰ τὸ ἐξευτελίζειν τὸ γινόμενον, ἀνάθεμα ἔστω.

(*) Ibid. c. XVIII. Εἴ τις διὰ νομιζομένην ἄσκησιν ἐν τῇ κυριακῇ νηστεύοι, ἀνάθεμα ἔστω.

(**) Ibid. c. XIX. Εἴ τις [illegible]κουμένων χωρὶς σωματικῆς ἀνάγκης ὑπερηφανεύοιτο, καὶ τὰς παραδεδομένας νηστείας εἰς τὸ κοινὸν, καὶ φυλασσομένας ὑπὸ τῆς ἐκκλησίας, παραλύοι, ὑποικουροῦντος ἐν αὐτῷ τελείου λογισμοῦ, ἀνάθεμα ἔστω.

(†) Ibid. can. XX. Εἴ τις αἰτιῷτο, ὑπερηφάνῳ διαθέσει κεχρημένος καὶ βδελυσσόμενος τὰς συνάξεις τῶν μαρτύρων, ἢ τὰς ἐν αὐτοῖς γινομένας λειτουργίας, καὶ τὰς μνήμας αὐτῶν, ἀνάθεμα ἔστω.

(g) Can. apoſt. XXXII. Εἴ τις πρεσβύτερος καταφρονήσας τοῦ ἰδίου ἐπισκόπου, χωρὶς

gationem faciat & aliud altare figat, quum nihil ad pietatem & iustitiam pertinens in episcopo damnauerit; deponatur, tamquam dominandi cupidus: est enim tyrannus. Deponantur etiam reliqui clerici, quicumque ei se adiunxerint: Laici vero segregentur. Hæc autem fiant post vnam & alteram vel etiam tertiam episcopi admonitionem. Hæ erant quædam ex antiquis regulis de separatistis, ab ecclesia se penitus disiungentibus cum eaque diuini cultus communitatem habere recusantibus. Et illis, qui vnam quamdam publici cultus partem frequentabant, subducebant autem se reliquis, eamdem quoque ignominiæ notam tamquam immorigeris filiis apponebant. Quidam ex canonibus apostolicis [*h*], „Cunctos „fideles, inquit, qui in sanctam Dei ecclesiam ingrediuntur & sa„cras scripturas audiunt, non autem perseuerant in oratione, „nec sanctam communionem percipiunt, velut in ecclesiam „inducentes confusionem, segregari oportet„. Et concilium *Antiochenum* [*i*] repetit hunc canonem atque corroborat. Concilium *Illiberritanum* [*k*] episcopos eorum, qui non communicent, oblationes vetat accipere. Quod re ipsa idem est, atque a communione ecclesiæ, propter neglectam præcipuam diuini

συναγάγῃ, καὶ θυσιαστήριον ἕτερον πήξῃ, μηδὲν κατεγνωκὼς τȣ͂ ἐπισκόπȣ ἐν εὐσεβείᾳ καὶ δικαιοσύνῃ, καθαιρείσθω ὡς φίλαρχος· τύραννος γάρ ἐστιν· καὶ οἱ λοιποὶ κληρικοὶ, ὅσοι ἂν αὐτῷ προσθῶνται· οἱ δὲ λαϊκοὶ ἀφοριζέσθωσαν· ταῦτα δὲ μετὰ μίαν καὶ δευτέραν, ἢ καὶ τρίτην τȣ͂ ἐπισκόπȣ παράκλησιν γινέσθω.

(*h*) Can. apost. VII. Πάντας τȣ̀ς εἰσιόντας πιστȣ̀ς εἰς τὴν ἁγίαν τȣ͂ Θεȣ͂ ἐκκλησίαν, καὶ τῶν ἱερῶν γραφῶν ἀκȣ́οντας, μὴ παραμένοντας δὲ τῇ προσευχῇ καὶ τῇ ἁγίᾳ μεταλήψει, ὡς ἂν ἀταξίαν ἐμποιȣ͂ντας τῇ ἐκκλησίᾳ, ἀφορίζεσθαι χρή.

(*i*) Concil. Antioch. c. II. Πάντας τȣ̀ς εἰσιόντας εἰς τὴν ἐκκλησίαν τȣ͂ Θεȣ͂, καὶ τῶν ἱερῶν γραφῶν ἀκȣ́οντας, μὴ κοινωνȣ͂ντας δὲ εὐχῆς ἅμα τῷ λαῷ, ἢ ἀποστρεφομένȣς τὴν μετάληψιν τῆς εὐχαριστίας κατά τινα ἀταξίαν· τȣ́τȣς ἀποβλήτȣς γίνεσθαι τῆς ἐκκλησίας, ἕως ἂν ἐξομολογησάμενοι καὶ δείξαντες καρπȣ̀ς μετανοίας, καὶ παρακαλέσαντες, τυχεῖν δυνηθῶσι συγγνώμης. *Omnes, qui in ecclesiam ingrediuntur, & sacras scripturas audiunt, oratione autem cum populo non communicant, vel sanctam eucharistiæ participationem propter aliquam insolentiam auersantur, eos ab ecclesia expelli, donec postquam confessi fuerint, fructusque pœnitentiæ ostenderint & implorauerint, veniam adsequi possint.*

(*k*) Concil. Illiberrit. c. XXVIII. Episcopos placuit ab eo, qui non communicat, munera accipere non debere. Vid. concil. Tolet. I. c. XIII. Hi, qui intrant in ecclesiam, & deprehenduntur numquam communicare, admoneantur, quod si non communicant, ad pœnitentiam accedant &c.

cultus

cultus partem, eos ſeparare. Idem concilium alio canone [†] ita ſtatuit: *Si quis in ciuitate poſitus, tres dominicas eccleſiam non acceſſerit, tanto tempore abſtineat, vt correptus eſſe videatur.* Concilium *Sardicenſe* non multo poſt decretum fecit in eamdem ſententiam, remittens ad canonem præterito tempore factum hac de re, qui, etſi viri docti ignorent, quis ille canon fuerit, mihi tamen manifeſto hic concilii *Illiberritani* canon eſſe videtur. *Hoſius* enim, vrbis *Cordubæ* epiſcopus, vtrique horum conciliorum præſens adfuit, & *Sardicenſi* quidem præſedit, quæ res id probabile efficit, ipſum ad canonem illum *Illiberritanum* reſpexiſſe, quando hoc patribus *Sardicenſibus* conſiderandum & approbandum propoſuit. Nam concilium *Sardicenſe* [*l*] mentionem facit canonis, in antegreſſo quodam concilio conditi, quo iudicatum ſit, *vt ſi quis laicus in aliqua vrbe agens, tribus diebus dominicis in tribus hebdomadibus,* (non habens idoneam abſentiæ cauſſam) *non conueniat, is communione moueatur.* Idem in concilio *Trullano* [*m*] in hunc modum repetitur: *Si quis epiſcopus, vel presbyter, vel diaconus, vel eorum, qui in clero enumerantur, vel laicus nullam grauiorem habet neceſſitatem, vel negotium difficile, vt a ſua eccleſia abſit diutiſſime; ſed in ciuitate agens, tribus diebus dominicis in tribus ſeptimanis vna non conueniat, ſi ſit quidem clericus, deponatur: ſi vero laicus, ſegregetur.* In hunc modum enitebatur & contendebat eccleſia, vt membra ſua in diuini cultus vnitate conſervaret, refrenaretque ſeparatiſtas, ſiue ex parte ſiue ex toto tales, quod, qui per occaſionem communicabant, cenſuræ æque ac quiſquam alius obnoxii eſſent.

ERANT autem neceſſariæ quædam rationes, quæ hominem hoc conſtantis cum ſua ipſius eccleſia communionis officio abſoluere poterant. Exempli cauſſa, ſi quis eſſet in itinere, ipſa

(†) Concil. Illiber. c. XXI.

(*l*) Concil. Sardic. c. XI. *μέμνηθε καὶ ἐν τῷ προάγοντι χρόνῳ τὰς πατέρας ἡμῶν κεκρικέναι, ἵνα εἴ τις λαϊκὸς ἐν πόλει διάγων, τρεῖς κυριακὰς ἡμέρας ἐν τρισὶν ἑβδομάσι μὴ συνέρχοιτο, ἀποκινοῖτο τῆς κοινωνίας.*

(*m*) Concil. Trull. can. LXXX. *Εἴ τις ἐπίσκοπος, ἢ πρεσβύτερος, ἢ διάκονος, ἢ τῶν ἐν κλήρῳ καταλεγομένων, ἢ λαϊκὸς, εἰ μηδεμίαν ἀνάγκην βαρυτέραν ἔχοι, ἢ πρᾶγμα δυσχερὲς, ὥστε ἐπὶ πλεῖστον ἀπολείπεσθαι τῆς αὐτῆ ἐκκλησίας, ἀλλ᾽ ἐν πόλει διάγων τρεῖς κυριακὰς ἡμέρας ἐν τρισὶν ἑβδομάσι μὴ συνέρχοιτο, εἰ μὲν κληρικὸς εἴη, καθαιρείσθω· εἰ δὲ λαϊκὸς, ἀποκινείσθω τῆς κοινωνίας.*

rei natura ipſius erat excuſatio. In eiuſmodi enim neceſſitate cum eccleſia ſua communicare nequibat, & idcirco concilium *Trullanum* regulam cum hac reſtrictione tradit. Si quis infirma atque etiam ægra valetudine erat, ipſa eius infirmitas tale impedimentum erat, vt omnes tam diuinæ quam humanæ leges idoneam abſentiæ excuſationem darent. Eadem ratio ſeverorum ieiuniorum eccleſiæ neglectionem excuſabat, quæ nullis, niſi qui ad ea ſeruanda idonei eſſent, indicebantur, quemadmodum ex ante citato concilii *Gangrenſis* canone [*n*] apparet. Dies ſtationarii, ieiuniorum & precum, præcipue deſignati erant exercitationi religioſorum aſcetarum, quibus & robur & otium erat in hiſce rebus ſeſe exercendi. Et idcirco infirmi, vel pauperes, quos ex corporis labore victum ſibi quærere oportebat, tantum temporis hiſce ieiuniis ac precibus, ſtato tempore recurrentibus, impendere non neceſſe habebant. Si cum eccleſia diebus dominicis religioſe communicarent, reliquorum officiorum prætermiſſione vincula communionis cum eccleſia rumpere non credebantur. Si qui in cuſtodiam erant dati, vel proiecti in exilium, id abſentiam eorum per ſe excuſabat. Quo pacto enim corporaliter cum eccleſia ſe iungere poterant, qui corporum ſuorum libertate carebant, ex aliorum arbitrio in totum pendentes? Satis habebant in iſta vitæ ſuæ conditione in ſpiritu ſe cum eccleſia coniungere, quando corporis præſentia id facere non poterant, & dicere cum *Davide, Quemadmodum ceruus clamat ad fontes aquarum, ita anima mea clamat ad te, Deus. Sitiuit anima mea ad Deum, ad Deum viuum: Quando veniam & apparebo ante faciem Dei?* Pſ. XLI, 2. 3. Et, *Hei mihi, quod tamdiu peregriner in Meſech, habitem cum tabernaculis Kedar*, Pſalm. CXX, 5. *Deus; ſitiuit in te anima mea, deſiderat te caro mea in terra deſerta & ſitibunda, in qua non eſt aqua. Sic vt in loco ſancto vidi te, vt videam fortitudinem tuam & gloriam tuam.* Pſ. LXIII, 2. 3. Infelicitatis erat eorum, non noxæ, abeſſe a domo Dei. Interim totus orbis templum Dei eis ſe præbebat. Nam *Domini eſt terra & plenitudo eius.* Carcer eorum, eorum erat oratorium, ſolitudo ſanctuarium; corda eorum ſacrificium, & corpora eorum altare. Quando *Lucianus* martyr in vinculis pectus

(*n*) Concil. Gangrenſ. c. XIX. vid. pag. 19.

ſuum

ſuum pro menſa ſacra adhibebat, vt in ea euchariſtiam offerret, ſacrificium eius Deo ita acceptum erat, ac ſi in media eccleſia ſuper altare id factum eſſet. Nam, vt BASILIVS [o] loquitur, *Non locus, ſed adfectus & intentio exigitur: Deum medio in mari Moyſes exorauit, Iob in ſterquilinio, Ezechias in lectulo ad miſericordiam prouocauit, Ieremias in luto, Ionas in ceto, Daniel in lacu placuit, Pueri in camino promeruere, Latro in cruce, Petrus atque Paulus in carcere. Quiuis locus*, inquit DIONYSIVS ALEXANDRINVS [p], *in quo varias ærumnas ſigillatim pertulimus, ager, ſolitudo, nauis, ſtabulum, carcer, inſtar templi ad ſacros conuentus peragendos fuit.* Magna differentia facienda eſt inter neceſſitatem & contemtum. Si quis conuentibus eccleſiaſticis libenter ſe ſubtrahit, quando eis adeſſe poteſt, is vnitatis eccleſiæ deſertor eſt, contemnens diuinum illius cultum. Quod ſi autem neceſſitas eum abeſſe cogit, quum adeſſe deſiderat, ſpiritualiter præſens adeſt eo ipſo tempore, quo corporaliter abeſt. Quæ tanta vnitatis eſt conſeruatio, quantam eius conditio vult admittere, vel eccleſia poteſt requirere: ſiquidem hoc vnitatis genus non ſimpliciter & abſolute ad eſſentiam eccleſiæ in quocumque ſtatu requiritur, ſed tantum ad decus & ornamentum illius pacatis temporibus & in caſibus ordinariis neceſſarium eſt. Et omnino beata foret eccleſia, ſi homines numquam beneficio communionis illius in religioſis conuentibus ſe ipſi privarent, niſi ex iſtiuſmodi neceſſitatis rationibus, quæ defenſionem ſui ſub primo adſpectu in ipſa ſua natura adferunt. Si ſeparationem duntaxat paterentur, non agerent & molirentur, iſta ſeparatio ſchiſmatis reos ipſos non faceret, quæ tam idoneam coram Deo ipſiuſque eccleſia admittit excuſationem. Eccleſiæ primitiuæ ſumma erat felicitas in hiſce duabus rebus (quæ ad hoc genus vnitatis in communione ſpectant, cuius defectus tam in cauſſis eius quam effectis, in hoc infeliciter diuiſo eccleſiæ poſteriorum temporum ſtatu tantopere deplorandus eſt). Primum quidem, Quod nulla eccleſia tunc tem-

(o) Baſil. Exhortat. ad baptiſm. ap. Durant. de ritib. lib. I. c. II. (NB. In Baſilio hæc verba loco citato non inuenio, adeoque ea græce tranſcribere non poſſum.)

(p) Ap. Euſeb. lib. VII. c. XXII. *πᾶς ὁ τῆς καθ' ἕκαστον θλίψεως τόπος, πανηγυρικὸν ἡμῖν γέγονε χωρίον· ἀγρός· ἐρημία· ναῦς· πανδοχεῖον· δεσμωτήριον.*

poris

poris vmquam ſibi arrogaret auctoritatem imponendi membris ſuis res vllas illegitimas, nedum contrarias verbo Dei, ſiue in fide ſiue in praxi, tamquam neceſſarias communionis locutiones. Nullius articuli fidei tamquam neceſſarii ad ſalutem requirebant approbationem, niſi qui in communibus eorum ſymbolis contineretur, & indubitata ac fallendi neſcia ſcripturarum ſacrarum fundatus eſſet auctoritate. Nihil publicis diuini cultus formulis admiſcebant, quod cum verbo Dei pugnaret, vel vlli diuinæ regulæ, in ſcripturis de obiecto vel modo adorationis datæ, fraudi eſſet, quemadmodum vnuſquiſque facile percipiet, qui ea conſiderabit, quæ de publico eorum cultu & liturgia in tribus poſterioribus libris tradidimus, vbi omnia eorum officia examinauimus ſigillatim. Rebus ita, quod ad præcipua publici cultus momenta, in tuto collocatis, omnis deinde populus chriſtianus ſuas eſſe partes ſtatuebat, vt gubernatorum ſuorum ſapientiæ in inſtituendis rebus externis, ad vtilitatem, ædificationem ac bonum ordinem ſpectantibus, ſeſe ſubmitteret. Et hoc alterum erat, magnam in veteris eccleſiæ cærimonia habens admirationem, Quod populus nullam vmquam controuerſiam cum antiſtitibus de huiuſmodi materiis haberet, ſed res omnes indifferentes, & res commoditatis, decentiæ, circumſtantiæ ac formæ, iudicio & arbitrio rectorum ſuorum, vel hominum auctoritate ad eiuſmodi res definiendas pollentium, permitteret; ad innocentes eccleſiæ conſuetudines & publici ordinis regulas libenter ſe componendo, & numquam in ſectas ac partes diſcedendo, propter ritus ac cærimonias, quantumuis in diuerſis eccleſiis diuerſa ratione obtinentes. Hoc in ſapientem ac pacificam regulam, ab AVGVSTINO [q] in monitis ſuis ad *Caſulanum* datam, conueniebat: *In his rebus, de quibus nihil certi ſtatuit ſcriptura diuina, mos populi Dei, vel inſtituta maiorum pro lege tenenda ſunt.* Exempli loco eccleſiæ adfert conſuetudinem numquam ieiunandi die dominico, quæ adeo vim regulæ obtinuerit, vt ſi quis contrariam conſuetudinem introducendam & hunc diem ieiunio decernendum putauerit, non paruo ſcandalo [*] futurus ſit eccleſiæ,

(q) Auguſtin. epiſt. LXXXVI. ad Caſulan. (tom. III. opp. p. 378. c. edit. Baſil. MDLXIX.)

(*) Ibid. Quiſquis hunc diem ieiunio decernendum putauerit, non paruo ſcandalo erit eccleſiæ, nec immerito.

nec

nec immerito. Immo iſtum offenſurum eſſe Deum [*], adfirmat, qui velit cum ſcandalo totius eccleſiæ die dominico ieiunare; maxime, poſteaquam *Manichæi* [†], vt eccleſiæ conſuetudini ſe opponerent, auditoribus ſuis ad ieiunandum hunc diem conſtituiſſent. Sabbato ieiunandi conſuetudo non ita vniuerſaliter obſeruabatur: aliæ enim eccleſiæ relaxabant ieiunium, aliæ ieiunabant. Monitum autem eius hac in re idem eſt, Ad quamcumque eccleſiam quis venerit, eius morem ſeruare eum debere [r], ſi pati ſcandalum non velit aut facere. Et id ſibi de hoc olim requirenti ab AMBROSIO, epiſcopo *Mediolanenſi*, reſponſum eſſe dicit. Quoniam autem in tali re, qualis hæc eſt, fieri poteſt, vt non tantum diuerſæ eccleſiæ diverſam agendi rationem ineant, ſed eiuſdem quoque eccleſiæ ciues praxi ſua alii ab aliis ſine communionis detrimento diſcrepent, quemadmodum in *Africa* erat, vbi vna eccleſia vel vnius regionis eccleſiæ alios habebant ſabbato prandentes, ali-

(*) Ibid. p. 385. a. Quis non Deum offendet, ſi velit cum ſcandalo totius, quæ vbique dilatata eſt, eccleſiæ die dominico ieiunare.

(†) Ibid. p. 390. b. Die dominico ieiunare, ſcandalum eſt magnum, maxime poſteaquam innotuit deteſtabilis multumque fidei catholicæ ſcripturiſque divinis apertiſſime contraria hæreſis Manichæorum, qui ſuis auditoribus ad ieiunandum iſtum tamquam legitimum diem conſtituerant, per quod factum eſt, vt ieiunium diei dominicæ horribilius haberetur.

(r) Auguſtin. ibid. p. 392. fin. & p. 393. a. Quoniam non inuenimus in euangelicis & apoſtolicis litteris, quæ ad noui teſtamenti reuelationem proprie pertinent, certis diebus aliquibus euidenter præceptum, obſeruanda eſſe ieiunia, & ideo res quoque iſta, ſicut aliæ plurimæ, quas enumerare difficile eſt, inuenit in veſte illius filiæ regis, hoc eſt eccleſiæ, veritatis locum, indicabo tibi, quid mihi de hoc requirenti reſponderit venerandus Ambroſius, a quo baptizatus ſum, Mediolanenſis epiſcopus. Nam quum in eadem civitate mater mea mecum eſſet, & nobis adhuc catechumenis parum illa curantibus, illa ſollicitudinem gereret, vtrum ſecundum morem noſtræ ciuitatis ſibi eſſet ſabbato ieiunandum, an eccleſiæ Mediolanenſis more prandendum, vt hac eam cunctatione liberarem, interrogaui hoc ſupra dictum hominem Dei. At ille: Quid poſſum, inquit, hunc docere amplius, quam ipſe facio? Vbi ego putaueram, nihil eum iſta reſponſione præcepiſſe, niſi vt ſabbato pranderemus. Hoc quippe ipſum facere ſciebam; ſed ille ſequutus adiecit, Quando heic ſum, non ieiuno ſabbato, quando Romæ ſum, ieiuno ſabbato: & ad quamcumque eccleſiam veneritis, inquit, eius morem ſeruate, ſi pati ſcandalum non vultis aut facere. Hoc reſponſum retuli ad matrem, nec dubitauit eſſe obediendum: hæc etiam nos ſequuti ſumus.

os ieiunantes, ideo *Casulano* tamquam presbytero, quid hac in re faciendum sit, ita declarat AVGVSTINVS [s]: *Mos eorum mihi sequendus videtur, quibus eorum populorum congregatio regenda commissa est. Quapropter si consilio meo libenter --- acquiescis, Episcopo tuo in hac re noli resistere, & quod facit ipse, sine vllo scrupulo vel disceptatione sectare.*

§. VI.

Tertio, *Vnitas subiectionis presbyterorum ac populi subter episcopum suum, & moris gerendi omnibus publicis constitutionibus ecclesiæ in rebus indifferentibus.*

ET hoc ad aliam vnitatem considerandam nos deducit, ad decus & ornamentum ecclesiæ admodum necessariam. Quæ erat, Vt clerus ac populus sub singulari quodam episcopo in qualibet ecclesia sibi iuncti essent, debitam aduersus eius auctoritatem adhibentes reuerentiam, nec ab ipso facientes secessionem, siue anti-episcopos contra eum constituendo, siue communioni eius & gubernationi sese subtrahendo, siue etiam publica ecclesiæ ipsius decreta, in communem vsum ac ædificationem in rebus indifferentibus facta, despiciendo. In CYPRIANO multa loca habentur, vbi ad istiusmodi vnitatem, ratione tum suæ ipsius tum aliarum ecclesiarum, respicit. *CHRISTO*, inquit [t], *sunt ecclesiæ plebs sacerdoti adunata & pastori suo grex adhærens. Vnde scire debes, episcopum in ecclesia esse & ecclesiam in episcopo; & si qui cum episcopo non sint, in ecclesia non esse; & frustra sibi blandiri eos, qui pacem cum sacerdotibus Dei non habentes obrepunt, & latenter apud quosdam communicare se credunt; quando ecclesia, quæ catholica vna est, scissa non sit, neque diuisa; sed sit vtique connexa & cohærentium sibi inuicem sacerdotum glutine copulata.* In eamdem rem alibi ait [u]: *Per temporum & successionum vices, episcoporum ordinatio, & ecclesiæ ratio decurrit, vt ecclesia super episcopos constituatur, & omnis actus ecclesiæ per eosdem præpositos gubernetur.* Hinc quum lapsi quidam ipsi scripsissent, ecclesiæ nomine se appellantes, in proxime subsequentibus ita eis respondet: *Quum hoc diuina lege fundatum sit, miror, quosdam audaci temeritate sic mihi scribere volu-*

(s) Ibid. eod. pag. b.

(t) Cypr. epist. LXIX. (LXVI. p. 286. edit. Amstelod. MDCC.)

(u) Cyprian. epist. XXVII. XXXIII. ad lapsos. (p. 216. edit. cit.)

isse,

isse, vt ecclesiæ nomine literas facerent, quando ecclesia in episcopo & clero, & in omnibus stantibus sit constituta. Absit enim, ne domini misericordia & potestas eius inuidiam patiatur, & ecclesia esse dicatur lapsorum numerus; quum scriptum sit, Deus non est mortuorum, sed viuorum. Alio loco seuere reprehendit quorumdam presbyterorum ausum, qui, ipso supremo disciplinæ ecclesiasticæ moderatore inscio ac inconsulto, auctoritatem reconciliandi lapsos sibi sumserant; *Quod non periculum*, inquit [w], *metuere debemus, de offensa Dei, quando aliqui de presbyteris, nec euangelii nec loci sui* (hoc est, RIGALTIO interprete, gradus presbyterialis, qui subditus est episcopali) *memores, sed neque futurum domini iudicium, neque nunc sibi præpositum episcopum cogitantes, quod numquam omnino sub antecessoribus factum est, cum contumelia & contemtu præpositi totum sibi vindicent, atque vtinam non contra fratrum nostrorum salutem sibi omnia vendicarent.* Antiqua erat regula in ecclesia, vt presbyteri nullam functionem ministerialem obirent, nisi ex episcopi sui auctoritate, tamquam ab ipsius mandato pendentes eique subiecti. Hoc iam libro quodam superiore IGNATII, CYPRIANI & veterum conciliorum testimoniis probatum [x] dedimus, quæ heic repetere nec opus nec necesse est. Propterea semper ad schisma spectare credebatur, si presbyteri istiusmodi quid agerent in episcopi sui contemtum, etiamsi formalem ab eo secessionem non facerent. Maxime autem insignis schismatis actus is erat, quando in despectionem auctoritatis episcopi factioso ingenio suo & animi elatione incitati communionem illius desererent, separatosque & oppositos ei conventus agerent. *Hæc sunt*, inquit CYPRIANVS [y], *initia hæreticorum, & ortus atque conatus schismaticorum male cogitantium, vt sibi placeant, & præpositum superbo tumore contemnant. Sic de ecclesia receditur, sic altare profanum foris collocatur, sic contra pacem CHRISTI & ordinationem atque vnitatem Dei rebellatur.* Et rursus [z]: *Neque aliunde hæreses obortæ sunt, aut nata sunt schismata, quam inde, quod sacerdoti Dei non obtemperatur, nec vnus in ecclesia ad tempus sacerdos, & ad tempus iudex vice Christi cogitatur.* Hæc maxime contra eos

(w) Cyprian. epist. X. al. XVI. ad Clerum p. 36. (p. 194. edit. cit. Amstel.)
(x) Lib. II. cap. III. §. II. vol. I. p. 84.
(y) Cyprian. epist. LV. al. III. ad Rogatian. p. 6. (p. 173. edit. Amstelod.)
(z) Id. epist. LV. al. LIX. ad Cornel. p. 129. (p. 261. edit. cit.)

pronuntiat, qui ſchiſmatis incuſationem a ſe amoliri ſtudebant antiepiſcopum in locum legitimi epiſcopi conſtituendo. Quæ res ſchiſma non minuebat, ſed potius augebat & plerumque inueteratum reddebat atque diuturnum. Quomodo in cauſſa *Meletianorum* in *Aegypto*, & *Donatiſtarum* in *Africa*, atque *Nouatianorum* in vrbe *Roma* accidit, qui omnes ſchiſmata ſua antiepiſcoporum, ad partem ſuam confirmandam ſuſtentandamque ſuam factionem conſtitutorum, miniſterio potentius prouexerunt. Verum id minus idonea erat ſchiſmatis defenſio, ſed manifeſta potius violatio præſcriptæ regulæ eccleſiæ catholicæ, quæ vnum tantum in aliqua eccleſia eſſe volebat epiſcopum, tamquam centrum vnitatis. Et alium ei oppoſitum conſtituere, non erat facere alium verum epiſcopum ſiue paſtorem gregis, cui ſe populus tamquam miniſtro Dei iungere deberet; ſed introducere lupum, adulterum, ſacrilegum vſurpatorem, peregrinum & alienum, a quo fugere eos oportebat, vtpote qui ex nullo diuino mandato nec vlla præſcripta ordinationis regula ius habebat obedientiam eorum ſibi depoſcendi. Iam ſemel atque iterum fuſe lateque hoc demonſtraui e CYPRIANI aliorumque veterum ſcriptis, ad quæ [*] ſatis habeo lectorem heic remittere. Vnam tantummodo rem ex CYPRIANO adnoto, quam ille præcipue ad ſchiſma *Nouatianum* applicat, quod ſi quis epiſcopus factionis alicuius caput conſtituatur, id fiat contra [a] eccleſiaſticam diſpoſitionem, contra euangelicam legem, contra inſtitutionis catholicæ vnitatem: & quod ſit idem ac eccleſiam aliam conſtituere, Chriſti membra diſcerpere, dominici gregis animum & corpus vnum diſciſſa æmulatione lacerare. Et proinde *Maximo* & *Nicoſtrato*, aliiſque confeſſoribus,

(*) Lib. II. cap. XIII. §. I. volum. I. p. 178. Vid. etiam *Scholaſt. hiſt. of Lay-Baptiſm.* part. II. chap. II.

(a) Cyprian. epiſt. XLIV. al. XLVI. ad Maxim. & Nicoſtrat. confeſſores. (p. 232. edit. Amſtelod.) Grauat me atque contriſtat, & intolerabilis perculſi & pene proſtrati pectoris mœſtitia perſtringit; quum vos illic comperiſſem contra eccleſiaſticam diſpoſitionem, contra euangelicam legem, contra inſtitutionis catholicæ vnitatem, alium epiſcopum fieri conſenſiſſe, id eſt, quod nec fas eſt, nec licet fieri, eccleſiam aliam conſtitui; Chriſti membra diſcerpi, dominici gregis animum & corpus vnum, diſciſſa æmulatione lacerari — Nec putetis, ſic nos euangelium CHRISTI aſſerere, dum voſmet ipſos a Chriſti grege & ab eius pace & concordia ſeparatis.

qui

qui fouendo ac iuuando ſchiſmate *Nouatiano* ſe implicuerant, adfirmat, non ſic eos euangelium *CHRISTI* aſſerere, dum ſeſe a *CHRISTI* grege & ab eius pace & concordia ſepararent. *Quisquis*, inquit alio loco [*b*], *ab eccleſia ſegregatus adulteræ iungitur, a promiſſis eccleſiæ ſeparatur. Nec perueniet ad CHRISTI præmia, qui relinquit eccleſiam CHRISTI. Alienus eſt, profanus eſt, hoſtis eſt. Habere iam non poteſt Deum patrem, qui eccleſiam non habet matrem.* Ipſum martyrium, quod multis in caſibus baptiſmi defectum ſupplere credebatur, hoc crimen expiare non valebat, niſi, qui huius culpæ reus erat, ad vnitatem eccleſiæ rediret. „Quam „ſibi pacem, (inquit idem ille [*c*]), promittunt inimici fratrum? „Quæ ſacrificia celebrare ſe credunt æmuli ſacerdotum? an „ſecum eſſe Chriſtum, quum collecti fuerint, opinantur, qui „extra Chriſti eccleſiam colliguntur? Tales etiamſi occiſi in „confeſſione nominis fuerint, macula iſta nec ſanguine abluitur. Inexpiabilis & grauis culpa diſcordiæ nec paſſione „purgatur. Eſſe martyr non poteſt, qui in eccleſia non eſt: „ad regnum peruenire non poterit, qui eam, quæ regnatura „eſt, derelinquit. Pacem nobis Chriſtus dedit: concordes at„que vnanimes eſſe præcepit: dilectionis & caritatis federa in„corrupta atque inuiolata ſeruari mandauit: exhibere ſe non „poteſt martyrem, qui fraternam non tenuit caritatem. Do„cet hoc & conteſtatur *Paulus* apoſtolus, dicens: *Et ſi habuero „fidem, ita vt montes transferam, caritatem autem non habeam, nihil „ſum. Et ſi in cibos pauperum diſtribuero omnia mea, & ſi tradidero „corpus meum vt ardeam, caritatem autem non habeam, nihil proficio. „Caritas magnanima eſt, caritas benigna eſt, caritas non æmulatur, non „agit perperam, non inflatur, non irritatur, non cogitat malum. Omnia „diligit, omnia credit, omnia ſperat, omnia ſuſtinet: caritas numquam „excidit. Numquam*, inquit, *excidit caritas:* hæc enim ſemper in „regno erit: hæc in æternum fraternitatis ſibi cohærentis v„nitate durabit. Ad regnum cælorum non poteſt peruenire „diſcordia, nec præmium Chriſti, qui dixit: *Hoc eſt mandatum „meum, vt diligatis vos inuicem, quemadmodum dilexi vos.* Pertine„re non poterit ad Chriſtum, qui dilectionem Chriſti perfida

(*b*) Cyprian. de vnit. eccleſ. p. 106. (p. 78. edit. cit.)
(*c*) Ibid. p. 113. (p. 81. 82. edit. cit.)

„diſ-

„diſſenſione violauit. Qui caritatem non habet, Deum non „habet. *Ioannis* beati apoſtoli vox eſt: *Deus*, inquit, *dilectio eſt*, „*& qui manet in dilectione, in Deo manet, & Deus in illo manet.* Cum „Deo manere non poſſunt, qui eſſe in eccleſia Dei vnanimes „noluerunt; ardeant licet flammis & ignibus traditi, vel obie- „cti beſtiis animas ſuas ponant; non erit illa fidei corona, ſed „pœna perfidiæ; nec religioſæ virtutis exitus glorioſus, ſed de- „ſperationis interitus. Occidi talis poteſt, coronari non poteſt. CYPRIANVS hanc adſertionem in aliis ſcriptorum ſuorum locis, (quæ breuitatis cauſſa prætermittimus) crebro repetit, & ſpeciatim ad ſchiſma *Nouatianorum* applicat, qui vnitatem eccleſiæ diuiſerant, *Nouatiano* ſibi ductore conſtituto contra *Cornelium* legitimum epiſcopum *Romanum*, qui quum ſemel vſitatis ritibus electus & in hac dignitate collocatus eſſet, nemo in eumdem ſe locum intrudere poterat, quin vnitatem eccleſiæ diſcerperet. Quæ non ſingularis CYPRIANI opinio, ſed totius eccleſiæ vox erat, quemadmodum pluribus demonſtraui in alia quadam diſſertatione [*], ad quam lectorem amando. Neque priuata erat CYPRIANI opinio, quod ſchiſmaticus, ſine reſipiſcentia talis eſſe perſeuerans, non poſſet eſſe martyr; ſed huic eius ſententiæ maxima eccleſiæ lumina ſubſcripſerunt, CHRYSOSTOMVS [*d*], AVGVSTINVS [*e*], FVLGENTIVS [*f*] & alii,

(*) *Scholaſt. Hiſt. of Lay-Baptiſm.* part. II. c. II. n 4.

(*d*) Chryſoſt. homil. XI. in Epheſ. p. 917. edit. Francof. MDCXCVII. *ἀνὴρ δέ τις ἅγιος εἶπέ τι δοκοῦν εἶναι τολμηρόν, πλὴν ἀλλ' ὅμως ἐφθέγξατο· τί δὴ τοῦτο ἐστιν; οὐδὲ μαρτυρίου αἷμα ταύτην δύνασθαι ἐξαλείφειν τὴν ἁμαρτίαν ἔφησεν. Dixit vir quidam ſanctus quiddam, quod magnam præ ſe fert audaciam; ſed tamen eſt eloquutus. Quid hoc eſt autem? Dixit, ne ſanguinem quidem martyrii poſſe delere hoc peccatum.*

(*e*) Auguſtin. epiſt. LXI. Neſcio quoties diſputando & ſcribendo monſtrauimus, non eos poſſe habere martyrum mortem, quia chriſtianorum non habent vitam, quum martyrem non faciat pœna, ſed cauſſa. Epiſt. CCIV. Foris ab eccleſia conſtitutus, & ſeparatus a communione vnitatis & vinculo caritatis, æterno ſupplicio punireris, etiamſi pro Chriſti nomine viuus incendereris.

(*f*) Fulgent. de fide ad Petr. c. III. (inter opp. Aug. tom. III. p. 225. d. edit. Baſil. MDLXIX.) Ideo debet ad eccleſiam redire non vt ſacramentum baptiſmatis iterum accipiat, quod nemo debet in quolibet homine baptizato repetere: ſed vt in catholica ſocietate vitam æternam accipiat, ad quam obtinendam numquam poteſt eſſe idoneus, qui cum ſacramento baptiſmatis ab

qui

qui hoc eius dictum cum approbatione adlegant. Quæ omnia ostendunt, quantum huic vnitati submissionis ac obedientiæ, legitimo cuique episcopo in recta rerum ecclesiæ suæ administratione debitæ, tribuerint momentum.

NOTANDVM autem est, hanc obedientiam episcopis præstari debuisse, si iustum eius titulum ex vsitatis ecclesiæ regulis vindicare sibi potuerint. Nam 1.) Si quis munus suum per *Simoniacam* ordinationem auspicaretur, ordinatio eius per canones nulla ac irrita [g] declarabatur: atque tum nulla ei debeba-

ab ecclesia catholica remanserit alienus. Qui si eleemosynas largas faciat, & *pro nomine Christi* etiam *sanguinem fundat*, pro eo, quod in hac vita non tenuit ecclesiæ catholicæ vnitatem, non habebit æternam salutem. Cap. XXXIX. Firmissime tene & nullatenus dubites, quemlibet hæreticum siue schismaticum in nomine patris & filii & spiritus sancti baptizatum, si ecclesiæ catholicæ non fuerit aggregatus, quantascumque eleemosynas fecerit, & si pro Christi nomine etiam sanguinem fuderit, nullatenus posse salvari. Omni enim homini, qui ecclesiæ catholicæ non tenet vnitatem, neque baptismus neque eleemosyna quamlibet copiosa, neque mors pro nomine Christi suscepta proficere poterit ad salutem, quamdiu in eo hæretica vel schismatica prauitas perseuerat, quæ ducit ad mortem.

(g) Vid. can. apost. c. XXX. *Εἴ τις ἐπίσκοπος διὰ χρημάτων τῆς ἀξίας ταύτης γένηται, ἢ πρεσβύτερος, ἢ διάκονος, καθαιρείσθω καὶ αὐτὸς, καὶ ὁ χειροτονήσας, καὶ ἐκκοπτέσθω παντάπασι καὶ τῆς κοινωνίας, ὡς Σίμων ὁ μάγος ὑπ᾽ ἐμοῦ Πέτρου.* *Si quis episcopus, aut presbyter, aut diaconus, per pecunias hanc obtinuerit dignitatem; deiciatur & ipse & ordinator eius, & a communione modis omnibus abscindatur, sicut Simon magus a Petro.*
Concil. Chalced. can. II. (tom. IV. conc. p. 755.) *Εἴ τις ἐπίσκοπος ἐπὶ χρήμασι χειροτονίαν ποιήσαιτο, καὶ εἰς πρᾶσιν καταγάγῃ τὴν ἄπρατον χάριν, καὶ χειροτονήσῃ ἐπὶ χρήμασιν ἐπίσκοπον, ἢ χωρεπίσκοπον, ἢ πρεσβύτερον, ἢ διάκονον, ἢ ἕτερόν τινα τῶν ἐν τῷ κλήρῳ καταριθμουμένων, ἢ προβάλλοιτο ἐπὶ χρήμασιν ἢ οἰκονόμον, ἢ ἔκδικον, ἢ προσμονάριον, ἢ ὅλως τινὰ τοῦ κανόνος, δι᾽ αἰσχροκέρδειαν οἰκείαν· ὁ τοῦτο ἐπιχειρήσας, ἐλεγχθεὶς, περὶ τὸν οἰκεῖον κινδυνευέτω βαθμόν· καὶ ὁ χειροτονούμενος μηδὲν ἐκ τῆς κατ᾽ ἐμπορίαν ὠφελείσθω χειροτονίας ἢ προβολῆς, ἀλλ᾽ ἔσω ἀλλότριος τῆς ἀξίας, ἢ τοῦ φροντίσματος, ὅπερ ἐπὶ χρήμασιν ἔτυχεν.* *Si quis episcopus propter pecunias ordinationem fecerit, & non venalem gratiam in venditionem deduxerit, & propter pecunias ordinauerit episcopum, vel chorepiscopum, vel presbyterum, vel diaconum, vel aliquem eorum, qui in clero adnumerantur, vel propter pecunias promouerit oeconomum, vel defensorem, vel paramonarium, vel omnino aliquem ex canone, turpis quæstus gratia: qui hoc tentasse conuictus fuerit, de proprio gradu in periculum veniat: & qui est ordinatus, ex ordinatione vel promotione, quæ ista mercatura venundatur, nihil iuuetur: sed sit a dignitate vel curatione alienus, quam pecunia adeptus est.*

bebatur obedientia, nec vlla cum eo, tamquam ecclesiæ episcopo, habenda communio. 2.) Si quis se ipse inferret & intruderet in plenam sedem, ad quam alius ante eum episcopus legitima ratione initiatus erat; tantum abest, vt obedientia ei deberetur, vt potius hoc ipsum schismatis crimen esset, in quo *Nouatianos* olim hæsisse modo diximus, quando facta a vero episcopo secessione ei se iunxerunt, qui temere atque iniuriose contra eum erat constitutus. 3.) Si quis episcopus in manifestam incideret hæresin vel idololatriam, populus non tantum libertatem habebat, ab eius, tamquam intolerandi præuaricatoris legumque ecclesiæ violatoris, communione se separandi, sed ex officio etiam id facere debebant. Ita CYPRIANVS [*b*] christianis, ad *Legionem* & *Asturicam* in *Hispania* consistentibus, respectu habito ad *Basilidem* & *Martialem*, duos episcopos in idololatriam delapsos, scribit, debere eos obsequentes præceptis dominicis se separare ab episcopis fidei christianæ desertoribus, nec se ad sacrilega eorum sacrificia miscere; quando ipsi maxime habeant potestatem vel eligendi dignos sacerdotes, vel indignos recusandi. In eumdem modum ab hæretici cuiusdam episcopi societate se debebant separare, vti ex vniuersa ecclesiæ praxi liquet. 4.) Si cui episcopo propter aliud qualecumque crimen legitime esset abrogatum officium, itidem populi partes erant, vt deserendo eius communionem, eique, qui in eius locum iusta auctoritate suffectus erat, adhærendo censuris ecclesiæ vigorem adderent atque momentum. 5.) Accidebat sæpenumero, vt controuersia de iure inter duos litigantes episcopos ita ardua esset & dubia atque ad decidendum difficilis, vt viri boni ac sapientes cum alterutro facere saluo officio possent, donec rem controuersam legitimi iudicis auctoritas disceptaret, vnde neutri illorum ad superius aliquod iudicium licebat appellare. Perinde res se heic habebat atque lite pendente, vbi vtraque pars ius habere credi potest, donec caussa perfecte pleneque audiatur & decernatur. Atque in

(*b*) Cyprian. epist. LXVIII. al. LXVII. p. 171. (p. 288. edit. Fell. Amstel.) Plebs obsequens præceptis dominicis & Deum metuens, a peccatore præposito separare se debet; nec se ad sacrilegi sacerdotis sacrificia miscere; quando ipsa maxime habeat potestatem vel eligendi dignos sacerdotes, vel indignos recusandi,

tali

tali casu durum foret, homines innocentes damnare, qui alterutri parti se iunxerint, antequam maius lumen eorum mentibus in istis tenebris præferri & eis præcepta dari possint, quibus caussa dirimatur perfectiusque constituatur communionis regula. Ita res se habebat in controuersia inter *Flauianum* & *Euagrium* episcopos *Antiochenos*. *Flauianus* generatim admissus erat ab ecclesiis *Orientalibus*, *Euagrius* autem ab episcopis *Romanis* & ecclesiis *Occidentalibus* sustentabatur; qua durante contentione, non id bonæ mentis hominibus in nefario crimine ponebatur, vtri se parti iungerent, quando adeo difficile erat, litem istam per summam in ecclesia auctoritatem dirimere. 6.) Nonnumquam episcopus, qui iudicari poterat habere ius in ecclesia, in alterius sibi contrarii gratiam, schisma præueniendi ac pacem ecclesiæ conseruandi caussa, animo libentissimo sacerdotio se abdicabat: Atque tum nihil eis esse poterat periculi, qui opposito se submittebant, quia vero episcopo consentiente ac vltro cedente nec non ecclesia confirmante & approbante, id fiebat. 7.) Nonnumquam episcopus pacis caussa munere se abdicare volebat, verum superior quædam potestas, vt hoc faceret, ei nolebat permittere. Ita *Flauianus* in ante memorata cum *Euagrio* lite a *Theodosio* ad dicendam caussam audiendamque sententiam, *Romam* ire iussus, admirabili fretus fiducia isti imperatori respondebat [i]: *Si meam fidem, o imperator, vt non rectam quidam insimulant, aut si vitam indignam esse dicunt sacerdotio, ipsos accusatores meos iudices feram, & quam tulerint sententiam libenter excipiam. Sin de cathedra & de primatu contendunt, non litigabo, nec repugnabo iis, qui ista ambiunt: sed cedam vltro & pontificatum dimittam. Da igitur, imperator, cui voles sedem Antiochenam.* Addit historicus: *Hanc eius constantiam ac sapientiam admiratus imperator in patriam redire, commissamque sibi ecclesiam regere eum iussit.* Narrat idem ille, noluisse imperatorem am-

(i) Theodoret. lib. V. c. XXIII. εἰ μὲν τῆς πίστεως, ὦ βασιλεῦ, τῆς ἐμῆς ὡς οὐκ ὀρθῆς κατηγοροῦσί τινες, ἢ τὸν βίον φασὶν ἱερωσύνης ἀνάξιον, καὶ αὐτοῖς χρήσομαι τοῖς κατηγόροις κριταῖς, καὶ τὴν παρ' ἐκείνων ἐκφερομένην ψῆφον δέξομαι· εἰ δὲ περὶ θρόνου καὶ προεδρίας ζυγομαχοῦσιν, οὔτε δικάσομαι, οὔτε τοῖς λαβεῖν βουλομένοις ἀντιμαχέσομαι· ἀλλ' ἐκστήσομαι καὶ προεδρίας ἀφέξομαι· τοιγάρτοι δὸς ᾧ βούλει τὸν Ἀντιοχέων θρόνον ὦ βασιλεῦ· ταύτην αὐτοῦ καὶ τὴν ἀνδρείαν καὶ τὴν σοφίαν θαυμάσας ὁ βασιλεὺς, τὴν ἐνεγκοῦσαν καταλαβεῖν καὶ τὴν ἐγχειρισθεῖσαν ποιμαίνειν ἐκκλησίαν ἐκέλευσε.

plius aurem præbere Occidentalium episcoporum aduersus eum querimoniis: Iam vero hoc in casu absurdum foret cogitare, in eis, qui cum *Flauiano* fecerint, inter quos erat *Chrysostomus*, culpam fuisse aliquam, quantumuis Occidentalium episcoporum sententia ipsi esset contraria. Denique 8.) Nonnumquam duo episcopi in eadem sede iunctim sedendi habebant veniam, (vti nonnulli *Petrum* ac *Paulum* apostolos *Romæ* habuisse statuunt, alterum quidem iudæorum, alterum autem gentilium episcopum factum) vel si vnus alteri coadiutor esset datus; vel si res ad tollendum inueteratum aliquod schisma spectaret, quam conditionem in collatione *Carthaginensi Donatistis* offerebant catholici; de quibus casibus omnibus in superiore quadam huius operis parte [*] distinctius sumus loquuti. Iam rebus ita se habentibus, alterutri episcopo morem quis gerere sine schismatis vitio poterat, quia nulla inter eos erat discordia. Et quamuis hoc cum communi ecclesiæ regula non congrueret, duos eodem tempore in eadem sede habere episcopos, tamen ex peculiaribus rationibus nonnumquam in casibus extraordinariis permittebatur; & tum nec schisma, aut aliud aliquod malum, nec veritatis dissolutio, nec violatio iuris alterius hac in re versari iudicabatur, quia id in gratiam ac commodum communitatis, communi partium omnium consensu & vniuersali ecclesiæ approbatione, fiebat. Hæc monita interposuimus, vt eo magis cognosci atque intelligi possit, qua in re populi christiani subter episcopum in ecclesia sua submissio sita fuerit, & quibus conditionibus obedientia vni cuidam episcopo, munus ecclesiæ legitime sibi traditum sustinenti, præstari debuerit, ad vnitatem ecclesiæ conseruandam.

§. VII.

Quarto, *Vnitas disciplinæ in subiiciendo se censuris ecclesiæ.*

PRAETEREA ad vnitatem ecclesiæ in meliore sua conditione conseruandam requirebatur, vt quilibet ecclesiæ alicuius ciuis regulis disciplinæ, ad puniendos sontes datis, sese submitteret; non vero iustas ecclesiæ suæ censuras contemneret, nec clandestinis consiliis restitutionem sui in alia quacumque ecclesia moliretur, quum suæ ipsius ecclesiæ, cuius membrum

(*) Lib. II. c. XIII. vol. I. p. 178 - 190.

erat,

erat, non fecisset satis; nec ad hæreticorum vel schismaticorum conuenticula se adgregaret, vt ab eis tamquam communicans reciperetur, vbi sua ipsius ecclesia velut impurus & sceleratus eiectus esset. His enim modis omnibus vnitas disciplinæ aperte violabatur, quam sinceram integramque in vnaquaque ecclesia conseruari oportebat. Effectus excommunicationis legalis & potestas clauium talis esse semper credebatur, vt, si quis ob manifestum facinus ecclesiæ suæ communione iuste esset exturbatus, omni iure ad regnum cælorum priuatus esse iudicaretur, quoad in isto statu perseueraret, idque per datam a seruatore nostro ecclesiæ auctoritatem, *Si quorum retinueritis peccata, retenta sunt:* Et, *Quæcumque ligaueritis in terra, erunt ligata in cælo.* Et proinde nisi quis vsitatæ methodo sontes in veterem gratiam restituendi sese submitteret, & ecclesiæ per publicam confessionem ac pœnitentiam, veniæque ac absolutionis implorationem reconciliatum se vellet, in contemtorum disciplinæ ecclesiasticæ numero locoque ducebatur, & si in isto statu diem obiret, antequam esset reconciliatus & in communionem restitutus, pro deplorandæ conditionis homine habebatur, vtpote qui mortuus esset in statu peccati & rebellionis aduersus Deum & extra ecclesiæ communionem. Quam ob caussam nullis ritibus nullisque cærimoniis efferebatur, quas in eorum funere adhibere moris erat, qui in pace ecclesiæ essent mortui; neque munera eius recipiebantur, nec vlla eius commemoratio, in solemni ecclesiæ officio alias vsitata, celebrabatur. Tantum in vno quodam casu exigua aliqua gratia in eos conferebatur, qui diem suum obierant, ex vinculis excommunicationis per solemnem absolutionem nondum emissi: quando nimirum istiusmodi pœnitentes, qui disciplinæ ecclesiæ obedienter sese subiecerant, ostenderantque aperta sinceræ pœnitentiæ indicia, repentina morte abripiebantur, quum reconciliationis quidem & absolutionis essent cupidi, neque vero ob fatum aliquod ineuitabile participes eius fieri possent. Quæ res quum ita se haberet, canones oblationes eorum recipi iubebant, tamquam testimonium, quod censuris ecclesiasticis sese submisissent, & animo ac voluntate ecclesiæ fuissent addicti, etiamsi cum vsitatis externæ absolutionis ritibus recipi

haud potuiſſent. In concilio quarto *Carthaginenſi* [*k*] canon hanc in rem habetur: *Pœnitentes, qui attente leges pœnitentiæ exſequuntur, ſi caſu in itinere vel in mari mortui fuerint, vbi eis ſubueniri non poſſit, memoria eorum & orationibus & oblationibus commendetur.* Concilium *Vaſenſe* ſecundum paullo diſtinctius docet, quemadmodum iſtiuſmodi pœnitentes ad omnia eccleſiaſticæ communionis priuilegia poſt mortem admittendi ſint. *Pro his*, inquit [*l*], *qui pœnitentia accepta, in bonæ vitæ curſu ſatisfactoria compunctione viuentes, ſine communione inopinato nonnumquam tranſitu, in agris aut itineribus præueniuntur, oblationem recipiendam & eorum funera, ac deinceps memoriam eccleſiaſtico adfectu proſequendam; quia nefas eſt eorum commemorationes excludi a ſalutaribus ſacris, qui ad eadem ſacra fideli adfectu contendentes, dum ſe diutius reos ſtatuunt, indignos ſalutiferis myſteriis iudicant, ac dum purgatiores reſtitui deſiderant, abſque ſacramentorum viatico intercipiuntur: quibus fortaſſe nec abſolutiſſimam reconciliationem ſacerdos denegandam putaſſet.* In conciliis *Arelatenſi* ſecundo, *Aurelianenſi* ſecundo, *Toletano* ſecundo, & *Epaonenſi* plures in eandem ſententiam canones [*m*] leguntur. Ex quibus omnibus iudicatu procliue eſt, quod, quamuis eccleſia in impœnitentibus, apoſtatis & diſciplinæ ſuæ contemtoribus ſeueritatem adhibuerit, lenitatem tamen & humanitatem exercuerit in eos, qui diſciplinam illius vere honorauerint, & manifeſta reſipiſcentiæ ſigna dederint. Iſtiuſmodi homines non exiſtimabantur extra vnitatem & communionem eccleſiæ decedere, etiamſi morerentur ſine externæ abſolutionis cærimoniis; quum eſſent Deo ac eccleſiæ per teſtimonia pœnitentiæ in-

(*k*) Concil. Carth. IV. c. LXXIX.

(*l*) Concil. Vaſenſ. II. c. II.

(*m*) Concil. Arelat. II. c. XII. De his, qui in pœnitentia poſiti vita exceſſerunt, placuit nullum communione vacuum debere dimitti; ſed pro eo, quod honorauit pœnitentiam, oblatio ipſius ſuſcipiatur.
Concil Aurel. II. c. XIV. †
Concil. Tolet. II. c. XII. †
Concil. Epaon. c. XXXVI. Ne vllus ſine remedio, aut ſpe veniæ ab eccleſia repellatur, neue vlli, ſi aut pœnituerit, aut ſe correxerit, ad veniam redeundi aditus obſtruatur. Sed ſi cui forſitan diſcrimen mortis immineat, damnationis conſtituta tempora relaxentur. Quod ſi ægrotum accepto viatico reualeſcere fortaſſe contingit, ſtatuti temporis ſpatia obſeruare conueniet.

terne

terne reconciliati, in iſtiuſmodi fatalibus caſibus, vbi non voluntas eorum, ſed ſumma quædam neceſſitudo formali & ſolemni reconciliatione eos excluſerat.

§. VIII.

Quomodo diuerſæ eccleſiæ communionem inter ſe coluerint.

Primo, *In fide.*

ET hactenus quidem vnitatem vniuſcuiuſque eccleſiæ conſiderauimus, reſpectu habito ad propria eius membra: Iam diſpiciemus, quam communionem diuerſæ eccleſiæ inter ſe coluerint; vt harmonicam eccleſiæ catholicæ vnitatem patefaciamus. Atque heic *primum* omnium obſeruandum eſt, Quod vti vna fides communis fuit, conſiſtens certis articulis fundamentalibus, ad eſſentiam cuiuſuis eccleſiæ particularis eiuſque vnitatem, nec non ad id, vt quis eſſet homo chriſtianus, ſpectantibus; ita eadem fides ad vniendas diuerſas eccleſiæ catholicæ partes, efficiendaſque eas vnum corpus chriſtianorum neceſſaria fuerit. Ita vt, ſi qua eccleſia hanc fidem ſiue ex toto ſiue ex parte deſereret vel deſtrueret, pro rebellatrice ac perfida in *CHRISTVM* & communis fidei hoſte haberetur, tractareturque vt conuenticulum hæreticorum, non chriſtianorum. Quam ob cauſſam quilibet epiſcopus non tantum fidem ſuam declarabat in ſui ordinatione coram ſynodo prouinciali, ipſum ordinante; ſed litteras quoque encyclicas, vti vocabant, ad peregrinas mittebat eccleſias, vt ſe cum eis in communione eſſe ſignificaret. Atque hoc adeo neceſſarium in epiſcopo recens ordinato erat, vt, quemadmodum LIBERATVS [*n*] obſeruat, is, qui hoc facere negligeret, communionem cum reliquis orbis chriſtiani epiſcopis quodam modo recuſare, & re ipſa vel hæreſis ſuſpectus eſſe, vel de aliis ſuſpicionem hæreſis habere crederetur.

(*n*) Liberal. breuiar. c. XVII. (tom. V. concil. p. 766.) Ordinatur a communicatoribus eius epiſcopis & clericis & monachis, qui eius nouerant fidem & gubernationem, Ioannes ex oeconomo, cognomento Talaia. --- Ioannes Talaia de ordinatione ſua neglexit per ſuas ſynodicas litteras Acacio epiſcopo Conſtantinopolitano deſtinare. --- Poſthac Acacius audiens de ordinatione Ioannis & contriſtatus, quia ſynodicas epiſtolas non direxiſſet, & vna faciens cum Gennadio epiſcopo, parente beati Timothei, volentes ei nocere &c. --- Nec tamen prius hoc faceret, niſi ſuſciperet henoticon principis & ſynodicas deſtinaret epiſtolis Conſtantinopolitano Acacio, & Simplicio Romano, & ceteris archiepiſcopis, cetera.

§. IX.

Secundo, *In mutuo auxilio, quod altera alteri ferebat ad defendendam fidem communem.*

Ad hanc fidei vnitatem ſartam tectam ſeruandam quælibet eccleſia cuiuis alii mutuum auxilium ferre parata erat, vt cunctis fundamentalibus erroribus occurreretur, & hæreſis in ipſa herba ſupprimeretur. Vniuerſus orbis chriſtianus huius rei reſpectu vna tantum & communis diœceſis erat, epiſcopatus res erat vniuerſalis, & omnes epiſcopi in illo ſuam quiſque habebant partem, ita, vt totum ad ſingulos æquabiliter ſpectaret; quemadmodum alio loco [*] demonſtrauimus pluribus, vbi obſeruatum nobis eſt, quod in rebus, ad fidem haud ſpectantibus, epiſcopi in aliorum diœceſes ſe non ingerere, ſed ſuæ quiſque diœceſeos negotiis intenti eſſe debuerint. Quum vero fides vel ſalus eccleſiæ ageretur, & manifeſte periclitaretur religio; tum per hanc regulam, quod non niſi vnus eſſet epiſcopatus, quælibet diœceſis æque ad ſingulorum curam ſpectabat, atque ſua cuiuſuis propria; neque vllæ humanæ leges vel canones manus eorum cohibere poterant, quo minus iſtiuſmodi officii epiſcopalis actus peragerent, quos ad conſeruandam fidem ac religionem neceſſarios eſſe credebant. Hæc cauſſa erat, quamobrem in ſynodos prouinciales, nationales ac generales coirent, mitterentque iunctas ſententias ſuas & monita ex alia eccleſia ad aliam. Maxima hiſtoriæ eccleſiaſticæ pars ex iſtiuſmodi actibus confecta eſt, vt adeo pene abſurdum foret ad hanc rem confirmandam hunc illumue actum adlegare ſeparatim. Hoc vnum duntaxat in hoc caput adhuc obſeruamus, Quod in aliorum hominum negotia ſe interponere (quod in multis rebus aliis nihil fuiſſet aliud, quam ipſam vnitatem diſcindere) hac in re adeo neceſſe eſſe creditum ſit, vt ſine hoc ipſo nulla certa via ad vnitatem eccleſiæ catholicæ & fidem conſeruandam fuerit. Cuius rei exemplum in modo citato libro notauimus, quod quamvis cum ordinaria eccleſiæ regula pugnet, ſi quis epiſcopus in alius cuiuſdam epiſcopi diœceſi ritum ordinationis peregiſſet; tamen ſi quis epiſcopus in hæreſin prolapſus, orthodoxis vexatis atque eiectis, neminem niſi hæreticum ſacro miniſte-

(*) Lib. II. cap. V. §. II. vol. I. p. 113. 114.

nisterio initiare vellet; in tali casu quilibet episcopus catholicus non tantum ex data sibi auctoritate potuerit, sed etiam, prout oportunitas id ferret & requireret ecclesiæ conditio, debuerit doctores catholicos in istiusmodi diœcesi ordinare, qui se malis inimici consiliis opponerent supprimerentque increscentem hæresin, ne alioquin altas radices ageret & per vniversam serperet ecclesiam. Ita *Athanasius* & celebris ille *Eusebius Samosatensis* omnem terram peragrabant, hæresi *Ariana* longe lateque dominante, ordinantes in omnibus ecclesiis, ad quas veniebant, tales clericos, quibus ad sustentandam caussam orthodoxam istis extremis ac difficillimis temporibus opus erat. Et hoc tantum aberat, vt pro vnitatis ecclesiasticæ violatione haberetur, quantumuis contra litteram cuiusdam canonis esset in casibus ordinariis, vt potius fieri oporteret, rebus ita sese habentibus, ad conseruandam vnitatem ecclesiæ, quam defendere cuiuslibet episcopi partes erant, non tantum in sua ipsius ecclesia, sed in omnibus mundi partibus, vi regulæ istius, quæ episcopos in rebus grauioribus catholicæ ecclesiæ curam gerere, omnesque ecclesias, periculoso rei christianæ tempore mutuum sibi auxilium ferre iubebat.

§. X.

Tertio, *In consociatione atque communitate alterius cum altera in omnibus sanctis officiis, prout ferebat occasio.*

Haec ecclesiæ catholicæ vnitas eo porro sustentabatur, quod singulæ ecclesiæ & singuli earum ciues promto & alacri animo ad alias ecclesias vniuersas, in diuino cultu sanctisque officiis omnibus peragendis, prout ferebat occasio, sese iungerent. Quam in rem duo erant necessaria. Primum, vt ecclesia quælibet liturgiam suam ab omni superstitioso & idololatrico ritu puram & immunem conseruaret, nec conuentus suos ad sancta officia diuinam, aliquam regulam violando vel illicitas quasdam communionis conditiones ferendo, inaccessos redderet. Qua in re quantam curam posuerit antiqua ecclesia, vnusquisque facile perspiciet, qui ea perlustrabit, quæ supra [*] de veterum ecclesiarum liturgia in singulis eius partibus, disseruimus; vbi nullus ex his superstitiosis, & idololatri-

(*) Lib. XIII. vol. V. tot.

cis

cis ritibus ac consuetudinibus apparet, quibus ecclesia in posterioribus sæculis tantopere diuisa est, postquam immoderata ecclesiæ *Romanensis* potestas credulitati hominum in rebus fidei tam egregie imposuit, eorumque conscientias in rebus praxeos, quæ nulla ratione defendi potest, tam grauiter adflixit. Deinde necessarium erat, vt quilibet christianus, si ad peregrinam veniret ecclesiam, ad innocentes istius ecclesiæ, in qua esse ei contigebat, ritus ac consuetudines libenti animo se accommodaret, etiamsi in quibusdam circumstantiis ab suæ ipsius ecclesiæ ritibus ac consuetudinibus discreparent. Hæc necessaria pacis regula erat ad communionis ac diuini cultus vnitatem per vniuersam ecclesiam catholicam conseruandam. Fieri enim non poterat, vt quælibet ecclesia eosdem haberet ritus ac cærimonias, eosdemque mores ac consuetudines sequeretur in rebus omnibus, vel eadem methodo & ratione cultus publici vteretur, in singulis momentis exacte sibi constante, nisi generalis quædam liturgia exsisteret in vniuersæ ecclesiæ vsum expressis verbis diuinitus præscripta. Ecclesiæ catholicæ vnitas hoc non requirebat (quemadmodum mox videbimus luculentius) adeoque huic rei, tamquam necessariæ parti vnitatis eius, nemo vmquam insistebat. Satis erat, si omnes ecclesiæ in ipso præcipuo diuini cultus capite conspirarent; in ritibus ac cærimoniis, methodo ac ordine & rebus similibus vnaquæque ecclesia libertatem habebat iudicandi & eligendi, quid omnium optime prodesse & expedire videbatur. Quemadmodum itaque singulorum membrorum cuiusuis particularis ecclesiæ erat, ad innocentes suæ ecclesiæ consuetudines se componere; ita cuiusuis christiani erat, ad diuersas omnium reliquarum ecclesiarum consuetudines se conformare, vbicumque peregrinaretur, vt communionem cum ecclesia catholica omnibus in locis sine vlla exceptione coleret. Hæc regula sæpe inculcatur ab AVGVSTINO, tamquam magna pacis ac vnitatis regula, respectu habito ad omnes ecclesias, narratque ille, hanc regulam ex sapientibus sermonibus se accepisse AMBROSII, quem occasione scrupuli, qui *Monicam* matrem suam per aliquod temporis spatium suspensam tenuerit & perplexam, consuluerit. Hæc enim diu *Romæ* commorata sabbato ieiunare consueuerat ex more ecclesiæ *Romanæ*: *Mediolanum* autem delata

con-

contrariam ibi consuetudinem inuenerat, sabbatum enim festum & lætum agebant; qua re multum illa perturbata, filius *Augustinus*, licet catechumenus adhuc parum ista curaret, vt matrem suam hoc liberaret scrupulo, interrogabat AMBROSIVM, quid matri faciendum hac in re censeret, vt sine offensione in praxi sua esset? Cui AMBROSIVS respondebat, nihil se posse dicere amplius, quam ipse faceret. *Quando heic sum*, [o] inquiebat, *non ieiuno sabbato, quando Romæ sum, ieiuno sabbato, & ad quamcumque ecclesiam veneritis, eius morem seruate, si pati scandalum non vultis aut facere.* Hoc AVGVSTINVS [p] matri se nuntiasse dicit, & matrem libenter amplexam esse, se vero de hac sententia etiam atque etiam cogitantem ita semper habuisse, tamquam eam cælesti oraculo suscepisset. Addit porro: *Sensi sæpe dolens & gemens multas infirmorum perturbationes fieri per quorumdam fratrum contentiosam obstinationem, vel superstitiosam timiditatem, qui in rebus huiusmodi, quæ neque scripturæ sanctæ auctoritate, neque vniuersalis ecclesiæ traditione, neque vitæ corrigendæ vtilitate ad certum possunt terminum peruenire, (tantum quia subest qualiscumque ratiocinatio cogitantis, aut quia in sua patria sic ipse consueuit, aut quia ibi vidit, vbi peregrinationem suam, quo remotiorem a suis, eo doctiorem factam putat) tam litigiosas excitant quæstiones, vt nisi quod ipsi faciunt, nihil rectum existiment.* Ita composite & apte superstitiosam stoliditatem & contentiosam obstinationem eorum castigat, qui pacem ecclesiæ turbabant propter res eiusmodi, quibus vtendi quæque ecclesia habebat libertatem, & ad quas bonum quemque christianum se conformare oportebat. Nam, vt eodem loco [q] loquitur, *Quæ per loca terrarum regionesque variantur, sicuti est, quod alii ieiunant sabbato, alii vero non: alii quotidie communicant corpori & sanguini dominico, alii certis diebus accipiunt: alibi nullus dies intermittitur, quo non offeratur, alibi sabbato tantum & dominico; & si quid aliud huiusmodi animaduerti potest, totum hoc genus liberas habet obseruationes, nec disciplina vlla est in his melior graui prudentique christiano, quam vt eo modo agat, quo agere viderit ecclesiam, ad quamcumque forte deuenerit. Quod enim neque contra fidem, neque contra bonos mores iniungitur, indifferenter est haben-*

(o) Augustin. epist. LXXXVI. ad Casulan. vid. §. V. sub litt. (r) pag. 25.
(p) Augustin. epist. CXVIII. ad Ianuar. (tom. III. opp. p. 557. edit. Basil.)
(q) Ibid. p. 556. edit. cit.)

dum, & pro eorum, inter quos viuitur, societate seruandum est. Hoc ipsum alibi [r] repetit, *De iis*, inquiens, *quæ varie per diuersa loca obseruantur, vna in his saluberrima regula retinenda est, vt, quæ non sunt contra fidem, neque contra bonos mores, & habent aliquid ad exhortationem vitæ melioris, vbicumque institui videmus vel instituta cognoscimus, non solum non improbemus, sed etiam laudando & imitando sectemur, si aliquorum infirmitas non ita impedit, vt maius detrimentum sit.* Ad hanc regulam omnes viri prudentes & pacis studiosi praxin suam in colenda cum aliis ecclesiis communione dirigebant. Etiamsi earum consuetudines non semper approbarent, non tamen ideo pacem communionemque cum illis dissoluebant. Sic IRENAEVS [s] *Victori*, *Romanæ* vrbis episcopo, quum omnes *Asiæ* vicinarumque prouinciarum ecclesias a communione abscindere & anathemate ferire conatus esset, eo quod de tempore celebrandi paschatis ab ipso dissentirent, scripta ad eum epistola narrat, *Anicetum* ipsius antecessorem ab hac importuna morositate fuisse alienum. Quum enim *Polycarpus* illius temporibus *Romam* venisset, nec alter alteri persuadere potuisset, vt omnes ecclesiæ eodem die pascha celebrarent; hanc differentiam non peperisse inter eos contentionem. Nam mutuo pacis osculo se complexos esse, & communicasse sibi inuicem; & *Anicetum* in ecclesia consecrandi munus *Polycarpo* honoris caussa concessisse, tandemque cum pace a se inuicem discessisse. IRENAEVS porro obseruat, quod, etsi tunc temporis multæ agitatæ fuerint disputationes de ieiunio pascha antecedente, quando nimirum, quamdiu & qua forma illud celebrari oporteret; tamen nihilominus omnes istæ ecclesiæ pacem inter se retinuerint; atque ita ieiuniorum diuersitas consensionem fidei commendarit. Et quum ea ætate in more positum esset ecclesiarum diuersarum regionum, vt eucharistiam ad mutuæ communionis testificationem sibi inuicem mitterent; itidem hoc tamquam laudabile catholicæ indolis exemplum in *Aniceto*, *Pio*, *Hygino*, *Telesphoro*, *Xysto* & *Sotere*, episcopis *Romanis* & *Victoris* in ista ecclesia antecessoribus, notat, quod quamuis ab *Asiaticis* ecclesiis de celebratione paschatis dissenserint, pa-

(r) August. epist. CXIX. ad Ianuar. c. XVIII.
(s) Ap. Euseb. lib. V. c. XXIV. fere tot.

cem

cem nihilominus cum illis coluerint; non tantum eos, qui ad ſe *Romam* venirent ex iſtis eccleſiis, in communionem recipientes, ſed euchariſtiam quoque *Roma* iſtarum eccleſiarum presbyteris transmittentes. Quæ via teſtificandi communionem ſuam cum diſſitis eccleſiis quum iſtis temporibus adeo trita eſſet & cognita, iuſta omnino erat querimonia, quam de *Theophilo* eccleſiæ *Alexandrinæ* epiſcopo illiuſque conſiliorum ſociis atque adiutoribus, habebat CHRYSOSTOMVS, quod vrbem *Conſtantinopolim* ingreſſi, ex conſuetudine & conſtitutione hactenus obſeruata eccleſiam non intraſſent; neque ad ipſum acceſſiſſent, neque participes ſe feciſſent vel ſermonis, vel precum vel communionis [*t*]; ſed egreſſi e naui & prætercurſis eccleſiæ veſtibulis alicubi extra vrbem diuerſati fuiſſent, tametſi plurimum eos obſecraſſet, vt apud ſe diuerterent, & diuerſoria & omnia alia, quæ oporteret, bene inſtructa fuiſſent. Ita hac de re queritur, tamquam ſingulari inimicitiæ, factionis & immoderatæ inhumanitatis eorum exemplo, dum communicare cum ipſo recuſaſſent, in legitimum iudicium nec dum vocato, multo minus legali ſententia condemnato. Ex hac rerum narratione facile ad iudicandum eſt, quantum momentum veteres tribuerint communionis legibus, vnamquamque eccleſiam cum eccleſiis ſororiis per vniuerſum orbem in omnibus ſanctis officiis communicare iubentibus, vt diuini cultus communio per omnem eccleſiam catholicam ſine vlla inſigniore diuiſione & diſtractione ſincera integraque conſeruaretur.

§. XI.

Quarto, *In mutua conſenſione ad rata habenda omnia legalia diſciplinæ acta, quæ quidem debito modo hæc illaue eccleſia egiſſet.*

(*t*) Chryſoſtom. epiſt. ad Innocent. tom. IV. p. 677. (p. 593. edit. Francofurtenſ. MDCXCVIII.) ὁ τῆς ἐκκλησίας τῆς ἐν Ἀλεξανδρείᾳ τὴν προεδρίαν ἐγχειρισθεὶς Θεόφιλος -- συναγαγὼν μεθ᾽ ἑαυτοῦ πλῆθος Αἰγυπτίων ἐπισκόπων οὐκ ὀλίγων παραγίνεται -- εἶτα τῆς μεγάλης καὶ θεοφιλοῦς Κωνσταντινουπόλεως ἐπιβὰς, οὐκ εἰς ἐκκλησίαν εἰσῆλθε κατὰ τὸ εἰωθὸς, καὶ τὸν ἄνωθεν κρατήσαντα θεσμὸν, οὐχ ἡμῖν συνεγένετο, οὐ λόγου μετέδωκεν, οὐκ εὐχῆς, οὐ κοινωνίας· ἀλλ᾽ ἀποβὰς τοῦ πλοίου, καὶ τὰ πρόθυρα τῆς ἐκκλησίας παραδραμὼν, ἔξω που τῆς πόλεως ἀπελθὼν ηὐλίζετο, καὶ πολλὰ παρακαλεσάντων ἡμῶν καὶ αὐτὸν καὶ τοὺς πρὸ αὐτοῦ παραγενομένους παρ᾽ ἡμῖν καταχθῆναι· καὶ γὰρ ἅπαντα ηὐτρέπιστο, καὶ καταγώγια, καὶ ὅσα εἰκὸς ἦν· οὔτε ἐκεῖνοι, οὔτε αὐτὸς ἠνέσχετο.

COMMVNIO vniuersæ ecclesiæ catholicæ porro declarabatur istis legibus, per quas omnes ecclesiæ omnia ista legalia disciplinæ acta, quæ quidem debito modo hæc illaue ecclesia egisset, rata habere debebant. Ita si quis esset legitimo modo baptizatus, & hoc ipso inter particularis cuiusdam ecclesiæ ciues admissus, hæc res ius ei dabat in quacumque ecclesiæ catholicæ parte communicandi, si commendatitiis episcopi ecclesiæ suæ litteris instructus proficisceretur, quibus ille in perfecta ac plena eius communione viuere, neque ob vllum delictum aduersus communionis eius regulas eiectus esse, declarabatur. Hoc est, quod OPTATVS [u] intelligit, quando ait: *Totus orbis commercio formatarum in vna communionis societate concordat.* Hæc enim testificatio, quod esset in communione suæ ipsius ecclesiæ, per cognitas leges ac regulas disciplinæ ius ei dabat communicandi, quacumque in ecclesia vellet, dummodo ritus & consuetudines illius ecclesiæ, ad quam res suæ eum deduxerant, obseruaret. Ita quoque, si quis legaliter esset ob crimina sua ab sua ipsius ecclesia exclusus, nulla ecclesia ipsum in communionem volebat recipere ante, quam ecclesiæ, cuius membrum fuerat, & quæ censuris in eum suis vsa erat, fecisset satis. Tanta erat omnium partium totius ecclesiæ catholicæ conspiratio & consensus in confirmanda aliarum quarumcumque disciplina & mutuo defendenda sua auctoritate aduersus omnes veri rectique hostes; siue aperta violentia & terrore, siue clandestinis consiliis occultisque artibus admissionem sui quæritarent, contra ecclesiam, cuius censuris subiacebant, nitentes. Nulla non ecclesia admittere eos sine litteris communicatoriis recusabat. Si ab suæ ipsorum ecclesiæ fide ac obsequio desciuissent, ab vniuersæ ecclesiæ fide ac obsequio desciuisse iudicabantur. Ita EPIPHANIVS [x] narrat, quod

(u) Optat. lib. II. p. 48.

(x) Epiphan. hæres. XLII. Marcian. n. II. *τί μὴ ἠθελήσατέ με ὑποδέξασθαι; τῶν δὲ λεγόντων, ὅτι οὐ δυνάμεθα ἄνευ τῆς ἐπιτροπῆς τοῦ τιμίου πατρός σου τοῦτο ποιῆσαι· μία γάρ ἐστιν ἡ πίστις, καὶ μία ὁμόνοια, καὶ οὐ δυνάμεθα ἐναντιωθῆναι τῷ καλῷ συλλειτουργῷ, πατρὶ δὲ σῷ· ζηλώσας λοιπὸν, καὶ εἰς μέγαν ἀρθεὶς θυμὸν καὶ ὑπερηφανίαν, τὸ σχίσμα ἐργάζεται ὁ τοιοῦτος, ἑαυτῷ τὴν αἵρεσιν προστησάμενος, καὶ εἰπὼν ὅτι ἐγὼ σχίσω τὴν ἐκκλησίαν ὑμῶν, καὶ βαλῶ σχίσμα ἐν αὐτῇ εἰς τὸν αἰῶνα· ὡς τἀληθῆ μὲν σχίσμα ἔβαλεν οὐ μικρὸν, οὐ τὴν ἐκκλησίαν σχίσας, ἀλλ' ἑαυτὸν καὶ τοὺς αὐτῷ πεισθέντας.*

quum

quum *Marcion* hæreticus, ecclesia ab ipso parente pulsus, *Romam* sese contulisset, & vt in communionem admitteretur, petiisset, hoc responsum ab eis tulerit, sibi iniussu patris eius facere istud non licere. Vnam siquidem fidem esse & animorum vnam consensionem, neque contra spectatissimum collegam patrem eius moliri quippiam se posse. Qua lata repulsa *Marcionem* vehementius excanduisse, dicit, ac superbia inuidiaque percitum schisma conflasse, ac priuatam hæresin architectatum esse: palam enim pronuntiasse eum, se ecclesiam eorum dissociaturum in eamque schisma sempiternum immissurum. Quod quidem reuera eum iniecisse obseruat EPIPHANIVS, non ita tamen, vt ecclesiam, sed vt se potius ac suos discinderet. Multa alia exempla constantiæ ac firmitudinis animi, quam ecclesia in ista contra delinquentes agendi ratione ad vnitatem disciplinæ in omnibus corporis ecclesiastici partibus integram seruandam adhibuit, suppetunt, multique canones in rem eamdem reperiuntur; de quibus, quia posthac [*] copiosius dicendi nobis erit occasio, heic dedita opera silemus, pergentes ad considerandum aliud ecclesiasticæ vnitatis respectu praxeos exemplum: Quod erat,

§. XII.

Quinto, *In recipiendo concorditer vniuersalis ecclesiæ consuetudines, & subiiciendo se conciliorum generalium decretis.*

QVOD omnes ecclesiæ generatim consentirent in recipiendis consuetudinibus, ex omnium confessione per apostolicam traditionem acceptis, aut certe per generalium conciliorum decreta institutis. Hac enim duplici via plures consuetudines in ecclesiam in toto orbe terrarum introductæ, vniuersaliter quasi & fere necessario cœperunt obseruari. Hinc si quis priuatus homo vel ecclesia aliqua particularis contra eas repugnaret, scandalum dare reliquis omnibus & turbas in ecclesiam inuehere credebatur, intempestiue & absurde se opponendo rebus per se innocentibus & generali consensu atque approbatione introductis. AVGVSTINVS duplicis huius originis generalium consuetudinum in ecclesia facit mentionem, pro quibus etsi non exstet in sacris scripturis disertum aliquod

(*) Cap. II. §. X.

mandatum, generali tamen ſententiæ, auctoritati atque praxi totius eccleſiæ magnam reuerentiam deberi ſtatuit. *Illa*, inquit [y], *quæ non ſcripta, ſed tradita cuſtodimus, quæ quidem toto terrarum orbe obſeruantur, dantur intelligi vel ab ipſis apoſtolis, vel plenariis conciliis, quorum in eccleſia ſaluberrima auctoritas commendata atque ſtatuta retineri: Sicuti quod domini paſſio & reſurrectio & adſcenſio in cælum, & aduentus de cælo ſpiritus ſancti, anniuerſaria ſolemnitate celebrantur, & ſi quid aliud tale occurrerit, quod ſeruatur ab vniverſa, quacumque ſe diffundit, eccleſia.* De cuiuſmodi rebus tandem concludit: *Si quid* [z] *horum tota per orbem frequentat eccleſia, quin ita faciendum ſit, diſputare, inſolentiſſimæ inſaniæ eſt.* Hanc regulam præcipue applicat ad morem obſeruandi diem dominicum, quem non ieiunio celebrare, ſed feſtum agere ſoleat eccleſia, & ait [a]: *Quis non Deum offendet, ſi velit cum ſcandalo totius, quæ vbique dilatata eſt, eccleſiæ die dominico ieiunare?* Nam vniuerſalis conſuetudo & canones eccleſiæ [b] repugnabant. Ex eadem ratione in vitio ponebatur, ſi quis eo die flexis genibus oraret, quia generalis eccleſiæ mos erat, vt a ſtantibus [c] preces funderentur in dominicæ reſurrectionis memoriam; & concilium *Nicænum* rem dignam decreto iudicabat, quo omnes

(y) Auguſtin. epiſt. CXVIII. ad Ian.

(z) Ibid.

(a) Auguſt. epiſt. LXXXVI. ad Caſulan.

(b) Can. apoſt. c. LXIV. *Εἴ τις κληρικὸς εὑρεθῇ τὴν κυριακὴν ἡμέραν ἢ τὸ σάββατον, πλὴν τοῦ ἑνὸς μόνου, νηστεύων, καθαιρείσθω· ἐὰν δὲ λαϊκὸς ᾖ, ἀφοριζέσθω. Si quis clericus inuentus fuerit, die dominica ieiunans, vel ſabbato, præter vnum ſolum, deponatur: ſi vero laicus ſit, ſegregetur.*
Concil. Gangren. c. XVIII. *Εἴ τις διὰ νομιζομένην ἄσκησιν ἐν τῇ κυριακῇ νηστεύοι, ἀνάθεμα ἔστω. Si quis propter eam, quæ exiſtimatur, exercitationem in dominico ieiunet, ſit anathema.*
Concil. Carthag. IV. c. LXIV. Qui dominico die ſtudioſe ieiunat, non credatur catholicus.
Concil. Bracar. I. al. II. can. IV. Si quis natalem Chriſti ſecundum carnem non bene honorat, ſed honorare ſe ſimulat, *ieiunans* in eodem die & *in dominico* -- anathema ſit.

(c) Tertull. de coron. milit. c. III. Die dominico ieiunium nefas ducimus, vel de geniculis adorare.
Concil. Nicæn. c. XX. *ἐπειδή τινές εἰσιν ἐν τῇ κυριακῇ γόνυ κλίνοντες, καὶ ἐν ταῖς τῆς πεντεκοστῆς ἡμέραις, ὑπὲρ τοῦ πάντα ἐν πάσῃ παροικίᾳ φυλάττεσθαι, ἑστῶτας ἔδοξε τῇ ἁγίᾳ συνόδῳ τὰς εὐχὰς ἀποδιδόναι τῷ θεῷ. Quoniam ſunt quidam, qui in die dominico genu flectunt, & ipſis diebus penteceſtes; vt omnia ſi-*

ad

ad camdem consuetudinem obseruandam reducerentur. Idem faciebat ecclesia in negotio solemnitatis paschalis, regulam præscribens, qua omnes ecclesiæ vno eodemque die eam agere iubebantur, quod nefas esset, vt in tanti momenti negotio & in huiusmodi religionis solemnitate dissensio reperiretur, quemadmodum CONSTANTINVS imperator in epistola [d], ad omnes ecclesias per totum terrarum orbem hac occasione scripta, loquitur. Vt adeo, licet diuersæ ecclesiæ diuersis diebus hanc festiuitatem celebrarent, hoc decreto nondum facto, postea tamen, quam res semel definita esset, nulla amplius dissentiendi libertas relinqueretur.

§. XIII.

Sexto, *In submittendo se decretis conciliorum nationalium.*

IDEM de conciliorum nationalium decretis obseruari licet, imperio *Romano* in diuersa regna diuiso. Res bene multæ initio vniuscuiusque episcopi arbitrio ac prudentiæ in suæ diœcesis gubernatione permittebantur, quæ postea nationalium conciliorum decretis coërceri reprimique cœperunt. Quod adsertum vt vno tantum exemplo illustremus: Quilibet episcopus priscis temporibus libertatem habebat liturgiam in suæ ipsius ecclesiæ vsum faciendi: Sequentibus autem temporibus, orbe terrarum in diuersa regna diuiso, regulæ dabantur, vt omnes ecclesiæ huius illiusue regni vnam eamdemque haberent liturgiam. Ita quum *Hispania* & *Gallia Narbonensis* distinctum regnum euasisset, decretum fiebat, vt, quemadmodum non nisi vna fides sit, ita non nisi vna liturgia, siue vnus diuini cultus ordo, per vniuersum regnum obseruaretur. Concilium *Toletanum* quartum sub rege *Sisenando* peculiarem canonem hanc in rem fecit [e]: *Post rectæ fidei confessionem, quæ in sancta Dei ecclesia prædicatur, placuit, omnes sacerdotes, qui catholicæ fidei vnitate complectimur, vt nihil vltra diuersum aut dissonum in ecclesiasticis sacramentis agamus; ne quælibet nostra diuersitas apud ignotos seu carna-*

naliter in omni parochia seruentur, visum est sanctæ synodo, vt stantes Deo orationes effundant.

(*d*) Ap. Euseb. de vita Constant. lib. III. c. XVIII. *πρὸς τούτοις κἀκεῖνο πάρεστι συνορᾷν, ὡς ἐν τηλικούτῳ πράγματι καὶ τοιαύτῃ θρησκείας ἑορτῇ διαφωνίαν ἔχειν, ἐστὶν ἀθέμιτον.*

(*e*) Concil. Toletan. IV. c. II.

les schismatis errorem videatur ostendere, & multis exstet in scandalum varietas ecclesiarum. Vnus ergo orandi atque psallendi modus nobis per omnem Hispaniam atque Galliam conseruetur: Vnus modus in missarum solemnitatibus, vnus in vespertinis officiis: nec diuersa sit vltra in nobis ecclesiastica consuetudo, quia in vna fide continemur & regno. Hic canon etiam ad vetustiores canones prouocat, eamdem cultus diuini rationem singulis cuiusuis prouinciæ ecclesiis præscribentes, *Hoc*, inquiens, *& antiqui canones decreuerunt, vt vnaquæque prouincia & psallendi & ministrandi parem consuetudinem teneat.* Et res nota ac manifesta omnibus est, ea tempestate, hoc est sæculo sexto & septimo & ante, canones esse factos in quibusdam conciliis, quibus cuiusque prouinciæ ecclesiæ ritus suos ad ritus & consuetudines metropolitanæ ecclesiæ conformare iussæ sunt. Quemadmodum ex concilio *Agathensi*, an. DVI [*f*], *Epaonensi* & *Gerundensi* an. DXVII [*g*], concilio *Venetico* [*h*] & *Bracarensi* primo [*i*] an. CCCLXV & DLXIII. videre est. Licet

(*f*) Conc. Agath. c. XXX. Quia conuenit, ordinem ecclesiæ ab omnibus æqualiter custodiri, studendum est, vt, sicut vbique fit, & post antiphonas collectiones per ordinem ab episcopis vel presbyteris dicantur, & hymni matutini vel verspertini diebus omnibus decantentur, & in conclusione matutinarum vel vespertinarum missarum, post hymnos capitella de psalmis dicantur, & plebs collecta oratione ad vesperam ab episcopo cum benedictione d mittatur.

(*g*) Conc. Epaon. c. XXVII. Ad celebranda diuina officia ordinem, quem metropolitani tenent, prouinciales eorum obseruare debebunt.
Conc. Gerundens. can. I. De institutione missarum, vt, quomodo in metropolitana ecclesia fuerit, ita Dei nomine in omni Tarraconensi prouincia, tam ipsius missæ ordo, quam psallendi, vel ministrandi consuetudo seruetur.

(*h*) Concil. Venetic. c. XV. Rectum quoque duximus, vt vel intra prouinciam nostram sacrorum ordo & psallendi vna sit consuetudo: & sicut vnam cum trinitatis confessione fidem tenemus, vnam & officiorum regulam teneamus: ne variata obseruatione in aliquo deuotio nostra discrepare cred itur.

(*i*) Concil. Bracar. I. c. XIX. XX. XXI. XXII. XXIII. (Apud Labb. concil. II. can. I - V. tom. V. conc. p. 840.) Placuit omnibus communi consensu, vt vnus atque idem psallendi ordo in matutinis vel vespertinis officiis teneatur. --- Item placuit, vt per solemnium dierum vigilias vel missas, omnes easdem & non diuersas lectiones in ecclesia legant. Item placuit, vt non aliter episcopi & aliter presbyteri populum, sed vno modo salutent, dicentes: Dominus sit vobiscum &c. Item placuit, vt eodem ordine missæ celebrentur ab omnibus, quem Profuturus quondam huius metropolitanæ ecclesiæ episcopus ab ipsa apostolicæ sedis auctoritate suscepit scriptum. Item placuit, vt nullus eum baptizandi ordinem prætermittat, quem & antea tenuit metropolitana Bracarensis ecclesia.

enim

enim per antiquiſſimas regulas quilibet epiſcopus libertatem haberet præſcribendi, quæ eccleſiæ ſuæ omnium maxime expedire crederet, nec vlla eccleſia dictatoriam poteſtatem in aliam quamcumque iſtis in rebus ſibi arrogaret; tamen quum eccleſiæ vni capiti politico ſubiici cœptæ & eccleſiæ nationales ex hac diſtinctione ortæ eſſent; ab omnibus iſtiuſmodi nationis epiſcopis iudicabatur conducere, in ritibus ac cærimoniis diuini cultus æque ac in ipſa fide eas arctius vnire. Et ex hoc tempore etiam neceſſaria pars vnionis eccleſiarum nationalium euaſit; in quod, quum omnes epiſcopi voluntarie conſentirent, nullus ab hac vnitate ſeceſſionem poterat facere, quin crimen incurreret temere violatæ iſtius vnitatis, quæ tam congruens & apta erat ad diuerſa eccleſiæ cuiuſdam nationalis membra in communionem coagmentanda.

§. XIV.

Nulla viſibilis capitis ad omnes eccleſiæ catholicæ partes vna communione coniungendas neceſſitudo.

ITA vidimus, in quo eccleſiæ catholicæ vnitas, in ampliſſima latitudine ſua accepta, conſtiterit. Atque hinc hæc duo per modum negandi, ſine vllo ampliore documento, inferre tuto licebit. 1.) Nullam heic fuiſſe viſibilis capitis neceſſitudinem, quemadmodum hodie in eccleſia *Romanenſi* venditatur, ad omnes eccleſiæ catholicæ partes vna communione coniungendas. Neque 2.) vllo modo neceſſe fuiſſe, vniuerſam eccleſiam catholicam iiſdem ritibus, cærimoniis ac conſuetudinibus vti in rebus indifferentibus, quæ in diuerſis eccleſiis diuerſæ eſſe poterant ſine vllo catholicæ communionis detrimento. Priori iſti ſatis conſultum & prouiſum erat omnium eccleſiarum in eadem fide conſenſione & officio, quod toti epiſcoporum, æquales partes in vna epiſcope habentium, collegio incumbebat, ſibi in rebus omnibus, ad fidem defendendam & vnitatem eccleſiæ in qualibet parte conſeruandam neceſſariis, mutuum ferendi auxilium, ſi quando oppugnaretur. Hac ſola ratione, non confugiendo ad vllum viſibile & conſtitutum caput, veteres eccleſiæ vnitatem conſeruabant. Auxilium nonnumquam implorabatur epiſcopi *Romani*, qui grauem in magno epiſcoporum corpore ſuſtinebat perſonam, & qui

 pro-

propter stationem suam in ciuitate imperiali succurrere iis poterat, qui miseris ac duris temporibus premebantur. Verum iudicium illius & opinio non certa & indubitata regula veritatis, nec decisio eius talis esse existimabatur, quæ reliquos orbis christiani episcopos coërceret, vt ne vlla in re sine schismatis culpa ab ipso eis liceret dissentire. Interdum enim episcopus *Romanus* in apertam delabebatur hæresin, vt quum *Liberius* sacrilegis *Arianorum* placitis subscriberet. Cuiusmodi quid si contingeret, quiuis alius episcopus non tantum dissentiendi ab eo gaudebat libertate, sed per partem, quam in communi ecclesiæ habebat episcope, ei sese opponere, & si occasio exigeret, anathema aduersus ipsum pronuntiare debebat; vti *Hilarius* contra *Liberium* [*k*] fecit, quum *Athanasii* condemnationi & symbolo *Arianorum*, quod *Sirmii* fabricauerant, subscripsisset. Interdum episcopi iurisdictionem in alias ecclesias exercere sibi sumebant, quarum in negotiis vi canonum nullam habebant potestatem. Sic quum VICTOR ecclesias *Asiaticas* a communione alienas pronuntiaret, quod in celebratione paschatis ab ipso dissentirent, non tantum episcopi *Asiatici*, sed ipse *Irenæus* & reliqui orbis christiani antistites ipsi obsistebant, tamquam qui extra muneris sui fines & terminos egressus temerarium & ad schisma spectans negotium suscepisset. Qui enim non debita sibi potestate abutens alios communione excludit, is proprie est schismaticus, minus necessariam faciendo diuisionem in ecclesia, non illi, qui necessitate coacti ab eo se separant. Ita rursus, quum *Zosimus* & *Cælestinus* ab ecclesiis *Africanis* ad se appellantes recipere, ab illisque damnatos absoluere sibi sumerent; AVGVSTINVS & omnes ecclesiæ *Africanæ* hoc acriter & vehementer increpabant, tamquam praxin illegitimam, violantem leges vnitatis & commercii ecclesiastici regulas, quæ requirant, vt ne quis, qui in altera ecclesia sit excommunicatus, in altera absoluatur, quum suæ ipsius ecclesiæ, cuius censuræ subiaceat, nondum fecerit satis. Et idcirco ad prohibendam hanc praxin, & supprimendam enormem, quam sibi episcopi *Romani* arrogabant, potestatem, primum quidem in

(*k*) Hilar. fragm. p. 134. Anathema tibi a me dictum, Liberi, & sociis tuis. Iterum tibi anathema & tertio, prævaricator Liberi.

con-

concilio *Mileuitano* [l] legem condebant, ita habentem: *Placuit, vt presbyteri, diaconi, vel ceteri inferiores clerici, in caussis, quas habuerint, si de iudiciis episcoporum suorum questi fuerint, vicini episcopi eos audiant: & inter eos quidquid est, finiant adhibiti ab eis ex consensu episcoporum suorum. Quod si & ab eis prouocandum putauerint, non prouocent, nisi ad Africana concilia, vel ad primates prouinciarum suarum. Ad transmarina autem qui putauerit appellandum, a nullo inter Africam in communionem suscipiatur.* Deinde in generalem congressi synodum [m], epistolam mittebant ad episcopum *Romanum*, qua ipsum admonebant, quam hæc praxis pugnet cum decretis *Nicænis*, quæ prudentissime iustissimeque prouiderint, quæcumque negotia in suis locis, vbi orta sint, coram concilio & metropolitano finienda. Præterea absurdum esse dicebant, si quis vellet credere, vnicuilibet posse Deum examinis inspirare iustitiam, & innumerabilibus congregatis in concilium sacerdotibus denegare. Hæc euidenter ostendunt, non credidisse patres illos, vnum quemdam hominem quasi centrum esse vnitatis totius ecclesiæ; aut omnes ecclesias necessario in communione cum ecclesiæ *Romanæ* episcopo esse debere, siue catholicus siue hæreticus foret; aut vllam ecclesiam, extra metropoliticæ potestatis illius limites positam, vllo modo iurisdictioni ipsius se subiicere oportere. Manifesto autem demonstrat contrarium, nullam visibilis capitis fuisse necessitudinem, quæ in hodierna ecclesia *Romana* vrgetur, ad omnes ecclesiæ catholicæ partes in vnam communionem redigendas; sed in rebus fidei vnumquemque episcopum non minus totius ecclesiæ fuisse custodem, quam episcopum *Romanum*; & in rebus disciplinæ, omnes ecclesias habuisse libertatem caussas suas in synodo episcoporum audiendi atque decidendi, sine vlla peregrinæ iurisdictionis imploratione, quemadmodum in aliis huius operis partibus [*] abunde demonstrauimus, ad quas lectorem nostrum amandamus.

(*l*) Concil. Mileuit. c. XXII.
(*m*) Cod. can. African. a cap. CXXXV ad CXXXVIII.
(*) Lib. II. c. V. vol. I. p. 111 -- 116. Lib. IX. cap. I. §. XI. vol. III. 396.

§. XV.

Nec vlla necessitas conuenientiæ ac consensionis totius ecclesiæ in iisdem ritibus ac cærimoniis, vtpote rebus indifferentibus.

NEQVE vero minus clarum est & perspicuum, ad conseruandam ecclesiæ catholicæ vnitatem haud necesse fuisse, omnes ecclesias in iisdem ritibus ac cærimoniis conuenire; sed vnamquamque ecclesiam suis vti potuisse ritibus ac consuetudinibus, vtpote libertate gaudentem in rebus omnibus indifferentibus leges sibi condendi, nisi vniuersalis quædam traditio, vel generalis aut nationalis cuiusdam concilii decretum (vt antea meminimus) aliter id fieri præcepisset. Huc valet notabile illud IRENAEI [n] dictum, quod occasione diuersarum consuetudinum in obseruando ieiunio quadragesimali protulit: *Omnes pacem inuicem retinemus, & ieiuniorum diuersitas consensionem fidei commendat.* HIERONYMVS similiter loquens de differentibus ecclesiarum consuetudinibus, respectu habito ad ieiunium sabbati & quotidianam eucharistiæ receptionem, generalem præscribit regulam, *Ego*, inquiens [o], *illud te breuiter admonendum puto, traditiones ecclesiasticas (præsertim quæ fidei non officiant) ita obseruandas, vt a maioribus traditæ sunt: nec aliorum consuetudinem aliorum contrario more subuerti --- sed vnaquæque prouincia abundet in suo sensu, & præcepta maiorum leges apostolicas arbitretur.* In eumdem modum AVGVSTINVS [p] ait: *In his rebus, de quibus nihil certi statuit scriptura diuina, mos populi Dei vel instituta maiorum pro lege tenenda sunt. De quibus si disputare voluerimus & ex aliorum consuetudine alios improbare, orietur interminata luctatio, quæ labore sermocinationis quum certa documenta nulla veritatis insinuet: vtique cauendum est, ne tempestate contentionis serenitatem caritatis obnubilet.* Addit aliquanto post: *Interminabilis est ista contentio, generans lites, non finiens quæstiones. Sit ergo vna fides [q] vniuersæ, quæ vbique dilatatur, ecclesiæ, tamquam intus in membris, etiam si ipsa vnitas fidei quibusdam diuersis obseruationibus celebratur, quibus nullo modo, quod in fide verum est, impeditur. Omnis enim pulchritudo fi-*

(n) Ap. Euseb. lib. V. c. XXIV. Πάντες -- εἰρηνεύομεν πρὸς ἀλλήλους· καὶ ἡ διαφωνία τῆς νηστείας τὴν ὁμόνοιαν τῆς πίστεως συνίστησι.

(o) Hieron. epist. XXVIII. ad Lucinium Bœticum.

(p) Augustin. epist. LXXXVI. ad Casulanum.

(q) Augustin. ibid.

liæ regis intrinsecus; illæ autem obseruationes, quæ varie celebrantur, in eius veste intelliguntur. Vnde ibi dicitur, In fimbriis aureis circum amicta varietate. Sed ea quoque vestis ita diuersis celebrationibus varietur, vt non aduersis contentionibus dissipetur. Hæc antiqua erat ratio conseruandi pacem in ecclesia catholica, vt differentibus ecclesiis, quæ in rebus externis ab alia nulla pendebant, sua relinqueretur libertas, consuetudines suas sine vllo impedimento sequendi. Nam, vt GREGORIVS (r) MAGNVS in epistola ad *Leandrum* episcopum *Hispanicum* loquitur, *In vna fide nihil officit sanctæ ecclesiæ consuetudo diuersa.* Et idcirco, licet ecclesiæ *Hispanicæ* in quibusdam consuetudinibus ab ecclesia *Romana* discreparent, non tamen eas cogebat, ritibus ac consuetudinibus suis relictis, *Romanæ* ecclesiæ sequi consuetudines. Simile responsum *Augustino* monacho, archiepiscopo *Cantuariensi*, dabat, quando hic eum interrogauerat, quamnam diuini cultus formam in *Britannia* instituere deberet, veteremne *Gallicanam*, an *Romanam?* & qui fieret, vt quum vna sit fides, diuersæ sint ecclesiarum consuetudines, & alia consuetudo missarum in *Romana* ecclesia, alia in *Gallicanis* ecclesiis obseruetur? Ad quam quæstionem hunc in modum respondebat (s): *Mihi placet, vt, siue in Romana siue in Galliarum, seu in qualibet ecclesia aliquid inuenisti, quod plus omnipotenti Deo placere possit, sollicite eligas; & in Anglorum ecclesia, quæ adhuc ad fidem noua est, institutione præcipua, quæ de multis ecclesiis colligere potuisti, infundas. Non enim pro locis res, sed pro bonis rebus loca amanda sunt. Ex singulis ergo quibusque ecclesiis, quæ pia, quæ religiosa, quæ certa sunt, elige, & hæc quasi in fasciculum collecta, apud Anglorum mentes in consuetudinem depone.* Neque dubium est, quin *Augustinus* præceptis eius in recens plantata ecclesia sua *Anglicana* morem gesserit.

NEQVE vero hæc libertas diuersis ecclesiis in mere ritualibus tantum & indifferentibus, sed nonnumquam etiam in grauioribus momenti rebus indulta erat, exempli caussa, in receptione vel reiectione eorum, qui per hæreticos & schismaticos baptizati erant, sine alio baptismate. Quæstio hæc erat diu agitata inter ecclesias *Africanam*, *Romanam* & alias; sed ta-

(r) Gregor. Magn. epist. X I. ad Leandrum.

(s) Gregor. Respons. ad quæst. Aug. ap. Bedam lib. I. c. XXVII. & Gratian. distinct. XII. c. X.

men ſine communionis violatione, ſpeciatim ab eorum parte, qui moderata ſequebantur conſilia *Cypriani*, qui differentium eccleſiarum libertatem hac in re ſtudioſe defenſitabat, omnibus eccleſiis permittens, vt pro ſuo quæque agerent iudicio, & pacem cuſtodiens cum illis, qui ab ipſo diſſentiebant; quemadmodum pluribus in libro quodam antecedente [*] documus, vbi de epiſcoporum omni ſubiectione libera ratione, vulgo independentia, in eccleſiis *Africanis* plura diſputauimus.

NARRATIONEM de aliis quibuſdam quæſtionibus, tamquam candide & moderate diſceptatis, lector eodem loco reperire poteſt. Cuiuſmodi quæſtio erat de baptiſmo clinicorum, & de adultorum in communionem reſtitutione, qua in re *Africanorum* antiſtitum praxis ſæpenumero diuerſa erat; neque tamen alter alterius praxin reprehendebat, nec mutuam inter ſe diſſoluebant communionem. Interdum eadem moderatio in minoris momenti capitibus doctrinalibus obſeruabatur. Nam, vt eruditi & acri iudicio præditi ſcriptores [*t*] inter noſtrates obſeruarunt ex AVGVSTINO [*u*], præter neceſſarie fidei capita, *Alia ſunt, de quibus inter ſe aliquando doctiſſimi atque optimi regulæ catholicæ defenſores, ſalua fidei compage non conſonant. Sunt quæſtiones* [*x*], *in quibus, ſalua fide, qua chriſtiani ſumus, aut ignoratur, quid verum ſit, & ſententia definitiua ſuſpenditur, aut aliter quam eſt, humana & infirma ſuſpicione coniicitur. Veluti quum quæritur, qualis vel vbi ſit paradiſus, vbi conſtituit Deus hominem, quem formauit ex puluere, quum tamen eſſe illum paradiſum, fides chriſtiana non dubitet. Vel quum quæritur, vbi ſit nunc Elias vel Enoch, an ibi,*

(*) Lib. II. c. VI. vol. I. p. 116. ſeqq.

(*t*) Barrow *of the Unity of the Church* p. 299. Potter, *Anſwer to charity miſtaken* ſect. III. p. 88.

(*u*) Auguſtin. contr. Iulian. Pelag.

(*x*) Auguſtin. de peccat. orig. contra Pelag. & Cæleſtin. lib. II. c. XXIII. Id. enchirid. c. LIII. Habemus in euangelio: Ecce angelus domini apparuit illis in ſomnis dicens. His enim modis velut indicant ſe angeli contrectabilia corpora non habere. Faciuntque difficillimam quæſtionem, quomodo patres eius pedes lauerint, quomodo Iacob cum angelo tum ſolida contrectatione luctatus ſit. Quum iſta quæruntur, & ea, ſicut poteſt, quiſque coniectat, non inutiliter exercentur ingenia, ſi adhibeatur diſceptatio moderata, & abſit error opinantium, ſe ſcire quod neſciunt. Quid enim opus eſt, vt hæc atque huiuſmodi affirmentur, vel negentur, vel definiantur cum diſcrimine, quando ſine crimine neſciuntur?

an

an alicubi alibi, quos tamen non dubitamus, in quibus nati sunt, corporibus viuere. Vel quum quaeritur, v. rum in corpore an extra corpus in tertium caelum sit raptus apostolus. De quibus atque huiusmodi variis & innumerabilibus quaestionibus, siue ad obscurissima opera Dei, siue ad scripturarum abditissimas latebras pertinentibus, ille concludit, & multa in eis ignorari salua christiana fide, & alicubi errari sine aliquo haeretici dogmatis crimine posse. Cuius rei consideratione AVGVSTINVS compulsus alicubi palam profitetur, quod in sanctis scripturis [y] multo nesciat plura, quam sciat. Et si homines de istiusmodi rebus infeste inter se dimicare, & alius alium propter earum ignorationem vel errorem, quo quis in illis ducatur, reiicere vellet & auersari, nec finis nec terminus schismatum & diuisionum foret in ecclesia. Itaque in talibus quaestionibus cuilibet suo abundare sensu permittebatur, modo vt hanc pacis regulam obseruaret, Ne opiniones suas aliis imperiose obtruderet, neque mentis suae cogitata vrgeret, velut necessarias doctrinas siue articulos fidei in rebus, de quibus scriptura vel sileat, vel mortalibus sentiendi relinquat libertatem.

§. XVI.

Quaenam indulgentia illis tributa sit, qui ex simplici ignorantia communionem inter se dissoluissent.

IMMO VERO in quibusdam casibus aliqua indulgentia viris bonis ac candidis tribuebatur, qui communionem inter se dissoluebant. Contingebat enim interdum, vt boni catholici inter se diffiderent ex ignorantia, & mutuam communionem ob mera verba dissoluerent, non intelligentes alteri alterorum opiniones. Qua in re omnes viri prudentes & moderati vtriusque partis vicem dolebant, eosque vt conciliarent & ad vnitatem redigerent, omnem nauabant operam, neutra parte seuere damnata. NAZIANZENVS [z] narrat, periculum aliquando fuisse, ne orbis terrarum fines per paucas aliquot syllabas abrumperentur. Factum hoc in controuersia de vsu

(y) August. epist. CXIX. ad Ianuar. cap. XXI. Miror, quia hoc te latet, quod non solum in aliis innumerabilibus rebus multa me lateant, sed etiam in ipsis sanctis scripturis multo nesciam plura, quam sciam.

(z) Nazianz. orat. XXI. de laud. Athanas. tom. I. p. 396. 395. cit. lib. VI. c. III. §. IX. vol. II. p. 368. sub litt. (a) pag. 369. litt. (aa).

voca-

vocabulorum, *τρία πρόσωπα* & *τρεῖς ὑποστάσεις* in doctrina de *TRINITATE.* Omnes quidem orthodoxi erant & ſub differentibus vocabulis ſentiebant idem; quum autem alii aliorum mentem non caperent, ſeſe mutuo incuſabant hæreſeos. Qui tres diuinitatis perſonas *tres hypoſtaſes* nominabant, aduerſariis ſuis errorem *Sabellii*, hi autem iſtis impiam *Arii* ſententiam tribuebant, quaſi tres hypoſtaſes ſenſu *Ariano* de tribus eſſentiis ſiue ſubſtantiis diuerſæ naturæ intelligerent. Magnus autem ille & candidus *Athanaſius*, quum pro mirifica ſua prudentia & dexteritate hanc abſurdam & a ratione alienam verbi ſectionem perſpiceret, medicinam huic morbo quam primum adhibebat. Nam verborum vtriuſque partis ſententia diligenter & accurate perpenſa, poſteaquam concordes reperiſſet, nec, quantum ad doctrinam, vllo modo inter ſe diſſidentes, ita negotium tranſigebat, vt nominum vſum concedens rebus eos conſtringeret. Et hoc, vt auctor noſter loquitur, diuturnis eius laboribus & ſermonibus longe vtilius erat: Hoc multis vigiliis & chameuniis præſtantius. Hoc peruulgatis atque omni fama celebratis ipſius exiliis & fugis nihilo inferius exiſtimandum erat. Vnde hoc ipſum narrare incipiens, lectoribus ſuis adfirmat, ſe illud citra damnum ſilentio præterire non poſſe, ea præſertim tempeſtate, qua multæ contentiones diſſidiaque in eccleſia gignantur. Nam illis quoque, qui tum viuerent, hanc actionem doctrinæ eſſe poſſe, ſi ipſum ſibi proponere velint imitandum; ſiquidem homines procliues ſint ad diſſidendum non tantum ab impiæ doctrinæ cultoribus, verum etiam ab illis, qui pietatis laude inprimis excellant, idque non in paruis duntaxat & contemnendis dogmatibus (minus enim hoc graue fore) verum etiam in verbis, quæ ad eumdem omnino ſenſum tendant, vt in re præſenti factum. Iſtiuſmodi erat ſapientium & bonorum virorum candor ac prudentia in ſtudio componendi minus neceſſarias & verbales orthodoxorum diſputationes, ſi quando infeliciter contingeret, vt ſententiis inter ſe diſſiderent, & alteri de alteris ſine idoneis rationibus quererentur.

RATIONEM quoque bonarum habebant mentium, quæ ex mera ignorantia vel infirmitate in errores inductæ erant. Nam hæreſiarchas ab eorum ſectatoribus, ductores a populo;

natos

natos & educatos in ecclesia & deinde in hæresin delapsos ab iis, qui errores ex parentum traditione ac seductione acceperant, sollicite & diligenter distinguebant. AVGVSTINVS [a] loquens de hisce postremis, ait: *Qui sententiam suam, quamuis falsam atque peruersam, nulla pertinaci animositate defendunt, præsertim quam non audacia præsumtionis suæ pepererunt, sed a seductis atque in errorem lapsis parentibus acceperunt, quærunt autem cauta sollicitudine veritatem, corrigi parati quum inuenerint, nequaquam sunt inter hæreticos deputandi.* Vult dicere AVGVSTINVS, non habere eos formalem hæresin, quæ sit fastus & pertinacia in errore; adeoque mitius de illis iudicari posse, quam de eis, qui hæreses primum inuenerint, vel eas deinceps ex vitiosa quadam animi indole sint amplexi, maiorem cupiditatum suarum, voluptatum atque iniquitatis, quam sinceri veritatis amoris, habentes rationem. Cuiusmodi infirmi & imperiti homines etsi ab errore vel schismate vel peccato prorsus immunes pronuntiari non poterant, tamen si cum aliis comparabantur, conditio eorum excusationem aliquam habere iudicabatur. Et idcirco neque tam seuere puniebantur, neque in tanta offensa apud Deum esse credebantur. *Errant*, inquit SALVIANVS [b], de nonnullis hæresin *Arianam* amplexis loquens, *sed bono animo errant; non odio, sed adfectu Dei, honorare se dominum atque amare credentes. Quamuis non habeant rectam fidem, illi tamen hoc perfectam Dei æstimant caritatem. Qualiter pro hoc ipso falsæ opinionis errore in die iudicii puniendi sint, nullus potest scire, nisi iudex.*

§. XVII.

De diuersis gradibus vnitatis; & quod nemo in perfecta vnitate ecclesiæ esse creditus sit, qui non in perfecta cum illa communione fuerit.

HAEC res paruam aliquam distinctionem peperit inter hæresiarchas, siue primos hæresis architectos, & eos, qui ignari quidem, certe & imprudentes, ex eorum seductione atque præstigiis in errorem inducti erant, quemadmodum pluribus videbimus, vbi de disciplina & censuris ecclesiæ differemus. Interim heic obseruamus, quod, quum ecclesia de hominum

(a) August. epist. CLXII. ad episc. Donat. p. 277.

(b) Saluian. de gubernat. Dei lib. V. p. 154.

cordibus iudicare communiter non poſſet nec cauſſas perſpicere, quæ eas in errorem & ſchiſma inducerent, aliam plerumque viam inire, & de eorum vnitate ſecum ex externa ipſorum communione & profeſſione iudicare coacta ſit. Et quia diverſa genera diuerſique gradus vnitatis erant, vti antea vidimus, ita quidem, vt quis in communione eccleſiæ hoc reſpectu eſſe, alio autem reſpectu extra eam eſſe poſſet; ideo eccleſia hanc adhibebat regulam, vt nullos in perfecta ſua vnitate eſſe iudicaret, niſi qui in perfecta cum ipſa eſſent communione. Quocirca licet hæretici, ſchiſmatici, excommunicati & profani homines certo ſenſu eſſent de eccleſia, vtpote baptiſmo donati, quem ſemper retinebant, & fidem chriſtianam ex parte profeſſi; tamen quia in aliis reſpectibus ab ea erant auulſi, non habebantur pro ſanis & perfectis membris corporis, ſed pro abſciſſis & marcidis ramis, eo quod iſta vnitas in aliis reſpectibus deeſſet, quæ neceſſario requiritur ad denominandum quempiam verum ac perfectum chriſtianum, qui titulus eſt, nullis niſi eis permiſſus, qui ſunt in plena cum eccleſia *CHRISTI* communione. Hæc diſtinctio inter totalem & partialem vnitatem, & totale & partiale ſchiſma & ſeparationem multum eo prodeſt, vt quis omnia illa dicta intelligat veterum, qui de hæreticis, ſchiſmaticis, excommunicatis & profligatis perditiſque loquuntur peccatoribus, tamquam qui quodam modo ſint in & de eccleſia, eodem tempore, quum re ipſa & vere ab ea ſeparati eſſe iudicantur. Ita OPTATVS *Donatiſtis* narrat, ex parte ab eccleſia eos eſſe ſeparatos, non ex toto. „In parte „veſtis, inquit [*c*], adhuc vnum ſumus, ſed in diuerſa pende- „mus. Quod enim ſciſſum eſt, ex parte diuiſum eſt, non ex „toto conciſum. Et merito, quia nobis & vobis eſt vna ec- „cleſiaſtica conuerſatio: Et ſi hominum litigant mentes, non „litigant ſacramenta. Denique poſſumus & nos dicere, pares „credimus, & vno ſigillo ſignati ſumus: Nec aliter baptizati „quam vos: Teſtamentum diuinum legimus pariter: Vnum „Deum rogamus. Oratio dominica apud nos & apud vos vna „eſt, ſed ſciſſura (vt ſupra diximus) facta, partibus hinc atque „hinc pendentibus, ſartura neceſſaria„. Hoc aliis in locis [*d*]

(*c*) Optat. lib. III. p. 72. (p. 78. edit. Pariſ. MDCLXXIX.)
(*d*) Optat. lib. V. p. 84. (p. 99. edit. cit.)

repe-

repetit: „Apud vos & apud nos vna eſt eccleſiaſtica conuer„ſatio, communes lectiones, eadem fides, ipſa fidei ſacramen„ta, eadem myſteria„. Et hac de cauſſa ſæpe illis dicit, eſſe eos, velint nolint, fratres ſuos. „Quamuis [e] & illi *(Dona„tiſtæ)* non negent, & omnibus notum ſit, quod nos odio ha„beant & execrentur, & nolunt ſe dici fratres noſtros; tamen „nos recedere a timore Dei non poſſumus. --- Sunt igitur ſine „dubio fratres, quamuis non boni. Quare nemo miretur, eos „me appellare fratres, qui non poſſunt non eſſe fratres. Eſt „quidem nobis & illis vna ſpiritualis natiuitas, ſed diuerſi ſunt „actus &c.„ Et iterum [f]: „Non enim non poteſtis eſſe fra„tres, quos iiſdem ſacramentorum viſceribus vna mater eccle„ſia genuit; quos eodem modo adoptiuos filios Deus pater ex„cepit. Vnde huius temporis præſcius Chriſtus, quia futurum „erat, vt a nobis hodie diſcordaretis, talia dedit orandi man„data, vt vel in oratione vnitas remaneret, & preces iunge„rent, quos diſcrepaturæ fuerant partes. Oramus pro vobis, „quia volumus, & vos pro nobis, & quum non vultis: aut di„cat vnuſquiſque veſtrum, Pater meus, qui in cælis es: Et, pa„nem meum quotidianum da mihi hodie: Et dimitte mihi pec„cata, quemadmodum & ego debitori meo. Igitur ſi quæ „mandata ſunt, mutari non poſſunt: Videtis, nos non in totum „ab inuicem eſſe ſeparatos, dum & nos pro vobis oramus, vo„lentes: & vos pro nobis oretis, etſi nolentes. Vides, frater „*Parmeniane*, ſancta germanitatis vincula inter nos & vos in „totum rumpi non poſſe„. AVGVSTINVS ſemper in eumdem modum de hac vnione ex parte diſſerit: „In multis eſtis [g] „nobiſcum, in baptiſmo, in ſymbolo, in ceteris dominicis ſa„cramentis. In ſpiritu autem vnitatis, in vinculo pacis, in ipſa „denique catholica eccleſia nobiſcum non eſtis„. Et alio loco [h]: „Velint nolint, fratres noſtri ſunt; tunc eſſe deſinent „fratres noſtri, ſi deſierint dicere, *Pater noſter*. Dixit de qui„buſdam propheta, *His, qui dicunt vobis, non eſtis fratres noſtri*,

(e) Optat. lib. I. p. 34. (p. 4. edit. Pariſ. MDCLXXIX.)
(f) Optat. lib. IV. p. 77. (p. 88. edit. cit.)
(g) Auguſtin. epiſt. XLVIII. ad Vincent. p. 71.
(h) Auguſtin. in pſalm. XXXII. conc. II. p. 91. (tom. VIII. opp. p. 225. edit. Baſil. MDLXIX.)

„*dicite, fratres nostri estis* [*]. Circumspicite, de quibus hoc dicere potuerit. Numquid de paganis? Non, neque enim dicimus eos fratres nostros secundum scripturas, & ecclesiasticum loquendi morem. Numquid de iudæis, qui in Christum non crediderunt? Legite apostolum & videte, quia fratres, quando dicit apostolus sine aliquo additamento, non vult intelligere nisi christianos. *Non est autem subiectus*, inquit, *frater, aut soror in huiusmodi:* quum diceret de coniugio, fratrem & sororem dixit christianum vel christianam. Iterum dicit, *Tu autem quid iudicas fratrem tuum, aut tu, quid spernis fratrem tuum?* Et alio loco, *Vos*, inquit, *iniquitatem facitis & fraudatis, & hoc fratribus.* Isti ergo qui dicunt, non estis fratres nostri: paganos nos dicunt. Ideo enim & rebaptizare nos volunt, dicentes, nos non habere, quod dant. Vnde consequens est error ipsorum, vt negent, nos fratres suos esse. Sed quare nobis dixit propheta, *Vos dicite illis, Fratres nostri estis*, nisi quia nos in eis agnoscimus, quod non repetimus? Illi ergo non agnoscendo baptismum nostrum negant, nos esse fratres: nos autem non repetendo ipsorum, sed agnoscendo nostrum, dicimus eis, fratres nostri estis. Dicunt illi, quid nos quæritis, quid nos vultis? Respondemus, fratres nostri estis. Dicunt, ite a nobis, non vobiscum habemus rationem. Nos prorsus vobiscum rationem habemus: vnum Christum confitemur, in vno corpore, sub vno capite esse debemus. Quid ergo me quæritis, ait, si perii? Quare quærerem, nisi quia periisti. Si ergo perii, inquit, sum frater tuus? Vt dicatur mihi de te, *Frater tuus mortuus erat, & reuixit, perierat & inuentus est*,„ cetera.

Ex his omnibus patet, 1.) Diuersos fuisse vnitatis pariter ac schismatis gradus, pro eo, vt quis magis minusue ecclesiæ vnitus vel ab ea separatus esse crederetur. 2.) Eos, qui fidem, baptismum & communem diuini cultus formam retinuerint, his respectibus fuisse vnitos ecclesiæ; etsi in aliis respectibus, in quibus schisma eorum consistebat, ab ea fuerint separati. Ita fratres & non fratres, filii Dei & non filii Dei; domus Dei

(*) Ita tum legebant verba Iesa. LVI, 5. vid. Albaspin. in Optat. lib. I. p. 4. not. (t). ed. Par. MDCLXXIX.

et

et non domus Dei esse dici poterant, pro diuersa harum locutionum acceptatione diuersaque propoitione & gradibus vnitatis vel schismatis, in quibus ecclesiæ vniti erant, vel ab ea separati. 3.) Ad tribuendum alicui vere catholici christiani nomen, absolute loquendo, necessarium fuisse, vt omnibus in respectibus & omni genere vnitatis perfectam & plenam haberet cum ecclesia communionem; hoc est, vt in fide, in baptismo, in vitæ sanctimonia, in caritate, in cultu & omnibus sanctis officiis, omnibusque necessariis gubernationis ac disciplinæ partibus cum ea congrueret. Ad denominandum autem quempiam schismaticum, satis fuisse, si vllo in respectu vnitatem ecclesiæ sciderit; tametsi malignitas schismatis ipsius maior minorue iudicanda fuerit ex gradibus secessionis, quam ab ea fecerit. Et harum beneficio regularum cuilibet facile ad intelligendum est, quid veteres intellexerint per vnitatem & schisma, & quomodo disciplinam ecclesiæ exercuerint ac tuiti sint, adigendo homines ad viuendum in perfecta ac plena communione cum ecclesia. Quod iam particulatim explanare & considerare nobis animus est.

LIBRI DECIMI SEXTI

CAPVT SECVNDVM

DE DISCIPLINA ECCLESIAE ET VARIIS EIVS GENERIBVS, DEQVE VARIIS METHODIS IN EIVS ADMINISTRATIONE OBSERVATIS.

§. I.

Disciplinam ecclesiæ non constitisse in rescindendo siue faciendo irritum vllius hominis baptismum.

QVANDO disciplina ecclesiæ, vti antea obseruauimus, ad membrorum suorum vnitatem puritatemque in vna communione conseruandam spectauit, exercitium eius non ad vllos alios pertinuisse existimandum est, nisi ad eos, qui in societate ipsius se exsistere quodam modo essent professi; cuiusmodi erant vel iam baptismo donati vel certe breui eo donandi. Neque enim disciplinam suam in alium quempiam exercere sibi sumebat ecclesia, qui esset extra communionem

ipſius, ſed in eos tantummodo, qui in ipſius gremium ſenſu latiſſimo per aliquem profeſſionis ſuæ actum eſſent recepti. Et in hos ipſos diſciplinæ exercitium numquam eo extendere audebat, vt baptiſmo eorum reſciſſo irritoque declarato ſecundum aliquem baptiſmum, ſi primus verus eſſet, recipere eos cogeret, eo quidem conſilio, vt in eccleſiam denuo admitterentur; ſi ob crimen aliquod ex ea eſſent eiecti. Nam ipſi hæretici & apoſtatæ, qui chriſtianam vnitatem omnium maxime violabant, non adeo ab eccleſia erant disiuncti, quin aliquis reſpectus inter illos & eccleſiam remaneret beneficio quidem baptiſmi, cuius character in ipſa, quam quis ſibi animo concipere poteſt, maxima apoſtaſia & omnimoda fidei chriſtianæ eiuratione, indelebilis erat. Baptiſmatis legibus adhuc obſtricti tenebantur; & quantacumque ſeueritate in pœnitentia ſua, ſi ad eccleſiam redirent, tractarentur, nullum tamen exemplum datur, quod per ſecundum aliquem recepti fuerint baptiſmum, qui ſi ſemel legitime eſſet tributus, nullo vmquam tempore iterandus erat, quæcumque etiam ratio id videretur ſuadere. Non opus eſt hoc loco id probare, quia iam ſemel atque iterum hac de re fuſius loquendi habuimus occaſionem [*]; ſed obſeruamus tantum, non fuiſſe diſciplinæ eccleſiaſticæ partem, hominibus ius primitiuum in baptiſmo acceptum denegare; & conſequenter ſolemniſſimam quamque eorum ex communione eiectionem numquam eo ſpectaſſe, vt non niſi ethnici ac pagani eſſe, nec in eccleſiam ſine baptiſmi iteratione denuo recipi poſſe, declararentur.

§. II.

Sed in excludendo homines a communibus beneficiis & priuilegiis, in baptiſmo collatis.

Sed diſciplina eccleſiæ in poteſtate conſiſtebat priuandi homines omnibus baptiſmi beneficiis ac priuilegiis, dum ſocietate ac communione eccleſiæ ſecludebantur, in qua ſola his priuilegiis frui eis licebat; cuiuſmodi erat coniunctio in precibus publicis, euchariſtiæ receptio, aliique diuini cultus actus. Interdum eccleſiam intrare penitus vetabantur, ita vt

(*) Lib. XII. c. V. vol. IV. p. 358. ſeqq. & *Scholaſtical Hiſtory of Baptiſm*, part. II. c. VI.

ne

ne quidem scripturarum lectioni attendere, aut sermonem audire eis permitteretur, vsque dum quædam resipiscentiæ signa edidissent. Et reliqui omnes refugiebant reformidabantque cum eis conuersari, partim vt ecclesiæ censuras & agendi cum ipsis rationem approbarent atque stabilirent, partim vt pudorem eis incuterent, partim etiam vt a periculo contagionis sceleris eorum tutos se præstarent.

§. III.

Hanc potestatem initio mere spiritualem fuisse potestatem, licet quibusdam in casibus brachium sæculare in subsidium vocatum.

Hvc vsque ecclesia in censuris suis ex naturali iure suo ac potestate processit, non autem longius. Nam potestas eius in origine sua mere spiritualis erat potestas; gladius eius spiritualis tantum gladius, vt CYPRIANO [a] vocatur, ad adficiendum animum, non corpus. In corpora hominum nullam sibi arrogabat potestatem; nec dum in eorum bona, nisi mere essent ecclesiastica & ab ipsa eis donata, vt ita res sibi proprias & dona sua ab eis repeteret, qui in disciplinam ipsius contumaces erant & rebelles. Quo in casu nonnumquam sæcularis magistratus implorabat auxilium, etiam quum gentilitatis superstitioni adhuc esset addictus, & frequentius, vbi *CHRISTO* nomen dederat. Ita quum patres concilii *Antiocheni Paulum Samosatensem* abdicassent officio in eiusque locum substituissent *Domnum*, propria autem potestate ex domo ad ecclesiam pertinente, quam ipse habitare pergebat, eiicere non possent, *Aurelianum* imperatorem ethnicum interpellabant, qui rectissime hoc negotium diiudicabat, iis domum tradi præcipiens, quibus *Italici* christianæ religionis antistites & *Romanus* episcopus scriberent. *Hoc modo*, inquit EVSEBIVS [b], *Paulus cum summo dedecore per sæcularem potestatem ab ecclesia exturbatus est.* Frequentius hoc fiebat, postcaquam religionem christianam amplexi erant imperatores. Tum enim liberius ac confidentius eos adire

(a) Cyprian. epist. LXII. al. IV. ad Pompon. p. 9. (p. 175. edit. Amstelod.) Spiritali gladio superbi & contumaces resecantur, dum de ecclesia eiiciuntur.

(b) Euseb. lib. VII. c. XXX. Μετὰ τῆς ἐσχάτης αἰσχύνης ὑπὸ τῆς κοσμικῆς ἀρχῆς ἐξελαύνεται τῆς ἐκκλησίας.

ire eorumque auxilium, exigente iſtiuſmodi occaſione, implorare poterant. Immo vero canones ad approbandam iſtiuſmodi auxilii implorationem condebantur, vt cenſuris eccleſiæ aduerſus contumaces & obſtinatos peccatores ſua conſtaret auctoritas, vis & effectus. Tale decretum in concilio *Antiocheno*, anno CCCXLI. imperante *Conſtantio*, factum legimus: *Si quis* [*c*] *presbyter vel diaconus, proprio contemto epiſcopo, ab eccleſia ſe ipſum ſegregauerit, & priuatim congregationem effecerit, & altare erexerit, & epiſcopo arceſſente non obedierit, nec velit ei parere, nec morem gerere primo & ſecundo vocanti, is omnino deponatur, vt non amplius curationem aſſequi, nec ſuum poſſit honorem capere; Sin autem perſeuerat perturbare & eccleſiam euertere, IS PER EXTERNAM POTENTIAM VT SEDITIOSVS CASTIGETVR.* Alius iſtiuſmodi canon in concilio *Carthaginenſi* tertio [*d*] ſtatuebatur in cauſſa *Creſconii* cuiuſdam epiſcopi *Africani*, qui plebe ſua derelicta in aliam eccleſiam ſe intruſerat, in qua quum cum omnium eccleſiaſticarum cenſurarum contemtu perſiſteret, nec commonitus inde recedere vellet, decernebatur, magiſtratum eſſe vrgendum, vt ſua cum auctoritate protinus excluderet. Et hic canon, vt generalis quædam & ſtata regula, codici *Africano* [*e*]

(*c*) Concil. Antioch. c. V. *Εἴ τις πρεσβύτερος, ἢ διάκονος, καταφρονήσας τοῦ ἐπισκόπου τοῦ ἰδίου, ἀφώρισεν ἑαυτὸν τῆς ἐκκλησίας, καὶ ἰδίᾳ συνήγαγεν, καὶ θυσιαστήριον ἔστησεν, καὶ τοῦ ἐπισκόπου προσκαλεσαμένου ἀπειθοίη, καὶ μὴ βούλοιτο αὐτῷ πείθεσθαι, μηδὲ ὑπακούειν καὶ πρῶτον καὶ δεύτερον καλοῦντι· τοῦτον καθαιρεῖσθαι παντελῶς, καὶ μηκέτι θεραπείας τυγχάνειν, μηδὲ δύνασθαι λαμβάνειν τὴν ἑαυτοῦ τιμήν· εἰ δὲ παραμένοι θορυβῶν καὶ ἀνασπῶν τὴν ἐκκλησίαν,* **διὰ τῆς ἔξωθεν ἐξουσίας ὡς στασιώδη αὐτὸν ἐπιστρέφεσθαι.**

(*d*) Concil. Carth. III. c. XXXVIII. Petimus, ſecundum quod nobis mandatum eſt, vt dignemini dare fiduciam, quo iam, neceſſitate ipſa cogente, liberum ſit nobis, rectorem prouinciæ, ſecundum ſtatuta glorioſiſſimorum principum, aduerſus illum adire; vt qui miti admonitioni ſanctitatis veſtræ acquieſcere noluit, & emendare illicitum, *auctoritate iudiciaria protinus excludatur.*

(*e*) Cod Afric. c. XLIIX. *αἰτοῦμεν κατὰ τὸ ἐνταλὲν ἡμῖν, ἵνα καταξιώσητε δοῦναι παῤῥησίαν ἐπ' ἀδείας ἡμῖν γενέσθαι· ὅτι αὕτη ἡ ἀνάγκη παρασκευάζει τῷ ἄρχοντι τῆς χώρας κατ' ἐκείνου προσελθεῖν, κατὰ διατάξεις τῶν ἐνδοξοτάτων βασιλέων, ἵνα ὁ τῇ πρᾴῳ ὑπομνήσει τῆς ὑμετέρας ἁγιωσύνης πειθαρχῆσαι μὴ θελήσας, καὶ διορθώσασθαι τὸ ἀσυγχώρητον,* **αὐθεντίᾳ ἀρχοντικῇ παραχρῆμα κωλυθῇ,** *Petimus &c.* vt ſub litt. (d).

in-

insertus est. In quo etiam simile decretum [*f*] habemus contra presbyteros, qui nouos episcopatus in episcopi sui dioecesi, ipso non consentiente, erigere ausi fuerint. Priuandi dicuntur propriis locis, vt rebelles, *ἀρχοντικῇ δυναστείᾳ*, *per sæcularis magistratus potestatem.* Et alio in canone [*g*] mentio fit litterarum, ex concilio ad iudices *Africanos* dandarum, quibus rogentur, vt in hoc adiuuent communem matrem ecclesiam catholicam, contra *Donatistas*, in quo auctoritas episcopalis in ciuitatibus contemnatur. Hæc petitio pluribus explanatur in alio canone [*h*], quo certis episcopis negotium datur, vt tamquam legati nomine ecclesiæ *Arcadium* & *Honorium* imperatores adeant, apud eosque de *Donatistarum* violentia conquerantur, quod multas catholicorum ecclesias occupatas per vim teneant; aduersus quorum furorem se petere dicant præsidium; quum non insolitum nec a scripturis sanctis alienum sit, exemplo *Pauli* factiosorum conspirationem militari submouere auxilio. Simul etiam petant, vt illam legem, quæ a religiosæ memoriæ patre eorum *Theodosio* de auri libris decem in ordinatores vel ordinatos hæreticos promulgata sit, ita deinceps confirmari præcipiant, vt in eos valeat, contra quos propter eorum insidias catholici prouocati contestationem deposuerint. Lex ista, quam illi adlegant, adhuc in codice *Theodosiano* [*i*] exstat, ita habens: *In hæreticis erroribus, quoscumque constiterit vel ordinasse clericos, vel suscepisse officium clericorum, denis libris auri viritim*

(*f*) Cod. Afric. LIII. *τῶν ἰδίων τόπων ἀρχοντικῇ στερῆσαι ὡς ἀντάρτας, δυναστείᾳ.*

(*g*) Ibid. can. LXVII. *Ἤρεσε τοίνυν, ἵνα ἐκ τῆς ἡμετέρας συνόδου γράμματα πρὸς τοὺς τῆς Ἀφρικῆς ἄρχοντας δοθῶσιν, ἀφ' ὧν αἰτῆσαι ἁρμόδιον ἔδοξε, περὶ τοῦ βοηθῆσαι τῇ κοινῇ μητρὶ, τῇ καθολικῇ ἐκκλησίᾳ, ἐν οἷς ἡ τῶν ἐπισκόπων αὐθεντία ἐν ταῖς πόλεσι καταφρονεῖται.*

(*h*) Cod. Afric. XCIII. *κατὰ τῆς ἐκείνων μανίας δυνάμεθα συμμαχίας θείας τυχεῖν, οὐκ ἀήθους δὲ οὐδὲ ἀλλοτρίας ἀπὸ τῶν ἁγίων γραφῶν, ὁπότε Παῦλος ὁ ἀπόστολος, ὡς ταῖς ἀληθιναῖς πράξεσι τῶν ἀποστόλων δεδήλωται, τὴν σύμπνοιαν τῶν ἀτάκτων στρατιωτικῇ ἀπεκίνησε βοηθείᾳ --- ἅμα καὶ τοῦτο δεῖ αἰτῆσαι, ὥστε τὸν νόμον, τὸν ἐκτεθέντα παρὰ τοῦ τῆς εὐσεβοῦς μνήμης πατέρος αὐτῶν Θεοδοσίου, τὸν περὶ τῶν δέκα τοῦ χρυσίου λιτρῶν, τὸν κατὰ τῶν χειροτονούντων καὶ χειροτονουμένων αἱρετικῶν φυλάξωσιν, ἔτι μὴν καὶ κατὰ κτητόρων, τῶν παρ' οἷς ἡ ἐκείνων εὑρεθῇ συναγωγή· εἶθ' οὕτως βεβαιωθῆναι τὸν τοιοῦτον νόμον κελεύωσιν, ὡς ἰσχύειν κατὰ τούτων, ὧν διὰ τὰς ἐπιβουλὰς οἱ τῆς καθολικῆς προτραπέντες διαμαρτυρίαν ἀπέθεντο.*

(*i*) Cod. Theod. lib. XVI. tit. V. de hæreticis leg. XXI.

multandos esse censemus: Locum sane, in quo vetita temptantur, si conhibentia domi patuerit; fisci nostri viribus adgregari. Quod si id possessorem (quippe clanculum gestum) ignorasse constiterit, conductorem eius fundi, si ingenuus est, decem auri libras fisco nostro inferre praecipimus: si seruili faece descendens paupertate sui, poenam damni, ac vilitate contemnit, caesus fustibus deportatione damnabitur. Hæc erat celebratissima ista THEODOSII lex, quam generaliter in omnes hæreticos promulgauerat, toties memorata AVGVSTINO, quam ille & reliqui patres *Africani* ab *Honorio* confirmatam volebant, ita vt disertius contra *Donatistas* valere posset, maxime contra eos, qui clandestina vel aperta violentia catholicas ecclesias inuaderent. Non petebant, vt hæc pœna omnibus *Donatistis* promiscue infligeretur, sed illis tantum, qui immani furore acti multam vim atque violentiam catholicis inferrent, id quod circumcelliones faciebant & alii. *Honorius* autem pœnam in omnes extendebat, omnesque veteres leges *Theodosii* patris sui noua lege data confirmabat, in qua *Donatistæ* tamquam hæretici expressis verbis nominabantur. *Donatistæ* [k] *superstitionis hæreticos, quocumque loci, vel fatentes, vel conuictos, legis (Theodosianæ) tenore seruato, pœnam debitam absque dilatione persolvere decernimus.* Nemo huius legis rationes vel effectus melius intellexit quam AVGVSTINVS, adeoque ea haud melius quam, vt GOTHOFREDVS facit, ipsius verbis explanari potest. Hic igitur scribens ad *Bonifacium* comitem rei militaris hæc de ea habet: „Antequam [l] istæ leges, quibus ad conuiuium sanctum coguntur intrare, in *Africam* mitterentur, nonnullis fratribus videbatur, in quibus & ego eram, quamuis *Donatistarum* rabies vsquequaque sæuiret, non esse petendum ab imperatoribus, vt ipsam hæresin iuberent omnino non esse, pœnam constituendo eis, qui in illa esse voluissent; sed hoc potius constituerent, vt eorum furiosas violentias non paterentur, qui veritatem catholicam vel prædicarent loquendo, vel legerent constituendo. Quod non modo fieri aliquatenus posse arbitrabamur, si legem piissimæ memoriæ *Theodosii*, quam generaliter in omnes hæreticos promulgauit: Vt quisque eorum vel episcopus vel clericus, vbilibet esset inuentus, decem

(*k*) Cod. Theod. lib. XVI. tit. V. de hæreticis leg. XXXIX.
(*l*) Augustin. epist. L. ad Bonifac. p. 84. (p. 219. edit. Basil. MDLXIX.)

„libris auri multaretur, expreſſius in *Donatiſtas*, qui ſe nega-„bant hæreticos, ita confirmarent, vt non omnes ea mulcta „ferirentur, ſed in quorum regionibus aliquas violentias a cle-„ricis vel circumcellionibus vel populis eorum eccleſia catho-„lica pateretur, vt ſcilicet poſt proteſtationem catholicorum, „qui fuiſſent iſta perpeſſi, iam cura ordinum ad perſoluendam „mulctam epiſcopi ſiue miniſtri ceteri tenerentur. Ita enim „exiſtimabamus, eis territis & nihil facere audentibus, poſſe „libere doceri & teneri catholicam veritatem, vt ad eam co-„geretur nemo, ſed eam, qui ſine formidine vellet, ſequeretur, „ne falſos & ſimulatores catholicos haberemus. Et quamuis „aliis fratribus aliud videretur, vel ætate grauioribus, vel mul-„tarum ciuitatum & locorum exempla currentibus, vbi fir-„mam & veram catholicam videbamus, quæ tamen ibi talibus „beneficiis Dei conſtituta eſſet & firmata, dum per priorum „imperatorum leges ad communionem homines catholicam „venire cogerentur, obtinuimus tamen, vt illud potius, quod „dixi, ab imperatoribus peteretur, decretum eſt in concilio „noſtro, legati ad comitatum miſſi ſunt. Sed Dei maior mi-„ſericordia, qui ſciret, earum legum terror, & quædam medi-„cinalis moleſtia, quam multorum eſſet prauis vel frigidis ani-„mis neceſſaria, & illi duritiæ, quæ verbis emendari non pot-„eſt, ſed tamen aliquantula ſeueritate diſciplina poteſt, id egit, „vt legati noſtri, quod ſuſceperant, obtinere non poſſent. Iam „enim nos præuenerant ex aliis locis quædam epiſcoporum „querelæ grauiſſimæ, qui mala fuerant ab ipſis multa perpeſſi, „& a ſuis ſedibus exturbati: præcipue horrenda & incredibilis „cædes *Maximiani* epiſcopi catholici eccleſiæ *Vagienſis* effecit, „vt noſtra legatio iam quid ageret, non haberet. Iam enim „lex fuerat promulgata, vt tantæ immanitatis hæreſis *Donati-„ſtarum*, cui crudelius parci videbatur, quam ipſa ſæuiebat, non „tantum violenta eſſe, ſed omnino eſſe non ſineretur impune. „Non tamen ſupplicio capitali, propter ſeruandam etiam cir-„ca indignos manſuetudinem chriſtianam, ſed pecuniariis da-„mnis propoſitis, & in epiſcopos vel miniſtros eorum exilio „conſtituto„. Deinde expoſito, quam crudeliter & immani-ter *Maximianum* interfecerint *Donatiſtæ*, pergit: „Hinc factum „eſt, vt imperator religioſus & pius, perlatis in notitiam ſuam

„talibus cauſſis, mallet piiſſimis legibus illius impietatis erro-„rem omnino corrigere, & eos, qui contra Chriſtum Chriſti „ſigna portarent, ad vnitatem catholicam terrendo & coër-„cendo redigere, quam ſæuiendi tantummodo auferre licen-„tiam, & errandi ac pereundi relinquere„. Porro de mirificis harum legum effectis in hominum mentibus ſic ſcribit: „Quum ipſæ leges veniſſent in *Africam*, præcipue illi, qui quæ-„rebant occaſionem, aut ſæuitiam furentium metuebant, aut „ſuos verecundabantur offendere, ad eccleſiam continuo trans-„ierunt. Multi etiam, qui ſola illic a parentibus tradita con-„ſuetudine tenebantur, qualem vero cauſſam ipſa hæreſis ha-„beret, numquam quærere & conſiderare voluerant, mox vbi „cœperunt aduertere & nihil in ea dignum inuenire, propter „quod tanta damna paterentur, ſine vlla difficultate catholici „facti ſunt. Docuit enim eos ſollicitudo, quos negligentes „ſecuritas fecerat. Iſtorum autem omnium præcedentium au-„ctoritatem & perſuaſionem ſequuti ſunt multi, qui minus ido-„nei erant per ſe ipſos intelligere, quid diſtaret inter *Donatiſta-„rum* errorem & catholicam veritatem. Ita quum magna ag-„mina populorum vera mater in ſinum gaudens reciperet, re-„manſerunt turbæ duræ, & in illa peſte infelici animoſitate ſi-„ſtentes. Ex his quoque plurimi ſimulando communicaue-„runt, alii paucitate latuerunt. Sed illi, qui ſimulabant, paul-„latim adſueſcendo & prædicationem veritatis audiendo, ma-„xime poſt collationem & diſputationem, quæ inter nos & e-„piſcopos eorum apud *Carthaginem* fuit, ex magna parte corre-„cti ſunt„.

Haec ſunt, quæ AVGVSTINVS de huius legis cauſſis & effectis tradit, & quæ aliis in locis frequenter [*m*] memorat, ſtudioſe collecta a GOTHOFREDO, heic autem non recitanda.

(*m*) Auguſt. epiſt. LXVIII. ad Ianuar. cit. Gothofredo ad Cod. Theod. lib. XVI. tit. V. de hæreticis leg. XXXIX. p. 159. a. Criſpinus iudicatus hæreticus, nec pœna librarum auri, quæ in hæreticos ab imperatoribus fuerat conſtituta, per manſuetudinem catholicam fieri permiſſus eſt, & tamen ad imperatorem appellandum putauit. Cuius appellationi quod ita reſponſum eſt, nonne v ſtrorum præcedens improbitas & eadem ipſius appellatio extorſit, vt fieret: nec tamen etiam poſt ipſum reſcriptum intercedentibus apud imp. noſtris epiſcopis eadem auri condemnatione mulctatus eſt. Ex concilio autem noſtri epiſcopi legatos ad comitatum miſerunt, qui impetrarent; Vt

Hæc

Hæc duo duntaxat in vniuerſam hanc materiam obſeruabimus. 1.) Quod, licet nulla diſciplinæ eccleſiæ pars fuerit, cenſuras ſuas adhibita vi ad effectum adducere, ipſa tamen, ſi qua eſſet obſtinata & pertinax oppoſitio atque contemtus, non illicitum iudicarit, ab ſæculari poteſtate petere auxilium. 2.) Quod, ſi qua vis eccleſiæ vel vlli de eius miniſtris aut membris illata eſſet, maior adhuc ratio fuerit præſidium contra iſtiuſmodi violentiam quærendi. 3.) Quod generatim vtile & ſalutare eſſe creditum ſit, moderatas quaſdam pœnas temporales obſtinatis hæreticis, ſchiſmaticis aliiſque facinoroſis (retenta libertate indulgendi veniam, pœnamque remittendi, prout ſuaderet prudentia) infligere, vt hoc ipſo ad conſideranda & examinanda veritatis ac erroris fundamenta perducti & per pœnitentiam humiliati, in communionem eccleſiæ, ex qua exciderant, reſtituerentur.

non omnes epiſcopi & clerici partis veſtræ ad eamdem condemnationem decem librarum auri, quæ in omnes hæreticos conſtituta eſt, tenerentur, ſed hi ſoli, quorum in locis aliquas a veſtris violentias eccleſia catholica pateretur. Sed quum legati Romam venerunt iam cicatrices epiſcopi catholici Vagitani horrendæ ac recentiſſimæ imperatorem commouerant, vt leges tales mitterentur; quales & miſſæ ſunt. Idem epiſt. CLXVI. ad Donatiſtas. Et tamen quum Criſpinus propter hoc factum in proconſulari iudicio conuinceretur hæreticus, eiuſdem epiſcopi Poſſidii interceſſu decem libras auri non eſt exactus. Cuius beneuolentiæ & manſuetudini ingratus, ad imperatores catholicos auſus eſt appellare. Vnde hanc in vos iram Dei, de qua murmuratis, multo importunius & vehementius prouocauit. Idem libro III. contra Creſconium cap. XLVII. Criſpinus epiſcopus veſter exhibitus eſt, quod ſe eſſe proconſuli quærenti negauerat, facillime conuictus hæreticus, decem tamen libras auri, quam mulctam in omnes hæreticos imperator maior Theodoſius conſtituerat, intercedente Poſſidio, non eſt compulſus exſoluere. Qua mitiſſima ſententia non contentus, neſcio quo conſilio, quod diſplicuiſſe ceteris omnibus dicebatur, ad eiuſdem Theodoſii filios prouocandum putauit. Acceptum eſt reſcriptum quid aliud, niſi quod pars Donati iam ſciret, ſe ad illam pœnam aurariam cum ceteris hereticis pertinere &c. Idem contra litteras Petiliani lib. VII. cap. LXXXIII. Ipſa catholica eccleſia ſolidata principibus catholicis imperatoribus terra marique armatis turbis ab Optato atrociter & hoſtiliter oppugnata eſt. Quæ res coëgit tunc primo adductis vos allegari apud vicarium Seranum legem illam de decem libris auri, quas veſtrum nullus adhuc pendit & nos crudelitatis arguitis. Idem epiſt. ad Criſpinum ipſum CLXXIII. Nam poſſumus agere, vt decem libras auri ſecundum imperatoria iuſſa perſolueres. An forte propterea non habes, vnde reddas, quod dare iuſſi ſunt rebaptizatores, dum mulctam erogas, vt emas, quos rebaptizes.

§. IV.

Hoc auxilium numquam eo consilio petitum, vt quis propter nudum errorem vita priuaretur.

Ita autem considerandum quoque est, ecclesiam nullum vmquam magistratum incitasse, vt quidquam amplius pro se in simpliciter errantes, aut crimine quodam ecclesiastico adstrictos, statueret, quam vt sontes pecunia multaret, vel pœna infra mortem, bonorum videlicet proscriptione vel exilio adficeret, nisi esset res capitalis & ciuilis, quæ ad ciuilis magistratus pertineret cognitionem, veluti crimen læsæ maiestatis siue rebellio, cui pœna mortis in legibus imperialibus constituta erat. Sunt quidem nonnullæ leges in codice *Theodosiano*, quæ hæreticos supplicio adfici iubent. *Theodosius* [n] legem promulgabat contra quosdam *Manichæos*, qui *Encratitæ*, *Saccofori* & *Hydroparastatæ* cognominabantur, eosque summo supplicio adfligi iubebat, eodem tempore, quum in *Solitarios*, aliam *Manichæorum* sectam, bonorum tantum proscriptionem decerneret. Eamdem legem [o] contra eos renouauit HONORIVS. Et in duabus aliis legibus *Donatistas* [p] in *Africa* pœna proscriptionis & sanguinis plectendos esse statuit, si publica conuenticula in fidei catholicæ fraudem agitent, edicto, quo ipsis rituum suorum exercendorum conueniendique seu coëundi publice potestatem antea fecerat, penitus abrogato. Verum vt hæ leges rarissimæ sunt, ita potissimum factæ esse videntur, atrocibus eorum facinoribus prouocantibus, talibus videlicet, qualium rei erant *Manichæi*; vel ad reprimendam immanem & fœdam eorum crudelitatem, cuius *Circumcelliones* inter *Donatistas* vbique ar-

(n) Cod. Theodos. lib. XVI. tit. V. de hæreticis leg. IX. Quos Encratitas prodigiali appellatione cognominant, cum Saccoforis, siue Hydroparastatis -- summo supplicio & inexpiabili pœna iubemus adfligi.

(o) Cod. Theod. lib. XVI. tit. V. de hæretic. leg. XXXV. Noxios Manichæos, execrabilesque eorum conuentus, dudum iusta animaduersione damnatos, etiam speciali præceptione cohiberi decernimus. Quapropter quæsiti adducantur in publicum, ac detestati criminosi congrua & seuerissima emendatione resecentur.

(p) Cod. Theod. ibid. leg. II. Oraculo penitus remoto, quo ad ritus suos hæreticæ superstitiones obrepserant, sciant omnes sanctæ legis inimici, plectendos se pœna & proscriptionis & sanguinis, si vltra conuenire in publicum, execranda sceleris sui temeritate, temptauerint. Confer his leg. LVI.

gue-

guebantur. Accedit, quod hasce leges contra eos executioni mandare, rarum esset & insolens. Nam vix vllum ante *Priscillianum* exemplum inuenias hæretici, propter meram opinionem suam adfecti supplicio. SOZOMENVS de hac *Theodosii* lege loquens, illam non tam ad puniendos quam ad terrendos [q] hæreticos spectasse, adfirmat. Et CHRYSOSTOMVS eadem ætate suam libere dicit sententiam, *Dominus*, inquiens [r], *prohibet colligere zizania, ne simul forte cum zizaniis herbam etiam tritici euellant: quod dicebat, vt bella & effusionem sanguinis prohiberet. Nam si trucidarentur hæretici, atrox & irreconciliabile bellum orbi inferretur. --- Non prohibet conciliabula hæreticorum dissipare, ora obstruere, libertatem loquendi concidere, verum interficere atque trucidare.* AVGVSTINO de hac THEODOSII lege nihil videtur innotuisse; & leges *Honorii* nondum rogatæ erant contra *Donatistas*, quum contra eos scriberet. Hinc frequenter scribens magistratibus *Africanis*, legem non dare dicit eis potestatem *Donatistam* aliquem interficiendi. Ita in epistola ad *Dulcitium* [s] tribunum, *Non tu in eos*, inquit, *ius gladii vllis legibus accepisti, aut imperialibus constitutis, quorum tibi iniuncta est executio, hoc præceptum est, vt necentur.* Ita *Petiliano Donatistarum* episcopo, narrat, Deum, quum regis cor sit in manu eius, ita rem pro prouidentia sua direxisse, vt licet imperator multas leges ad commonendos & corripiendos eos [t] constituerit, nulla tamen lex regia eos iusserit occidi. Iudices quidem potestatem habebant mortis pœna adficiendi nocentes, vt homicidas & id genus malefactores alios; atque

(q) Sozom. lib. VII. c. XII χαλεπὰς τοῖς νόμοις ἐπέγραφε τιμωρίας· ἀλλ᾽ οὐκ ἐπεξῄει· οὐ γὰρ τιμωρεῖσθαι, ἀλλ᾽ εἰς δέος καθιστᾷν τοὺς ὑπηκόους ἐσπούδαζεν, *Graues quidem pœnas legibus suis adscripsit: haudquaquam tamen executioni mandauit. Neque enim punire subditos, sed terrere tantummodo studebat.*

(r) Chrysostom. homil. XLVII. in Matth. p. 422. (pag. 514. edit. Francof.) τί οὖν δεσπότης κωλύει, λέγων· μή ποτε ἐκριζώσητε ἅμα αὐτοῖς τὸν σῖτον; τοῦτο δὲ ἔλεγε, κωλύων πολέμους γίνεσθαι καὶ αἵματα καὶ σφαγάς· οὐ γὰρ δεῖ ἀναιρεῖν αἱρετικόν· ἐπεὶ ὁ πόλεμος ἄσπονδος εἰς τὴν οἰκουμένην ἔμελλεν εἰσάγεσθαι· --- οὐ τοίνυν κατασχεῖν αἱρετικοὺς καὶ ἐπιστομίζειν, καὶ ἐκκόπτειν αὐτῶν τὴν παῤῥησίαν, καὶ τὰς συνόδους, καὶ τὰς σπονδὰς διαλύειν κωλύει· ἀλλ᾽ ἀναιρεῖν καὶ κατασφάττειν.

(s) Aug. epist. LXI. ad Dulcitium.

(t) Aug. contr. litteras Petiliani lib. II. c. LXXXVI. Si occisori fratris Deus noluit inferri mortem, sed relinqui carnifici vitam: vide, ne forte hoc sit, vnde multas ad vos commouendos & corripiendos leges ipse constituit; nulla tamen lex regia vos iussit occidi &c.

ita

ita fortassis de *Donatistis* aliqui morte multati fuerunt; id autem non propter nudam eorum opinionem factum est. Immo hoc ipso in casu, si caussa esset ecclesiastica, episcopi catholici plerumque pro eis deprecabantur, vt mortes martyrum suorum ne vindicarentur sanguine. AVGVSTINVS [u] enim *Nullis*, inquit, *bonis in catholica* (ecclesia) *hoc placet*, *si vsque ad mortem in quemquam*, *licet hæreticum*, *sæuiatur.* Quocirca datis ad *Donatum* quemdam, proconsulem *Africæ*, litteris sic ei scribit [x]: „Ex „occasione terribilium iudicum ac legum, ne in æterni iudicii „pœnas incidant, corrigi eos cupimus, non necari, nec disci„plinam circa eos negligi volumus, nec suppliciis, quibus di„gni sunt, exerceri. Sic igitur eorum peccata compesce, vt „sint, quos pœniteat peccasse. Quæsumus igitur, vt quum „ecclesiæ caussas audis, quamlibet nefariis iniuriis appetitam „vel adflictam esse cognoueris, potestatem occidendi te habe„re obliuiscaris, & petitionem nostram non obliuiscaris. Non „tibi vile sit neque contemtibile, fili honorabiliter dilectissi„me, quod vos rogamus, ne occidantur, pro quibus domi„num rogamus, vt corrigantur, excepto etiam, quod a perpe„tuo proposito recedere non debemus vincendi in bono ma„lum. Illud quoque prudentia tua cogitet, quod caussas ec„clesiasticas insinuare vobis nemo præter ecclesiasticos curat. „Proinde si occidendos in his sceleribus homines putaueritis, „deterrebitis nos, ne per operam nostram ad vestrum iudici„um aliquid tale perueniat: quo comperto illi in nostram per„niciem licentiore audacia grassabuntur, necessitate nobis im„pacta & indicta, vt etiam occidi ab eis eligamus, quam eos „occidendos vestris iudiciis ingeramus„. In eumdem modum in alia epistola ad *Marcellinum* [y] tribunum argumentatur in gratiam quorumdam *Donatistarum*, qui cædis aliquorum clericorum catholicorum reos se confessi erant: „Pœna sane illorum, „quamuis de tantis sceleribus confessorum, rogo te, vt præter „supplicium mortis sit, & propter conscientiam nostram, & „propter catholicam mansuetudinem commendandam„. Paullo post etiam atque etiam eum rogat, vt apud proconsulem

(u) Aug. contr. Gaudent. lib. II. c. L.
(x) Aug. epist. CXXVII. ad Donat.
(y) Aug. epist. CLVIII. ad Marcellin. (p. 718. edit. Basil.)

verbis

verbis ſuis pro iis deprecetur [a]. „Soleo audire, in poteſtate „eſſe iudicis mollire ſententiam, & mitius vindicare, quam iubeant leges. Si autem nec litteris meis ad hoc conſenſerit, „hoc ſaltem præſtet, vt in cuſtodiam recipiantur, atque hoc „de clementia imperatoris impetrare curabimus, ne paſſiones „ſeruorum Dei, quæ debent eſſe in eccleſia glorioſæ, inimico-„rum ſanguine dehoneſtentur„. Idem argumentum in proxime ſequenti epiſtola ad hunc *Marcellinum* fortius vrget, per omnia ei adiurans ſacra, vt ne extrema ſeueritate in quoſdam *Circumcelliones* & clericos *Donatiſtas*, de cæde duorum presbyterorum *Hipponenſium* atque de oculo vnius effoſſo & de digito alterius præciſo conuictos confeſſoſque, animaduertat. „Mihi „ſollicitudo [b] maxima incuſſa eſt, (inquit,) ne forte ſublimitas „tua cenſeat eos tanta legum ſeueritate plectendos, vt qualia „fecerunt, talia patiantur. Ideoque his litteris obteſtor fidem „tuam, quam habes in *CHRISTO*, per ipſius domini *CHRISTI* „miſericordiam, vt hoc ne facias, nec fieri omnino permittas. „Quamuis enim ab eorum interitu diſſimulare poſſemus, qui „non accuſantibus noſtris, ſed illorum notoria, ad quos tuendæ pacis vigilantia pertinebat, præſentari videantur examini; „nolumus tamen paſſiones ſeruorum Dei, quaſi vice talionis, „paribus ſuppliciis vindicari. Non quod ſceleſtis hominibus „licentiam facinorum prohibeamus auferri, ſed hoc magis ſufficere volumus, vt viui & nulla corporis parte truncati, vel „ab inquietudine veſana ad ſanitatis otium legum coërcitione „dirigantur, vel a malignis operibus alieni vtili operi deputen-„tur„. Adhuc vehementius eamdem materiam rurſus vrget in epiſtola ad *Apringium*, alium iudicem *Africanum* [c], verbis adfectu pleniſſimis eum rogans, vt *Circumcelliones* mitius puniat. „Quum comperiſſem, illos fuiſſe confeſſos (cædem illorum „duorum presbyterorum) ideoque minime dubitarem, ſub iura tuæ ſecuris eſſe venturos, has ad tuam nobilitatem litteras „acceleraui, quibus deprecor, & per miſericordiam *CHRISTI* „obſecro, ſic detur maiore atque certiore felicitate gaudea-„mus, vt eis paria non retribuantur, quamquam lapidis ictibus

(a) Auguſt. epiſt. CLVIII. ad Marcellin. (p. 719. edit. Baſil.)
(b) Auguſt. epiſt. CLIX. ad Marcellin.
(c) Auguſtin. epiſt. CLX. ad Apringium.

„digitum præcidere oculumque conuellere leges puniendo „non poſſunt, quod iſti ſæuiendo potuerunt. Vnde ſecurus „ſum de iis, qui hoc ſe feciſſe confeſſi ſunt, quod hanc viciſſi„tudinem non reportabunt: ſed ne vel ipſi, vel illi, quorum „homicidium patefactum eſt, per tuæ poteſtatis ſententiam mul„ctentur, hoc timeo; hoc ne fiat, & chriſtianus iudicem rogo, „& chriſtianum epiſcopus moneo. De vobis quidem dixiſſe „apoſtolum legimus, quod non ſine cauſſa gladium geratis, & „miniſtri Dei ſitis, vindices in eos, qui male agunt. Sed alia „cauſſa eſt prouinciæ, alia eſt eccleſiæ. Illius terribiliter ge„renda eſt adminiſtratio, huius clementer commendanda eſt „manſuetudo. Si apud iudicem non chriſtianum mihi ſermo „eſſet, aliter agerem: nec tamen etiam ſic eccleſiæ cauſſam „deſererem, & quantum admittere dignaretur, inſtarem, ne „paſſiones ſeruorum Dei catholicorum, qui prodeſſe debent „ad exempla patientiæ, inimicorum ſuorum ſanguine fœdaren„tur, & ſi nollet acquieſcere, inimico animo eum reſiſtere ſu„ſpicarer. Nunc vero, quando apud te res agitur, alia mihi „ratio eſt, alia conſultatio. Rectorem te quidem præcelſæ „poteſtatis videmus, ſed etiam filium chriſtianæ pietatis agno„ſcimus. Subdatur ſublimitas tua, ſubdatur fides tua, cauſſam „tecum tracto communem: ſed tu in ea potes, quod ego non „poſſum. Confer nobiſcum conſilium & porrige auxilium. „Diligenter actum eſt, vt inimici eccleſiæ, qui ſolent vanilo„quio ſeditionis ſollicitare animos imperitos, tamquam de per„ſecutione gloriantes, quam ſe perpeti iactant, horrenda fa„cinora ſua in catholicos clericos perpetrata faterentur, & ſuis „verbis implicarentur. Legenda ſunt geſta ad ſeruandos ani„mos, quos peſtifera ſuaſione venenauerunt. Numquid placet „tibi, vt ad finem geſtorum, ſi cruentum iſtorum ſupplicium „continebunt, legendo peruenire timeamus, vbi ponimus & „ipſam conſcientiam, ne malum pro malo, qui paſſi ſunt, red„didiſſe videantur? Si ergo nihil aliud conſtitueretur frenan„dæ malitiæ perditorum, extrema fortaſſe neceſſitas, vt tales „occiderentur, vrgeret: quamquam, quod ad nos attinet, ſi „nihil mitius eis fieri poſſet, mallemus eos liberos relaxari, „quam paſſiones fratrum noſtrorum fuſo eorum ſanguine vin„dicari. Nunc vero, quoniam aliquid fieri poteſt, quo & mi-

tis

„tis commendetur ecclesia, & immitium cohibeatur audacia, „cur non flectas in partem prouidentiorem lenioremque sen- „tentiam, quod licet iudicibus facere, etiam non in caussis ec- „clesiæ? Time ergo nobiscum iudicium Dei patris & commen- „da mansuetudinem matris. Quum enim tu facis, ecclesia fa- „cit, propter quam facis. Contende ergo bonitate cum ma- „lis. Illi scelere immani membra de corpore viuo auulserunt, „tu opere misericordi effice, vt illa, quæ nefandis operibus ex- „ercebant, alicui vtili operi integra eorum membra deserui- „ant. Illi non pepercerunt correctionem sibi prædicantibus „Dei seruis: tu parce comprehensis, parce ductis, parce con- „victis. Illi impio ferro fuderunt sanguinem christianum: tu „ab eorum sanguine etiam iuridicum gladium cohibe pro- „pter *CHRISTVM*. Illi ministro ecclesiæ occiso extorserunt „spatium viuendi, tu inimicis ecclesiæ viuentibus relaxa spati- „um pœnitendi. Talem te oportet esse in caussa ecclesiæ iu- „dicem christianum, petentibus, monentibus, intercedentibus „nobis. Solent homines, quando cum inimicis eorum con- „victis lentius agitur, a mitiore sententia prouocare. Sed i- „nimicos nostros ita diligimus, vt, nisi de tua christiana obedi- „entia præsumamus, a tua seuera sententia prouocemus„.

Hoc modo AVGVSTINVS clementiam in *Donatistas* adhi- beri cupit, vt ne supplicio mortis adficiantur in caussa eccle- siæ, vt vt sit crimen capitale, quod in caussa ciuili sine vlla du- bitatione morte foret plectendum. Et sane quos ita mirifice adficiebat inimicorum suorum conditio, quum tam nefaria cri- mina tamque horrendam violentiam aduersus ecclesiam com- misissent, illis numquam in mentem venire potuit, propter mere erroneam opinionem capite eos damnare licere. Quo- circa quamquam *Honorius* quasdam istiusmodi leges condidit, posteaquam hæc omnia scripsit AVGVSTINVS; tamen eccleſi- am eas approbasse, vel executioni mandatas cupiisse, nusquam inuenimus. Sed hæc e contrario in sua firmiter stetit senten- tia, quam antea ex verbis AVGVSTINI percepimus, Nullum videlicet bonum virum in ecclesia catholica supplicio hæreti- cis illato delectari. Leniores pœnas vsum suum habere posse credebant, vt ad rerum suarum considerationem & resipiscenti- am adducerentur; vitæ autem huius vsuram eis eripere nihil aliud

 esse,

esse, quam omnia media & opportunitatem resipiscendi eis vna auferre. Accedit, quod inuidiosum erat ecclesiæ, & hæresin potius confirmabat. Nam qui occisi erant, ab eorum factione semper martyres habebantur. Ita *Donatistæ Circumcelliones* suos honorabant, qui occisi erant in conflictu cum *Macario*, quem *Constantius* imperator pacifico consilio miserat in *Africam*, vt dona sua inter ipsos distribueret eosque humanitate sua ad vnitatem reducere adlaboraret. Quem illi adgressi, vt se aduersus eorum impetum tueretur, cogebant præfecti postulare auxilium, & nihilo minus tamen eos, qui in ista tam necessaria defensione occisi fuerant, in martyribus habebant, & ecclesiam catholicam ex contumelia cognominabant *Macarianam*, & *Macariana* tempora tamquam crudelia & odiosa obiiciebant. Cui criminationi responsurus OPTATVS, necesse habebat dicere, 1.) Rem aliter se habere; nullam illis vim illatam; nullum fuisse initio terrorem; neminem vidisse virgam; neminem custodiam; sola fuisse hortamenta [*d*] ad pacem. Et 2.) si qua illis violentia adhibita sit, eam ipsos in se prouocasse sua insolentia, cogendo imperatoris ministrum se defendere

(*d*) Optat. lib. III. p. 62. (p. 59. 60. edit. Paris. MDCLXXIX.) Ab operariis (h. e. administris) vnitatis multa quidem aspere gesta sunt, sed ea ad quid imputatis Lentio, Macario, vel Taurino? imputate maioribus vestris: qui (sicut in prophetia scriptum est) vt vobis stupescerent dentes, ipsi vuas acidas comederunt. Illis primo, qui populum Dei diuiserunt, & basilicas fecerunt non necessarias. Deinde Donato Carthaginis, qui prouocauit, vt vnitas proximo tempore fieri tentaretur. Tertio Donato Bagaiensi, qui insanam collegerat multitudinem, a qua ne Macarius violentiam pateretur, qui ad se, & ad ea, quæ ferebat tutanda, armati militis postulauit auxilium. Venerunt tunc cum pharetris armigeri, repleta est vnaquæque ciuitas vociferantium: nuntiata vnitate, fugistis omnes. Nulli dictum est, nega Deum. Nulli dictum est, incende testamentum. Nulli dictum est, aut tus pone, aut basilicas dirue. Istæ enim res solent martyria generare. Renuntiata est vnitas, sola fuerant hortamenta, vt Deus & Christus eius a populo, in vnum conueniente, pariter rogaretur. Nullus erat primitus terror. Nemo viderat virgam: nemo custodiam: sola fuerant hortamenta. Timuistis omnes, fugistis, trepidastis: vt pro certo de vobis dictum sit, quod in psalmo scriptum est, *Trepidauerunt, vbi non erat timor.* Fugerunt igitur omnes episcopi cum clericis suis, aliqui sunt mortui. Qui fortiores fuerunt, capti longe relegati sunt. Et tamen horum omnium nihil actum est cum voto nostro: nihil cum consilio, nihil cum conscientia, nihil cum opere. Sed gesta sunt omnia in dolore Dei, amare plorantis &c.

ad-

aduerſus hoſtilem *Circumcellionum* impetum. Interea quæcumque acciderint, eorum nihil actum eſſe cum voto eccleſiæ, nihil cum conſilio, nihil cum conſcientia, nihil cum opere. Simile exemplum in *Priſcillianiſtarum* accidit cauſſa. *Priſcillianus* & nonnulli de hæreſis eius ſociis a *Maximo* imperatore, *Ithacio* quidem immoderato & ſanguinario epiſcopo inſtigante, capitis damnabantur. Hæc res ſectatoribus *Priſcilliani* occaſionem dedit in doctoris ſui morte triumphandi. Nam, vti SVLPICIVS SEVERVS [*e*] obſeruat, *Priſcilliano occiſo, non ſolum non repreſſa eſt hæreſis, quæ illo auctore proruperat, ſed confirmata latius propagata eſt. Namque ſectatores eius, qui eum prius vt ſanctum honorauerant, poſtea vt martyrem colere cœperunt.* Hæc res ſummopere omnibus bonis diſplicebat viris, qui alioquin cum *Ithacio* faciebant. *Martinus* epiſcopus *Turonenſis* non tantum increpabat *Ithacium* [*f*], vt ab accuſatione deſiſteret, ſed *Maximum* etiam rogabat, vt ſanguine eorum abſtineret, ſatis ſuperque eſſe adſerens, vt epiſcopali ſententia hæretici iudicati eccleſiis pellerentur: A *Maximo* etiam obtinebat ſponſionem, nihil cruentum in reos conſtituendum. A qua ſententia quum aliorum perſuaſione depulſus capitis eos damnaſſet, *Martinus* epiſcopus numquam poſthac induci ſe patiebatur, vt cum ſanguinariorum iſtorum hominum communione miſceretur, niſi in leui quadam re, cuius deinde facti pœnitens per omnem reliquam vitam ab eorum conventibus ſe remouebat, vti idem hiſtoricus [*g*] memoriæ prodidit. Iam vero ex his omnibus planum eſt, quod, quamcumque opem antiqua eccleſia a magiſtratibus ciuilibus, ad diſciplinam ſuam aduerſus hæreticos alioſue ſontes tuendam, petierit, numquam eos ad gladium in cauſſa ſua diſtringendum vel ſupplicium de quopiam ſumendum incitarit; ſed ſemper mortem eorum deprecata ſit, vt otium haberent reſipiſcendi, ſi quæ leges ſanguinariæ (quæ rariſſimæ erant & nulla ratione ab eccleſia procuratæ vel approbatæ) contra illos latæ eſſent. Ignis, rogi, inquiſitionum & ſexcentorum aliorum cruciatuum diſciplina, quæ obtentu miſericordiæ tot chriſtianorum hominum ſanguine terram fœdauit, poſteriorum ætatum & perdi-

(*e*) Seuer. hiſtor. lib. II. p. 120. (p. 290. edit. Lipſ. MDCCIII.)

(*f*) Ibid. p. 119. (p. 287. edit. cit.)

(*g*) Seuer. dialog. III. n. XV. (c. XIII. tot. p. 483. 484.)

tiſſimorum ac profligatiſſimorum temporum inuentio eſt, vbi homines ſpiritum chriſtianiſmi & ſeruatoris ac domini noſtri Ieſu Chriſti characterem obliti fuerunt, qui *venit non ad deſtruendam hominum vitam, ſed ad eos ſeruandos*

§. V.

Diſciplinam eccleſiæ neminem naturalibus ſuis vel ciuilibus iuribus, multo minus magiſtratum poteſtate ſua & debita ei fidelitate priuaſſe.

NVLLA antiquæ diſciplinæ pars erat, homines naturalibus ſuis vel ciuilibus priuare iuribus. Herus non perdebat, quam ab natura acceperat, auctoritatem in famulos, nec pater in liberos, quum chriſtianæ communionis perderet priuilegia. Iudex non amittebat munus ſuum in republica, quum eccleſia pelleretur. Iſtiuſmodi enim multi poteſtate ſua & iuriſdictione ſub *Conſtantio* aliiſque hæreticis principibus, non obſtantibus cenſuris eccleſiæ, fruebantur. At vero hodie ſecundum communem *Romanenſis* eccleſiæ doctrinam, prout eam FRANCISCVS TOLETVS [*h*], aulæ pontificiæ purpuratus, in libro *de inſtructione ſacerdotum* exhibet, *Excommunicatus non poteſt exercere actum iuriſdictionis abſque peccatis: Immo ſi publica eſt excommunicatio facta, ſententiæ nullæ ſunt.* Hæc regula aduerſus ſupremas poteſtates facta eſt ad debilitandas ſummorum imperantium manus, miniſtris eorum ſub obtentu excommunicationis loco ſuo deiectis. Eccleſia autem *Romanenſis* vlterius progreditur, pontifici ſuo maximo concedens poteſtatem execrationem obteſtationemque in principes componendi, & huius rei vi & auctoritate de ſede eos regia deturbandi, ſubiectos debita iſtis fidelitate & obedientia ſoluendi, regnaque de aliis ad alios, quibus conſultum duxerit, transferendi. Cuius praxis ne minimum quidem veſtigium in primitiuæ eccleſiæ diſciplina per multa ſæcula conſpicitur, & vix vllum indubitatum iſtiuſmodi auſus exemplum ante ætatem *Hildebrandi* ſeu *Gregorii ſeptimi* (a quo hæc doctrina *Hildebrandina* vocatur) inuenitur, quemadmodum vnus de domeſticis ipſorum ſcriptoribus ingenue fatetur. *Lego & relego*, (inquit OTHO FRISINGENSIS [*i*] nobilis epiſcopus *Germanus*)

(*h*) Tolet. de inſtruct. ſacerdot. lib. I. c. III. Vid. Du Moulin'*s Buckler of Faith* p. 370. Et decret. Gregor. lib. II. tit. XXVII. de ſentent. & re iudic. c. XXIV.

(*i*) Otho Friſing. lib. VI. c. XXXV.

Roma-

Romanorum regum & imperatorum gesta, & nusquam inuenio quemquam eorum ante hunc a Romano pontifice excommunicatum, vel regno priuatum, nisi quis forte pro anathemate habendum ducat, quod Philippus ad breue tempus a Romano episcopo inter pœnitentes collocatus; & Theodosius a beato Ambrosio propter cruentam cædem a liminibus ecclesiæ sequestratus sit. Non est dubium, quin antiquis temporibus nonnumquam communio negata sit principibus, vti *Theodosio* factum ab *Ambrosio*: Verum vt hoc ipso non subiiciebantur maiori excommunicationi, ita multo minus legitima sua potestate ac dominio priuabantur. *Constantius* hæreticus, & *Iulianus* apostata, *Valens* & *Valentinianus* iunior manifesti *Ariani*, *Anastasius* & plures alii diuersarum hæresium fautores & propugnatores erant: ecclesia tamen numquam eos fidelitate, ipsis a ciuibus suis debita, priuandi vel imperium eis abrogandi sibi arrogavit potestatem. Neque id ideo non fecit, quod deessent vires temporales christianis, vti BELLARMINVS & alii dictitant, sed quia deerat iusta auctoritas. Ecclesia enim hisce temporibus tam directam quam indirectam potestatem, quam pontifex *Romanus* vel alius quicumque episcopus in temporalia principum iura habere venditatur, penitus ignorabat, obedientiam autem eis deberi profitebatur, siue pagani siue hæretici; siue in ecclesia siue extra ecclesiam; siue persecutores siue amici essent: Quomodo lector, cui lubet, in diligenter elaborato IOANNIS BVCKRIGII, eruditi episcopi *Roffensis*, libro, quem in defensionem BARCLAII contra BELLARMINVM [*k*] de potestate papæ in rebus temporalibus & male vsurpato iure deturbandi solio principes euulgauit, fusius demonstratum videre potest. In quo inter multa alia firmissima argumenta ante memoratam OTHONIS FRISINGENSIS obseruationem, quod *Hildebrandus* omnium primus fuerit, qui hanc prauam doctrinam contra *Henricum IV.* imperatorem deduxerit in praxin, communi viginti fere scriptorum ecclesiæ *Romanensis* testimonio confirmat. Non persequemur hanc materiam hoc loco pluribus, quia diximus, quantum satis est ad confirmandam hanc obseruationem de disciplina ecclesiæ, Quod neminem omnium mortalium natu-

(*k*) Ioan. Roffens. de potestate papæ in rebus temporalibus &c. Lond. MDCXIV. lib. II. c. X.

rali-

ralibus ac ciuilibus iuribus ſuis priuarit, multo minus auctoritatem dederit principes exuendi imperiis, vel ſubiectos debita illis fide & obedientia ſoluendi, vel de eorum regnis quidquam ſtatuendi, ideo quidem, quod ſpiritualis gladius temporali potior ſit.

§. VI.

Sed conſtitiſſe 1. In admonitione offenſoris.

ENIMVERO diſciplina eccleſiæ, quum eſſet mere ſpiritualis poteſtas, ſequentibus hiſce actibus terminabatur. Primum quidem, Admonitione offenſoris: Quæ ſolemniter bis vel ter ſeparatis temporibus repeti ſolebat, antequam maior in eum ſeueritas adhiberetur, ſecundum illud apoſtoli: *Hæreticum hominem poſt vnam & alteram admonitionem repelle.* Tit. III, 10. AMBROSIVS [l] in hunc modum eorum agendi rationem repræſentat: *Cum dolore amputatur etiam, quæ putruit pars corporis, & diu tractatur, ſi poteſt ſanari medicamentis: ſi non poteſt, tunc a medico abſcinditur. Sic epiſcopi adſectus boni eſt, vt, oportet ſanare infirmos, ſerpentia auferre vlcera, adurere aliqua, non abſcindere. Poſtremo quod ſanari non poteſt, cum dolore abſcindere.* Ita PROSPER [m] ait: *Qui diu portati & ſalubriter obiurgati, corrigi noluerint, tamquam putres corporis partes debent ferro excommunicationis abſcindi.*

ATQVE ita SYNESIVS ſuam agendi rationem contra *Andronicum*, crudelem & tyrannicum *Ptolemaidis* præfectum, qui poteſtate ſua ad vexandum & opprimendum populum abutebatur, repræſentat. Primum quidem admonendo & dehortando a crudelitate ſua [n] auocare eum conabatur. Quum vero nihil proficeret & fruſtra inſumeret operam, hominiſque furor magis magiſque inflammaretur & inemendabilis fieret, adeo vt ſceleſtiſſima vtens voce diceret, fruſtra ſpem aliquam in eccleſia collocari, neque quemquam ex *Andronici* manibus ereptum iri, non ſi pedem ipſum Chriſti manibus amplecteretur: SYNESIVS [o] nihil eſſe dicebat, quod amplius moneret hominem,

(l) Ambroſ. de offic. lib. II. c. XXVII.

(m) Proſper. de vit. contemplat. lib. II. c. VII.

(n) Syneſ. epiſt. LVII. fere tot.

(o) Syneſ. epiſt. LVIII. (p. 202. edit. Pariſ. MDCXXXIII.) *οὐκέτι νουθετέος ὁ ἄνθρωπος, ἀλλ', ὥσπερ μέλος ἀνιάτως ἔχον, ἀποκοπτέος ἡμῶν, ἵνα μὴ τῇ κοινωνίᾳ καὶ τὸ ὑγιαῖνον συμφθείρηται.*

sed

ſed velut membrum inſanabile ab eccleſia eſſe ſegregandum, ne illius contagione, quod ſincerum eſſet, corrumperetur. Atque ita anathemate eum ſolemniter feriebat, qua de re mox plura.

§. VII.

2. In temporaria communionis interdictione, quam minorem excommunicationem vocitarint.

NONNVLLI hoc vocant *προθεσμίαν*, *admonitionem*, ſiue tempus [p] ad reſipiſcendum datum, quod nonnumquam decem dierum interuallo erat circumſcriptum [q]: quo præterlapſo ſi in obſtinatione mentis & contumacia perſeuerarent, eccleſia maiorem adhibebat ſeueritatem, vt communione eos deiiceret per minorem maioremue excommunicationem. Minor excommunicatio vocabatur *ἀφορισμὸς*, *ſeparatio*, conſiſtebatque in excluſione hominum a participatione euchariſtiæ & precum fidelium; ex eccleſia autem eos non eiiciebat. Con-

(p) Habert. archierat. p. 739. ex epiſt. Ioan. Antioch. ad Neſtorium Tempus illud *προθεσμία* dicitur. Conquerebatur Neſtorius, anguſtum eſſe ad deliberandum tempus, at Ioannes Antiochenus epiſtola ad Neſtorium apposite reponit, *καὶ γὰρ εἰ* **προθεσμίαν** *ϛενωτάτην τοῖς γράμμασιν ἐνέθηκε ὁ κύριός μου, ὁ θεοφιλέϛατος Κελεϛῖνος ὁ ἐπίσκοπος δέκα μόναις ἡμέραις περιορίσας τὴν ἀπόκρισιν· ἀλλ᾿ ἔξεϛιν ἔργον αὐτὸ ποιῆσαι καὶ ἡμέρας μόνης μιᾶς, τάχα δὲ καὶ ὡρῶν ὀλίγων.* *Enimuero licet dominus meus Celeſtinus, Deo dilectiſſimus epiſcopus, decem tantum dierum interuallum reſponſioni præfixerit valde anguſtum: tamen res eiuſmodi eſt, vt non dico decem diebus, ſed vno die, immo vero paucis horis tota confici poſſe videatur.*

(q) Celeſtin. ep. ad Neſtor. (tom. III. concil. p. 362.) *Φανερῶς τοίνυν ἴσθι, ταύτην ἡμῶν εἶναι τὴν ἀπόφασιν, ὡς ἐὰν μὴ περὶ τοῦ χριϛοῦ τοῦ θεοῦ ἡμῶν ταῦτα κηρύξῃς, ἅπερ καὶ ἡ Ρωμαίων, καὶ ἡ Αλεξανδρέων, καὶ πᾶσα ἡ καθολικὴ ἐκκλησία κατέχει, ὡς καὶ ἡ ἁγία ἡ κατὰ τὴν μεγάλην Κωνϛαντινούπολιν ἐκκλησία ἕως σοῦ κάλλιϛα κατέσχε· καὶ ταύτην τὴν ἄπιϛον καινότητα, ἥτις ἐπιχειρεῖ χωρίζειν, ἅπερ συνάπτει ἡ ἁγία γραφὴ,* **ἐντὸς δεκάτης ἡμέρας**, *ἀριθμουμένης ἀπὸ τῆς ἡμέρας ταύτης τῆς ὑπομνήσεως, φανερᾷ καὶ ἐγγράφῳ ὁμολογίᾳ ἀθετήσῃς, ἀπὸ πάσης κοινωνίας καθολικῆς ἐκκλησίας ἐκβέβληται.* *Aperte igitur hanc noſtram ſcias eſſe ſententiam, vt niſi de Chriſto Deo noſtro ea prædices, quæ Romana & Alexandrina & vniuerſalis eccleſia catholica tenet, ſicut & ſancta Conſtantinopolitanæ magnæ vrbis eccleſia ad te vſque optime tenuit, & hanc perfidam nouitatem, quæ hoc, quod venerabilis ſcriptura coniungit, nititur ſeparare,* intra decimum diem *a primo innoteſcentis tibi huius conuentionis die numerandum, aperta & ſcripta confeſſione damnaueris, ab vniuerſalis te eccleſiæ communione deiectum.*

ſiſtere enim adhuc poterant ad audiendam pſalmodiam, ſcripturarum lectionem, concionem & preces catechumenorum ac pœnitentium, atque tum cum illis diſcedere debebant, prima diuini cultus parte, *miſſa catechumenorum*, finita. THEODORETVS hanc minorem excommunicationem a maiore expreſſis verbis diſtinguit, quando loquens de quibuſdam, qui ex infirmitate potius, quam malitia peccauerant, ait [r]: *Arceantur a participatione ſacrorum myſteriorum, a catechumenorum autem oratione non prohibeantur, neque a diuinarum ſcripturarum auditione, neque a magiſtrorum admonitione.* Atque ita intelligendus eſt canon GREGORII THAVMATVRGI [ſ], qui eos a precibus abdicari iubet, qui aliena bona, (quæ in barbarorum inuaſione perierant) detinebant, tamquam propria. Per preces heic intelliguntur preces fidelium ad altare ſiue in miſſa fidelium, a quibus abdicabantur, non autem a precibus catechumenorum, quibus intereſſe poterant, quantumuis ab alteris iſtis excluſi. Vt adeo hic inferior quidam fuerit pœnæ gradus, ex parte duntaxat eos a ſocietate fidelium excludens, nimirum a communibus precibus & euchariſtia, non autem in totum eos eccleſia exturbans. Et quidem propter leuiora crimina infligebatur; vel ſi propter grauiora, iſtis quidem peccatoribus ſolum, qui ſtatim promtum animum legibus pœnitentiæ ſe ſubmittendi oſtendebant: quum aliquid haberet promta & parata iſta in ſubmittendo ſe celeritas, quod mitiorem eis conciliaret ſententiam. Concilium *Illiberritanum* [t] iſtiuſmodi interdictionem

(r) Theodor. epiſt. LXXVII. ad Eulalium. (tom. III. p. 947.) *κωλυέσθωσαν μὲν τῆς μεταλήψεως τῶν ἱερῶν μυστηρίων, μὴ κωλυέσθωσαν δὲ τῆς τῶν κατηχουμένων εὐχῆς, μηδὲ τῆς τῶν θείων γραφῶν ἀκροάσεως, μηδὲ τῆς τῶν διδασκάλων παραινέσεως.*

(ſ) Gregor. Thaumat. can. V. (apud Labb. tom. I. conc p. 840.) *Ἄλλοι δὲ ἑαυτοὺς ἐξαπατῶσιν, ἀντὶ τῶν ἰδίων τῶν ἀπολλομένων, ἃ εὗρον ἀλλότρια κατέχοντες --- οὓς δεῖ ἐκκηρύξαι τῶν εὐχῶν. Alii ſe ipſos ſeducunt, pro propriis quæ perierunt, aliena quæ inuenerunt, detinentes. --- quos a precibus oportet abdicare.*

Vid. concil. Ilerdenſ. c. IV. De his, qui ſe inceſta pollutione commaculant, placuit, vt, quouſque in ipſo deteſtando & illicito carnis contubernio perſeuerant, vſque *ad miſſam tantum catechumenorum* in eccleſia admittantur.

(t) Concil. Illiberrit. c. XXI. Si quis in ciuitate poſitus, tres dominicas ad eccleſiam non acceſſerit, tanto tempore abſtineat, vt correptus eſſe videatur.

eucha-

euchariſtiæ ad tres hebdomades contra eos decernit, qui ſine vlla neceſſaria impeditione tres dominicas ad eccleſiam non acceſſerint. Et alio canone [*u*] virgines, quæ ante nuptias virginitatem ſuam perdiderint, ſine publica pœnitentia recipi iubet, ſi iiſdem, a quibus vitiatæ ſint, matrimonio iungantur, & in poſterum caſte cum eis viuant. Recte ad hunc canonem obſeruat ALBASPINAEVS [*w*], hanc pœnam tantum in eo fuiſſe verſatam, vt ab euchariſtia arcerentur: non enim eccleſia pulſos, nec per vllos publicæ pœnitentiæ gradus ire coactos eſſe, ſed cum catechumenis orare potuiſſe & cum fidelibus etiam; tantummodo ſacris myſteriis participare prohibitos eſſe, vſque dum tempus eis conſtitutum eſſet elapſum, atque in hoc pœnam eorum conſtitiſſe. In canonibus BASILII [*x*] de eadem pœna trigamis conſtituta ſermo fit, *Conſuetudine*, inquit ille, *accepimus, in trigamis quinquennii ſegregationem. - - Oportet autem non eos omnino arcere ab eccleſia, ſed dignari auditione duobus vel tribus annis: & poſtea permitti quidem conſiſtere, ſeu in fidelium eſſe congregatione, a boni tamen communione abſtinere, & ſic poſtquam pœnitentiæ fructum aliquem oſtenderint, communionis loco reſtituere.* Vt adeo duo gradus huius minoris excommunicationis fuerint;

(*u*) Concil. Illiber. c. XIV. Virgines, quæ virginitatem ſuam non cuſtodierint, ſi eoſdem, qui eas violauerint, duxerint & tenuerint; eo, quod ſolas nuptias violauerint, poſt annum, *ſine pœnientia*, reconciliari debebunt.

(*w*) Albaſpin. in loc. *Sine pœnitentia.* non hoc ita accipiendum, quaſi velint, eas abſque ſacramento pœnitentiæ abſoluendas eſſe, aut ſtatuant, eiuſmodi peccatum non eſſe aliqua pœna coërcendum, vel denique eis non eſſe dolendum de ſtupro: ſed pœnitentia hoc loco intelliguntur pœnæ & ærumnæ, quæ in gradibus pœnitentiæ palam & publice caperentur, quæ quum pudorem aliquem ſugillarent, non erant eiuſmodi virginibus infligendæ. Quid autem ſit, *poſt annum ſine pœnitentia reconciliari*, quodue genus pœnarum ex hoc canone, & ex vigeſimo primo colligitur? leuia quædam crimina hac pœna mulctabantur, quæ in eo verſaretur, vt ab euchariſtia arcerentur: mihique perſuaſum eſt, eos qui leui illa animaduerſione caſtigabantur, non aliter oraſſe aut ſtetiſſe in eccleſia, neque aliter habitos, quam ſubſiſtentes, & omnibus rebus diuinis & humanis participaſſe cum ceteris fidelibus, præterquam euchariſtiæ.

(*x*) Baſil. can. IV. *συνήθειαν κατελάβομεν, ἐπὶ τῶν τριγάμων πενταετίας ἀφορισμόν· --- δεῖ δὲ μὴ πάντη αὐτοὺς ἀπείργειν τῆς ἐκκλησίας· ἀλλ' ἀκροάσεως αὐτοὺς ἀξιοῦν ἐν δύο που ἔτεσιν ἢ τρισί· καὶ μετὰ ταῦτα ἐπιτρέπειν συστήκειν μέν, τῆς δὲ κοινωνίας τοῦ ἀγαθοῦ ἀπέχεσθαι, καὶ οὕτως ἐπιδειξαμένους καρπόν τινα μετανοίας ἀποκαθιστᾶν τῷ τόπῳ τῆς κοινωνίας.*

vnus quidem eos ſola euchariſtiæ participatione excludens, orare autem cum fidelibus illis permittens; alter autem a precibus fidelium eos excludens, & tantum cum catechumenis orare ſinens; neuter autem iſtiuſmodi peccatores communione eccleſiæ penitus expellens.

§. VIII.

3. *In eiectione de eccleſia, quam maiorem excommunicationem, plenam ſeparationem, anathema, & ſimilibus nominibus appellarint.*

MAIOR excommunicatio erat, quando homines de eccleſia penitus expellebantur, & ab omni cum ipſa in ſacris officiis communione ſeparabantur. Vnde in antiquis canonibus *παντελὴς ἀφορισμὸς*, *omnimoda ſeparatio*, & *anathema*, id eſt *exſecratio* nuncupatur: quod eſſet maxima exſecratio, quæ aduerſus homines componi poterat. Frequenter etiam variis ſignificatur phraſibus, e. g. *ἀπείργεσθαι τῆς ἐκκλησίας*, *ἀποκλείεσθαι* & *ῥίπτεσθαι τῆς ἐκκλησίας*, *ἐκτὸς εἶναι*, *ἐκκηρύττεσθαι τῆς συνόδου*, *ἀπεῖρξαι τῆς ἀκροάσεως*, ceteris. Quæ locutiones vniuerſæ homines denotant, per ſolemniſſimam excommunicationem penitus expulſos eccleſia, & non tantum ab euchariſtia, ſed a precibus etiam & ſcripturarum auditione in conuentu eccleſiaſtico prohibitos. Hæc formula eleganter expreſſa eſt ab SYNESIO cum adiunctis & conſecutionibus ſuis omnibus, in excommunicatione, quam aduerſus *Andronicum*, cuius antea fecimus mentionem, adornauit, verbis ſequentibus: „Nihil eſt, „quod amplius moneamus hominem, ſed velut membrum in-„ſanabile a nobis eſt ſegregandus, ne illius contagione, quod „ſincerum eſt, corrumpatur. - - Ob hæc *Ptolemaidis* eccleſia „ad omnes vbique terrarum ſorores ſuas eccleſias hæc decer-„nenda cenſuit [y]: *Andronico* eiuſque ſociis, *Thoanti* & eius „ſociis nullum Dei templum aperiatur. Omnes illis religioſæ „ædes, ac ſepta claudantur. Nulla diabolo in paradiſo pars „eſt; qui ſi clam irrepſerit, expellitur. Ac cum priuatos o-„mnes, & magiſtratus hortor, vt nec eiuſdem cum illo tecti,

(y) Syneſ. epiſt. LVIII. p. 199. (p. 203.) Ἀνδρονίκῳ, καὶ τοῖς αὐτοῦ μηδὲν ἀνοιγνύσθω τέμενος τοῦ θεοῦ· ἅπας αὐτοῖς ἱερὸς ἀποκεκλείσθω, καὶ σηκὸς καὶ περίβολος· οὐκ ἔστι τῷ διαβόλῳ μέρος ἐν παραδείσῳ· ὃς κἂν λάθῃ διαδὺς, ἐξελαύνεται· παραινῶ μὲν

neque

„neque menſæ participes eſſe velint; tum ſacerdotes in primis, qui nec viuentes illos ſalutabunt, nec mortuos funebri „pompa deducent. Sin quiſquam, velut exiguæ vrbis, eccle„ſiam noſtram contemſerit, & ab ea damnatos receperit, qua„ſi pauperi parere nihil neceſſe ſit; nouerit, ſciſſam a ſe eccle„ſiam eſſe, quam vnam eſſe vult Chriſtus. Atque hic, ſiue le„vita, ſiue ſacerdos ſit, ſiue epiſcopus, apud nos eodem atque „*Andronicus* loco cenſebitur: neque cum eo dextram iunge„mus; nec eadem ex menſa veſcemur vmquam. Tantum ab„eſt, vt cum iis arcana myſteria communicemus, qui cum *An*„*dronico* & *Thoante* partem aliquam habere voluerint„. Integram hanc formulam interpoſuimus, non tantum quia ab excellenti auctore ſtudioſe perſcripta eſt, ſed quia etiam viam aperit diſciplinam eccleſiæ penitus intelligendi. Heic enim res quatuor obſeruare licet, tamquam quæ hanc maiorem excommunicationem comitentur aut proxime conſequantur. 1.) Quod expulſio de eccleſia repræſentetur ſub imagine expulſionis de paradiſo, eique conueniat in formula excommunicationis. 2.) Quod ſimulatque quis de eccleſiæ ſuæ catalogo expunctus fuerit, de hac re vicinæ eccleſiæ, & nonnumquam eccleſiæ per omnem terrarum orbem litteris certiores factæ ſint, vt omnes eccleſiæ hunc diſciplinæ actum ratum haberent atque confirmarent, recuſando iſtiuſmodi hominem recipere in ſuam communionem. Quandoquidem 3.) Is, qui legitime in vna eccleſia excommunicatus fuerat, per leges catholicæ vnitatis & iuſtæ diſciplinæ regulas in omnibus eccleſiis pro excommunicato habendus erat, vſque dum reſipiſcentiam ſuam eccleſiæ ſuæ ſatis teſtatam feciſſet. Quod ſi qua eccleſia talem in communionem admitteret, in eam partem id accipiebatur, vt eamdem cum ſonte pœnam commeruiſſe cenſeretur. 4.)

ὧν καὶ ἰδιώτῃ παντὶ καὶ ἄρχοντι, μήτε ὁμορόφιον αὐτῷ, μήτε ὁμοτράπεζον γίνεσθαι· ἱερεῦσι δὲ διαφερόντως, οἳ μήτε ζῶντας αὐτοὺς προσεροῦσι, μήτε τελευτήσαντας συμπροπέμψουσιν· εἰ δέ τις ὡς μικροπολίτιν ἀποσκυβαλίσει τὴν ἐκκλησίαν, καὶ δέξεται τοὺς ἀποκηρύκτους αὐτῆς, ὡς οὐκ ἀνάγκη τῇ πένητι πείθεσθαι· ἴστω σχίσας τὴν ἐκκλησίαν, ἣν μίαν ὁ χριστὸς εἶναι βούλεται· ὁ δὲ τοιοῦτος, εἴτε Λευίτης ἐστὶν, εἴτε πρεσβύτερος, εἴ τε ἐπίσκοπος, παρ᾽ ἡμῖν ἐν Ἀνδρονίκου μοίρᾳ τετάξεται, καὶ οὔτε ἐμβαλοῦμεν αὐτῷ δεξιὰν, οὔτε ἀπὸ τῆς αὐτῆς ποτε σιτησόμεθα· πολλοῦ δὴ δεήσομεν κοινωνῆσαι τῆς ἀποῤῥήτου τελετῆς τοῖς ἐθελήσασιν ἔχειν μερίδα μετὰ Ἀνδρονίκου καὶ Θόαντος.

Quod, quum homines ita essent excommunicati, non tantum ab omnium sacrorum communione exclusi, sed in ciuili etiam conuersatione, tamquam noxii & morbo contagioso infecti, deuitati fuerint. Hæc omnia ex hoc vno solo SYNESII loco euidenter apparent; quia autem cognitio methodi exercendi disciplinam ecclesiasticam ex vera eorum ratione pendet, non alienum abs re erit, paullo distinctius ea explanare atque confirmare. Itaque 1.) obseruamus, quod expulsio de ecclesia heic repræsentetur sub imagine expulsionis de paradiso & cum ea comparetur in formula excommunicationis. Atque ita HIERONYMVS [z] de peccatoribus loquens, ait: *Præuaricati sunt pactum Dei in ecclesia, sicut Adam præuaricatus est in paradiso: Et imitatores se antiqui parentis ostendunt, vt quomodo ille de paradiso, sic & isti eiiciantur.* In eumdem modum AVGVSTINVS de expulsione *Adami* de paradiso loquens [a], genus quoddam excommunicationis fuisse dicit: *Alienandus erat, tamquam excommunicatus: sicut etiam in hoc paradiso, id est in ecclesia, solent a sacramentis altaris visibilibus homines disciplina ecclesiastica remoueri.* Et EPIPHANIVS [b] eamdem consuetudinem notat, tamquam exactius obseruatam a secta *Adamianorum.* *Si quis,* inquit, *vt dicere solent, in culpam lapsus esse videatur, hunc in conuentum suum minime amplius recipiunt. Adamum enim illum esse dicunt, qui de ligno comederit, atque e paradiso, hoc est ecclesia sua, exterminandum iudicant.* Vt adeo hæc communis formula loquendi tam in haereticorum quam ecclesiæ disciplina fuerit.

§. IX.

De hac excommunicatione reliquas ecclesias omnes certiores fieri consueuisse.

2.) OBSERVAMVS, quod, simulatque hoc modo ab ecclesia quadam aliquis esset excommunicatus, hac de re aliæ ecclesiæ & nonnumquam per litteras encyclicas omnes præcipuæ

(z) Hieron. comm. in Hoseam c. VI.

(a) Augustin. de genesi litterar. lib. V. c. XL. tom. III. p. 273. (p. 676. edit. Basil. MDLXIX.)

(b) Epiphan. hæres. LII. p. 459. *εἰ δὲ δόξειε, τινὰ, ὡς καὶ τοῦτο λέγουσιν, ἐν παραπτώματι γενέσθαι, οὐκέτι τοῦτον συνάγουσι, φάσκουσι γὰρ αὐτὸν τὸν Ἀδὰμ τὸν βεβρωκότα ἀπὸ τοῦ ξύλου, καὶ κρίνουσιν ἐξεῶσθαι, ὡς ἀπὸ τοῦ παραδείσου, τουτέστι τῆς αὐτῶν ἐκκλησίας.*

per

per terrarum orbem ecclesiæ, certiores fieri consueuerint, vt vniuersæ ecclesiæ hunc disciplinæ actum approbarent confirmarentque, recusando istiusmodi hominem in communionem suam recipere. Quam in rem canonem legimus in concilio *Toletano* primo [*c*]: *Si quis de potentibus clericum, aut quemlibet pauperem, aut religiosum exspoliauerit, & mandauerit eum ad se venire episcopus, vt audiatur, & is contemserit; inuicem mox scripta percurrant per omnes prouinciæ episcopos, & quoscumque adire potuerint, vt excommunicatus habeatur ipse, donec obediat & reddat aliena.* Hoc plerumque studiosissime obseruabatur in caussa hæreticorum, eorumque condemnatione. Ita enim historici [*d*] narrant, quod, quum *Alexander*, ecclesiæ *Alexandrinæ* episcopus, *Arium* officio suo exutum anathemate perculisset, episcopis per singulas vrbes constitutis, data ad eos epistola, facti sui rationem exposuerit. Et hæc constans omnium conciliorum consuetudo erat, vt litteras mitterent synodicas, quibus significabant, quosnam hæreticos condemnarint, vt omnes ecclesiæ eorum errores cognoscerent negarentque errorum auctoribus communionem. Atque ita vnusquisque etiam episcopus fratribus suis & vicinis ecclesiis scribebat, si qua ipsi hanc seueram pœnam in grauiorem quempiam peccatorem adhibendi esset occasio. Ita AVGVSTINVS, quum *Victorinum*, prouectum ætate hypodiaconum, mouisset gradu deque ecclesia sua eiecisset, quia detestandam *Manichæorum* hæresin priuatim propagasse deprehensus fuerat, datis ad *Deuterium* coëpiscopum suum litteris, hac de re eum faciens certiorem, inter alia hæc scribit [*e*]: *Rogauit me quidem, postquam se Manichæorum auditorem esse confessus est, vt eum in viam veritatis doctrinæ catholicæ reuocarem. Sed fateor eius fictionem sub clerici specie vehementer exhorrui, eumque coercitum pellendum de ciuitate curaui. Nec mihi hoc satis fuit, nisi &*

(*c*) Concil. Tolet. I. c. XI.

(*d*) Socrat. lib. I. c. VI. *συνέδριον πολλῶν ἐπισκόπων καθίσας, τὸν μὲν Ἄρειον καὶ τοὺς ἀποδεχομένους τὴν δόξαν αὐτοῦ καθαιρεῖ· γράφει τοῖς κατὰ πόλιν τοιάδε. κ. τ. λ.* *Collecto multorum episcoporum concilio, Arium & reliquos, qui sententiam eius amplectebantur, gradu mouit & episcopis per singulas vrbes constitutis scripsit in hunc modum &c.*
Theodoret. lib. I. c. IV. tot.

(*e*) Aug. epist. LXXIV. ad Deuterium.

tuæ

tuæ ſanctitati eum meis litteris intimarem, vt a clericorum gradu congrue eccleſiaſtica ſeueritate deiectus, cauendus omnibus innoteſcat.

§. X.

Quo facto eum, qui in vna quadam eccleſia excommunicatus eſſet, pro excommunicato in omnibus eccleſiis habitum fuiſſe.

3.) QVICVMQVE ita excommunicatus erat in vna quadam eccleſia, in omnibus eccleſiis excommunicatus cenſebatur. Tam perfecta enim erat catholicæ eccleſiæ harmonia & conſenſio, vt vnaquæque eccleſia promta eſſet ad ratos habendos & confirmandos omnes diſciplinæ actus, quos in ſontes quæcumque alia eccleſia egiſſet: ita vt, qui in vna eccleſia legitime eſſet excommunicatus, per leges vnitatis catholicæ & iuſtæ diſciplinæ regulas in omnibus eccleſiis excommunicatus haberetur; nec vlla eum eccleſia recipere poſſet aut vellet, antequam eccleſiæ, cuius membrum fuerat, feciſſet ſatis. Secus autem facere, erat in eamdem cum offenſore difficultatem & animaduerſionem incurrere. Iam ſupra [*] aliquod huius rei documentum dedimus, quando de vnitate eccleſiæ ſumus loquuti: Hoc autem loco id paullo amplius confirmabimus, vt, quantam curam & ſtudium vetus eccleſia in diſciplinæ ſuæ adminiſtratione poſuerit, tam ex legibus quam praxi illius oſtendamus. Leges eius vniuerſæ hanc in rem ſibi conſtabant & ex omni parte ſecum ipſæ conſentiebant, erantque huius argumenti, Neminem in eccleſia aliqua excommunicatum, in alia eccleſia recipiendum eſſe, niſi id fieret auctoritate legitimæ ſynodi, ad quam iuſta interceſſiſſet appellatio, & quæ hac in re iudicandi haberet poteſtatem. Duo canones huc ſpectantes reperiuntur inter ſic dictos *apoſtolicos. Si quis [f] presbyter, aut diaconus, ab epiſcopo ſegregatus ſit, hunc ab alio recipi non liceat, præterquam ab eo, qui eum ſegregauit; niſi forſitan, qui ſegregauit illum, mortuus fuerit.* Et iterum [g]: *Si quis clericus, aut laicus ſegregatus, vel non receptus abiens ad aliam ciuitatem, ſine litteris commendatitiis receptus fuerit; ſegregentur qui receperunt, & qui receptus eſt.* Con-

(* Cap. I. § XI. pag. 4.

(*f*) Can. apoſt. c. XXXIII. Εἴ τις πρεσβύτερος, ἢ διάκονος, ὑπὸ ἐπισκόπου γένηται ἐν ἀφορισμῷ, τοῦτον μὴ ἐξεῖναι παρ᾽ ἑτέρου δεχθῆναι, ἀλλ᾽ ἢ παρὰ τοῦ ἀφορίσαντος αὐτὸν, εἰ μὴ ἂν κατὰ συγκυρίαν τελευτήσῃ ὁ ἀφορίσας αὐτὸν ἐπίσκοπος.

(*g*) Ibid. c. XIII. Εἴ τις κληρικὸς, ἢ λαϊκὸς, ἀφωρισμένος, ἤτοι ἄδεκτος, ἀπελθὼν ἐν ἑτέρᾳ πόλει δεχθῇ ἄνευ γραμμάτων συστατικῶν, ἀφοριζέσθωσαν οἱ δεξάμενοι καὶ ὁ δεχθείς.

cilium

cilium *Nicænum*, ad hos antiquos canones reſpexiſſe creditur, quando ſtatuit [*h*]: *De iis, qui a communione ſegregati ſunt, ſiue clericorum ſiue laicorum ſint ordinis, ab epiſcopis, qui ſunt in vnaquaque prouincia, valeat ſententia ſecundum canonem, qui pronuntiat eos, qui ab aliis eiecti ſunt, non eſſe ab aliis admittendos. Examinetur autem, numquid vel puſillanimitate, vel contentione, vel aliqua eiuſmodi epiſcopi acerbitate, congregatione pulſi ſint. Vt hoc ergo conuenientem examinationem accipiat, recte habere viſum eſt, vt ſingulis annis in vnaquaque prouincia bis in anno ſynodi fiant: vt quum omnes prouinciæ epiſcopi in eumdem locum communiter conueniant, eiuſmodi quæſtiones examinentur: & ſic, quos epiſcopum offendiſſe conſtiterit, iuſte eſſe a congregatione ſeparati apud omnes videantur, donec epiſcoporum congregationi videatur pro iis humaniorem proferre ſententiam.* Concilium *Antiochenum* [*i*] non multo poſt hunc canonem renouauit, *Si quis a proprio epiſcopo fuerit excommunicatus, ne prius ab aliis ſuſcipiatur, quam fuerit a proprio epiſcopo ſuſceptus, vel facta ſynodo accedens ſe defenderit, & perſuaſa ſynodo aliam ſententiam retulerit.* Lector eruditus plures canones in eamdem ſententiam inuenire poteſt in conciliis *Illiberritano* [*k*], *Sardicenſi* [*l*], *Mileui-*

(*h*) Concil. Nic. c. V. *Περὶ τῶν ἀκοινωνήτων γενομένων, εἴτε τῶν ἐν τῷ κλήρῳ, εἴτε ἐν λαϊκῷ τάγματι, ὑπὸ τῶν καθ᾽ ἑκάστην ἐπαρχίαν ἐπισκόπων, κρατείτω ἡ γνώμη κατὰ τὸν κανόνα, τὸν διαγορεύοντα, τοὺς ὑφ᾽ ἑτέρων ἀποβληθέντας, ὑφ᾽ ἑτέρων μὴ προσίεσθαι· ἐξεταζέσθω δὲ, μὴ μικροψυχίᾳ, ἢ φιλονεικίᾳ, ἤ τινι τοιαύτῃ ἀηδίᾳ τοῦ ἐπισκόπου ἀποσυνάγωγοι γεγένηνται· ἵνα οὖν τοῦτο τὴν πρέπουσαν ἐξέτασιν λαμβάνῃ, καλῶς ἔχειν ἔδοξεν, ἑκάστου ἐνιαυτοῦ καθ᾽ ἑκάστην ἐπαρχίαν δὶς τοῦ ἔτους συνόδους γίνεσθαι· ἵνα κοινῇ πάντων τῶν ἐπισκόπων τῆς ἐπαρχίας ἐπὶ τὸ αὐτὸ συναγομένων, τὰ τοιαῦτα ζητήματα ἐξετάζοιτο· καὶ οὕτως οἱ ὁμολογουμένως προσκεκρουκότες τῷ ἐπισκόπῳ, κατὰ λόγον ἀκοινώνητοι παρὰ πᾶσιν εἶναι δόξωσι, μέχρις ἂν τῷ κοινῷ τῶν ἐπισκόπων δόξῃ, τὴν φιλανθρωποτέραν ὑπὲρ αὐτῶν ἐκθέσθαι ψῆφον.*

(*i*) Conc. Antioch. c. VI. *Εἴ τις ὑπὸ τοῦ ἰδίου ἐπισκόπου ἀκοινώνητος γέγονεν, μὴ πρότερον αὐτὸν παρ᾽ ἑτέρων δεχθῆναι, εἰ μὴ ὑπ᾽ αὐτοῦ παραδεχθείη τοῦ ἰδίου ἐπισκόπου, ἢ συνόδου γενομένης ἀπαντήσας ἀπολογήσεται, πείσας δὲ τὴν σύνοδον, καταδέξοιτο ἑτέραν ἀπόφασιν.*

(*k*) Concil. Illiberrit. c. LIII. Placuit cunctis, vt ab eo epiſcopo quis accipiat communionem, a quo abſtentus in crimine aliquo fuerit. Quod ſi alius epiſcopus præſumſerit eum admittere, illo adhuc minime faciente, vel conſentiente, a quo fuerat communione priuatus, ſciat ſe huiuſmodi cauſſas inter fratres cum ſtatus ſui periculo præſtaturum.

(*l*) Concil. Sardic. c. XIII. *καὶ τοῦτο πᾶσιν ἀρεσάτω, ἵνα εἴ τις διάκονος, ἢ πρεσβύτερος, ἢ καί τις τῶν κληρικῶν ἀκοινώνητος γένηται, καὶ πρὸς ἕτερον ἐπίσκοπον τὸν εἰδότα αὐτὸν καταφύγοι, γινώσκοντα ἀποκεκινῆσθαι αὐτὸν τῆς κοινωνίας παρὰ*

tano [*m*], *Arelatensi* primo [*n*], *Taurinensi* [*o*], & *Cæsaraugustano* [*p*], qui omnes eiusdem argumenti, neque adeo heic interponendi sunt. Per hanc ipsam regulam *Cornelius Felicissimum Romæ* [*q*] ad communionem admittere recusabat, quod esset *Carthagine* a *Cypriano* de ecclesia pulsus. Et ob eamdem rationem *Marcion* hæreticus, vt in antecedentibus obseruatum nobis est, admissionem sui inter clericos *Romanos* obtinere non poterat, eo quod a parente suo esset de ecclesia eiectus, nec ei satisfecisset, vti historiam narrat EPIPHANIVS [*r*]. Similiter AVGVSTINVS,

τȢ ἰδίȢ ἐπισκόπȢ, μὴ χρῆναι τῷ ἐπισκόπῳ καὶ ἀδελφῷ αὐτȢ ὕβριν ποιȢντα παρέχειν αὐτῷ κοινωνίαν· εἰ δὲ τολμήσει τις τȢτο ποιῆσαι, γινωσκέτω συνελθόντων ἐπισκόπων ἀπολογίᾳ ἑαυτὸν ὑπεύθυνον καθιστάναι. *Hic quoque omnibus placeat, vt si diaconus vel presbyter, vel etiam aliquis ex clericis sit excommunicatus, & ad alium episcopum, qui eum nouit, confugerit, scientem, eum a proprio episcopo esse communione motum, non oportere episcopo & fratri suo iniuriam facientem, ei communionem præbere. Sin autem hoc facere ausus fuerit, sciat, quum conuenerint episcopi, se ipsum caussam esse dicturum.*

(*m*) Concil. Mileuit. c. XVIII. Placuit, vt, quicumque non communicat in prouincia propria, & in aliis prouinciis vel transmarinis partibus ad communicandum obrepserit, iacturam communionis vel clericatus excipiat.

(*n*) Concil. Arelat. I. c. XVI. De his, qui pro delicto suo a communione separantur, placuit, vt, in quibuscumque locis fuerint exclusi, eodem loco communionem consequantur.

(*o*) Concil. Taurin. c. IV. De Palladio laico, qui Spano presbytero non leue crimen intenderat, inter quos episcopus Tuiferius eiusdem criminis caussas se cognouisse testatus est, id concilii decreuit auctoritas, vt idem Palladius in eadem sententia maneret, qua cognitionis tempore a Tuiferio fuerat sacerdote multatus, in hoc ei humanitate reseruata concilii, vt ipse Tuiferius in potestate habeat, quando voluerit, ei relaxare.

(*p*) Conc. Cæsar-august. c. V. Item lectum est, vt hi, qui per disciplinam, aut sententiam episcopi ab ecclesia fuerint separati, ab aliis episcopis non sint recipiendi.

(*q*) Vid. Cyprian. epist. LV. al. LIX. ad Cornel. p. 126. (p. 259. edit. Amstelod. MDCC.) Legi litteras tuas, frater carissime, quas per Saturnum fratrem nostrum acoluthum misisti & dilectionis fraternæ & ecclesiasticæ disciplinæ & sacerdotalis censuræ satis plenas, quibus significasti, Felicissimum hostem Christi, non nouum, sed iam pridem ob crimina sua plurima & grauissima abstentum, & non tantum mea, sed plurimorum coëpiscoporum sententia condemnatum, reiectum a te illic esse: & quum venisset stipatus caterua & factione desperatorum, vigore pleno, quo episcopos agere oportet, pulsum de ecclesia esse &c.

(*r*) Epiphan. hæres. XLII. vid. c. I. §. XI. sub litt. (*x*) pag. 44.

scri-

ſcribens ad quemdam *Quintianum* [s], epiſcopi ſui ſubiacentem cenſuræ, ei adfirmat, ſi ad ipſum venerit, epiſcopo ſuo non communicans, nec in ipſius eccleſia eum poſſe communicare. Immo vero tantam huius regulæ diſciplinæ habebat rationem, vt, ſi quis *Donatiſta*, proprii epiſcopi cenſuræ ſubditus, ad catholicam eccleſiam tranſire ſe velle præ ſe ferret [t], recipere eum nollet, niſi prius eamdem pœnitentiam ſe acturum promitteret, quam agere debuiſſet, ſi apud ipſos permanſiſſet. Et de *Donatiſtarum* quidem epiſcopis grauiter queritur, tamquam omnia diſciplinæ vincula diſſoluentibus, dum ſceleſtiſſimos homines, qui propter vitæ turpitudinem diſciplina eccleſiæ corripiantur, ad ſe alliciant, vbi noui baptiſmatis beneficio pœnitentiam poſſint euadere, qui deinde quaſi renouati & quaſi ſanctificati (etſi reuera deteriores facti ſub ſpecie nouæ gratiæ) diſciplinæ eccleſiæ, quam ferre non potuerint, noui furoris ſacrilegio inſultent. Exemplum exhibet in vno quodam, qui matrem ſuam verberare ſolitus eique mortem ſæpius minatus, metu animaduerſionis eccleſiæ ad *Donatiſtas* confugerat, ab iiſque ſine vllo negotio receptus fuerat. *Tranſit*, inquit [u], *ad partem Donati, rebaptizatur furens, & in maternum ſanguinem fremens albis veſtibus candidatur. Conſtituitur intra cancellos eminens & conſpicuus, & omnium gementium oculis matricidii meditator tamquam renouatus opponitur.* Et ſane hæc *Donatiſtarum* praxis multum ſcandali habebat, eo tantummodo ſpectans, vt partem ſuam augerent confirmarentque. Neque quidquam maiori fraudi fuit eccleſiæ, nec quidquam diſciplinæ eccleſiaſticæ poteſtatem magis eneruauit, quam hominum criminibus, grauem apud omnes offenſionem habentibus, infamium ad aliaſque com-

(s) Aug. epiſt. CXXXV. Si ad nos venires, venerabili epiſcopo non communicans, nec apud nos poſſes communicare.

(t) Aug. epiſt. CXLIX. ad Euſeb. Ego iſtum modum ſerno, vt quiſquis apud eos propter diſciplinam degradatus ad catholicam tranſire voluerit, in humiliatione pœnitentiæ recipiatur, quo & ipſi eum forſitan cogerent, ſi apud eos remanere voluiſſet. Ab eis vero, conſidera, quæſo te, quam execrabiliter fiat, vt, quos male viuentes eccleſiaſtica diſciplina corripimus, perſuadeatur eis, vt ad alterum lauacrum veniant. -- Deinde quaſi renouati & quaſi ſanctificati, diſciplinæ, quam ferre non potuerunt, deteriores facti ſub ſpecie nunc gratiæ, ſacrilegio noui furoris inſultant.

(u) Auguſtin. epiſt. CLXVIII. ad eumdem.

 muni-

muniones, ad iudicium ac cenſuras eccleſiæ deuitandas, tranſeuntium receptio & tuitio, eorumque tamquam ſanctorum præpoſtera veneratio, quos tamen velut ſceleratos & nefarios puniri oportebat. Quamobrem eccleſia quas poterat ſeueriſſimas leges ad hanc praxin impediendam ferebat, eamdem illis pœnam infligendo, qui aliquem excommunicatum in publicam priuatamue communionem recipiebant, quam ipſe excommunicatus ſubire neceſſe habebat. Ita in concilio *Antiocheno* [x] canon aliquis dicit, *Si quem ex epiſcopis, vel presbyteris, vel diaconis, vel quemuis ex canone excommunicatis communicare apparuerit, eum quoque eſſe* (oportet) *excommunicatum, vt qui canonem eccleſiæ confundat.* Alius [y], *Si eum, qui propter contumaciam depoſitus eſt, alius epiſcopus receperit, ille quoque a communi ſynodo puniatur, vt qui ritus eccleſiaſticos diſſoluat.* Et adhuc alius [z], *Si quis epiſcopus a ſynodo depoſitus, vel presbyter, vel diaconus a proprio epiſcopo, ſacrum celebrare auſus fuerit, ſiue epiſcopus ſecundum præcedentem conſuetudinem, ſiue presbyter, ſiue diaconus, nullam amplius ſpem reſtitutionis in alia ſynodo, neque defenſionis locum habere ei liceat. Sed & omnes, qui ei communicant, ex eccleſia eiiciantur, & maxime ſi quam ſententiam aduerſus prædictos prolatam didicerint, eis communicare auſi fuerint.* Similem in modum concilium *Arauſicanum* primum [a], *Placuit in reatum venire epiſcopum, qui admonitus de excommunicatione cuiuſquam ſine reconciliatione eius, qui eum excommunicauit, ei communicare præſumſerit.* Concilium *Carthaginenſe* ſecundum [b]

(x) Concil. Antiochen. c. II. *εἰ δὲ φανείη τις τῶν ἐπισκόπων, πρεσβυτέρων, ἢ διακόνων, ἤ τις τοῦ κανόνος, τοῖς ἀκοινωνήτοις κοινωνῶν, καὶ τοῦτον ἀκοινώνητον εἶναι, ὡς ἂν συγχέοντα τὸν κανόνα τῆς ἐκκλησίας.*

(y) Ibid. can. III. *εἰ δὲ καθαιρεθέντα διὰ ταύτην τὴν αἰτίαν* [nimir. *διὰ τὸ ἐπιμένειν τῇ ἀταξίᾳ*] *δέχοιτο ἕτερος ἐπίσκοπος, κἀκεῖνον ἐπιτιμίας τυγχάνειν ὑπὸ κοινῆς συνόδου, ὡς παραλύοντα τοὺς θεσμοὺς τοὺς ἐκκλησιαστικούς.*

(z) Ibid. can. IV. *Εἴ τις ἐπίσκοπος ὑπὸ συνόδου καθαιρεθεὶς, ἢ πρεσβύτερος, ἢ διάκονος ὑπὸ τοῦ ἰδίου ἐπισκόπου, τολμήσειέν τι πρᾶξαι τῆς λειτουργίας, εἴτε ὁ ἐπίσκοπος κατὰ τὴν προάγουσαν συνήθειαν, εἴτε ὁ διάκονος· μηκέτι ἐξὸν εἶναι αὐτῷ, μηδ' ἐν ἑτέρᾳ συνόδῳ ἐλπίδα ἀποκαταστάσεως, μήτε ἀπολογίας χώραν ἔχειν· ἀλλὰ δὲ τοὺς κοινωνοῦντας αὐτῷ πάντας ἀποβάλλεσθαι τῆς ἐκκλησίας, καὶ μάλιστα εἰ μαθόντες τὴν ἀπόφασιν τὴν κατὰ τῶν προειρημένων ἐξενεχθεῖσαν τολμήσειαν αὐτοῖς κοινωνεῖν.* Conf. his Can. I.

(a) Concil. Arauſic. c. XI.

(b) Concil. Carth. II. c. VII.

ait,

ait, *Placuit, vt qui merito facinorum ſuorum ab eccleſia pulſi ſunt, ſi ab aliquo epiſcopo, vel presbytero, vel clerico fuerint in communionem ſuſcepti, etiam ipſe pari cum eis crimine teneatur obnoxius.* Concilium *Carthaginenſe* quartum [c] ita ſtatuit, *Qui communicauerit vel orauerit cum excommunicato, ſiue clericus ſiue laicus, excommunicetur.* Notatu admodum digna ſunt verba BASILII [d] ad proteruum quemdam peccatorem, cui excommunicationem minatur. *Omni populo*, inquit, *eris anathema, & quicumque te receperit, excommunicabitur in omnibus eccleſiis.* Idem legi poteſt in *canonibus* ſic dictis *apoſtolicis* [e], ad quos antiqua concilia, tamquam ſtatam diſciplinæ regulam toties reſpiciunt. *Si quis clericus, aut laicus ſegregatus, vel non receptus, abiens ad aliam ciuitatem, ſine litteris commendatitiis receptus fuerit, ſegregentur, qui receperunt & qui receptus eſt.* Quæ verba obiectioni reſpondent, quæ hac in cauſſa fieri poterat, nimirum, Quod ſi quis epiſcopus ab alio nullo epiſcopo per litteras nuntiatorias formaliter edoctus noſſet, hunc illumue eſſe excommunicatum, atque ita ex ignorantia eum recepiſſet? Ad quod heic reſpondetur, hoc eum minime excuſaſſe, qui per regulas eccleſiæ non debebat recipere peregrinum in communionem, qui litteras commendatitias ab epiſcopo ſuo non attuliſſet, quibus in communione eccleſiæ eſſe declararetur. Si quis ſine illis peregrinabatur, ſuſpectus erat vt excommunicatus, & conſequenter tractabatur tamquam

(c) Concil. Carth. IV. c. LXXIII.

(d) Baſil. can. LXXXIX. (Falſa allegatio. Habentur tantum LXXXV canones ap. Baſil. tom. III. p. 40. & ap. Labb. tom. II. concil. p. 1758. neque in vllo iſtorum canonum hæc verba inuenire potui.)

(e) Can. apoſt. c. XIII. vid. ſub litt. anteced. (g) pag. 88.
Vid. Iſidor. Peluſiot. lib. III. ep. CCLIX. Εἰ μὲν γὰρ παρὰ τοῦ δεῖνος δικαίως κατεψηφισμένῳ πᾶσα ἐφεξῆς ἦν ἡ ἐκκλησία ἄβατος, καὶ συνηγανάκτουν ἅπαντες τῷ ταύτην θεμένῳ τὴν ψῆφον, ἴσως ἂν ἐκεῖνος σωφρονισθεὶς ἐγνωσιμάχει· νῦν δὲ ἅμα κατέγνωσταί τις ὑπὸ τούτου, καὶ παρ' ἄλλου πολλάκις θεραπεύεται, καὶ ἐκκλησία ἑτέρα ἀναπεπταμένη, καὶ δορυφορία, καὶ δῶρα, καὶ γίνεται τῷ ἐκβεβλημένῳ χρηματισμὸς, ἡ μετάστασις. *Si ei, qui optimo iure ab aliquo condemnatus eſt, ad omnes etiam alias eccleſias aditus clauderetur, cunctique vna cum eo, qui ſententiam tuliſſet, indignationem conciperent, fortaſſis ille caſtigatus meliorem mentem indueret. Nunc autem, ſimulatque quiſpiam ab alio condemnatus eſt, ab alio perſæpe colitur & obſeruatur, aliaque ei eccleſia patet, & ſatellitium & munera: eique, qui eiectus eſt, in quæſtum cedit loci commutatio.*

qui censuræ ecclesiæ subiaceret. Dixeris, Si quis vero ab episcopo iniuste esset excommunicatus? Nonne alius episcopus ei ius administrare poterat, iniusta eius vincula laxando & in communionem admittendo? Respondeo, Non poterat. Nam hoc in casu ecclesia accommodatius procurauerat remedium, Vt quilibet haberet libertatem ab episcopi sui sententia ad synodum appellandi prouincialem, quæ per canonem *Nicænum* [*f*] aliosque bis per singulos annos hunc ipsum in finem fieri debebat, vt si quis censuræ ab suo episcopo iniuste esset submissus, eius caussa in synodo prouinciali examinari posset & decidi; a qua nullus vlteriori appellationi ad singularem ali-

(*f*) Concil. Nicæn. c. V. vid. anteced. litt. (h) pag. 89. Concil. Antiochen. c. VI. vid. sub litt. (i) pag. 89.

Conc. Sardic. c. XVII. *ἤρεσεν, ἵνα εἴ τις ἐπίσκοπος βίαν ὑπομείνας ἀδίκως ἐκβληθῇ, ἢ διὰ τὴν ἐπιστήμην, ἢ διὰ τὴν ὁμολογίαν τῆς καθολικῆς ἐκκλησίας, ἢ διὰ τὴν τῆς ἀληθείας ἐκδικίαν, καὶ φεύγων τὸν κίνδυνον, ἀθῷος καὶ καθωσιωμένος ὢν εἰς ἑτέραν ἔλθοι πόλιν, μὴ κωλυέσθω ἐκεῖ ἐπὶ τοσοῦτον διάγειν, ἕως ἂν ἐπανέλθῃ, ἢ τῆς ὕβρεως τῆς γεγενημένης αὐτῷ ἀπαλλαγὴν εὑρέσθαι δυνηθῇ. Placuit, vt si quis episcopus vim passus iniuste eiectus sit, vel propter scientiam, vel propter cabolicæ ecclesiæ confessionem, vel propter veritatis defensionem, & fugiens periculum, innocens execrationi subiectus in aliam vrbem venerit; ne prohibeatur illic tam diu agere, donec reuertatur, vel a facta sibi iniuria possit liberationem inuenire.*

Concil. Carth. II. c. VIII. Si quis presbyter a præposito suo excommunicatus vel correptus fuerit, debet vtique apud vicinos episcopos conqueri, vt ab ipsis eius caussa possit audiri, ac per ipsos suo episcopo reconciliari. Can. X. Si quis episcopus in reatum aliquem incurrerit, & fuerit ei nimia necessitas, non posse plurimos congregare, ne in crimine remaneat, a duodecim episcopis audiatur & a sex presbyteris & a tribus diaconibus cum proprio suo episcopo.

Concil. Mileuit. c. XXII. Placuit, vt presbyteri, diaconi vel ceteri inferiores clerici, in caussis, quas habuerint, si de iudiciis episcoporum suorum questi fuerint, vicini episcopi eos audiant: & inter eos quidquid est finiant, adhibiti ab eis ex consensu episcoporum suorum.

Concil. Carth. III. c. VIII. Si presbyteri vel diaconi fuerint accusati, adiuncto sibi ex vicinis locis legitimo numero collegarum, id est, in presbyteri nomine quinque, in diaconi duobus; episcopi ipsorum caussas discutiant, &c.

Concil. Vasens. c. V. Si quis episcopi sui sententiæ non acquiescit, recurrat ad synodum.

Concil. Venetic. c. IX. Si quis fortasse episcopi sui iudicium cœperit habere suspectum, aut ipsi de proprietate aliqua aduersus ipsum episcopum fuerit nata contentio, aliorum episcoporum audientiam, non sæcularium potestatum, debebit ambire.

quem episcopum erat locus, ne ad ipsum quidem episcopum *Romanum*, qui vnus omnium maxime id iuris sibi vindicare adlaborabat; sed omnes istiusmodi caussæ audiendæ erant & definiendæ in ea prouincia, in qua ortæ erant; vt fraudi & subreptitiæ communioni anteuerteretur, & omni contentioni ac dissidio imponeretur finis, quemadmodum in antecedente capite §. XIV. ex contentione inter episcopos *Romanos* & ecclesias *Africanas* pluribus ostendimus. Hæ regulæ erant, tunc temporis generatim per vniuersam ecclesiam catholicam obseruatæ, respectu habito ad hominum excommunicatorum ab omnium ecclesiarum communione reiectionem. Et per has regulas ecclesiæ catholicæ vnitas exacte custodiebatur, & disciplina maximam partem in vero suo vigore conseruabatur ac gloria.

§. XI.

Eiusque communionem deuitatam in ciuili quoque commercio & externa conuersatione; nec commemorationem eius post mortem fieri permissam.

4. SYNESIVS in ante memorata excommunicationis formula non tantum loquitur de neganda *Andronico* & sociis communione in rebus sacris, sed in ciuili quoque commercio & externa conuersatione. Neminem enim eiusdem cum excommunicatis istis tecti vel mensæ participem esse volebat, vetabatque ipsos viuentes salutari & mortuos ritibus ac cærimoniis inter christianos vsitatis deduci. Istæ præceptiones dabantur ad modum regularum apostolicarum, quibus christiani publicis peccatoribus, in sceleris perseuerantia obstinatis, in ciuili etiam conuersatione adspirare prohibebantur. Cuiusmodi aliqua erat *Paulina* illa 1 Cor. V, 11. *Nunc scripsi vobis, ne commisceamini. Si quis, quum frater nominatur, sit scortator, aut alieni auidus, aut idololatra, aut conuitiator, aut ebriosus, aut rapax: cum eiusmodi, inquam, ne edatis quidem.* Et iterum Rom. XVI, 17. *Precor vos, fratres, vt obseruetis dissidiorum & offendiculorum auctores, contra doctrinam, quam vos didicistis, & declinetis ab eis.* Et 2 Thess. III, 14. *Si quis non auscultat nostro per epistolam sermoni, hunc notate; & ne commercium habete cum eo, vt erubescat.* Et *Ioannea* illa, *Si quis venit ad vos, & hanc doctrinam non adfert, ne recipite eum domum,*

nec

nec aue ei dicite: Qui enim dicit ei aue, communicat operibus eius malis, 2 Io. v. 10. 11. Secundum has regulas & ex rationibus, pro earum obseruatione heic allatis, veteres seueras condiderunt leges, ad prohibendam omnem familiaritatem cum hominibus excommunicatis in quotidiana conuersatione, nisi absoluta quædam necessitas, vel maior aliqua magisque vrgens consideratio moralis aliter eos facere iuberet. Concilium *Toletanum* primum quatuor vel quinque canones hanc in rem habet [g]. Suffecerit eorum primum heic interponere, verbis conceptum sequentibus: *Si quis laicus abstinetur, ad hunc, vel ad domum eius, clericorum vel religiosorum nullus accedat. Similiter & clericus, si abstinetur, a clericis deuitetur. Si quis cum illo colloqui aut conuiuari fuerit deprehensus, etiam ipse abstineatur.* Concilium *Arelatense* secundum [h], *Suspensum episcopum*, inquit, *non solum a clericorum, sed etiam a totius populi colloquio atque conuiuio placuit excludi.* Et plures istiusmodi canones alii in conciliis *Venetico* [i], *Turonensi* primo [k], & *Aurelianensi* primo [l] occurrunt, excommunica-

(g) Concil. Tolet. I. c. XV. Si quis laicus abstinetur &c. c. VII. Cum vxoribus ipsis, quæ peccauerint, nec cibum sumant, nisi forte ad timorem Dei, acta pœnitentia, reuertantur. Can. XVI. Deuotam peccantem non recipiendam in ecclesiam, nisi peccare desierit, & desinens egerit aptam pœnitentiam decem annis, recipiat communionem. Prius autem quam in ecclesia admittatur ad orationem, ad nullum conuiuium christianæ mulieris accedat. Quod si admissa fuerit, etiam hæc, quæ eam recepit, habeatur abstenta. Can. XVIII. Si qua vidua episcopi, siue presbyteri, aut diaconi, maritum acceperit, nullus clericus, nulla religiosa cum ea conuiuium sumat, numquam communicet.

(h) Concil. Arelat. II. c. XXX.

(i) Concil. Venet. c. III. Pœnitentes, qui susceptam publice pœnitentiam intermiserint, & ad prioris erroris consuetudinem reuoluti, vitæ se sæculari conuersationique reddiderint, non solum a communione dominicorum sacramentorum, sed etiam a conuiuiis fidelium submouendos.
Concil. Ilerd. can. IV. De his, qui se incesta pollutione commaculant, placuit, vt quousque in ipso detestando & illicito carnis contubernio perseuerant, vsque ad missam tantum catechumenorum in ecclesia admittantur: cum quibus etiam nec cibum sumere vllum christianorum, sicut apostolus iussit, oportet.

(k) Concil. Turon. I. c. VIII. A conuiuio fidelium extraneus habeatur.

(l) Concil. Aurel. I. c. III. Pro contemtu ecclesiæ & præuaricatione fidei, a communione & conuiuio catholicorum extraneus habeatur.
Conc. Carth. IV. c. LXX. Clericus hæreticorum & schismaticorum tam conuiuia quam sodalitates euitet æqualiter.

tos

tos a conuiuiis fidelium excludentes. Canones apostolici [m] cum excommunicato, in domo etiam priuata, orare sub eadem excommunicationis pœna interdicunt. Quod si in manifesta rebellione & pœnitentiæ contemtu morerentur, tractabantur vt omnes reliqui diuinarum institutionum contemtores, dum christianæ sepulturæ honos ac beneficium eis denegabatur. Nulla psalmodiæ & precum solemnitas in eorum exsequiis adhibebatur, neque vmquam inter fideles de diptychis recitabantur, quemadmodum in precibus ad altare fieri consueuerat. Hoc non ex iis tantum liquet, quæ a SYNESIO dicuntur, sed ex vniuerso etiam tenore disciplinæ ecclesiasticæ, quæ omnes eos, qui in aperta præuaricatione ac contemtu diem suum obeunt, a christiani funeris priuilegio excludit, quales erant catechumeni, in voluntaria baptismatis neglectione mortui, & qui violentas manus sibi ipsi intulerant & istiusmodi alii, in impœnitentia & desperata animi conditione defuncti [n]. Præterea id ex exceptione ista apparet, quam antea [*] obseruauimus fieri consueuisse in istorum pœnitentium gratiam, qui, quum disciplinæ ecclesiæ voluntarie ac submisse se subiecissent, de obtinenda sui restitutione serio laborantes, subita morte erepti fuerant, antequam solemnem & formalem absolutionem obtinere potuissent. Rebus ita sese habentibus, canones [o], vti ostendimus, eorum oblationes accipi, & exsequias more ecclesiæ vsitato celebrari permittebant. Quæ exceptio arguit, reliquis omnibus, in delicti & delinquendi contumacia defunctis, hoc priuilegium fuisse denegatum, tamquam iustam censurarum ipsorum consecutio-

(m) Can. apost. c. XI. Εἴ τις ἀκοινωνήτῳ, κἂν ἐν οἴκῳ, συνεύξηται, καὶ αὐτὸς ἀφοριζέσθω.

(n) Vid. concil. Brac. I. c. XXXIV. XXXV. (concil. II. can. XVI. XVII. apud Labb. tom. V. p. 841.) Placuit, vt hi, qui sibi ipsis aut per ferrum, aut per venenum, aut per præcipitium, aut suspendium, vel quolibet modo violentam inferunt mortem, nulla pro illis in oblatione commemoratio fiat, neque cum psalmis ad sepulturam eorum cadauera deducantur. Can. XVII. Item placuit, vt catechumenis sine redemtione baptismi defunctis, simili modo, neque oblationis commemoratio, neque psallendi impendatur officium; nam & hoc per ignorantiam vsurpatum est.

(*) Cap. I. §. VII. pag. 35.

(o) Vid. conc. Vasens. II. c. II. cit. supra c. I. §. VII. sub litt. (l) p. 36. in textu.

nem. Vt ne iam memoremus conſuetudinem excommunicatorum nomina diptychis, ſiue albo eccleſiaſtico eradendi, qui proximus excommunicationis effectus erat, eoſque omnibus priuilegiis futuræ [p] commemorationis priuabat, donec reſtituerentur. Non diſputabimus iam, an hæc conſuetudo originem ſuam e ſynagogæ iudaicæ praxi traxerit; neque, an ſervator noſter ad hanc praxin adluſerit, vti vir quidam doctus [q] exiſtimat, quando diſcipulis ſuis dixit, Luc. VI, 22. *Beati eritis, quum vos oderint homines & ſeparauerint* (excommunicauerint) *vos a ſynagoga, & nomen veſtrum vt improbum abiecerint* (expunxerint de ſanctis libris). Id certum eſt, quod quoad hæc nomina excommunicatorum diptychis eradendi ſiue expungendi conſuetudo in eccleſia chriſtiana obtinuit, ſemper communionis negationem etiam poſt mortem complexa ſit. Non poterant habere chriſtianorum ſepulturam nec chriſtianam commemorationem inter eos, qui in vera fide & vnitate eccleſiæ diſceſſerant; ſed tam viuentes quam mortui ab omni ſocietate, ſacra pariter ac ciuili, excludebantur; quippe quæ res proximus effectus erat & conſecutio vel voluntariæ & electæ, vel iudicialis & pœnalis excommunicationis.

Vt enim has non prorſus ſteriles & inefficaces leges fuiſſe oſtendamus, ſæpius eas memorabili ratione in praxin deductas obſeruare licebit. IRENAEVS [r] ex ore eorum, qui ipſum *Polycarpum* audierint, ſe percepiſſe narrat, quod quum aliquando ipſe & *S. Ioannes* apoſtolus lauandi cauſſa balneum *Epheſi* eſſent ingreſſi, viſo intus *Cerintho*, *Ioannes* ſtatim exſilierit de balneo, dicens: *Fugiamus hinc, ne forte balneum concidat, in quo eſt Cerinthus veritatis inimicus.* Eiuſdem hiſtoriæ ex IRENAEO

(p) Vid. Euagr. lib. III. c. XXIV. †

(q) Dodwel. diſſertat. V. in Cyprian. §. XVIII. Huc referenda exiſtimo illa ſaluatoris verba: *Μακάριος κ. τ. λ.* De ſynagogæ cenſuris hæc intellexiſſe dominum, conſtat e voce *ἀφορίσωσι*. Ita enim excommunicationem denotabant iudæi Helleniſtæ, ita etiam eccleſiaſtici, nec vlla vox frequentius occurrit in canonibus.

(r) Iren. lib. III. c. III. *εἰσὶν οἱ ἀκηκοότες αὐτοῦ, ὅτι Ἰωάννης ὁ τοῦ κυρίου μαθητὴς, ἐν τῇ Ἐφέσῳ πορευθεὶς λούσασθαι, καὶ ἰδὼν ἔσω Κήρινθον, ἐξήλατο τοῦ βαλανείου μὴ λουσάμενος, ἀλλ᾽ ἐπειπών· Φύγωμεν, μὴ καὶ τὸ βαλανεῖον συμπέσῃ, ἔνδον ὄντος Κηρίνθου, τοῦ τῆς ἀληθείας ἐχθροῦ.*

men-

mentionem faciunt EVSEBIVS & THEODORETVS [*s*]. EPIPHANIVS etiam [*t*] eam fuſe narrat, cum hoc tantum diſcrimine, quod fuerit *Ebion* hæreticus, quem ſancti ſpiritus impulſu ita auerſatus ſit *Ioannes*, ad commendandam eius rei memoriam. Vnde BARONIVS [*u*] vtrumque hæreticum forte ſimul in balneis repertum, & de vtroque *Ioannis* verba intelligenda eſſe coniicit. IRENAEVS eodem loco hoc præterea de *Polycarpo* addit, quod *Marcioni* aliquando occurrenti ſibi & dicenti, *Cognoſcis nos?* reſponderit, *Cognoſco te primogenitum ſatanæ* [*w*]. *Tantum*, inquit IRENAEVS, *apoſtoli & horum diſcipuli habuerunt timorem, vt nec verbo communicarent alicui eorum, qui adulterauerant veritatem, quemadmodum & Paulus ait: Hæreticum autem hominem poſt vnam & alteram correptionem deuita, ſciens, quoniam perverſus eſt, qui eſt talis, & eſt a ſemetipſo damnatus.* Similiter AMBROSIVS de certo quodam iudice chriſtiano tempore *Iuliani* obſeruat, quod, quum vnum de fratribus ſuis, qui aram de-

(*s*) Euſeb. lib. III. c. III. vbi eadem verba leguntur. Theodoret. de fabul. hæretic. lib. II. c. III. τοῦτον, ὥς φασιν, ὁ θεσπέσιος Ἰωάννης, ὁ εὐαγγελιστής, λουόμενον θεασάμενος· συνέβη γὰρ καὶ αὐτὸν δι᾽ ἀῤῥωστίαν χρῆσθαι τῷ βαλανείῳ, φύγωμεν εἶπεν ἐντεῦθεν, μὴ διὰ Κήρινθον τοῦ βαλανείου πεσόντος, τῆς βλάβης καὶ ἡμεῖς συμμετάσχωμεν. *Hunc, vt fama eſt, diuinus Ioannes euangeliſta lauantem conſpicatus (accidit enim, vt & ipſe propter infirmam valetudinem balneo vteretur) Fugiamus hinc, ait, ne, ſi balneum Cerinthi cauſſa ruat, eadem & nos ruina opprimamur.*

(*t*) Epiphan. hæreſ. XXX. Ebionit. § XXIV. σπεύσατε ἀδελφοί, ἔφη, ἐξέλθωμεν ἐντεῦθεν, μὴ πέσῃ τὸ βαλανεῖον, καὶ ἀπολώμεθα μετὰ Ἐβίωνος, τοῦ ἔνδον ἐν τῷ βαλανείῳ, διὰ τὴν αὐτοῦ ἀσέβειαν. *Properate fratres, abeamus hinc, ne balneum concidat, & cum Ebione, qui intus eſt, ob eius impietatem obruamur.*

(*u*) Baron. an. LXXIV. n. IX. Ne dicamus, Epiphanium eſſe hallucinatum, haud inconueniens erit exiſtimare, vtrumque ſimul in balneis repertum eſſe: ſiquidem magna neceſſitudo, ex impietatis ſimilitudine comparata, intercedebat inter eos. cetera. Suicer. theſaur. eccleſ. voce αἱρετικὸς tom. I. p. 128. Quid ſi vterque, Ebion nimirum & Cerinthus, vt eiuſdem fere impietatis profeſſores, tum in balneum vel ex condicto, aut præter ſpem ſimul conueniſſent?

(*w*) Iren. lib. III. c. III. Αὐτὸς δὲ ὁ Πολύκαρπος Μαρκίωνί ποτε εἰς ὄψιν αὐτῷ ἐλθόντι καὶ φήσαντι, ἐπιγινώσκεις ἡμᾶς; ἀπεκρίθη, ἐπιγινώσκω τὸν πρωτότοκον τοῦ Σατανᾶ· τοσαύτην οἱ ἀπόστολοι καὶ οἱ μαθηταὶ αὐτῶν ἔσχον εὐλάβειαν, πρὸς τὸ μηδὲ μέχρι λόγου κοινωνεῖν τινὶ τῶν παραχαραξάντων τὴν ἀλήθειαν, ὡς καὶ Παῦλος ἔφησιν· αἱρετικὸν ἄνθρωπον κ. τ. λ.

iecerat, condemnasset, nemo illum congressu [x], nemo illum vmquam osculo dignum putauerit. Et BASILIVS, scribens ad *Athanasium* de quodam *Libyæ* præside (quem *Athanasius* ob ferinos mores excommunicauerat, eaque de re *Basilium* more vsitato fecerat certiorem) adfirmat ei, auersandum & execrabilem illum arbitraturos esse omnes [y], ita vt nec ignis, nec aquæ, nec tecti communionem cum illo sint habituri. Innumera exempla istiusmodi alia addi poterant, sed vnum tantum adiiciam exemplum *Monicæ*, matris *Augustini*, erga filium suum *Manichææ* hæresi adhuc adhærentem. Ipse AVGVSTINVS [z] narrat, tantopere erroris filii blasphemias auersatam esse & detestatam, vt habere cum eo eamdem mensam in domo noluerit. Factum hoc secundum disciplinam tum quidem in ecclesia obtinentem, quæ peccatoribus non tantum communionem in rebus sacris, sed in ciuili etiam commercio & vita communi, denegabat.

§. XII.

Fundamenta & rationes huius praxis.

IAM hæc omnia ex sapientibus consiliis & rationibus christianæ prudentiæ & caritatis facta. 1. Vt peccatoribus incuteretur pudor, ipsique huius pudoris beneficio ad resipiscentiam perducerentur. Hæc ratio est, a *Paulo* apostolo reddita, *Notate hunc hominem, & ne commercium cum eo habete, vt erubescat.* 2 Thess. III, 14. 2. Vt eorum exemplo terrerentur alii. Vtraque ratio in concilii *Turonensis* canone redditur, in hunc modum decernente [a]: *Si quis post acceptam pænitentiam, sicut canis ad vomitum suum, ita ad sæculares illecebras, derelicta quam professus est pænitentia, fuerit reuersus, a communione ecclesiæ, vel a communione fidelium extraneus habeatur, quo facilius & ipse compunctionem per hanc confusionem accipiat, & alii eius terreantur exemplo.* 3. Tertia quædam ratio erat metus participandi aliorum peccata; si ex familiari cum eis consuetudine fauere eis viderentur, futurum

(x) Ambros. epist. XXIX. ad Theodos. (ep. XVII. tom. V. p. 214. b. edit. Paris. MDCXLII.)

(y) Basil. XLVII. *ἀπολεόπαιον αὐτὸν πάντες ἡγήσονται, μὴ πυρὸς, μὴ ὕδατος, μὴ σκέπης αὐτῷ κοινωνοῦντες.*

(z) August. confess. lib. III. c. XI. Nolle habere secum eamdem mensam in domo, auersans & detestans blasphemias erroris mei.

(a) Concil. Turon. I. c. VIII.

erat,

erat, vt in iniquitate ſua obdureſcerent, & ii, qui ad hoc aliquid conferrent, eamdem cum improbis illis culpam ſibi contraherent. Hinc CYPRIANVS ait [*b*]: *Recedendum eſt a delinquentibus, vel immo fugiendum, ne dum quis male ambulantibus iungitur, & per itinera erroris & criminis graditur, a via veri itineris exerrans, pari crimine & ipſe teneatur.* Hanc ob cauſſam in epiſtola ad plebem *Legionis* & *Aſturicæ* in *Hiſpania* (vbi duo epiſcopi, *Baſilides* & *Martialis*, propter lapſum in idololatriam officio pulſi erant, poſtea autem, quum iam alii per eccleſiæ diſciplinam in eorum locum eſſent ordinati, opera populi in epiſcopatus ſuos reponi ſtudebant) inter alia ita ſcribit: „Ne ſibi plebs blandiatur, quaſi immunis eſſe a contagio [*c*] delicti poſſit, cum „ſacerdote peccatore communicans, & ad iniuſtum atque illicitum præpoſiti ſui epiſcopatum conſenſum ſuum commodans, quando per *Oſee* prophetam comminetur & dicat cenſura diuina: Sacrificia eorum tamquam panis luctus: omnes, „qui manducant ea, contaminabuntur. Docens ſcilicet & „oſtendens, omnes omnino ad peccatum conſtringi, qui fuerint profani & iniuſti ſacerdotis ſacrificio contaminati. Quod „item in *Numeris* manifeſtari inuenimus, quando *Chore* & *Dathan*, „& *Abiram* contra *Aaron* ſacerdotem ſacrificandi ſibi licentiam „vindicauerunt. Illic quoque per *Moyſen* præcepit dominus, „vt ab eis populus ſeparetur, ne facinoroſis coniunctus eodem „facinore & ipſe perſtringatur: *Separamini*, inquit, *a tabernaculis hominum iſtorum duriſſimorum, & nolite tangere ea, quæ ad eos pertinent, ne ſimul pereatis in peccato eorum*„. 4. Quarta quædam ratio erat, vt contagio deuitaretur. Nam conuerſari cum malis & profanis hominibus, eſt ſuas ipſius virtutes exponere periculo. Mala conſuetudo corrumpit bonos mores. Vnum membrum morbo contaminatum ſæpe vniuerſum corpus deſtruit. Quapropter ſicut proterui & in publicum noti peccatores hanc ipſam ob cauſſam a corpore eccleſiæ auulſi erant: ita ob eamdem cauſſam omnes homines nullam cum eis familiaritatem habere debebant, ne infamis eorum conuerſationis virus mores ipſorum corrumperet, nec in eorum mentes ſub-

(*b*) Cyprian. de vnitat. eccleſ. p. 119. (p. 85. edit. Amſtelod. MDCC.)

(*c*) Cyprian. epiſt. LXVIII. al. LXVII. ad plebem Legionis & Aſturicæ p. 171. (p. 288. edit. Amſtelod.)

tili quodam callidi obſequii artificio vel naturali praui exempli influxu ſeſe diffunderet. Nam *Homo nequam, vir nihili, verba facit pedibus ſuis, docet digitis ſuis*, vt vir ſapiens eleganter loquitur Prou. VI, 13. Actiones eorum non minus quam ſermones in aliorum animos influunt, illoſque prauis adfectionibus informant, ita vt nemo fere cum illis conuerſari poſſit, quin detrimentum capiat & contaminetur. Vnde CYPRIANVS [*d*], „Vitate, inquit, quæſo vos, eiuſmodi homines, & a latere at„que auribus veſtris perniciosa colloquia velut contagium „mortis arcete, ſicut ſcriptum eſt: *Sepi aures tuas ſpinis, & noli „audire linguam nequam.* Et iterum: *Corrumpunt ingenia bona con„fabulationes peſſimæ.* Docet dominus, & admonet a talibus re„cedendum. *Cæci ſunt*, inquit, *duces cæcorum; Cæcus autem cæcum „ducens, ſimul in foueam cadent.* Auerſandus eſt talis atque fugi„endus, quiſquis fuerit ab eccleſia ſeparatus„. Verum 5. poſito, aliquos potuiſſe cum iſtis ſine damno proprio conuerſari, non poterant tamen ſine manifeſto damno aliorum, qui infirmi erant & facile poterant induci ad ſequendum exemplum firmiorum in manifeſtam ruinam ſuam & exitium. Ob has ſimileſque rationes, quando eccleſia publicos quoſdam peccatores communione ſua penitus excluſerat, reliquos omnes ab eorum conſuetudine prohibebat, idque in gratiam tam peccatorum ipſorum, quam iuſtorum, vt ne illi in impœnitentia obfirmarentur, nec hi contagione ſceleris corrumperentur.

§. XIII.

Nulla munera ſiue oblationes ab excommunicatis recipi licitum.

OBSERVARI porro meretur, eccleſiam, vt ab excommunicatis ſe abhorrere ſignificaret, non permiſiſſe munera ſive oblationes ab eis recipi; quia hoc eo accipi poterat, quaſi eos quodam modo in ſua retineret communione & ſordido lucro inhiaret. Hinc nullum vmquam ad offerenda munera admittebat, niſi qui in plena ſecum eſſet communione, & legitime ſacrificium altaris participare poſſet, quemadmodum pluribus demonſtrauimus alibi [*]. Heic ſolum id iterum adnota-

(*d*) Cypr. de vnitat. eccleſ. p. 115. (p. 83. edit. Amſtel.)
(*) Lib. XV. c. IX. vol. VI. pag. 570. ſeqq.

imus

mus tamquam rem maxime memorabilem, quod ab omnibus rebus ad eos pertinentibus tantopere abhorruerit, vt ne quidem ea munera retinere voluerit, quæ istiusmodi homines libere obtulerant, dum in communione cum ipsa essent. Hoc ex TERTVLLIANO condiscimus, qui de *Valentino* & *Marcione*, propter hæreses suas *Roma* expulsis, loquens, semel & iterum eiectos dicit, & *Marcionem* quidem cum ducentis sestertiis suis, quæ ecclesiæ intulisset [*e*].

§. XIV.

Nec cum excommunicatis hæreticis matrimonium contrahi, vel eorum recipi eulogias, vel libros legi; sed eos comburi iussos.

DIVERSA alia exempla suppetunt, ex quibus veteres cumprimis ab hæreticis abhorruisse intelligimus, si censuræ ecclesiæ semel eis essent inflictæ. Concilium *Laodicenum* non tantum omnibus interdicit in cœmiteria eorum [*f*], vel in ea, quæ dicantur martyria abire; sed etiam vlla ab eis munera sub nomine eulogiarum accipere [*g*]; quia hoc quædam cum illis

(*e*) Tertull. de præscript. adu. hæretic. c. XXX. Vbi tunc Marcion, Ponticus nauclerus, Stoicæ studiosus? Vbi tunc Valentinus, Platonicæ sectator? Nam constat, illos neque adeo olim fuisse, Antonini fere principatu & in catholicam primo doctrinam credidisse apud ecclesiam Romanensem, donec sub episcopatu Eleutheri benedicti, ob inquietam semper eorum curiositatem, qua fratres quoque vitiabant, semel & iterum eiecti, & Marcion quidem cum ducentis sestertiis suis, quæ ecclesiæ intulerat, nouissime in perpetuum discidium relegati, venena doctrinarum suarum disseminauerunt.

(*f*) Vid. concil. Laodic. c. IX. Περὶ τοῦ, μὴ συγχωρεῖν εἰς τὰ κοιμητήρια, ἢ εἰς τὰ λεγόμενα μαρτύρια, πάντων τῶν αἱρετικῶν, ἀπιέναι τοὺς τῆς ἐκκλησίας, εὐχῆς ἢ θεραπείας ἕνεκα. κ. τ. λ. *Non concedendum esse, vt in cœmiteria, vel in ea quæ dicuntur martyria quorumuis hæreticorum, abeant ii, qui sunt ecclesiæ, orationis vel venerationis gratia.* Can. XXXIII. Ὅτι οὐ δεῖ αἱρετικοῖς ἢ σχισματικοῖς συνεύχεσθαι. *Quod non oportet vna cum hæreticis vel schismaticis orare.* Can. XXXIV. Ὅτι οὐ δεῖ πάντα χριστιανὸν ἐγκαταλείπειν μάρτυρας Χριστοῦ, καὶ ἀπιέναι πρὸς τοὺς ψευδομάρτυρας, τοῦτ᾽ ἔστιν αἱρετικῶν, ἢ αὐτοὺς πρὸς τοὺς προειρημένους αἱρετικοὺς γενομένους· οὗτοι γὰρ ἀλλότριοι τοῦ θεοῦ τυγχάνουσιν. *Quod non oportet omnem christianum Christi martyres relinquere & ad falsos martyres, hoc est hæreticorum, abire, vel eos, qui prius hæretici fuerunt. Hi enim sunt a Deo alieni.*

(*g*) Ibid. can. XXXII. Ὅτι οὐ δεῖ αἱρετικῶν εὐλογίας λαμβάνειν, αἵ τινές εἰσιν ἀλογίαι μᾶλλον, ἢ εὐλογίαι. *Quod non oportet hæreticorum benedictiones accipere, quæ sunt potius maledictiones, quam benedictiones.*

com-

communicatio erat; quum hæ eulogiæ, siue sanctificati panes, essent quædam ratio mutuam testificandi communionem. Idem concilium eis omnibus, qui sunt ecclesiæ, præcipit, vt commercium ne habeant cum hæreticis [*h*], indiscriminatim suos filios filiasue eis matrimonio coniungendo, nec hæreticorum filios & filias accipere permittant, nisi se christianos futuros [*i*] profiteantur. Vbi etiam obseruare licet, quod hæreticis, posteaquam fidem & communionem ecclesiæ dissoluissent, ne quidem nomen christianorum, absolute loquendo, tribuerint. Aliæ leges hæreticorum libros legi vetant, eo quod venenum errorum magnam partem per eos spargi & propagari iudicabatur. SOCRATES [*k*] epistolam quamdam CONSTANTINI MAGNI litteris consignatam exhibet, in qua *Arium* sectatoresque eius *Porphyrianos* vocari & libros eorum flammis absumi iubet, illud simul denuntians, quod si quis librum ab *Ario* compositum occultasse deprehensus fuerit, nec eum statim oblatum igne combusserit, mortis pœnam subiturus sit. Exstant hodieque duæ leges in codice *Theodosiano*, quibus eadem sub seueris pœnis præcipiuntur. Prima lex est, ab *Arcadio* & *Honorio* aduersus *Eunomianos*, notam *Arianæ* hæresis propaginem, facta in hanc sententiam [*l*]: *Eunomianæ superstitionis clerici, seu Montanistæ, consortio vel conuersatione ciuitatum vniuersarum atque vr-*

(*h*) Concil. Laodic. c. X. *Περὶ τȣ̃, μὴ δεῖν τȣ̀ς τῆς ἐκκλησίας ἀδιαφόρως πρὸς γάμȣ κοινωνίαν συνάπτειν τὰ ἑαυτῶν παιδία αἱρετικοῖς. Non oportere eos, qui sunt ecclesiæ, indiscriminatim suos filios hæreticis matrimonio coniungere.*

(*i*) Ibid. c. XXXI. *Ὅτι ȣ̓ δεῖ πρὸς πάντας αἱρετικȣ̀ς ἐπιγαμίας ποιεῖν, ἢ διδόναι υἱȣ̀ς, ἢ θυγατέρας, ἀλλὰ μᾶλλον λαμβάνειν, εἴγε ἐπαγγέλλοιντο χριστιανοὶ γίνεσθαι. Quod non oportet cum omni hæretico matrimonium contrahere vel dare filios aut filias: sed magis accipere, si se christianos futuros profiteantur.* Vid. concil. Illiberrit. c. XVI. Hæretici, si se transferre noluerint ad ecclesiam catholicam, nec ipsis catholicas dandas esse puellas; sed neque Iudæis, neque hæreticis, dare placuit; eo quod nulla possit esse societas fideli cum infideli.

(*k*) Socrat. lib. I. c. IX. *ἔδοξεν Ἄρειόν τε καὶ τȣ̀ς Ἀρείȣ ὁμογνώμονας, πορφυριανȣ̀ς μὲν καλεῖσθαι, ἵν' ὧν τȣ̀ς τρόπȣς μεμίμηνται, τȣ́των ἔχωσι καὶ τὴν προσηγορίαν· πρός τε τȣ́τοις καὶ εἴ τι σύγγραμμα ὑπὸ Ἀρείȣ συντεταγμένον εὑρίσκοιτο, τȣ̃το πυρὶ παραδίδοσθαι· -- ἐκεῖνο μέν τοι προαγορεύει, ὡς εἴ τις σύγγραμμα ἀπὸ Ἀρείȣ συνταγὲν φωραθείη κρύψας, καὶ μὴ εὐθέως προσενεγκὼν πυρὶ καταναλώσῃ, τȣ́τῳ θάνατος ἔσαι ἡ ζημία.*

(*l*) Cod. Theodos. lib. XVI. titul. V. de hæreticis leg. XXXIV.

bium

bium expellantur. --- Codices ſane eorum, ſcelerum omnium doctrinam ac materiam continentes, ſumma ſagacitate mox quaeri ac prodi, exerta auctoritate mandamus, ſub aſpectibus eorum iudicantum incendio mox cremandos. Ex quibus ſi qui forte aliquid qualibet occaſione vel fraude occultaſſe, nec prodidiſſe conuincitur, ſciat, ſe velut noxiorum codicum, & maleficii crimine conſcriptorum, retentorem, capite eſſe plectendum. Altera lex a *Theodoſio* iuniore lata contra *Neſtorianos* ita habet [*m*]: *Damnato portentoſae ſuperſtitionis auctore Neſtorio, nota congrui nominis eius inuratur gregalibus, ne chriſtianorum appellatione abutantur: ſed quemadmodum Ariani lege diuae memoriae Conſtantini ob ſimilitudinem impietatis Porphyriani a Porphyrio nuncupantur, ſic vtique participes nefariae ſectae Neſtorii Simoniaci vocentur: vt cuius ſcelus ſunt in deſerendo Deo imitati, eius vocabulum iure videantur eſſe ſortiti. Nec vero impios libros neſandi ſacrilegii Neſtorii aduerſus venerabilem orthodoxorum ſectam, decretaque ſanctiſſimi coetus antiſtitum Epheſi habiti ſcriptos habere aut legere aut deſcribere quiſquam audeat: quos diligenti ſtudio requiri, ac publice comburi decernimus: Ita, vt nemo in religionis diſputatione aliquam ſupradicto nomine faciat mentionem: Aut quibuſdam eorum habendi concilii gratia, in aedibus, aut villa, aut ſuburbano ſuo, aut alio quolibet loco, conuenticulum, clam aut aperte, praebeat; quos omni conuentus celebrandi licentia priuari ſtatuimus: Scientibus vniuerſis, violatorem huius legis publicatione bonorum eſſe coërcendum.* Conſuetudo iſta comburendi libros haereticorum per multas alias leges confirmatur, qua de re poſtea dicentur plura, quando de haereticorum poena ex inſtituto loquuturi ſumus. Hoc loco obſeruamus, mandatum de non legendis vel retinendis illis ab eccleſia ita fuiſſe limitatum, vt epiſcopis eos legere licuerit, ſi tempus & neceſſitas [*n*] id exigeret, hoc eſt, ſi ea confutari alioſque contra eorum virus praemuniri oporteret. Nam concilium *Carthaginenſe* quartum, quod generatim libros gentilium legi vetat, haereticorum libros legi cum hac conditione permittit. Atque adeo ſi quis hoc in caſu eos retineret, non doloſe & malitioſe eos retinere & occultare iu-

(*m*) Cod. Theod. lib. XVI. tit. V. leg. LXVI. & in actis concil. Epheſ. part. III. c. XLVI.

(*n*) Concil. Carthag. IV. c. XVI. Vt epiſcopus gentilium libros non legat; haereticorum autem pro neceſſitate & tempore. Vid. lib. VI. c. III. §. IV. volum. II. p. 350. ſeqq. vbi haec quaeſtio tractatur fuſius.

dicabatur, quam fraudulentam agendi rationem leges imperiales capitis ſupplicio & publicatione bonorum puniri iubent. GOTHOFREDVS præterea de vtilitate & effectu harum legum aliquid notatu dignum obſeruat [o], hæreticos eorum terrore coactos libros ſuos cautiſſime vulgaſſe, & alios itidem cautiſſime eos occultaſſe, adeo quidem, vt, quemadmodum referat PHOTIVS [p], primum EVNOMII librum ab *Eunomianis* de induſtria occultatum, ne ad alios perueniret, vix tandem BASILIVS nactus refutauerit: EVNOMIVM quoque, eodem narrante PHOTIO [q], poſteriores libros ſuos, quibus BASILIO reſponderit, multis annis conceptos, vix *συμμύςαις* ſuis exhibuiſſe BASILII metu; BASILIO mortuo nec tunc quidem omnibus ſed amicis duntaxat vulgaſſe, formidine pœnarum, quas leges eis irrogarint, quamquam PHILOSTORGIVS [r], hiſtoricus *Arianus* hiſce plane contraria portentoſe narret.

§. XV.

Quid intelligatur per τὸ tradi Satanæ.

DVO vel tria adhuc ſunt, ad rationem, formam & effectus excommunicationis ſpectantia, quæ nonnihil difficultatis

(o) Gothofr. in cod. Theodoſ. lib. XVI. titul. V. de hæreticis leg. XXXIV. p. 153.

(p) Phot. cod. CXXXVII. *κρύφιον δὲ καὶ ἀνέκφορον τοῖς ἄλλοις εἶναι διεσπούδαστο, μόλις ποτὲ ὁ μέγας Βασίλειος ἐπὶ χεῖρας λαβεῖν δυνηθεὶς κ.τ.λ.*

(q) Id. Cod. CXXXVIII. *ἐπιμελῶς, καὶ ὥσπερ ὁ τοῦ Κρόνου μῦθος τὸ γέννημα καταπιὼν, ἔκρυπτέ τε καὶ συνεκάλυπτε· μέχρις ἂν ἡ Βασιλείου ζωὴ τῷ ἐπικήρῳ παρατεινομένη βίῳ τὸν φόβον ἐπέσειεν· ἐπεὶ δὲ ὁ θεῖος ἐκεῖνος ἀνὴρ τὴν παροικίαν λιπὼν, εἰς τὸν οἰκεῖον καὶ οὐράνιον κλῆρον ἀνέδραμε: τοῦ πολλοῦ λυθέντος δέους, ὅτε τοῦ καιροῦ τὸ δημοσιεύειν ὑπῆρχεν, οὔτε τότε πᾶσιν, ἀλλὰ τοῖς φίλοις ἐθάῤῥησεν. Studioſè, velut alter in fabulis Saturnus, natum deuorando texit atque abſcondit, quamdiu quidem Baſilius in fluxa iſta vita degens metum incuteret. Poſtquam vero vir ille diuinus, peregrina habitatione relicta, in ſuam, hoc eſt, in cæleſtem commigrauit hereditatem, & ingenti illo metu diſcuſſo, vix tandem ſero edendi aduenit occaſio, ne tunc quidem omnibus, ſed amicis duntaxat euulgare auſus eſt.*

(r) Philoſtorg. lib. VIII. c. XII. in epitome confecta a Photio. *ὅτι οὐ μόνον τὸν μέγαν Βασίλειον, ἀλλὰ καὶ τὸν Ἀπολλινάριον λέγει πρὸς τὴν ἀπολογίαν Εὐνομίου ἀντιγράψαι· εἶτα πάλιν Εὐνομίου ἐν πέντε λόγοις συμπλακέντος Βασιλείῳ, ἐντυχεῖν ἐκεῖνον τῷ πρώτῳ, καὶ βαρυθυμήσαντα λιπεῖν τὸν βίον. Ait Philoſtorgius, non ſolum Baſilium Magnum, verum etiam Apollinarem, ſcripſiſſe aduerſus apologeticum Eunomii. Poſtea vero Eunomium quinque libris aduerſus Baſilium decertaſſe. Hunc vero quum primum duntaxat librum legiſſet, graui dolore perculſum ex hac vita migraſſe.*

in ſe habent, adeoque conſultum fuerit, ea heic paullum explicare. Prima difficultas oritur ex præcepto *Pauli* apoſtoli *Corinthiis* dato, de ratione agendi cum inceſtuoſo, qui vxorem patris duxerat in matrimonium 1 Cor. V, 5. quem in nomine & cum poteſtate domini noſtri *IESV CHRISTI* iubet *tradi Satanæ ad exitium carnis, vt ſpiritus ſaluus ſit die illo domini Ieſu.* Sic iterum 1 Timoth. I, 20. loquens de *Hymenæo* & *Phileto* ait, *Quos tradidi Satanæ, vt caſtigati diſcerent non blaſphemare.* Duæ celebratiſſimæ horum locorum expoſitiones ſunt. GVILIELMVS BEVEREGIVS [s] & GVILIELMVS ESTIVS [t] poſt BALSAMONEM & ZONARAM [u], cum multis recentioribus interpretibus, quos ESTIVS nominat, hanc traditionem putant eſſe aliam tantum excommunicationis appellationem, & ſpiritualem inde oriundum effectum, hoc eſt, afflictionem animæ non corporis, denotare. *Dicuntur enim*, inquit ESTIVS, *qui ad hunc modum excommunicantur, tradi Satanæ, quia proiecti extra ſocietatem fidelium, quæ eſt eccleſia CHRISTI, & per hoc priuari bonis omnibus illi ſocietati propriis ac peculiaribus, veluti ſunt orationes ac ſuffragia communia, ſacramentorum participatio, ſpecialis diuina protectio, cura paſtoralis eorum, qui præſunt & cetera talia; tyrannidi & incurſibus diaboli, cuius regnum eſt extra eccleſiam, relinquuntur expoſiti.* Atque eatenus ille cum aliis concedit, vnumquemque excommunicatum Satanæ traditum eſſe, quamuis nulla corporis infeſtatio,

(s) Beuereg. not. in can. apoſt. X. Ipſe fundator & caput eccleſiæ in mandatis dedit, vt qui eccleſiam audire neglexerit, ſit ὥσπερ ὁ ἐθνικὸς καὶ ὁ τελώνης, Matth. XVIII, 17. hoc eſt, *eccleſia eiiciatur*, ſiue excommunicetur. Quod D. Paulus poſtea expreſſit per παραδοῦναι τῷ Σατανᾷ 1 Cor. V, 5. 1 Tim. I, 20.

(t) Eſtius in 1 Cor. V, 5. p. 232. 233.

(u) Balſam. in Baſil. can. VII. ἐκεῖνοι δὲ λέγονται παραδοθῆναι τῷ Σατανᾷ, οἱ χωριζόμενοι ἀπὸ τῆς κοινωνίας τῶν πιστῶν· οἱ γοῦν ἐπὶ τοσοῦτον χρόνον ἀφορισθέντες, ὡσανεὶ τῷ Σατανᾷ παρεδόθησαν. *Illi dicuntur traditi eſſe Satanæ, qui a chriſtianorum communione ſeparantur. Qui tanto ergo tempore (XXX. annis) ſeparati fuere, Satanæ veluti traditi ſunt.*

Zonar. ibid. τινὲς μὲν δαίμονι κάτοχον γενέσθαι τὸν πορνεύσαντα λέγουσι, τινὲς δὲ, νόσου μάστιγι ἐκδοθῆναι· καί τοι ἐξ αὐτῶν πρὸς Κορινθίους ἐπιστολῶν λυομένου τοῦ ἀμφιβόλου, καὶ δηλουμένου, ὅτι τὸ παραδοθῆναι τῷ Σατανᾷ ἀφορισθῆναι ἐστί. κ. τ. λ. *Quidam dæmonis poteſtati obnoxium fornicatum factum fuiſſe dicunt, quidam vero morbi flagello traditum. Ceterum ex ipſiſmet ad Corinthios epiſtolis ſoluitur dubitatio, & declaratur: quod tradi Satanæ eſt ſegregari, & a cœtu fidelium abdicari.*

quæ fiat a dæmone, coniuncta fuerit. Alii putant, præter hanc ſpiritualem pœnam, excommunicationem certiſſime inſequutam, in diebus apoſtolorum alium adhuc huius traditionis effectum fuiſſe, nimirum adflictionem corporis, vt corporaliter a miniſtris Satanæ fuerint obſidendi & vexandi. HENRICVS HAMONDVS, HVGO GROTIVS & LIGHTFOOTVS acerrimi huius opinionis inter recentiores propugnatores ſunt, & plerosque veterum interpretum ſibi habent conſentientes, id quod ESTIVS haud negat, quamuis PETRVM LOMBARDVM & THOMAM AQVINATEM & auctorem gloſſæ ordinariæ ſequi malit. CHRYSOSTOMVM & patres *Græcos* huic ſententiæ adſentiri fatetur; & inter *Latinos* AMBROSIVM & PACIANVM; nec non AVGVSTINVM, quamquam hunc non ſatis ſibi conſtare putat in adſertione ſua. Sed fallitur. Nam AVGVSTINVS aperte pro hac ſententia fuit. Non quidem dicit, mortem fuiſſe pœnam illam, quam *Corinthio* inflixit apoſtolus, vti *Petrus* fecit *Ananiæ* & *Sapphiræ*; diſerte tamen dicit, fuiſſe quamdam vindictam [x] per Satanam factam ab apoſtolo. Quam vindictam ab ordinaria excommunicatione diſtinguit, vocando eam *flagellum domini*, quam apoſtolum non niſi vrgente peculiari quadam neceſſitate adhibere dicit, quando nimirum ad morbum quemdam epidemicum curandum, vel ſingularem aliquem peccatorem, qui multitudinis fauore ſuſtentetur, corrigendum aliud remedium non ſuppetat, niſi vt Deus flagitetur, vt ipſe malo iſti medeatur. *Reuera*, inquit [y], *ſi contagio peccandi multitudinem inuaſerit, diuinæ diſciplinæ ſeuera miſericordia eſt: nam conſilia ſeparationis* (hoc quidem in caſu) *& inania ſunt & perniciosa atque ſacrilega, quia* (rebus ita ſe habentibus) *& impia & ſuperba ſiunt, & plus perturbant infirmos bonos, quam corrigant animoſos malos.* Hoc ſenſu etiam alia iſtius apoſtoli loca interpretatur, 2 Cor. XII, 21. *Ne iterum, quum venero ad vos, humiliet me Deus, & lugeam multos ex iis, qui ante peccauerunt, & non egerunt pœnitentiam ſuper immunditia, & luxuria, & fornicatione, quam geſſerunt:* Et 2

(x) Aug. de ſermon. dom. in monte lib. I. c. XX. Etſi nolunt heic mortem intelligere, quod fortaſſe incertum eſt, quamlibet vindictam per Satanam factam ab apoſtolo fateantur.

(y) Auguſtin. contr. epiſt. Parmen. lib. III. c. II. (tom. VII. opp. p. 61. edit. Baſil. MDLXIX.)

Cor.

Cor. XIII, 1. 2. *Ecce tertio hac veniam ad vos, vt in ore duorum vel trium testium stet omne verbum. Prædixi & prædico, sicut præsens secundo, & nunc absens iis, qui ante peccauerunt, & ceteris omnibus: quia si venero iterum, non parcam, quia probationem quæritis eius, qui in me loquitur Christus.* Heic apostolum dicit per luctum suum potius eos diuino flagello [z] coërcendos minari, quam per illam correptionem, vt ceteri ab eorum coniunctione se contineant; & hanc esse potestatem loquentis in se *CHRISTI.* Vbi nihil potest esse clarius, quam quod AVGVSTINVS hanc potestatem tamquam extraordinariam distinguat ab ordinaria potestate excommunicationis, quam apostolus sibi in istiusmodi difficilibus casibus adseruatam habuerit, vbi ordinaria excommunicationis potestas propter multitudinem & consociationem peccantium ex nuda sua ipsius virtute nihil valeret efficere. Vt adeo ex ipsius sententia hæc potestas tradendi Satanæ aliquanto superior fuerit ordinaria illa potestate eiiciendi homines de ecclesia & fidelium societate. AMBROSIVS eiusdem fuit sententiæ cum AVGVSTINO. Nam explicans, quemadmodum incestuosus ille punitus sit, ait: *Sicut dominus in animam sancti Iob potestatem non dedit, sed in carnem eius permisit licentiam, ita &* [a] *hic traditur Satanæ.* Et HIERONYMVS [b], *Præcepit eum tradi pœnitentiæ, in interitum & vexationem carnis, per ieiunia & ægrotationes, vt spiritus saluus fiat.* Atque ita PACIANVS [c] explicat, *Vides*, inquiens, *quod hic ipse peccator incestus non morti traditur, sed Satanæ ad emendandum, ad colophizandum, ad pœnitendum. Ad interitum carnis, non tamen animæ, non etiam spiritus, sed ad solius carnis interitum, tentationes scilicet, carnis angustias, detrimenta membrorum.* Auctor *breuium adnotationum* [d], qui sub nomine HIERONYMI

(z) Ibid. Per luctum suum potius eos *diuino flagello* coërcendos minans, quam per illam correptionem, vt ceteri ab eorum coniunctione se contineant.

(a) Ambros. de pœnit. lib. I. c. XII.

(b) Hieron. comm. in Galat. V.

(c) Pacian. epist. III. ad Sempron. bibl. patr. tom. III. p. 66. (tom. IV. p. 313. d. edit. Lugdun. MDCLXXVII.)

(d) Hieron. commentar. in 1 Cor. V, 5. *Tradere huiusmodi*] Vt accipiendi illum corporaliter habeat potestatem. Quod dum viderit, se nec carnis heic, nec in futuro spiritus requiem habiturum, de facto pœniteat, vt saluetur. Siue sic quisque pro meritis suis de ecclesia pellitur, & Satanæ traditur potestati, vt dum caro eius per pœnitentiam adflicta quemdam interitum patitur, spiritus conseruetur.

scripsit, idem dicit. Ita quoque CASSIANVS [e], cui ipse ESTIVS PRIMASIVM addit & HAIMONEM. Inter *Græcos* CHRYSOSTOMVS eumdem verbis apostoli sensum adsignat. Apostolum tradidisse dicit incestuosum *Corinthium* Satanæ [f], & tamquam pædagogo tradidisse eum in interitum carnis. Quomodo factum sit in beato *Iob*, sed non pro eadem caussa. Nam illic quidem pro splendidioribus coronis, heic autem pro solvendis peccatis; vt eum flagellaret malo vlcere aut morbo alio. Obseruat quoque, quod apostolus alibi dicat, istiusmodi morbos nonnumquam ab ipsa Dei manu peccatoribus infligi. *A domino iudicamur hæc patientes:* quod heic autem eum magis volens tangere tradat Satanæ. Eodem modo verba apostoli interpretatur, de *Hymenæo* & *Phileto*, *Quos tradidi Satanæ, vt discant non blasphemare. Quemadmodum*, inquit [g], *carnifices innumeris sceleribus pleni castigant alios: ita & heic de nequissimo dæmone dicitur. --- Ita & Iob Satanæ traditus est, non tamen delictorum caussa, sed vt maiora referret virtutis præmia.* Addit statim, *Plurima eius-*

(e) Cassian. collat. VII. c. XXV. Corporaliter traditos Satanæ, vel infirmitatibus magnis etiam viros sanctos nouimus pro leuissimis quibusque delictis &c. Cap. XXVII. Diro confestim est traditus dæmoni, vt humanas egestiones ori suo ab eo suppletus ingereret. Quod flagellum purgationis gratia se dominus intulisse, ne scilicet in eo vel momentanei delicti macula resideret, velocitate curationis eius atque aucto remedio demonstrauit. Cap. XXVIII. Ex quo manifeste perpenditur, non debere eos abominari vel despici, quos videmus diuersis tentationibus, siue istis nequitiæ spiritibus tradi, quia duo hoc credere immobiliter nos oportet, primo, quod sine Dei permissu nullus ab eis omnino tentetur. Secundo quod omnia, quæ a Deo nobis inferuntur, siue tristia ad præsens seu læta videantur, velut a piissimo patre clementissimoque medico pro nostris vtilitatibus irrogentur, & idcirco eos velut pædagogis traditos humiliari, vt discedentes ex hoc mundo, vel purgatiores ad vitam aliam transferantur, vel pœna leuiore plectantur, qui secundum apostolum traditi sunt in præsenti Satanæ in interitum carnis, vt spiritu salui fiant in die domini nostri Iesu Christi.

(f) Chrysost. homil. XV. in 1 Cor. p. 451. (p. 153. c. edit. Francof.) *ὥσπερ παιδαγωγῷ τὸν τοιοῦτον παραδιδούς -- εἰς ὄλεθρον τῆς σαρκός· ὥσπερ ἐπὶ τοῦ μακαρίου Ἰὼβ γέγονεν, ἀλλ᾽ οὐχ ὑπὲρ τῆς αὐτῆς ὑποθέσεως· ἐκεῖ μὲν γὰρ ὑπὲρ στεφάνων λαμπροτέρων, ἐνταῦθα δὲ ὑπὲρ ἁμαρτημάτων λύσεως, ἵνα μαστίξῃ αὐτὸν ἕλκει πονηρῷ, ἢ νόσῳ ἑτέρᾳ· καὶ μὴν ἀλλαχοῦ φησιν, ὅτι ὑπὸ τοῦ κυρίου κρινόμεθα ταῦτα πάσχοντες· ἀλλ᾽ ἐνταῦθα μᾶλλον καθάψεσθαι θέλων τῷ Σατανᾷ παραδίδωσι.*

(g) Chrysost. hom. V. in 1 Timoth. p. 1547. (p. 436. 437. edit. Francof.) *ὥσπερ οἱ δήμιοι μυρίων γέμοντες κακῶν τοὺς ἄλλους σωφρονίζουσιν, οὕτω καὶ ἐνταῦθα ἐπὶ τοῦ πονηροῦ δαίμονος· --- οὕτω καὶ ὁ Ἰὼβ παρεδόθη τῷ Σατανᾷ· ἀλλ᾽ ἐκεῖνος οὐχ ὑπὲρ*

modi

modi nunc quoque contingunt. Quia enim ſacerdotes ignorant eos, qui peccatis obnoxii indigne myſteria veneranda percipiunt: Deus ſæpius facit, eoſque Satanæ tradit. Quoties denique morbi, quoties detrimenta, quoties luctus calamitateſque contingunt, & alia quælibet huiuſmodi, huius rei gratia fiunt. Id Paulus quoque ſignificanter expreſſit, Ideo inter vos, inquit, multi infirmi & imbeciles, & dormiunt multi. CHRYSOSTOMI explicationi ſubſcribit THEODORETVS. Loquens enim de *Hymenæo* & *Alexandro* ait [*h*]: *Apoſtolus tradidit eos Satanæ, vt ſæuo carnifici. Ab eccleſiaſtico enim corpore ſeparati & diuina gratia nudati crudeliter ab aduerſario flagellabantur, incidentes in morbos & difficiles adfectiones & in alias ærumnas & calamitates: hæc enim conſueuit diabolus inferre hominibus.* Iam quum generalis hæc veterum, tam *Græcorum* quam *Latinorum* ſententia ſit, quod hæc extraordinaria poteſtas apoſtolica fuerit, ab ordinaria excommunicationis poteſtate diſtincta; non deprehendimus, eos in vlla excommunicationis formula hanc phraſin *traditionis Satanæ*, adhibuiſſe; vtpote exploratum habentes, eccleſiam, ceſſante poteſtate miraculorum, apoſtolicam illam poteſtatem infligendi excommunicatis per Satanam calamitates corporales nullo ſibi iure arrogare poſſe. CASSIANVS [*i*] quidem ſe noſſe dicit viros ſanctos, pro leuiſſimis quibuſque delictis corporaliter traditos Satanæ vel infirmitatibus magnis. Verum hoc per ipſam manum Dei eiuſque caſtigationes, non per cenſuras factum eccleſiæ, quæ viros ſanctos non excommunicabat, nec alios quoſcumque ob peccata leuiſſima. Auctor vitæ AMBROSII [*k*] narrat, quum res ei aliquando fuerit cum homine flagi-

ἁμαρτημάτων, ἀλλ᾽ ὑπὲρ πλείονος εὐδοκιμήσεως· Πολλὰ τοιαῦτα γίνεται, καὶ νῦν· ἐπειδὴ γὰρ οἱ ἱερεῖς οὐ πάντας ἴσασι τοὺς ἁμαρτωλοὺς καὶ ἀναξίως τῶν μυστηρίων μετέχοντας, ὁ θεὸς πολλάκις τοῦτο ποιεῖ, καὶ παραδίδωσιν αὐτοὺς τῷ Σατανᾷ· ὅταν γὰρ νόσοι, ὅταν ἐπιβουλαί, ὅταν πένθη καὶ συμφοραὶ συμβαίνωσιν, ὅταν ἄλλα τινὰ τοιαῦτα, διὰ τοῦτο γίνεται· καὶ τοῦτο ὁ Παῦλος δηλοῖ, οὕτω λέγων· διὰ τοῦτο ἐν ὑμῖν πολλοὶ ἀσθενεῖς καὶ ἄῤῥωστοι καὶ κοιμῶνται ἱκανοί.

(*h*) Theodor. in 1 Tim. I, 20. τῷ διαβόλῳ - παρέδωκε τούτους ὡς δημίῳ πικρῷ· --- τοῦ γὰρ ἐκκλησιαστικοῦ σώματος χωρισθέντες, καὶ τῆς θείας χάριτος γυμνωθέντες, πικρὰς παρὰ τοῦ δυσμενοῦς ἐδέχοντο μάστιγας, καὶ νόσοις καὶ παθήμασι χαλεποῖς περιπίπτοντες, καὶ ζημίαις καὶ συμφοραῖς ἑτέραις.

(*i*) Caſſian. collat. VII. c. XXV. vid. ſub anteced. litt. (e) pag. 110.

(*k*) Paulin. vit. Ambroſii. Quum deprehendiſſet auctorem tanti flagitii, ait, Oportet illum tradi Satanæ in interitum carnis, ne talia aliquis in poſte-

tio-

tioſo, dixiſſe ipſum, oportere illum tradi Satanæ in interitum carnis, ne talia aliquis in poſterum auderet admittere: eodemque momento, quum adhuc ſermo eſſet in ore AMBROSII, ſpiritum immundum eum arreptum diſcerpere cœpiſſe. Verum hoc, ſi ita ſe habet, ſingulare exemplum fuit apoſtolicæ & miraculoſæ poteſtatis adhuc reſiduæ in AMBROSIO, cui vix vllum exemplum conſimile in omni hiſtoria eccleſiaſtica inuenias. In antiquis canonibus huius phraſis vſus rariſſimus eſt. BASILIVS [l] ſemel eius meminit, & GRATIANVS epiſtolam citat PELAGII pontificis *Romani* [m], in qua hæc legantur: *Apoſtolicæ auctoritatis exemplo didicimus, errantium & in errorem mittentium ſpiritus tradendos eſſe ſatanæ, vt blaſphemare dediſcant.* Verum hiſce in locis nihil amplius videtur ſignificare quam excommunicationem, ſiue eiectionem de eccleſia, quæ ſpiritualis ratio eſt tradendi Satanæ, ſine reſpectu habito ad corporalem infeſtationem. Omnes enim in hoc conſentiunt, poſt apoſtolorum tempora talem poteſtatem generatim miniſtris eccleſiæ haud eſſe tributam. Et hanc ob cauſſam PETRVS MOLINAEVS, ab eccleſia reformata in *Gallia* in ſynodo *Aleſii* anno MDCXX. habita, cui ipſe præfuit moderator, hanc excommunicationis formulam interdictam eſſe adfirmat. *Prudenter cautum eſt*, inquit [n], *a ſynodo nationali Alenſi, ne quis deinceps in excommunicationibus vtatur hac loquendi formula, TRADENDI SATANAE, nec vibret in quemquam ANATHEMA MARANATHA*, --- *quæ ab eis ſolis vibrari poteſt, qui norunt arcana reprobationis, & Deo reuelante ſciunt, an, qui excommunicatur, peccet in ſpiritum ſanctum, aut peccato ad mortem, id eſt impœnitentia ad mortem vſque duratura, pro quo peccato Ioannes negat orandum eſſe.* Prohibitio vſurpationis formulæ *Anathema Maranatha* heic facta ad aliam nos deducit diſquiſitionem, Quid veteres per hæc vocabula intellexerint; & num iis vmquam, tamquam formula excommunicationis, vſi ſint?

rum audeat admittere. Quem eodem momento, quum adhuc ſermo eſſet in ore ſacerdotis ſancti, ſpiritus immundus arreptum diſcerpere cœpit.

(l) Baſil. can. VII. σχεδὸν γὰρ ὅλην γενεὰν ἀνθρώπου παρεδόθησαν τῷ σατανᾷ, ἵνα παιδευθῶσι μὴ ἀσχημονεῖν. *Fere tota hominis ætate Satanæ traditi ſunt, vt diſcant non ſe turpiter gerere.*

(m) Pelag. ap. Gratian. cauſſ. XXIV. quæſt. III. c. XIII.

(n) Molin. vates, ſeu de bonis maliſque prophetis lib. II. c. XI. p. 114. (p. 72. 75. edit. Gorinchem. MDCLXXII.)

§. XVI.

§. XVI.

Quid per Anathema Maranatha? *Et num vlla istiusmodi excommunicationis formula in ecclesia antiqua obtinuerit.*

ANATHEMA vocabulum est, in antiquis canonibus & omnium hæreticorum damnatione frequentissime obuium. Concilium *Gangrense* canones suos singulos concludit verbis, *ἀνάθεμα ἔςω*, *Anathema sit*, hoc est, separatus a communione ecclesiæ eiusque priuilegiis & a gratia Dei, sine pœnitentia, quisquis aduersus horum canonum tenorem sese extulerit. Et hic plerorumque aliorum conciliorum stilus est, fundatus illa formula *Paulina: Etiamsi nos aut angelus e cælo euangelizet vobis prater id, quod vobis euangelizauimus, anathema esto.* Gal. I, 8. Sed vocabulum *Maranatha* non ita frequenter vocabulo *anathema* additur. Pauca de vocabulo ipso dicuntur inter veteres, & pauciora [o] de eius vsu in formula aliqua excommunicationis. CHRYSOSTOMVS [p] vocabulum *Hebræum* esse dicit & significare, *Dominus noster venit*: Et speciatim hoc adiicit ad adficiendum pudore illos, qui euangelii priuilegiis abutebantur, quantumvis dominus iam ad ipsos venisset. *Per vnum hoc verbum* (anathema), inquit, *omnes terruit, qui membra sua faciebant membra meretricis: eos, qui fratres offendebant per immolata idolis, eos, qui nominabantur ex hominibus, eos qui non credebant resurrectioni. -- Quanam de caussa Maranatha dictum est, & cur voce Hebraica? Quoniam omnium malorum caussa erat fastus. -- Eorum fastum comprimens, ne Græca quidem sed Hebraica lingua est vsus. -- Quid est autem Maranatha?*

(o) Gratian. cauff. XXIII. quæst. IV. c. XXX. mentionem eius facit, tamquam vsurpati in formula excommunicationis a Syluerio: Ego propterea non dimisi, nec omitto officium meum, sed cum episcopis, quos congregare potui, eos, qui talia erga me egerunt, anathematizaui, & vna cum illis apostolica & synodali auctoritate statui, nullum vmquam taliter decipiendum, sicut deceptus sum: & si aliquis deinceps vllum vmquam episcoporum taliter deceperit, *anathema maranatha* fieret in conspectu Dei & sanctorum angelorum.

(p) Chrysost. hom. XLIV. in 1 Cor. p. 718. (p. 488. edit. Francof.) Δι' ἑνὸς τέτε ῥήματος [ἀνάθεμα] πάντας ἐφόβησε, τὲς τὰ μέλη αὐτῶν ποιἕντας πόρνης μέλη, τὲς σκανδαλίζοντας τὲς ἀδελφὲς διὰ τῶν εἰδολοθύτων, τὲς ἐπ' ἀνθρώπων ὀνομαζομένες, τὲς τῇ ἀναςάσει διαπιςἕντας· Μαραναθά· τίνος ἕνεκεν τἔτο εἴρηται; τί δήποτε τῇ Εβραΐδι φωνῇ; ἐπειδὴ πάντων τῶν κακῶν ὁ τῦφος αἴτιος ἦν -- καταςέλλων αὐτῶν τὸν τῦφον, ἐδὲ ἑλλάδι κέχρηται γλώσσῃ, ἀλλὰ τῇ Εβραΐδι -- τί δὲ

Dominus noster venit. Quanam ergo de caussa hoc ipsum dicit? Dispensationis domini sermonem confirmans, eo quod ex iis maxime composuerit semina resurrectionis. Nec hoc solum, sed illos etiam pudore adficiens. Quasi diceret: Communis omnium dominus tantum dignatus est descendere; vos autem in iisdem estis & perseueratis peccare. HIERONYMVS [q] ait: *Maranatha magis Syrum est quam Hebræum: Tamen ex confinio vtrarumque linguarum aliquid & Hebræum sonat, & interpretatur: Dominus noster venit.* Applicat autem hoc contra peruersitatem iudæorum & aliorum, qui aduentum *CHRISTI* negabant, quando pergit: *Vt sit sensus, Si quis non amat dominum Iesum, anathema sit: Et illo completo deinceps inferatur, dominus noster venit. Quod superfluum sit aduersus eum odiis pertinacibus velle contendere, quem venisse iam constet.* Idem sensus ei datur ab HILARIO diacono, & PELAGIO, qui sub nominibus AMBROSII [r] & HIERONYMI [s] scripserunt. Et hæc interpretatio tamquam optima ab ESTIO & LIGHTFOOTO acceptatur. Vt adeo secundum hunc sensum *Maranatha* non potuerit esse pars excommunicationis, sed ratio duntaxat pronuntiandi anathema contra illos, qui odium suum in *CHRISTVM* declararent, eius aduentum negantes, vel verbis, vt iudæi faciebant, blasphemantes *CHRISTVM, IESVM*que vocantes anathema; vel malis operibus, quemadmodum faciebant illi, qui sub nomine christiano irreligiosius viuebant.

VERVMTAMEN alii ex veteribus id de futuro aduentu *CHRISTI* interpretantur. Velut AVGVSTINVS, qui *Maranatha* vocabulum *Syrum* esse dicit & significare, *donec dominus* [t] *redeat.* Et speciatim id applicat contra *Arianos*, qui non recte di-

ἐστι μαραναθά; ὁ κύριος ἡμῶ. ἦλθε· τίνος δὲ ἕνεκεν αὐτὸ τοῦτό φησι; τὸν τῆς οἰκονομίας βεβαιῶν λόγον, ἐξ ὧν μάλιστα τὰ σπέρματα τῆς ἀναστάσεως συντέθεικεν· οὐ τοῦτο δὲ μόνον, ἀλλὰ καὶ ἐκείνους ἐντρέπων· ὡσανεὶ ἔλεγε, ὁ κοινὸς πάντων δεσπότης καταβῆναι τοσοῦτον κατηξίωσε, καὶ ὑμεῖς ἐν τοῖς αὐτοῖς ἐστε, καὶ ἐπιμένετε ἁμαρτάνοντες.

(q) Hier. epist. CXXXVII. ad Marcellam.

(r) Ambrof. in 1 Cor. XVI. *Maranatha* magis Syrum est quam Hebræum: tamen ex sermone vtrarumque linguarum aliquid Hebræum sonat & interpretatur, *Dominus noster venit.*

(s) Hieron. in 1 Cor. XVI. Interpretatur, *Dominus noster venit.*

(t) Aug. epist. CLXXVIII. siue altercatio cum Pascentio. *Anathema* Græco sermone dixit, *condemnatus: Maranatha* definiuit, *Donec dominus redeat.*

can-

cantur dominum amare, quia eius diuinam naturam negent. HAMMONDVS & plures alii recentiores interpretes [u], *Maranatha* hoc ſenſu accipiunt, *Dominus veniet ad iudicium*, quemadmodum *Iudas* apoſtolus ait: *Ecce venit dominus cum ſanctis millibus ſuis, vt ferat iudicium aduerſus omnes, & redarguat, quicumque ex ipſis ſunt impii*, cetera. Et ſtatuunt, hoc reſpondere tertiæ & grauiſſimæ ſpeciei excommunicationis inter iudæos, quam dixerunt *Schammatha*. Dicunt enim, apud Iudæos tres excommunicationis ſpecies in vſu fuiſſe, נדוי, *Niddui*, חרם, *Cherem*, & שמתא, *Schammatha*. *Niddui*, ex eorum ſententia, prima & leuiſſima excommunicationis ſpecies erat, qua quiſpiam ab ſynagoga aliorumque conſortio triginta dies ſeparabatur, ſi reſipiſceret: Sin minus, tempus duplicabatur ad dies ſexaginta, & ſi adhuc in animi obſtinatione perſeueraret, ad nonaginta dies prorogabatur. Si adhuc eſſet contumax, ſolemniore puniebatur excommunicatione, dicta *Cherem*, quæ reſpondet *anathemati*, quia peccatori cum diris & horrendis maledictionibus, ex lege *Moſis* ſumtis, infligebatur. Tertia ſpecies, vocata *Schammatha*, omnium erat grauiſſima, per quam homo poſt omnia humana media a reipublicæ pariter ac eccleſiæ communione ſine ſpe vmquam redeundi ſeparabatur, & ſoli diuino iudicio penitus deſtinabatur. Vocabulum *Schammatha* hoc reſpectu dicitur ſignificare, vel *Ibi mors*, vel, *Erit deſolatio*, vel, *Dominus veniet*. Quæ vltima vocis etymologia vocabulo *Maranatha* reſpondet. Iam ex hac analogia & ſimilitudine nominis hi viri docti hanc excommunicationis formulam in eccleſiam chriſtianam ſub nomine *Maranatha* receptam eſſe credunt. Verum huic ſententiæ illud maxime aduerſatur, quod CHRYSOSTOMVS & HIE-

--- Non ergo recte dicitur dominum amare, qui dominum & Dei vnius audet ſubſtantiam ſeparare &c.

(*u*) Vid. Poli ſynopſ. criticor. in 1 Cor. XVI, 22. Tres erant apud iudæos anathematis, ſiue excommunicationis ſpecies; 1. נדוי, *Niddui* (g) hoc eſt, *profligatio*, a familiari conſortio, ad 4 paſſus, 2. חרם, *Herem*, quod ſolemnior erat, cum execrationibus additis e lege Moyſis, quo vtebantur in eum, qui monitus non reſipiſcebat. 3. שמתא, *Samatha*, quod heic *Maranatha*. Illud autem שמתא varie ἐτυμολογίζουσι vel 1. שם מיתה, *ibi mors*: vel 2. שממא תהא, *erit deſolatio*: vel 3. שם אתא, *Nomen*, i. e. Iehoua, ſiue Dominus, *venit*.
Otho lexic. Rabbinic. p. 180. 181. 182.

RO-

RONYMVS & reliqui memorati patres hoc vocabulum non ita intelligant. Accedit, quod in nulla antiqua excommunicationis formula illud vocabulum *Maranatha* aut aliud quoddam ſimile occurrat. Præterea autem quæſtio poteſt fieri, Num vllam eiuſmodi excommunicationem (quocumque demum nomine vel formula) habuerint, quæ fuerit totalis, finalis & irreuocabilis; ita vt homines eccleſiæ communione excluſerint ſine vlla ſpe vmquam redeundi; atque ita eccleſiæ preces pro illis omnino ceſſare fecerint, immo potius reliquos eccleſiæ ciues ad Deum orandum impulerint, vt ex numero viuentium eos exturbare, & hoc ipſo eccleſiam a malis conſiliis & conatibus ac poteſtate ſeductionis eorum liberare vellet. Hæc quæſtio diuerſis conſtat partibus, adeoque, vti proponitur, ad eam reſponderi cum aliqua diſtinctione oportet Primum enim nihil certius eſt nihil exploratius, quam quod eccleſia nonnumquam totalem, finalem & irreuocabilem excommunicationis ſententiam pronuntiauerit aduerſus-quoſdam atrociorum facinorum reos, pœnitentiæ eos ad omnem vitam ſubmittendo, externamque pacem ac communionem in hora mortis, ad exemplum aliis ſtatuendum terroremque incutiendum, ipſis denegando; non tamen miſericordiam Dei præcludendo, nec precum beneficium denegando, ſed ad ſpem gratiæ, ſi vera ſit eorum pœnitentia, in extremo & falli neſcio Dei iudicio conſequendæ eos excitando. Hoc ſenſu, inquam, certiſſimum eſt, eccleſiam ſæpenumero ſententiam excommunicationis feciſſe irreuocabilem, quemadmodum poſthac pluribus demonſtrabitur [*].

§. XVII.

Num excommunicatio vmquam pronuntiata ſit cum exſecratione, ſiue per modum deuouendi homines exitio temporali.

VERVM id deinde non adeo liquet, eccleſiam cenſuris ſuis exſecrationem iungere, hominesque temporali exitio deuouere conſueuiſſe, omnino pro illis orare recuſando, vel adeo contra eos orando, vt Deus de numero viuentium eos tollere, atque hac ratione eccleſiam ſuam a malitioſa eorum poteſtate, machinationibus & ſeductione liberare vellet. HVGO GRO-

(*) Lib. XVII.

TIVS

TIVS [x] huius anathematis ſane rariorem putat fuiſſe vſum, non tamen nullum. Nam in *Iulianum*, quum defectioni adderet machinationes euertendi chriſtianiſmi, vſam eſſe eccleſiam iſto extremæ neceſſitatis telo, & a Deo eſſe exauditam. Hoc factum eſſe exiſtimat in imitationem iudaici *Schammatha*. Nam ſi qui in graue aliquod delictum lapſi multos eodem traherent, in eos non illud commune ἀνάθεμα, ſed grauius atque atrocius vſurpatum eſſe dicit. Id Hebræos vocaſſe שמאתא *Deus venit*, & *Paulum* poſtea Μαϱαναθὰ, eodem ſignificatu. Nam *Maranatha* denotare, *Dominus venit*: Eaque voce orari [y] Deum, vt quam primum talem maleficum & ſeductorem coërceat, vel alio modo, vel etiam eum tollendo ex hominum numero. Cuiuſmodi anathematis exemplum ab apoſtolo *Paulo* dari iudicat Gal. V, 12. quando dicit: *Vtinam etiam abſcindantur, qui vos inquietant.* Eruditus HICKESIVS in hac materia in GROTII concedit ſententiam, non videns viam aliam reddendi rationem pro tot precibus, a chriſtianis pro perdendo *Iuliano* ad Deum factis. Nonnullos quidem dicit pro eius reſipiſcentia & conuerſione precatos eſſe, vtpote credentes, fieri poſſe, vt de errorum profundo in lucem veritatis rurſus emergeret. Ita ex SOZOMENO narrat [z], *Didymum Alexandrinum* pro ipſo ieiuniis & orationibus vacaſſe. Alios autem pro accelerando ei exitio oraviſſe, quod eum ad reſipiſcendum prorſus ineptum & peccato ad mortem, pro quo non ſit rogandum, adſtrictum eſſe ſtatuerent. Tum pergit naturam defectionis eius, deuotum animi ipſius adfectum erga diabolum, & contumeliam in *CHRISTVM*

(x) Grot in Luc. VI, 12. (tom. II. vol. I. p. 379. a.)

(y) Ibid. p. 378. b. lin. 1. ſeqq.

(z) Hick's *Anſwer* to Julian chap. 6. p. 140. ex Sozom. lib. VI. c. II. καθ' ἐκείνην τὴν ἡμέραν καὶ Δίδυμος, ὁ ἐκκλησιαστικὸς φιλόσοφος, ἐν Ἀλεξανδρείᾳ διατρίβων, οἷα γε τοῦ βασιλέως εἰς τὴν θρησκείαν διασφαλέντος, περίλυπος ὢν, διά τε αὐτὸν ὡς πεπλανημένον, καὶ διὰ τὴν καταφρόνησιν τῶν ἐκκλησιῶν, ἐνήστευέ τε, καὶ τὸν θεὸν περὶ τούτου ἱκέτευεν. *Eodem die Didymus quoque eccleſiaſticus philoſophus Alexandriæ degens, quum, vtpote imperatore aduerſus religionem peccante, grauiſſimo dolore adficeretur, tum propter ipſum vario errore deceptum, tum ob contumeliam eccleſiarum*, ieiuniis & orationibus vacabat.

et chriſtianos oſtendere. Vnde concludit [a], chriſtianos cum ratione eum conſideraſſe, tamquam extra omnem ſpem liberationis ex retibus Satanæ poſitum, atque adeo pro eius pernicie orauiſſe. Diuerſa alia argumenta addit, ad oſtendendam facti eorum æquitatem, quod *Iulianus* diabolica in *CHRISTVM* malitia [b] vſus ſit, & quod de perditiſſimis apoſtatis fuerit: Quod filium Dei conculcarit, & ſanguinem fœderis, per quem fuerat ſanctificatus, profanum duxerit, & ſpiritum gratiæ contumelia adfecerit: Quod animum ſuum obfirmauerit contra diuina miracula perinde ac *Pharao*, adeoque mirum non ſit, ſi plagas [c] *Aegyptiacas* ei orauerint: Quod impia & contumelioſa verba aduerſus viuum Deum acerbe proiecerit, vti *Senacherib*, & hoc ipſo effecerit, vt nonnulli cum *Hezekiah* Deum orarent [d], vt inclinet aurem ſuam & audiat, aperiat oculos ſuos & videat, quemadmodum filium Dei probro adficiat *Iulianus*; adeoque dicerent: „Domine Deus noſter, ſerua nos e manu iſtius, vt „cognoſcant omnia regna terræ, te dominum ſolum eſſe, & „Ieſum, quem *Iulianus* tanta contumelia adfecit, eſſe *CHRI*„*STVM* filium tuum„: Quod GREGORIVS [e] NAZIANZENVS dicat, ipſum ea contra chriſtianos molitum eſſe, quæ nec *Diocletianus*, nec *Maximianus*, nec denique *Maximinus* in animum vmquam induxiſſent; fuiſſe ipſum *Ierobeamum*, *Achabum*, *Pharaonem* & *Nabuchodonoſorem*, & omnium vitia in ſe collegiſſe, defectionem nempe *Ierobeami*, crudelitatem *Achabi*, duritiem *Pharaonis*, ſacrilegium *Nabuchodonoſoris;* & quod hinc nemini mirum videri debeat, quod chriſtiani, tam idoneam habentes de tanti

(a) Ibid. p. 143.

(b) Ibidem p. 151.

(c) Nazianz. orat. inuectiu. II. p. 124. *τὴν ῥομφαίαν τε προεκαλούμεθα, καὶ τὰς Αἰγυπτιακὰς μάστιγας, καὶ δικάσαι τὴν ἑαυτοῦ δίκην ἠξιοῦμεν, καὶ διαναστῆναί ποτε διεκελευόμεθα κατὰ τῶν ἀσεβῶν, κ. τ. λ. Gladium etiam & Aegyptiacas plagas prouocabamus, atque vt cauſſam ſuam ipſe iudicaret, tandemque aliquando aduerſus impios excitaretur, hortabamur.*

(d) Naz. orat. inuect. II. p. 123. 124.

(e) Nazianz. orat. inuect. I. p. 93. *ἃ μήτε Διοκλητιανὸς ὁ πρῶτος ἐνυβρίσας χριστιανοῖς, μήτε ὁ τοῦτον ἐκδεξάμενος, καὶ ὑπερβαλὼν Μαξιμιανὸς, ἐνεθυμήθη πώποτε, μήτε Μαξιμῖνος, ὁ μετ᾽ ἐκείνους καὶ ὑπὲρ ἐκείνους διώκτης· --- ταῦτα ἐκεῖνος διενοεῖτο μὲν, ὡς οἱ τῶν ἀποῤῥήτων ἐκείνου κοινωνοὶ, καὶ μάρτυρες.* Orat. II. p. 110. *Ἱεροβοὰμ εἰπεῖν, εἰκειότερον, ἢ Ἀχαὰβ τὸν Ἰσραηλίτην, τοὺς παρανομωτάτους, ἢ*

tyran-

tyranni conuerſione deſperandi rationem, pro eius exitio precati ſint, quia non alia ſpes liberationis eccleſiæ fuerit. „Et „ſi Deo, inquit, placeret, propter peccata noſtra eccleſiam, „tam capitalem *CHRISTI* hoſtem in eam immittendo, punire, & „*Iuliano* cuidam papiſtico imperium in nos permittere: Ego „heic declaro, me ipſum pro homine reſipiſcere neſcio habiturum, adeoque interitum ei oraturum, quippe qua vna ſola ratione eccleſiam ab eius tyrannide liberari poſſe exiſtimem„. Hactenus vir ille doctus HICKESIVS de praxi priſcorum chriſtianorum, eorumque rationibus orandi pro exſtirpando *Iuliano* apoſtata.

HISCE addi poſſunt, quæ de morte IVLIANI narrat HIERONYMVS [*f*], *Eccleſia Chriſti*, inquit, *cum exſultatione cantauit: Diuiſiſti in ſtupore capita potentium.* Sic verba prophetæ habent ſecundum ſeptuaginta interpretum verſionem. Hanc exſultationem de ciuibus *Antiochenis* etiam memoriæ prodidit THEODORETVS [*g*]. Dicit enim, eos comperta *Iuliani* cæde, conuiuiis ac feſtiuitatibus vacare cœpiſſe, nec in eccleſiis ſolum ac martyriis tripudiaſſe; ſed in ipſis etiam theatris victoriam crucis prædicaſſe & illius oracula deriſiſſe. Omnes ſiquidem ſimul iunctos clamaſſe: *Vbinam ſunt vaticinia tua, ſtulte Maxime.* (Erat hic magus, quem conſuluerat *Iulianus.*) *Vicit Deus & Chriſtus eius.* Ita quoque de IVLIANO quodam, qui *Syrorum* lingua *Sabba* appellatus ſit, narrat [*h*], eo die, quo *Iulianus* imperator letalem plagam acceperit, oranti cædem illius reuelatam eſſe; quum enim lamentaretur & clementi Deo enixius ſupplicaret, repente illum fluentes lacrimas compreſſiſſe, & gaudio

Φαραὼ τὸν Αἰγύπτιον, ἢ Ναβουχοδονόσορ τὸν Ἀσσύριον, ἢ πάντα ταῦτα συνελόντες, ἕνα καὶ τὸν αὐτὸν ὀνομάσομεν· ἐπεὶ καὶ τὰς πάντων κακίας εἰς ἑαυτὸν συλλεξάμενος φαίνεται, Ἱεροβοὰμ τὴν ἀποστασίαν, Ἀχαὰβ τὴν μιαιφονίαν, Φαραὼ τὴν σκληρότητα, Ναβουχοδονόσορ τὴν ἱεροσυλίαν, πάντων ὁμοῦ τὴν ἀσέβειαν.

(*f*) Hieron. in Habac. III, 14.

(*g*) Theodoret. lib. III. c. XXVII. Ἀντιόχου πόλις τὴν ἐκείνου μεμαθηκυῖα σφαγὴν, δημοθοινίας ἐπετέλει καὶ πανηγύρεις, καὶ οὐ μόνον ἐν ταῖς ἐκκλησίαις ἐχόρευον καὶ τοῖς μαρτύρων σηκοῖς, ἀλλὰ καὶ ἐν τοῖς θεάτροις τοῦ σταυροῦ τὴν νίκην ἐκήρυττον, καὶ τοῖς ἐκείνου μαντεύμασιν ἐπετώθαζον· --- κοινῇ γὰρ πάντες ἐβόων, ποῦ σου τὰ μαντεῖα Μάξιμε μωρέ· ἐνίκησεν ὁ θεὸς καὶ ὁ χριστὸς αὐτοῦ.

(*h*) Theodoret. ibid. c. XXIV. κατ᾽ ἐκείνην τὴν ἡμέραν, καθ᾽ ἣν ἐκεῖνος ἐδέξατο τὴν σφαγὴν, οὗτος ταύτην προσευχόμενος ἔγνω· --- φασὶ, δὲ αὐτὸν ποτνιώμενον καὶ

atque

atque hilaritate repletum esse, vultuque sereno apparuisse, eaque re lætitiam animi sui declarasse. Quam mutationem quum quidam conspexissent, rogasse, vt caussam hilaritatis sibi aperiret. Tum illum dixisse, siluestrem aprum, vastatorem vineæ domini, pœnas tandem exsoluisse damnorum, quæ intulisset vineæ, & mortuum iacere, nec amplius insidiaturum esse. His auditis, cunctos præ gaudio exsultasse & gratulatorium hymnum Deo cecinisse. Iam vero probabile omnino est, quod, qui suarum partium esse crediderunt, Deo gratias agere pro eius morte, non minus pro exitio illius antea preces ad Deum fuderint. Gratiarum actione declarabant, quas preces fecissent, neque poterant non exsultare, quum Deus illas exaudiuisset. Hæc omnia iis quodam modo confirmantur, quæ dicit SOCRATES [i], quod nonnumquam homines de ecclesia eiicere consueuerint cum imprecatione, quemadmodum de *Hermogene*, quodam episcopo *Nouatianorum*, notat, qui ob libros suos plenos impietatis solemniter excommunicatus fuerit, **μετὰ κατάρας**, *addita imprecatione*: quo ipso maxime probabile est, aliquid amplius quam commune anathema, cuilibet excommunicationi addi solitum, significari.

A SOCRATE [k] quoque memoriæ proditum est, quod *Alexander* episcopus *Constantinopolitanus* contra *Arium* precatus sit, vt si quidem recta esset *Arii* sententia, ipse diem disceptationi præstitutum nequaquam videret. Sin vera esset fides, quam ipse profiteretur, vt *Arius* impietatis pœnas lueret, quippe qui omnium malorum auctor esset. Atque sic factum esse, auctor

τὸν φιλάνθρωπον ἀντιβολῦντα δεσπότην, ἐπισχεῖν μὴν ἐξαπίνης τὴν τῶν δακρύων φοράν· διαχυθῆναι δὲ καὶ θυμηδίας πλησθῆναι, καὶ γανωθῆναι τὸ πρόσωπον, καὶ τῦτο μηνῦσαι τὴν τῆς ψυχῆς ἡδονήν· ταύτην οἱ συνηθέστεροι τὴν μεταβολὴν αὐτῦ θεασάμενοι, μηνῦσαι σφίσιν ἱκέτευσαν τῆς εὐφροσύνης τὴν ἀφορμήν· ὁ δὲ τὸν σῦν ἔφη τὸν ἄγριον, τὸν τῦ ἀμπελῶνος τῦ θείυ πολέμιον, δίκας εἰσπεπρᾶχθαι τῶν εἰς τῦτον ἀδικημάτων, καὶ κεῖσθαι νεκρὸν, τῆς ἐπιβυλῆς πεπαυμένον· ταῦτα μεμαθηκότες ἐχόρευον ἅπαντες, καὶ τῷ θεῷ τὸν χαριστήριον προσέφερον ὕμνον.

(*i*) Socrat. lib. VII. c. XII. Ἑρμογένης, ὅς ἐπὶ βλασφήμοις συγγράμμασιν ὑπ' αὐτῦ *μετὰ κατάρας ἐκκεκήρυκτο.*

(*k*) Socrat. lib. I. c. XXXVII. *ἡ αἴτησις ἦν τοιαύτη, εἰ μὲν ἀληθὴς ἡ Ἀρείυ δόξα, ἑαυτὸν τὴν ὡρισμένην ἡμέραν τῇ συζητήσει μὴ ὄψεσθαι· εἰ δὲ, ἣν αὐτὸς ἔχει πίστιν, ἀληθὴς, Ἄρειον τῆς ἀσεβείας δίκην διδόναι, τὸν πάντων αἴτιον τῶν κακῶν.* Cap. XXXVIII. *ἅμα τοῖς διαχωρήμασιν ἡ ἕδρα τότε παραυτίκα ἐκπίπτει, καὶ αἵμα-*

nofter

noſter addit: poſtridie enim *Arium*, ano cum excrementis ipſi delapſo & ſubſequuta ſanguinis copia, poſtremo tenuibus inteſtinis ſimul cum ſplene ac iecore effuſis, ignominioſa morte periiſſe. Idem ATHANASIVS [*l*] narrat in epiſtola ad *Serapionem*, qui eum dicit oraſſe, *ἆρον Ἄρειον*, *tolle Arium.* Quæ omnia docent, quod in ſpecialioribus quibuſdam caſibus non dubitauerint ipſos malitioſos & inemendabiles apoſtatas exitio atque exſtirpationi deuouere.

VERVMTAMEN ab altera parte CHRYSOSTOMVS huic praxi maximopere repugnabat. Nam integram homiliam hoc de argumento habet, *Quod neque viui, neque mortui anathemate plectendi ſint: Dogmata impia*, inquit [*m*], *& quæ ab hæreticis profecta, arguere & anathematizare oportet: hominibus autem parcendum & pro ſalute ipſorum orandum.* Vbi, quemadmodum recte obſeruat GROTIVS [*n*], intelligit deſtrictum illud anathema, quo Deus rogatur, vt aliquem coërceat, vel aliter, vel etiam tollendo eum e medio. Contra quod diuerſis pugnat rationibus. 1. Quia *CHRISTVS* mortuus ſit non ſolum pro amicis ſuis, ſed & pro inimicis, pro tyrannis, pro magis, pro oſoribus, pro crucifigentibus [*o*]. 2. Quia geſtorum a Chriſto typos exprimat eccleſia, quotidie pro omnibus hominibus preces faciens [*p*]. 3. Quia religio chriſtiana pro proximo vitam potius fundi, quam vitam ei eripi iubeat [*q*]. 4. Quia hoc iniuſta prærogatiuæ Chriſti vſurpatio ſit. *Quid* [*r*] *illud, quod anathema tu di-*

τος πλῆθος ἐπηκολέθει, καὶ τὰ λεπτὰ τῶν ἐντέρων· συνέτρεχε δὲ αἷμα αὐτῷ σπληνί τε καὶ ἥπατι.

(*l*) Athan. epiſt. ad Serap. tom. I. p. 671. (p 341. edit. Pariſ. MDCXCVIII.)

(*m*) Chryſoſt. homil. LXXVI. de anathemate tom I. p. 808. edit. Francoſ. *τὰ αἱρετικὰ δόγματα τὰ παρ᾽ ὧν παρελάβομεν ἀναθεματίζειν χρῆ, καὶ τὰ ἀσεβῆ δόγματα ἐλέγχειν, πᾶσαν δὲ φειδῶ ἀνθρώπων ποιεῖσθαι, καὶ εὔχεσθαι ὑπὲρ τῆς αὐτῶν σωτηρίας.*

(*n*) Grot. in Luc. VI, 32.

(*o*) Chryſoſt. homil. LXXVI. tom. I. p. 909. (p. 804.) *ἐχ ὑπὲρ φίλων μόνον καὶ ἰδίων ἀποθανὼν, ἀλλ᾽ ὑπὲρ ἐχθρῶν, ὑπὲρ τυράννων, ὑπὲρ γοήτων, ὑπὲρ μισέντων, ὑπὲρ τῶν ςαυρωσάντων.*

(*p*) Ibid. *τέτων τὰς τύπες ἡ ἐκκλησία πληροῖ, καθ᾽ ἑκάςην ὑπὲρ πάντων τὰς ἱκετηρίας ποιεμένη.*

(*q*) Ibid. (p. 801. ed. Francof.) *ἐκεῖ φησιν, ἀγαπήσεις τὸν πλησίον σε ὡς σεαυτόν. ἐνταῦθα δὲ καὶ θνήσκειν ὑπὲρ τε πλησίον.*

(*r*) Ibid. p. 805. *τί ἐν ἐςιν, ὃ λέγεις ἀνάθεμα; ἀλλ᾽ ὅτι ἀναθίθω ἔτος διαβόλῳ, καὶ*

cis, nisi adseratur diabolo, nec vltra locum salutis obtineat, sed alienus sit a Christo? Heus, qui tu tantæ auctoritatis? qui tantam tibi vsurpas potentiam? Cur dignitatem assumis filii Dei, qui sedebit & statuet oues a dextris & hircos a sinistris. 5. Apostolos dicit non habuisse eiusmodi consuetudinem in excommunicatione. Sic enim eos hæreticos [s] eiecisse ex ecclesia, quasi effodiendus esset dexter oculus, vel membrum aliquod desecandum, magnum suæ συμπαθείας & doloris indicium præ se ferentes: hæreses quidem redarguisse & eiecisse, nulli autem hæreticorum hanc anathematis pœnam adhibuisse. 6. Rem absurdam & impiam esse dicit, siue is, qui anathemate feriatur, viuat & adhuc in mortali vita supersit, siue mortuus sit. *Quodsi* [t] *adhuc superest, impie agis, qui eum, qui a malo in bonum se vertere potest, crudeliter abscecas: sin mortuus est, multo magis crudelis es. Quia domino suo stat vel cadit, non iam sub iure humano exsistens.* Ex quibus omnibus conclusionem modo memoratam elicit: *Dogmata* [u] *impia & quæ ab hæreticis profecta arguere & anathematizare oportet, hominibus autem parcendum & pro salute ipsorum orandum.* Sunt, qui dubitant, an hæc homilia de genuinis CHRYSOSTOMI sermonibus sit, sed sine idonea ratione; quia materia & stilus, obseruante DVPINIO, eam ab ipso scriptam esse arguit, nec desunt alia argumenta, quibus eam genuinum CHRYSOSTOMI fœtum esse probari potest. SIXTVS SENENSIS [x] & HABER-

μηκέτι χώραν σωτηρίας ἐχέτω, γινέσθω ἀλλότριος ἀπὸ τοῦ χριστοῦ· καὶ τίς εἶ σὺ ταύτης τῆς ἐξουσίας καὶ τῆς μεγάλης δυνάμεως; τότε γὰρ καθίσει υἱὸς τοῦ θεοῦ καὶ στήσῃ τὰ μὲν πρόβατα ἐκ δεξιῶν, τὰ δὲ ἐρίφια ἐξ εὐωνύμων.

(s) Ibid. ὡς τὸν ὀφθαλμὸν τὸν δεξιὸν ἐξορύττοντες, οὕτω τοὺς αἱρετικοὺς ἔξω τῆς ἐκκλησίας ἀπέβαλον· ὅπερ ἔνδειξιν ἔχει τῆς μεγάλης αὐτῶν συμπαθείας καὶ ἀλγηδόνος, ὡς ἐπικαιρίου μέλους γινομένης ἀποκοπῆς· --- τὰς μὲν αἱρέσεις διήλεγχον καὶ ἀπέβαλον, οὐδενὶ δὲ τούτων τῶν αἱρετικῶν ταύτην ἐπιτιμίαν προσῆγον.

(t) Ibid. p. 805. ἢ γὰρ ζῇ καὶ πάρεστιν ἐν τῷ θνητῷ βίῳ τούτῳ, ἢ τέθνηκεν, ὃν ἂν ἀναθεματίζειν προῄρησαι· εἰ μὲν οὖν ἔτι περίεστιν, ἀσεβεῖς ἀποκόπτων τὸν ἐν τρεπτότητι ὄντα, καὶ μετατεθῆναι δυνάμενον ἐκ τοῦ κακοῦ εἰς τὸ ἀγαθόν· εἰ δὲ τέθνηκεν, πολλῷ μᾶλλον· τί δήποτε; ὅτι τῷ ἰδίῳ κυρίῳ στήκει ἢ πίπτει, οὐκέτι ὑπὸ ἐξουσίαν ἀνθρωπίνην τυγχάνων.

(u) Vid. sub litt. anteced. (m).

(x) Sixt. Senens. biblioth. lib. VI. annotat. CCLXVII. Quum tot locis Chrysostomus excommunicationis ecclesiasticæ auctoritatem defendat, verisimile non est, vt mutata sententia voluerit eam hoc loco damnare, sed hoc magis credendum est, eum hanc homiliam protulisse aduersus quosdam temerarios &

TVS

TVS [y] putant, quod anathema hæreticis dici improbet a privatis & idiotis: Sed vero planum eſt, ipſum argumentari contra publicum non minus quam priuatum eius vſum, eo quidem ſenſu, quo ille id accipit: Quod nimirum impia dogmata non homines oporteat anathematizari: Quod pro ipſis hæreticis debeamus orare, quando eorum damnamus errores; eorumque deſiderare conuerſionem, non deſtructionem. Res vna ſola, quæ hinc vere inferri poteſt, eſt, quod CHRYSOSTOMVS in hac materia diuerſam ab aliis quibuſdam ſententiam habuerit. Iſti quidem putabant, dari quoſdam caſus, in quibus pro malitioſorum & inemendabilium peccatorum, velut *Iuliani*, interitu orari liceat, ſi ſpes omnis de eis decollauerit, nec vlla via alia eccleſiam ab eorum furioſis conſiliis liberandi conſpiciatur, niſi per eorum deſtructionem. Ille autem exiſtimabat, non dari eiuſmodi caſum; ſed vnumquemque veniam poſſe conſequi, quoad viuat in hoc mundo, etiamſi peccatum commiſiſſet, aliis dictum irremiſſibile, in ſpiritum ſanctum, & peccatum ad mortem, cuius ille notionem habebat a notione, quam habebant nonnulli alii, prorſus diuerſam; adeoque pro hominum conuerſione & ſalute; non pro eorum deſtructione, orandum eſſe contendebat. Hæc, quantum ego quidem iudicare poſſum, diuerſa veterum ſententia fuit de hac difficillima materia. Neque mirum eſt, in re tam graui & ardua alios ab aliis diſſenſiſſe, ſiquidem nec recentiores idem omnes ſentiunt, ſed nonnullæ eccleſiæ, quemadmodum antea e MOLINAEO oſtendimus, omnem iſtiuſmodi excommunicationem interdicunt, vtpote quæ ſine ſpeciali reuelatione adhiberi commode haud poſſit. Ego materiam iſtam ab vtraque parte dextre propoſui, & iam libero prudentis cuiuſque lectoris iudicio eam relinquo dirimendam.

indoctos, qui, quum non eſſent eccleſiæ paſtores, nec vllam haberent excommunicandi poteſtatem, tamen odio & contentione inducti dogmata ab ipſis non intellecta vna cum auctoribus eorum temere damnabant & anathemate notabant.

(y) Habert. archieratic. p. 747. Multa S. Chryſoſt. homil. de anathemate tom. I. editionis Ducæi, vbi anathema cuique dici improbat: ſed a priuatis primo: & ab idiotis, vt ibidem exprimit: deinde cum odio in perſonas ipſas & cum diſpendio caritatis.

LIBRI DECIMI SEXTI
CAPVT TERTIVM
DE PERSONIS, QVIBVS POENAE ECCLESIASTICAE INFLIGI POTVERINT, ET DE CRIMINIBVS, PROPTER QVAE INFLICTAE SINT.

§. I.

Omnes ecclesiæ ciues, in graue aliquod & offensionem publicam habens crimen delapsi, ecclesiasticis pœnis sine vlla exceptione obnoxii.

POENARVM ecclesiasticarum natura diuersisque earum speciebus hactenus explicatis, sequitur iam proxime, vt, quibus personis, & propter quæ crimina, inflictæ eæ sint, dispiciamus. Quod ad eos attinet, quibus pœnæ siue censuræ ecclesiasticæ infligi consueuerint, omnes illi erant, qui post baptismum grave aliquod crimen cum publica aliorum offensione admisissent, siue essent mares siue feminæ, siue sacerdotes siue populus, sive pauperes siue diuites, siue magistratus siue ciues. Disciplina enim ecclesiastica nullum adhibebat discrimen, nisi quum coniuncta peccantium multitudo impediret, quo minus censuræ ecclesiasticæ in executionem dari possent, vel si periculum esset, ne seuera earum executio plus damni quam commodi adferret. Infidelium nulla in hac re habebatur ratio, vtpote qui non erant ecclesiæ membra: secundum illud *Pauli* apostoli, 1 Cor. V, 12. *Quid mea interest etiam de extraneis iudicare? nonne de iis, qui intus sunt, vos iudicatis? Tollite igitur istum improbum ex vobis ipsis.* Catechumeni gentilibus & christianis quasi intermedii erant, candidati solum baptismi, nec dum ad perfectam communionem per lauacrum regenerationis & adoptionis admissi, neque adeo proprie ad eos spectabat disciplina ecclesiastica, nisi quatenus ad inferiorem ordinis sui classem deiiciendi essent, si crimen, quod eiusmodi deiectionem commereret, commisissent; qua de re nonnihil iam diximus, de catechumenorum institutione edisserentes[*]. Heic disciplinam

[*] Lib. X. c. II. § XVII. vol. IV. p. 40. 41. 42.

acci-

accipimus, quatenus ad ſic dictos τελέυς, hoc eſt homines, qui in perfecta eccleſiæ communione erant, ſpectabat.

§. II.

Feminæ non minus quam mares.

IN irrogandis cenſuræ eccleſiaſticæ pœnis nulla ſexus, nulla dignitatis habebatur ratio. Nam feminæ diſciplinæ æque obnoxiæ erant atque mares. VALESIVS [a] raro mulieres ad publicam pœnitentiam coactas eſſe dicit, & BONA [b] numquam id factum eſſe putat, ſaltem primis eccleſiæ ſæculis, ſed priuatim eas fleuiſſe, ieiunaſſe & alia pœnitentiæ opera exercuiſſe. Et nonnulli canonem iſtum BASILII [c] hoc ſenſu accipiunt, vbi dicit: *Adulterio pollutas mulieres, & confitentes ob pietatem, vel quomodocumque conuictas,* δημοσιεύειν ἐκώλυσαν οἱ πατέρες ἡμῶν, *publicare quidem patres noſtri prohibuerunt.* Enim vero CYPRIANVS & TERTVLLIANVS & vetuſtiores canones iſtiuſmodi diſcrimen non adhibent. Neque probabile eſt, quum plures ex viris & feminis tempore perſecutionis in idololatriam delaberentur, illos publicam has priuatam egiſſe pœnitentiam. CYPRIANVS enim numquam de alia niſi publica exomologeſi ſiue confeſſione, & publica manuum impoſitione [d] ad reconciliandos pœnitentes poſt lapſum loquitur. Et vero commodum fuiſſet, tale diſcrimen adhibere inter viros & fe-

(a) Valeſ. in Socrat. lib. V. c. XIX. Raro mulieres ad publicam pœnitentiam cogebantur.

(b) Bon. rer. liturgic. lib. I. c. XVII. §. V. Mulieribus numquam publica pœnitentia, ſaltem primis eccleſiæ ſæculis, imponi ſolebat; ſed priuatim flebant, ieiunabant & alia pœnitentiæ opera exercebant.

(c) Baſil. c. XXXIV. τὰς μοιχευθείσας γυναῖκας, καὶ ἐξαγορευσάσας δι' εὐλάβειαν, ἢ ὁπωσοῦν ἐλεγχομένας, δημοσιεύειν μὲν ἐκώλυσαν οἱ πατέρες ἡμῶν.

(d) Cyprian. de lapſis p. 128. (p. 97. edit. Amſtelod.) Agite pœnitentiam plenam, dolentis ac lamentantis animi probate mœſtitiam. Nec vos quorumdam moueat aut error improuidus, aut ſtupor vanus, qui, quum teneantur in tam grandi crimine, percuſſi ſunt animi cæcitate, vt nec intelligant delicta, nec plangant. --- Iniuſte ſibi placentes, & transpunctæ mentis alienatione dementes, domini præcepta contemnunt, medelam vulneris negligunt, agere pœnitentiam nolunt. Ante admiſſum facinus improuidi, poſt facinus obſtinati; nec prius ſtabiles, nec poſtmodum ſupplices: quando debuerant ſtare ſe opinantur &c.

Id. epiſt. X. al. XVI. p. 37. (p. 195. edit. Amſtelod.) Quum in minoribus peccatis agant peccatores pœnitentiam iuſto tempore, & ſecundum diſciplinæ

minas,

minas, ſi vllam eiuſmodi diſtinctionem in eccleſiæ praxi habuiſſet cognitam. Siue autem pœnitentia eſſet publica ſiue privata, res eadem erat, quod ad diſciplinæ in eos exercitium. Nam vtique a communione excludebantur, idque ſæpius ad multos annos, nonnumquam etiam ad ipſam horam mortis, quemadmodum ex multis canonibus concilii *Illiberritani* [e], *Ancyrani* [f] aliorumque apparet. Et hoc ſatis indicat, mulieres non minus quam viros cenſuræ eccleſiaſticæ fuiſſe obnoxias. Quid? quod indubitata exempla ſint mulierum, quæ publicam pœnitentiam egerunt, vt BONA fatetur, tempore HIERONYMI. Hic enim loquens de *Fabiola*, opulenta matrona *Romana*, quæ, quum a primo marito ſuo propter adulterium ſe ſeparaſſet, alteri nupſerat, & poſtea, agnita facti illegitima ratione, pœnitentiam agebat, *Quis crederet*, inquit, *vt poſt mortem ſecundi viri in ſemet ipſam reuerſa --- ſaccum indueret, vt errorem*

ordinem ad exomologeſin veniant, & per manus impoſitionem epiſcopi & cleri ius communicationis accipiant: nunc crudo tempore, perſecutione adhuc perſeuerante, nondum reſtituta eccleſiæ ipſius pace, ad communionem admittuntur, & offertur nomen eorum, & nondum pœnitentia acta, nondum exomologeſi facta, nondum manu eis ab epiſcopo & clero impoſita, euchariſtia illis datur. &c.

(e) Concil. Illiberrit. c. V. Si qua *domina* furore zeli accenſa flagris verberauerit ancillam ſuam, ita vt in tertium diem animam cum cruciatu effundat; eo quod incertum ſit, voluntate, an caſu occiderit; ſi voluntate, *poſt ſeptem annos;* ſi caſu, poſt quinquennii tempora, acta legitima pœnitentia, ad communionem placuit admitti. Can. VIII. *Feminæ*, quæ nulla præcedente cauſſa, reliquerint viros ſuos, & ſe copulauerint alteris, *nec in fine accipiant communionem.* Can. X. Quod ſi ducitur ab eo, qui inculpatam reliquit vxorem, & eum ſciuerit habere vxorem, quam ſine cauſſa reliquit; placuit, *nec in fine huius dari communionem.* Can. XII. *Mater*, vel *parens*, vel quælibet fidelis, ſi lenocinium exercuerint, eo quod alienum vendiderint corpus, vel potius ſuum, placuit, *eas nec in fine accipere communionem.* Vide ſis etiam can. XIII. XIV. LXIII. LXV.

(f) Concil. Ancyr. can. XXI. Περὶ τῶν γυναικῶν τῶν ἐκπορνευσασῶν, καὶ ἀναιρουσῶν τὰ γεννώμενα, καὶ σπουδαζουσῶν φθόρια ποιεῖν, ὁ μὲν πρότερος ὅρος μέχρις ἐξόδου ἐκώλυσεν· καὶ τούτῳ συντίθενται· φιλανθρωπότερον δέ τι εὑρόντες, ὡρίσαμεν δεκαετῆ χρόνον κατὰ τοὺς βαθμοὺς τοὺς ὡρισμένους. *De* mulieribus, *quæ ſunt fornicatæ & fœtus in vtero perimunt, & fœtuum necatoriis medicamentis faciendis dant operam, prior quidem definitio* vſque ad vitæ exitum *prohibebat, & ei quidam adſentiuntur: Sed humanitate tamen vtentes, decrevimus, vt* decennium *per gradus definitos* impleant.

PVBLICE [*g*] *fateretur, & tota vrbe spectante Romana ante diem paschæ in basilica quondam Laterani staret in ordine pœnitentium, episcopo, presbyteris & omni populo collacrimantibus, sparso crine, ora lurida, squalidas manus, sordida colla submitteret?* Voluntarius quidem pœnitentiæ actus in *Fabiola* videtur fuisse (cuiusmodi plures istis temporibus erant, quando homines priuata crimina publica pœnitentia expiare malebant) quod si autem omnino alienum fuisset a more feminarum, publicam agere pœnitentiam, HIERONYMVS sine vllo dubio hoc factum, tamquam prorsus singulare in hoc respectu, notasset. Verum in hoc aliquid singulare videtur obseruare, quod sponte sua publicam pœnitentiam egerit in tali casu, vbi leges ecclesiæ eam non compulerint id facere. Dum enim maritus eius adhuc viueret, non poterat ad pœnitentiam cogi; quia regula erat: *Pœnitentiam coniugatis* [*h*] *non nisi ex consensu dandam:* & quando maritus mortuus fuit, crimen illius forte istiusmodi fuit, quod eam censuræ ecclesiasticæ non submitteret, nisi ex suo ipsius consensu. Nam, vti mox videbimus, multa istius generis crimina erant, quæ etsi non mediocria peccata esse credebantur, homines tamen inuitos publicæ pœnitentiæ per leges ecclesiæ submittere non poterant.

§. III.

Diuites æque ac pauperes. Nullus commutationi pœnitentiæ locus datus, nulla amicitiæ ratio habita.

QVANDO vero crimina atrocia erant & talia, vt in ecclesiæ venirent notitiam, sine vllo personarum respectu in ea solebat animaduertere. Nulla diuitum præ pauperibus habebatur ratio, sed omnes publice peccantes in negotio pœnitentiæ eodem habebantur loco, vt qui regulis disciplinæ æqualiter se submittere debebant, si post expulsionem in ecclesiam denuo admitti cuperent. Vna tantum redeuntibus patebat ianua, toties vocata *iusta* & *legitima pœnitentia* a CYPRIANO [*i*]

(*g*) Hieron. epist. XXX. epitaph. Fabiolæ.

(*h*) Concil. Arelat. II. can. 22.

(*i*) Cyprian epist. X. al. XVI. p. 37. (p. 195.) vid. sub litt. anteced. (d). Id. epist. LXII. al. IV. p. 9. (p. 174.) Si de eis aliqua corrupta fuerit deprehensa, agat *pœnitentiam plenam*, quia quæ hoc crimen admisit, non mariti sed Christi adultera est, & ideo æstimato *iusto tempore*, postea exomologesi facet

et aliis ſcriptoribus. Neque vlla commutatio iſtius defectum ſupplere credebatur. Id quod ex eo liquet, quod munera ſiue oblationes ab excommunicatis, hæreticis, ſchiſmaticis, vel aliis quibuſcumque, in perfecta communione cum eccleſia [*] haud viuentibus, accipere omnino recuſabant, vt ne communicare cum illis ante tempus, eorumque pecuniam loco pœnitentiæ accipere viderentur. CYPRIANVS quidem alicubi innuit, eſſe quoſdam [k], qui turpis lucri cauſſa perſonas accipiant, & illicitæ negotiationis nundinas aucupantes diuitibus, qui larga munera dare poſſint, gratificentur, vt faciliorem eis faciant admiſſionem, quam per ſeueram & tædioſam iuſtæ & plenæ pœnitentiæ viam: at acriter in eos omneſque eorum peruerſas artes inuehitur, quod diſciplinam diſſoluant perdantque animas hominum, fallacem & fraudulentam eis pacem conciliando.

§. IV.

Quodnam priuilegium nonnulli ſibi arrogauerint ex martyrum in carcere detentorum pro ipſis deprecatione. Et quemadmodum ad hoc reſponderit Cyprianus.

VNA quædam ex hiſce inſidioſis artibus, quam cum aliqua ſinceritatis ſpecie adhibebant, ad inducendum martyres & confeſſores, qui in carcere detinebantur, ſpectabat, vt epiſcopis pro iſtiuſmodi hominum reditu ad eccleſiam ſupplicarent ſcriberentque in eorum gratiam litteras. Noſſe enim debemus, antiquis temporibus, ſi quis pœnitens legitimam pœnitentiam ſuam propemodum abſoluiſſet, & fere in eo eſſet, vt denuo reciperetur, martyres habuiſſe priuilegium dandi ad epiſcopum litteras ab eoque petendi, vt iſtiuſmodi hominem ad communionem admitteret, quamuis plenum pœnitentiæ tem-

cta, ad eccleſiam redeat. Id. de lapſis p. 129. (p. 97.) Agite pœnitentiam plenam &c.

Concil. Illiberrit. c. XIV. -- Si alios cognouerint viros, eo quod mœchatæ ſint, placuit, per quinquennii tempora acta *legitima pœnitentia*, admitti eas ad communionem oportere. Can. III. Placuit, in fine eis præſtari communionem, acta tamen *legitima pœnitentia*.

(*) Vid. cap. II. §. XIII. pag. 103. Et libr. XV. c. II. §. II. volum. VI. pag. 252. ſeqq.

(k) Cyprian. epiſt. XI. al. XV. ad martyr. p. 35. (p. 104. edit. Amſtelod.) Qui perſonas accipientes in beneficiis veſtris aut gratificantur, aut illicitæ negotiationis nundinas aucupantur.

pus

pus nondum exſpiraſſet. Et eatenus eorum petitioni plerumque relinquebatur locus. Verum hi callidi homines exigui quæſtus cauſſa martyres inducere dolo malo adlaborabant, vt pro ipſis deprecarentur, qui vel exiguam vel nullam egiſſent pœnitentiam. Immo vero hi priuilegio ſuo adeo abutebantur, vt eorum admiſſionem non deſiderarent ſolum, ſed etiam poſcerent & flagitarent, ſine vlla præuia meritorum ſuorum examinatione. Interdum etiam ab epiſcopo requirebant, non tantum vt iſtiuſmodi pœnitentes, ſed omnes propinquos etiam & adfines eorum, admitteret. *Audio*, inquit CYPRIANVS [*l*], *quibuſdam ſic libellos fieri, vt dicatur: Communicet ille cum ſuis. Quod numquam omnino a martyribus factum eſt, vt incerta & cæca petitio inuidiam nobis poſtmodum cumulet: Late enim patet, quando dicitur: Ille cum ſuis; & poſſunt nobis viceni & triceni & amplius offerri, qui propinqui & adfines, & liberti ac domeſtici eſſe adſeuerentur eius, qui accipit libellum.* Ita heic & ſimiliter in aliis epiſtolis, tum ad martyres tum ad clerum ac populum ſuum de hoc argumento ſcriptis [*m*], præſul ille *Africanus* queritur. Maxime autem queritur de libellis, ſibi a LVCIANO martyre miſſis, quorum vnus ſic habebat [*n*]: *Vniuerſi confeſſores Cypriano papæ ſalutem. Scias, nos vniuerſis, de quibus apud te ratio conſtiterit, quid poſt commiſſum egerint, dediſſe pacem: & hanc formam per te & aliis epiſcopis innoteſcere volumus. Optamus te cum ſanctis martyribus pacem habere.* Hic LVCIANVS multas iſtiuſmodi epiſtolas iam antea ſcripſerat nomine *Pauli* confeſſoris, dum hic eſſet adhuc in carcere poſitus, & poſt eius exceſſum eadem facere ſub eius nomine perſeuerabat, dicens, hoc ſibi ab illo mandatum. Qua de re CYPRIANVS in epiſtola ad presbyteros & diaconos *Romanos* hunc in modum queritur [*o*]: *Poſtquam ad eos (* confeſſores *) litteras miſi, vt quaſi moderatius aliquid & temperantius fieret, vniuerſorum confeſſorum nomine Lucianus epiſtolam ſcripſit, qua pene omne vinculum fidei & timor Dei, & mandatum domini & euangelii ſanctitas & firmitas*

(*l*) Cyprian. epiſt. XI. al. XV. ad martyr. p. 35. (p. 194. edit. Amſtelod.)

(*m*) Cypr. epiſt. X. al. XVI. ad cler. tot. Epiſt. XII. al. XVII. ad plebem tota. Epiſt. XVIII. al. XXVI. ad cler. tot.

(*n*) Luc. epiſt. ad Cyprian. XVII. al. XXIII. Vid. etiam Lucian. epiſt. XX. al. XXII. ad Celerin.

(*o*) Cyprian. ep. XXIII. al. XXVII. ad cler. Rom. p. 52. (p. 206. edit. Amſtelod.)

folueretur. Scripsit enim, omnium nomine vniuersis eos pacem dedisse; & hanc formam per me aliis episcopis innotescere velle, cuius epistolæ exemplum ad vos transmisi. Additum est plane: de quibus ratio constiterit, quid post commissum egerint. Quæ res maiorem conflat inuidiam, vt nos, quum singulorum caussas audire & excutere cœperimus, videamur multis negare, quod se nunc omnes iactant a martyribus & confessoribus accepisse. Narrat etiam, hanc rem heic illic magnas seditiones & turbas dedisse: *In prouincia nostra per aliquot ciuitates in præpositos impetus per multitudinem factus est, & pacem, quam semel cuncti a martyribus & confessoribus datam clamitabant, confestim sibi repræsentari coegerunt; territis & subactis præpositis suis, qui ad resistendum minus virtute animi & robore fidei praualebant. Apud nos etiam (Carthagine* videlicet*) quidam turbulenti, qui vix a nobis in præteritum regebantur, & in nostram præsentiam differebantur, per hanc epistolam, velut quibusdam facibus accensi, plus exardescere & pacem sibi datam extorquere cœperunt.*

Ex hac *Cyprianica* huius rei repræsentatione & in illam monitis facile ad diiudicandum est, quid detrimenti abusus huius priuilegii martyrum disciplinæ ecclesiæ exercitio attulerit; dum alii lucri studio, alii terrore inducti lapsis in iniquis postulationibus commodarunt, & diuites & magnos pœnam effugere & se ipsos in communionem ecclesiæ, sine perspicuis pœnitentiæ signis, intrudere siuerunt. Illi autem, quibus, sicut CYPRIANO, satis erat firmitudinis integritatisque animi ad opponendum se hisce impiis praxibus, disciplinam ecclesiæ in vero vigore suo tuebantur, nec vllis huiusmodi conditionibus aurem præbere volebant, quæ tantum ad imponendum illis sub falsa insidiosæ pacis specie & profanandum sancti sacramenti mysterium, dum impœnitentibus & irreligiosis impertiebatur, spectabant.

§. V.

Magistratus & principes censuris ecclesiasticis æque ac reliqui omnes subiecti.

NEQVE vero priuatæ tantum conditionis homines ita tractabant, sed eos etiam, qui summum gradum tenebant dignitatis. Nam magistratus ciuiles & principes ecclesiasticis censuris non minus obnoxii erant, quam reliqui. Persecutionis

nis temporibus ipsa ciuilium munerum functio christianos excommunicationi subiiciebat. In primis si officium duumuirorum, vel flaminum, siue sacerdotum prouinciarum, in se susciperent: quia, vti GOTHOFREDVS [p] ex multis codicis *Theodosiani* legibus obseruat, per hæc officia populo spectacula edere cogebantur. Quod tempore gentilitatis facere non poterant, quin idololatriæ, cui spectacula consecrata erant, noxam quodam modo incurrerent. Qua de caussa christianus quisque, qui tale munus in se susciperet, idololatriam prouehere eiusque particeps fieri credebatur, quantumuis in hoc officio suo idolis re ipsa non sacrificaret. Hinc concilium *Illiberritanum* [q], quod tempore persecutionis, circiter an. CCCV celebratum est, statuit, quod si quis christianus flaminis officium in se susciperet, etsi non immolauerit, sed tantum ludos exhibuerit populo, per omnem vitam seueræ pœnitentiæ subiiciendus, nec nisi in fine ad communionem admittendus sit, & hoc eo quidem, quod se a funestis sacrificiis abstinuerit. Nam si sacrificasset, per præcedentem canonem [r] nec in fine communionem accipere poterat. Immo vero, etiamsi haud sacrificassent, nec populo ludos de suis sumtibus exhibuissent, sed tantum coronam ex officio portassent, per duos alios eiusdem concilii canones [s] ad vnum duosue annos communione priuabantur. Vt proinde publici muneris administratio magistratum ab ecclesiæ censuris adeo non eximeret, vt multis in casibus vera ratio esset, cur maiori cum seueritate ei infligerentur, quia nemo istiusmodi officium administrare poterat, quin culpam & maculam idololatriæ aliquo modo sibi contraheret. Et postquam

(p) Gothofred. paratitlon ad cod. Theodos. lib. XV. tit. V. de spectaculis. Edebantur spectacula vel a magistratibus. 1. Duumuiris, -- seu a curiarum primatibus viris -- 2. Vel a sacerdotibus prouinciarum &c.

(q) Concil. Eliber. c III Flamines, qui non immolauerint, sed munus tantum dederint, eo quod se a funestis abstinuerunt sacrificiis, placuit in fine eis præstari communionem, acta tamen legitima pœnitentia.

(r) Conc. Eliber. c. II. Flamines, qui post fidem lauacri sacrificauerunt, placuit nec in fine eas accipere communionem.

(s) Concil. Eliber. c. LV. Sacerdotes, qui tantum coronam portant, nec sacrificant, nec de suis sumtibus aliquid ad idola præstant, placuit post biennium accipere communionem. It. can. LVI. Magistratum vero, qui agit duumviratum, vno anno prohibendum placuit, vt se ab ecclesia cohibeat.

hæc officia ab idololatria erant liberata, tamen si quis magistratus alia crimina ecclesiasticis pœnis digna committeret, censuræ ecclesiæ, non obstante eius officio, ei infligebantur, nec nomen aut character magistratus tueri eum poterat. Hoc manifesto patet ex ea agendi ratione, qua SYNESIVS [t] contra *Andronicum* præsidem *Ptolemaidis* vsus est, quem vna cum sociis solemniter excommunicauit: Item ex iis, quæ supra [u] obseruauimus de iudice, quem tempore *Iuliani* imperatoris censuræ ecclesiasticæ subiectum esse, auctor est AMBROSIVS [w]. Non minus id apparet ex excommunicatione, quam, narrante BASILIO [x], præsidi *Libyæ* ob vitæ turpitudinem inflixit *Athanasius*, quæ omnia nihil attinet heic interponere. Hisce generalem addimus regulam, in concilio primo *Arelatensi*, respectu habito ad omnium prouinciarum præsides, factam in hunc modum [y]: *De præsidibus, qui fideles ad præsidatum prosiliunt, placuit, vt quum promoti fuerint, litteras accipiant ecclesiasticas communicatorias: Ita tamen, vt in quibuscumque locis gesserint, ab episcopo eiusdem loci cura de illis agatur; vt quum cœperint contra disciplinam, publicam agere; tunc demum a communione excludantur. Similiter & de iis fiat, qui rem publicam agere volunt.* Hæc regula non spectabat ad exuendum magistratus officio suo, quamuis hæretici essent vel schismatici, vti quidem BARONIVS [z] eam vult intellectam. Nam, quemadmodum ALBASPINAEVS in suis ad hunc locum notis rectius contra eum obseruat [a], „Ne verbo quidem de schi„smaticis & hæreticis illo in canone agitur, aut quidquam a„liud, quod probabilem huiusce sensus inducat suspicionem, „reperitur. Neque vero simile est, patres, qui in illa aderant „prouinciali synodo, suffragiis suis aliquid sanxisse, cuius ob„seruatio in eorum non esset, sed in principis, potestate. Ne

(t) Synes. epist. LVIII. vid. cap. II. §. VIII. p. 84.

(u) Vid. cap. II. §. XI. p. 99.

(w) Ambros. epist. XXIX. ad Theodos. vid. cap. II. §. XI. sub litt. (x) p. 100.

(x) Basil. epist. XLVII. tot. Vid. cap. II. § XI. litt. (y) p. 100.

(y) Concil. Arelat. I. c. VII.

(z) Baron. an. CCCXIV. n. LVII. De præsidibus &c.] Hactenus diuina illa plane lex ecclesiastica in tam celebri episcoporum conuentu, præsente, rogante (vt par est credere) atque adnuente imperatore sancita, qua schismatici atque hæretici a præfecturis ceterisque magistratibus excludendi penitus forent.

(a) Albaspin. in can. VII. conc. Arelat. I. (apud Labb. tom. I. conc. p. 1436.)

quis

„quis schismaticus aut hæreticus, quamuis esset prouinciæ præ-„ses, ceterorum communioni sociaretur, decernere quidem & „merito poterant: sed eo, quod quisquam esset hæreticus, vt a „reipublicæ administratione remoueretur, principis, non ec-„clesiæ, erat iudicium: illius profecto erat, imperium præsidi-„bus abrogare, non ecclesiæ„. Manifestum igitur est, huius canonis scopum esse, non priuare inferiores magistratus vlla ciuili potestate siue iurisdictione, quæ ab supremo magistratu eis commissa esset; quod faciendi ecclesia non habebat aucto-ritatem: Sed tantum denegare illis communionem, si ea indi-gni essent; quæ res tunc temporis incontrouersi iuris & co-gnitæ potestatis ecclesiæ pars erat.

NEQVE enim est, quod hoc mirum nobis videatur, siquidem ecclesia adhuc maiorem sibi vindicabat potestatem, ipsos prin-cipes siue summos imperantes communione sui excludendi, si christianæ societatis leges aperte violasse deprehenderentur; cuius rei certa documenta in doctrina pariter & praxi antiquo-rum ecclesiæ episcoporum reperiuntur. Historia, quam de *Philippo* imperatore refert EVSEBIVS, quamuis ab aliis in du-bium vocetur, satis tamen testatur de opinione EVSEBII, qui eam litterarum monumentis consignauit. Iam vero hic nar-rat [b], famam esse, hunc vtpote christianum in postrema pa-schæ vigilia precationum in ecclesia participem simul cum re-liquo populo fieri voluisse: sed episcopum, qui tunc ecclesiæ præesset, non prius illi aditum permisisse, quam confessionem scelerum fecisset, iisque, qui humanitus lapsi essent & in pœni-tentium ordine starent, sese adiunxisset. Quippe ob multa, quæ commisisset crimina, numquam omnino ab episcopo fuis-set admissus, nisi id prius fecisset. Et imperatorem quidem li-benter obtemperasse, sincerumque & religiosum adfectum ti-moris Dei, operibus istis declarasse. Nonnulli de historiæ

(b) Euseb. hist. eccles. lib. VI. c. XXXIV. *τοῦτον κατέχει λόγος χριστιανὸν ὄντα, ἐν ἡμέρᾳ τῆς ὑστάτης τοῦ πάσχα παννυχίδος, τῶν ἐπὶ τῆς ἐκκλησίας εὐχῶν τῷ πλήθει μετασχεῖν ἐθελῆσαι· οὐ πρότερον δὲ ὑπὸ τοῦ τηνικάδε προεστῶτος ἐπιτραπῆναι εἰσβαλεῖν, ἢ ἐξομολογήσασθαι, καὶ τοῖς ἐν παραπτώμασιν ἐξεταζομένοις, μετανοίας τε χώραν ἴσχουσιν, ἑαυτὸν καταλέξαι· ἄλλως γὰρ μὴ ἄν ποτε πρὸς αὐτοῦ μὴ οὐχὶ τοῦτο ποιήσαντα, διὰ πολλὰς τῶν κατ᾽ αὐτὸν αἰτίας παραδεχθῆναι· καὶ πειθαρχῆσαί γε προθύμως λέγεται, τὸ γνήσιον καὶ εὐλαβὲς τῆς περὶ τὸν θεῖον φόβον διαθέσεως ἔργοις ἐπιδεδειγμένον.*

veritate dubitant [c], putantque *Philippum* imperatorem pro *Philippo* præfecto auguſtali *Aegypti*, qui fuerit chriſtianus, ex errore intelligi: Alii eam defendunt vt veram hiſtoriam [d], exiſtimant autem, fuiſſe eum occulte baptizatum, & hanc eſſe cauſſam, cur in hiſtoria gentilium nihil hac de re legatur. Enimuero ſiue vera hiſtoria ſit, ſiue fictio, certe obſeruatio in eam ab EVSEBIO facta maximi momenti & ponderis eſt in præſenti quæſtione. Nam ſtatuens, eum fuiſſe chriſtianum, numquam omnino ab epiſcopo eum fuiſſe admittendum dicit, niſi prius cenſuræ eccleſiæ ſe ſubmiſiſſet. Quæ obſeruatio naturam diſciplinæ eccleſiaſticæ ſatis innuit in genere, quidquid de particularis huius hiſtoriæ veritate ſtatuatur.

FILESACVS [e] & VALESIVS [f] hanc hiſtoriam cum relatione confundunt, quam CHRYSOSTOMVS exhibet de *Babyla*, qui quemdam imperatorem *Romanum* ab eccleſiæ aditu repulit, propter immanem cædem filii cuiuſdam principis fœderati, qui obſidis loco creditus ei fuerat. CHRYSOSTOMVS nec imperatorem nominat nec principem fœderatum, & hiſtoriæ in vniverſa relatione diſcrepant, maxime vero in præcipua iſta circumſtantia, quod *Philippus* dicitur paruiſſe epiſcopi admonitioni, & in pœnitentiæ ordinem ſe contuliſſe; ille autem, de quo

(*c*) Cave prim. Chriſt. part. I. c. III. p. 46. (p. 37. 38. edit. Germanic. Lipſ. 1723 8uo. cit. lib. VIII. c. I. §. XVII. volum. III. p. 157.)

(*d*) Pagi critic. in Baron. an. CCXLIV. n. IV. ex Huet. Origenian. lib. I. c. III. n. XII. (NB. Sic emendanda etiam eſt falſa allegatio lib. VIII. c. I. §. XVII. vol. III. p. 157. litt. (m)). Quam opinionem de conuerſione Philippi ad fidem noſtram ab Euſebio hauſerunt Paulus Oroſius & Vincentius Lirinenſis, a Baronio num. VIII. citati, & ante illos diuus Hieronymus lib. de ſcript. eccleſ. quum de Origene loquitur. Mitto alios, qui ſerius floruere, qui alter alterum exſcripſit. Doctiſſimus Huetius lib. I. Origenian. c. III. n. XII. autumat, Philippum ſub ipſa imperii ſui initia Chriſti doctrinam ſequutum eſſe, quod in cœtum chriſtianorum iam creatus imperator recipi poſtulauerit Antiochiæ, quo non niſi poſt arreptum recens imperium ſeſe vſquam contulit. Denique Baronius, cui in prima huius voluminis editione adhæſi, arbitratur, eum non niſi poſtquam ludos ſæculares exhibuit, Chriſto nomen dediſſe.

(*e*) Fileſac. not. in Vincent. Lirin. c. XXIII. n. CXXV.

(*f*) Valeſ. not. in Euſeb. lib. VI. c. XXXIV. Hiſtoriam hanc de Philippo imperatore, quem Babylas epiſcopus ab eccleſiæ aditu repulit, refert auctor chronici Alexandrini, qui ſub Conſtantino imp. vixit. Eadem fere narrat Chryſoſtomus in oratione de ſancto Babyla contra gentiles, niſi quod imperatorem ipſum non nominat.

CHRYSOSTOMVS loquitur, *Babylæ* admonitioni adeo ſe non ſubmiſit, vt inemendabilis potius manſerit, & furore inſtinctus ei in carcerem miſſo catenas iniecerit, quas martyr ſecum comburi iuſſit, ſi a tyranno necaretur. Proinde *Philippus* fuiſſe non poteſt, ſed *Decius* ille acerrimus chriſtianorum perſecutor, ſub quo *Babylas* mortem *CHRISTI* cauſſa ſuſtinuit. Quomodocumque autem res ſe habet, CHRYSOSTOMVS de *Babyla* non nulla ſcite obſeruat, reſpectu habito ad eius tum animi magnitudinem, tum prudentiam, quæ naturam ac rationem diſciplinæ, in eccleſia tunc obtinentis, nobis abunde declarant. Nam I. notat [g], *Babylam* in regenda *Chriſti* eccleſia, quam ſpiritus gratia ſibi concreditam habuerit, *Heliam* atque huius æmulum *Ioannem* imitando adeo eſſe aſſequutum, vt ne tantillum quidem illorum generoſorum pectorum libertati conceſſerit. Neque enim paucarum ciuitatum tetrarcham, neque vnius gentis regem, ſed eum, qui imperio ſuo plurimam orbis partem contineret, ipſum hunc homicidam, eumdem multarum gentium, multarum ciuitatum, immenſi itidem exercitus dominum, eumdem tum ab imperii amplitudine, tum a morum ferocitate vndiquaque terribilem, quaſi vile quoddam ac nullius pretii mancipium ſic a Dei templo exegiſſe, tanta adeo cum conſtantia atque animi præſentia, cum quanta paſtor ſcabioſam ac morbidam ouem ab ouili excludit, dum prohibet, ne laborantis ouis morbus ad reliquum quoque gregem contagione ſerpat. Miratur heic [*] animum eius imperterritum, mentem excelſam, cæleſte pectus & conſtantiam angelicam, omni hoc

(g) Chryſoſt. de Babyla ſiue contr. gentiles tom. I. p. 74?. (p. 656. edit. Francof. MDCXCVIII.) οὗτος τότε τοῦ χριστοῦ τὴν ἐκκλησίαν, τὴν ἐνθάδε, ὑπὸ τῆς τοῦ πνεύματος χάριτος ἐγχειρισθεὶς, τὸν Ἠλίαν, καὶ τὸν τούτου ζηλωτὴν τὸν Ἰωάννην --- ἔφθασε οὕτως, ὡς μηδὲ τὸ τυχὸν ἀπολειφθῆναι τῆς ἐλευθερίας τῶν γενναίων ἐκείνων ἀνδρῶν· οὐ γὰρ τετράρχην πόλεων ὀλίγων, οὐδὲ ἑνὸς ἔθνους βασιλέα, ἀλλὰ τὸν τοῦ πλείστου μέρους τῆς οἰκουμένης ἁπάσης κατέχοντα, αὐτὸν δὴ τοῦτον τὸν ἀνδροφόνον, καὶ πολλὰ μὲν ἔθνη, πολλάς τε πόλεις καὶ στρατιὰν ἄπειρον κεκτημένον, καὶ πάντοθεν ὄντα φοβερὸν, ἀπό τε τοῦ μεγέθους τῆς ἀρχῆς, ἀπό τε τῆς τῶν τρόπων θρασύτητος, ὡς ἀνδράποδον εὐτελὲς καὶ οὐδενὸς ἄξιον, οὕτω τῆς ἐκκλησίας ἐξέβαλε μετὰ τοσαύτης ἀταραξίας καὶ ἀφοβίας, μεθ᾽ ὅσης ἂν ποιμὴν πρόβατον ψώρας ἐμπεπλησμένον καὶ νενοσηκὸς, τῆς ποίμνης ἀπείρξειε, κωλύων εἰς τὰ λοιπὰ διαβῆναι τὴν νόσον τοῦ κάμνοντος.

(*) Ibid. (p. 657. edit. Francof.) ὢ ψυχῆς ἀκαταπλήκτου, καὶ διανοίας ὑψηλῆς· ὢ

Viſi-

viſibili mundo ſuperiorem & Deo ſupremo omnium regi deditam. Addit, cum, quaſi ipſi magno iudici adſiſteret, ipſumque audiret iubentem, vt ſceleſtum atque inquinatum illum a ſacroſancto grege expelleret, ſic eieciſſe, & a reliquo armento ſeparauiſſe, nihil prorſus reſpexiſſe eorum omnium, quæ videret, quæque terrifica aliis videantur: quin potius illum viriliter atque admodum generoſe expellendo, diuinis legibus ac tyrannidem patientibus opem tuliſſe. 2. Hinc conſtare poſſe obſeruat [*], quanta *Babylas* erga ceteros fiducia vſus ſit, & quemadmodum nullum ex aliis metuerit, quum aduerſus ipſummet imperatorem tantam ſibi poteſtatem ſumſerit. Sic ſibi de eo perſuaſum eſſe dicit, vt nihil quidquam vel in gratiam, vel in odium vmquam vel faceret, vel diceret, ſed generoſo ſemper ac forti animo contra timorem, contra idem adulationem, contra id genus alia, cuiuſmodi multa inter homines accidant, ſeſe opponeret, nec vmquam, ne tantillum quidem, rectum adulteraret iudicium. 3. Porro obſeruat [**], quemadmodum animi magnitudinem ſapientia *CHRISTI* temperauerit, nec fiduciam ſuam iuſto vlterius promouerit, ſed omnia intra modum effecerit. Licuiſſe dicit *Babylæ*, quum vitæ curam ſemel abieciſſet, vlterius progredi, imperatorem conuiciis adſpergere, & diadema capite detrahere & pugnis os contundere: ſed

φρενῶν οὐρανίων καὶ παραστήματος ἀγγελικοῦ· — ὡς ἐκείνῳ τῷ δικαστῇ παρεστὼς, καὶ αὐτοῦ κελεύοντος ἀκούων, τὸν ἐναγῆ καὶ μιαρὸν τῆς ἱερᾶς ἀγέλης ἐξωθεῖν, οὕτως ἐξέβαλε, καὶ τῶν λοιπῶν προβάτων ἀφώρισε· καὶ πρὸς οὐδὲν ἐπεστρέψατο τῶν ὁρωμένων καὶ δοκούντων εἶναι φοβερῶν, ἀλλ' ἀνδρείως αὐτὸν μάλα καὶ γενναίως ἀπωσάμενος, παρέστη τοῖς ἐννυμένοις τοῖς τοῦ θεοῦ νόμοις.

(*) Ibid. *καί τοι πόσῃ περὶ τοὺς λοιποὺς αὐτὸν παῤῥησίᾳ κεχρῆσθαι εἰκός; ὁ γὰρ τῷ κρατοῦντι μετὰ τοσαύτης ἐξουσίας προσενεχθεὶς, τίνα τῶν λοιπῶν ἔδεισεν ἄν; ἐγὼ τὸν ἄνδρα ἐκεῖνον στοχάζομαι, μᾶλλον δὲ οὐ στοχάζομαι, ἀλλὰ πιστεύω, μὴ πρὸς ἀπέχθειαν, μήδε πρᾶξαι, μηδὲ εἰπεῖν τί ποτε, ἀλλὰ καὶ πρὸς φόβον, καὶ πρὸς τὴν τούτου δυνατωτέραν κολακείαν, καὶ πρὸς τὰ ἄλλα τὰ τοιαῦτα, πολλὰ δὲ τὰ ἀνθρώπινα, γενναίως στῆναι καὶ ἀνδρείως, καὶ μηδὲ μικρόν τι τῆς ὀρθῆς διαφθεῖραι κρίσεως.*

(**) Ibid. *οὐδὲ γὰρ ἐπὶ τῇ παῤῥησίᾳ μόνον αὐτὸν θαυμάζειν χρὴ, ἀλλὰ καὶ ἐπὶ τῷ μέχρι τοσούτου τὴν παῤῥησίαν ἐκτεῖναι, καὶ ἐπὶ τῷ πάλιν μηδὲν προσθεῖναι πλέον αὐτῇ· τοιαύτη γὰρ ἡ τοῦ χριστοῦ σοφία, μηδὲ περιττῶς ἀγωνίζεσθαι συγχωροῦσα, ἀλλὰ πανταχοῦ τὴν συμμετρίαν φυλάττουσα· καί τοι γε ἐνῆν, εἴπερ ἐβούλετο, καὶ περαιτέρω προσελθεῖν· τῷ γὰρ ἀπαγορεύσαντι τὸ ζῆν, οὐδ' ἂν τὴν ἀρχὴν προσῆλθεν, εἰ μὴ τοιούτοις αὐτὸν ὥπλισε λογισμοῖς, μετ' ἐξουσίας ἅπαντα πράττειν ἐξῆν, καὶ*

tamen ab his omnibus eum abſtinuiſſe, animam enim habuiſſe ſale ſpirituali conditam, eamque rem præſtitiſſe, vt nihil temere, nihil ſtulte, ſed omnia recto rationis iudicio ac ſtato ordine exſequeretur: non quemadmodum gentilium ſapientes, qui numquam intra modum, ſed vbique aut maiorem aut minorem, quam deceat, orationis libertatem in reprehendendis regibus vſurpent. Hinc 4. obſeruat [***], quantam vtilitatem hoc exemplo omnibus attulerit fidelibus pariter & infidelibus Infideles quidem omnes obſtupuiſſe & admiratos eſſe, inde edoctos, quantam ſeruis ſuis libertatem *CHRISTVS* imperticrit, nec potuiſſe non deridere ſuam ipſorum illiberalem & abiectam ſeruitutem; perſpexiſſe, quantum inter ſe diſcrepent chriſtianorum nobilitas & gentilium probrum. Qui enim apud illos templorum adminiſtrationem ſuſceperint, eos colere reges ſuos pluſquam idola etiam ipſa, quæ adorent, regumque metu ſtatuis ipſis adſidere, ita vt maligni illi dæmones honorem omnem ſibi impenſum, imperatoribus ſolis acceptum referant. *Babylam* contra [g] iniurium imperatorem, quatenus ſacerdoti fas ſit, puniviſſe, principum altos ſpiritus compreſſiſſe, diuinis legibus, dum violarentur, opem tuliſſe, ſupplicium pro iniuſte occiſo exegiſſe ſuppliciorum omnium grauiſſimum, iis quidem certe, qui mente ſana ſint. Pœnam ſumſiſſe tum ſe dignam, tum ido-

ὕβρει κλῖναι τὸν βασιλέα, καὶ τὸ διάδημα καθελεῖν τῆς κεφαλῆς, καὶ πληγὰς εἰς τὸ πρόσωπον ἐντεῖναι -- ἀλλ' οὐδὲν τούτων ἐποίησε· τῷ γὰρ ἅλατι τῷ πνευματικῷ τὴν ψυχὴν ἠρτυμένος ἦν· δι' ὅπερ οὐδὲν ἔπραττεν εἰκῇ καὶ μάτην, ἀλλὰ πάντα κρίσει λογισμῶν ὀρθῇ, καὶ μετὰ καταστάσεως ὑγιοῦς· οὐ καθάπερ οἱ παρ' Ἕλλησι σοφοί, οἱ συμμέτρως μὲν οὐδέποτε, πανταχοῦ δὲ, ὡς εἰπεῖν, ἢ πλέον, ἢ ἔλαττον τοῦ δέοντος παῤῥησιάζονται.

(***) Ibid. (p. 660. edit. Francof.) οἱ δι' αὐτοῦ κερδαίνοντες πολλοί -- ὅσοι περ ἂν ἦσαν ἄπιστοι, κατεπλάγησαν, καὶ ἐθαύμασαν μαθόντες, ὅσης τοῖς ἑαυτοῦ δούλοις ὁ χριστὸς τῆς παῤῥησίας μετέδωκε, κατεγέλασαν τῆς παρ' αὐτοῖς δουλοπρεπείας, καὶ ἀνελευθερίας, καὶ ταπεινότητος, εἶδον ὅσον τῆς χριστιανῶν εὐγενείας πρὸς τὴν Ἑλλήνων αἰσχύνην τὸ μέσον· οἱ μὲν γὰρ παρ' αὐτοῖς τὴν τῶν ἱερῶν ἐπιμέλειαν ἐγκεχειρισμένοι, μᾶλλον δεσποτῶν καὶ τῶν εἰδώλων δὲ αὐτῶν τοὺς βασιλεῖς θεραπεύουσι, καὶ διὰ τὸν ἐκείνων φόβον καὶ τοῖς ξοάνοις αὐτοῖς παρεδρεύουσιν, ὡς τοὺς πονηροὺς δαίμονας τοῖς βασιλεῦσι χάριν ἔχειν τῆς εἰς αὐτοὺς τιμῆς.

(g) Ibid. p. 747. (p. 661. edit. Francof.) τέως δὲ τὸν ὑβριστὴν ἐκόλασε, καὶ ταύτῃ, ᾗ τὸν ἱερέα κολάζειν θέμις ἐστὶ, τὰ τῶν ἀρχόντων κατέστειλε φρονήματα, τοῖς τοῦ θεοῦ νόμοις κινουμένοις ἐπήμυνε, τιμωρίαν ὑπὲρ τοῦ κακῶς σφαγέντος ἀπήτησε, τὴν πασῶν τιμωριῶν χαλεπωτέραν τοῖς γε νοῦν ἔχουσι --- δίκην ἐπέθηκεν αὐτῷ τε πρέ-

neam, quæ tyrannum conuerteret, si modo stupidus admodum non fuisset: nequaquam postulando, vti *Diogenes* olim fecerit *Alexandro*, vt sibi ad solis radios calescenti abscederet rex, neu a sole obstaret, quin potius impudenter in templi septa ingredientem atque omnia confundentem, quasi canem quemdam aut seruum improbum a domini sui aula excludendo. Atque ita virum illum sanctum eos, qui nondum fidem CHRISTI recepissent, & qui tum quidem maximam imperii *Romani* partem adhuc effecissent, compescuisse. Eos autem [*b*] qui CHRISTO nomen iam dedissent, hoc ipso religiosiores etiamnum reddidisse, non priuatos homines modo, sed & milites & militum duces & præfectos: planum faciendo, ipsum etiam regem, eumque, qui summus fuerit, apud christianos nuda tantummodo esse nomina, ac dum puniendus fuerit & increpandus, quisquis etiam diadema gestet, hinc vel infimis quibusque adæquari. Concludens denique ait [*], exstitere hinc quoddam raræ virtutis facinus atque exemplum: futurorum enim posthac & sacerdotum & regum animos, horum quidem demisisse, illorum autem extulisse, planumque fecisse, terræ & eorum, quæ in terra fiunt, curam ac præfecturam verius residere penes sacerdotem, quam penes eum, qui paludamento ornatus ac purpura indutus sit: nec non oportere de potestatis huius amplitudine sacerdotem nihil detrahere, sed hominem potius exuere, quam auctoritatem huic principatui superne a Deo attributam deponere. Facile vnusquisque ex hoc sermone CHRY-

πᾶσαν, κἀκεῖνον ἐπιστρέψαι ἱκανήν, εἰ μὴ λίαν ἀναίσθητος ἔτυχεν ὤν, οὐχ ἡλίῳ θερομένῳ αὐτῷ τὸν βασιλέα ἐπισκοτοῦντα ἀποστῆσαι ἀξιῶν, ἀλλ' ἀναιδῶς τοῖς ἱεροῖς ἐπιπηδῶντα περιβόλοις, καὶ πάντα συγχέοντα, καθάπερ τινὰ κύνα καὶ οἰκέτην ἀγνώμονα τῶν δεσποτικῶν ἀπείργων αὐλῶν.

(*b*) Ibid. p. 749. (p. 6[illegible]4. edit. Francof.) τοὺς μὲν οὖν ἀπίστους οὕτω συνέστειλεν ὁ μακάριος, τοὺς δὲ πιστοὺς εὐλαβεστέρους κατέστησεν, οὐκ ἰδιώτας μόνον, ἀλλὰ καὶ στρατιώτας καὶ στρατηγοὺς, καὶ ὑπάρχους, δείξας ὅτι ὁ βασιλεὺς, καὶ ὁ πάντων ἔσχατος παρὰ χριστιανοῖς, ὀνόματα μόνον ἐστὶ, καὶ τῶν ἐλαχίστων ὁ τὸ διάδημα ἔχων ἔσται σεμνότερος, ὅτ' ἂν κολάζεσθαι καὶ ἐπιτιμᾶσθαι δέῃ.

(*) Ibid. Ἔστι καὶ [τρίτον] κατόρθωμα οὐ τὸ τυχόν· τῶν γὰρ μετὰ ταῦτα ἱερᾶσθαι καὶ βασιλεύειν μελλόντων τὰ φρονήματα, τῶν μὲν κατέστειλε, τῶν δὲ ἐπῆρεν ἀποφήνας, ὅτι τῆς γῆς καὶ τῶν ἐν τῇ γῇ πραττομένων κυριώτερος ἐπίτροπος ὁ τὴν ἱερωσύνην λαχὼν τοῦ τὴν ἁλουργίδα ἔχοντός ἐστι, καὶ χρὴ τῆς ἐξουσίας ταύτης τὸ μέγεθος μὴ ἐλαττοῦν, ἀλλὰ τῆς ψυχῆς ἐξίστασθαι πρότερον, ἢ τῆς αὐθεντίας, ἣν ὁ θεὸς ἄνωθεν ταύτῃ συνεκλήρωσε τῇ ἀρχῇ.

SOSTO-

SOSTOMI intelliget, quam de disciplinæ ecclesiasticæ, ad ipsos summos imperantes pertinentis, potestate habuerit opinionem: Quod eam crediderit non eo spectare, vt diademate illi suo priuati de solio deturbarentur, vel temporalis eis potestas auferretur, ideo quidem, quod spiritualis potestas potestate ciuili superior sit; vel de eorum dignitate detraheretur, vel ipsi inurbane tractarentur & conuiciis adspergerentur; sed eo tantum, vt a communione ecclesiæ repellerentur, si per vitæ turpitudinem indignos ea se ipsos reddidissent. Quæ eius opinio cum generali præceptione congruit, quam alio loco suggerit clericis, vt ne quem crudelem, immisericordem, impurum, aut alium quemcumque insignis improbitatis hominem ad eucharistiam admittant. *Si dux quispiam*, inquit [i], *si consul ipse, si qui diademate ornatur, indigne adeat, cohibe ac coërce, maiorem tu illo habes potestatem.* Addit aliquanto post [*]: *Quod si ipse pellere non audes, mihi dicas, non permittam ista fieri: Animam prius tradam meam, quam dominicum alicui corpus indigne, sanguinemque meum effundi potius patiar, quam vt sacratissimum illum sanguinem præterquam digno concedam.*

NEMO autem tantam famæ celebritatem obtinuit, quantam quidem AMBROSIVS per mirificam, qua in maximos principes vsus est, orationis libertatem, siue admonendo eos, siue communionem propter admissa quædam grauiora crimina illis denegando. PAVLINVS, vitæ illius scriptor, ait: *Ipsum Maximum [k] a communionis consortio segregauit, admonens, vt effusi sanguinis domini sui ageret pœnitentiam, si sibi apud Deum velit esse consultum.* Ita quum *Valentinianus* a *Symmacho*, gentili vrbis *Romæ* gubernatore, rogaretur, vt ritus gentilium instauraret, & aram victoriæ in capitolio reædificari sineret; *Ambrosius* datis ad eum litteris inter multa alia argumenta dissuasoria ipsi adfirmat, si ethnicis in

(i) Chrysost. hom. LXXXII. siue LXXXIII. in Matth. p. 70. (p. 869 edit. Frf.) *κἂν στρατηγός τις ᾖ, κἂν ὕπαρχος, κἂν αὐτὸς, ὁ τὸ διάδημα περικείμενος, ἀναξίως δὲ προσείη, κώλυσον, μείζονα ἐκείνου τὴν ἐξουσίαν ἔχεις.*

(*) Ibid. (p. 872. edit. Francof.) *εἰ δὲ αὐτὸς οὐ τολμᾷς, ἐμοὶ πρόσαγε, οὐ συγχωρήσω ταῦτα τολμᾶσθαι· τῆς ψυχῆς ἀποστήσομαι πρότερον, ἢ τοῦ σώματος μεταδώσω τοῦ δεσποτικοῦ παρ' ἀξίαν· καὶ τὸ αἷμα τὸ ἐμαυτοῦ προήσομαι πρότερον, ἢ μεταδώσω αἵματος οὕτω φρικώδους παρὰ τὸ προσῆκον.*

(k) Paulin. vit. Ambros.

restauranda idololatria gratificatus fuerit, episcopos hoc æquo animo pati & dissimulare non posse. Licere ipsi ad ecclesiam venire, sed illic eum non inuenturum sacerdotem, aut inuenturum resistentem. Et, *Quidquid* [l] *respondebis*, inquit, *sacerdoti dicenti tibi: Munera tua non quærit ecclesia, quia templa gentilium muneribus adornasti. Ara Christi dona tua respuit, quoniam aram simulacris fecisti.*

ILLVSTRISSIMVM autem magnanimitatis suæ exemplum edidit in ratione tractandi *Theodosium magnum*, postequam hic septem hominum millia, prius nullo habito iudicio nulloque insontium & noxiorum discrimine, *Thessalonicæ* crudelissime occidi iussisset. Perpetrata ea cæde, criminis sui atrocitate parum adfectus, *Mediolanum* ingrediebatur, ac more solito ad ecclesiam veniebat; AMBROSIVS autem ei obuiam procedebat extra vestibulum, & a sacri limitis ingressu cum his verbis, quemadmodum historiam narrat THEODORETVS [m], prohibebat: „Ignoras, vt puto, imperator, perpetratæ abs te cædis „grauitatem; & furore iam sedato, nondum ratio scelus, quod „commissum est, intellexit. Obstat enim fortasse imperialis „potentia, quo minus peccatum agnoscas, & rationi tenebras „affundit licentia. Naturam tamen spectare oportet, quæ caduca mortique obnoxia est, & primitiuum puluerem, ex quo „orti sumus, & in quem resoluimur. Nec purpuræ splendore „deceptus, corporis, quod sub illa tegitur, infirmitatem ignorare debes. Eiusdem tecum naturæ hominibus imperas, immo etiam conseruis, o imperator. Vnus quippe est omnium „dominus atque imperator, is qui vniuersa condidit. Quibus „igitur oculis templum communis domini adspecturus es?

(l) Ambros. epist. XXX. ad Valentin. Iunior. (epist. XI. tom. V. p. 194. edit. Par. MDCXLII.)

(m) Theodoret. lib. V. c. XVIII. οὐκ οἶσθα ὡς ἔοικεν, ὦ βασιλεῦ, τῆς εἰργασμένης μιαιφονίας τὸ μέγεθος, οὐδὲ μετὰ τὴν τοῦ θυμοῦ παῦλαν ὁ λογισμὸς ἐπέγνω τὸ τολμηθέν· οὐκ ἐᾷ γὰρ ἴσως τῆς βασιλείας ἡ δυναστεία ἐπιγνῶναι τὴν ἁμαρτίαν, ἀλλ' ἐπιπροσθεῖ ἡ ἐξουσία τῷ λογισμῷ· χρὴ μέντοι εἰδέναι τὴν φύσιν, καὶ τὸ ταύτης θνητόν τε καὶ διαρρέον, καὶ τὸν πρόγονον χοῦν, ἐξ οὗ γεγόναμεν, καὶ εἰς ὃν ἀποτρέχομεν· καὶ μὴ τῷ ἄνθει τῆς ἁλουργίδος ἀποβουκολούμενον ἀγνοεῖν τοῦ καλυπτομένου σώματος τὴν ἀσθένειαν· ὁμοφυῶν ἄρχεις, ὦ βασιλεῦ, καὶ μὲν δὴ καὶ ὁμοδούλων· εἷς γάρ ἐστιν δεσπότης καὶ βασιλεὺς, ὁ τῶν ὅλων δημιουργός· ποίοις τοίνυν ὀφθαλμοῖς ὄψει τὸν τοῦ κοινοῦ δεσπότου νεών; ποίοις δὲ ποσὶ τὸ δάπεδον ἐκεῖνο

„Qui-

„Quibus pedibus ſanctum ſolum calcaturus? Quomodo manus extenſurus es, iniuſte cæſorum ſanguine adhuc ſtillantes? „Quomodo ſacroſanctum domini corpus eiuſmodi manibus „excepturus es? Quomodo pretioſum ſanguinem admoturus „es ori tuo, qui verbo furoris tui tot hominum ſanguinem in- „iuſte effudiſti. Abſcede igitur, nec poſterioribus factis prius „peccatum augere velis. Accipe vinculum, quod Deus omni- „um dominus ſurſum ſuffragio ſuo comprobat. Medicabile „enim eſt, & ſanitatis reſtituendæ vim habet. His verbis, (per- „git THEODORETVS,) obtemperans imperator, diuinis innu- „tritus oraculis, probe norat, quæ ſacerdotum & quæ impera- „torum propria eſſent officia, flens ac gemens reuerſus eſt in „palatium. Longo poſt tempore elapſo, octo enim menſes ex- „ceſſerant, ſetuatoris noſtri natalis dies aduenit. Imperator „interim ſedebat in palatio, magnam vim effundens lacrima- „rum. Idquum animaduertiſſet *Ruffinus*, qui tunc erat magiſter „officiorum, magnaque loquendi pollebat libertate; vt maxi- „me familiaris ad principem accedit, & lacrimarum cauſſam „ſciſcitatur. Imperator acerbius ingemiſcens & vberiores pro- „fundens lacrimas Tu quidem, inquit, *Ruffine* ludis: mea „quippe mala minime ſentis. Ego vero gemo ac doleo, me- „am conſiderans calamitatem: ſiquidem ſeruis quidem ac men- „dicis patet eccleſia Dei, in quam libere ingrediuntur & domi- „no ſupplicant. Mihi vero & eccleſiæ aditus interdictus eſt, „& præterea clauſæ ſunt cæli fores. Memor enim ſum domini- „cæ vocis, quæ diſerte ita dicit: *Quodcumque ligaueritis ſuper* „*terram, erit ligatum & in cælis.* Tum *Ruffinus*, curram, inquit, ſi „tibi placet, & exorabo antiſtitem, vt vincula tua ſoluat. Cui „imperator: Non perſuadebis, inquit, *Ambroſio*. Noui æqui- „tatem ſententiæ illius. Numquam ille imperialem reueritus „poteſtatem Dei legem violaturus eſt. Sed quum *Ruffinus* in- „ſtaret, ſeque *Ambroſio* perſuaſurum polliceretur, imperator eum

πατήσεις τὸ ἅγιον; πῶς δὲ τὰς χεῖρας ἐκτενεῖς, ἀποστάζουσας ἔτι τοῦ ἀδίκου φόνου τὸ αἷμα; πῶς δὲ τοιαύταις ὑποδέξῃ χερσὶ τοῦ δεσπότου τὸ πανάγιον σῶμα; πῶς δὲ τῷ στόματι προσοίσεις τὸ αἷμα τὸ τίμιον, τοσοῦτον διὰ τὸν τοῦ θυμοῦ λόγον ἐκχέας παρανόμως αἷμα; ἄπιθι τοίνυν, καὶ μὴ πειρῶ τοῖς δευτέροις τὴν προτέραν αὔξειν παρανομίαν, καὶ δέχου τὸν δεσμόν, ᾧ ὁ θεὸς, ὁ τῶν ὅλων δεσπότης, ἄνωθεν γίνεται σύμψηφος· ἰατρικὸν δὲ οὗτος, καὶ πρόξενος ὑγιείας. κ.τ.λ.

 „illico

„illico abire iubet. Nec multo post ipse quoque spe blandi-„ente subsequutus est, *Ruffini* pollicitationibus credens. Ve-„rum diuinus *Ambrosius*, simulatque *Ruffinum* vidit; Canum, in-„quit, impudentiam imitaris, *Ruffine*. Nam quum tantæ cædis „suasor exstiteris, pudorem e fronte excussisti; & neque eru-„bescis, neque formidas, quum aduersus imaginem Dei tanta „rabie sæuieris. Quumque *Ruffinus* supplicaret, & imperato-„rem breui adfuturum esse diceret, *Ambrosius* diuino zelo in-„census, Ego quidem, inquit, tibi *Ruffine*, prædico, atque præ-„nuntio, me illum ab ingressu sacri vestibuli repulsurum. Si „vero imperium in tyrannidem verterit, ego quoque libenti „animo cædem excipiam. His auditis, *Ruffinus* consilium epi-„scopi imperatori per nuntium significauit suasitque, vt intra „palatium remaneret. At imperator, quum hæc in medio fo-„ro didicisset, Ibo, inquit, & iustas patiar contumelias. „Quumque ad ecclesiæ septa peruenisset, in ipsam quidem ba-„silicam ingressus non est; sed accedens ad episcopum, qui tum „in salutatorio residebat, vt vinculis solueretur, rogauit. *Am-„brosius* vero huiusmodi aduentum tyrannicum esse dixit, & „*Theodosium* aduersus Deum furere, legesque illius calcare. „Tum imperator, Aduersus leges, inquit, quæ latæ sunt, non „insurgo, nec contra fas ingredi cupio sacra vestibula: sed a „te peto, vt vinculis me absoluas, & communis domini clemen-„tiam consideres, nec mihi occludas ianuam, quam cunctis „pœnitentiam agentibus dominus aperit. Cui *Ambrosius*: „Quam igitur, inquit, pœnitentiam ostendisti post tam graue „facinus? Cuiusmodi medicamentis vulnera tua curasti? Heic „imperator, Tuum est, ait, medicamenta ostendere ac tempe-„rare, mei autem officii est, oblata suscipere. Tunc *Ambrosius*: „Quandoquidem, inquit, iudicium permittis furori, nec ratio „sed ira sententiam profert, scribe legem, quæ furoris senten-„tias irritas reddat atque inanes: & triginta dierum spatio „maneant scriptæ sententiæ de cæde ac bonorum proscriptio-„ne, rationis iudicium exspectantes. Quibus diebus trans-„actis, hi, qui edictum scripserunt, ostendant tibi ea, quæ iusse-„ris. Ac tum sedato æstu iracundiæ, ratio per se ipsa iudicium „exercens examinabit ea, quæ decreta sunt, dispicietque, vtrum iusta

„iusta sint, an iniusta. Ac si quidem iniusta esse deprehenderit, scripta procul dubio discerpet, sin iusta, confirmabit: nec „dierum spatium recte diiudicatis quidquam detrimenti adferet. Hoc consilium, quum audisset imperator, & vtilissimum „esse existimaret, statim legem scribi præcepit, eamque manus „suæ subscriptione firmauit. Quo facto *Ambrosius* eius vincula „relaxauit. Atque ita demum in Dei templum intrare ausus „imperator, non stans, nec genibus flexis supplicauit Deo, „sed pronus humi iacens *Davidicam* hanc vocem emisit: *Adhæsit pauimento anima mea, viuifica me secundum verbum tuum.* Denique manibus comam vellens frontemque percutiens, & lacrimarum manantibus guttis solum rigans, veniam sibi dari „poscebat. Quum autem tempus aduenisset, quo dona sacræ „mensæ erant offerenda, surgens cum lacrimis non minoribus „quam antea, progressus est ad altare„.

HANC materiam verbis THEODORETI fuse retulimus, quia, vt ille obseruat, tam illustre virtutis tum in sacerdote tum in principe exemplum est, illius loquendi libertatem & ardentem zelum, huius autem submissam obedientiam puramque ac sinceram fidem ostendens. THEODORETVS addit, imperatorem *Constantinipolim* postea reuersum dixisse, vix tandem se edoctum esse, quid esset discriminis inter sacerdotem ac principem, & vix tandem se inuenisse veritatis magistrum: Vnum se nosse *Ambrosium*, qui episcopus dici mereatur. *Tantam vtilitatem*, inquit auctor noster, *habet reprehensio, quæ sit animo excellenti virtute prædito.*

POST hoc recentiora istiusmodi exempla disciplinæ in principes administratæ commemorare nihil attinet: sed consultum erit, lectori heic rursus in memoriam reuocare necessariam illam distinctionem inter maiorem & minorem excommunicationem, quarum illa sontem ab omni societate in rebus sacris in ecclesia separat. Proderit etiam cum multis viris doctis obseruare, quod istæ modo memoratæ principum excommunicationes numquam vlterius progressæ sint, quam ad prudentem admonitionem & temporariam eorum a sacramento & sanctis ecclesiæ officiis prohibitionem. *In his*, inquit IOANNES BVCKERIGIVS [n] BELLARMINO respondens, *aperte pro-*

(n) Ioan. Roffens. de potestate papæ temporali lib. II. c. XXXIX. p. 927.

hibet

hibet Ambrosius Theodosium ab ingressu ecclesiæ & communione sacramentorum, sed nec Satanæ tradit, nec in numerum publicanorum & ethnicorum redigit, nec cœtu & communione fidelium separat. Si ergo de excommunicatione maiore proprie loquatur Bellarminus, incumbit ei probatio; sic enim excommunicatum fuisse, dubitari potest. Si de excommunicatione minori, siue suspensione, quæ tantum limina ecclesiæ, & sacramentorum communionem negat, loquatur, non negamus, sic ab Ambrosio excommunicatum Theodosium. Vincula vero hæc, quibus ligatus est Theodosius, fuerunt vincula peccatorum, quæ ab Ambrosio retenta sunt. Quidquid ligaueris in terra, ligatum erit in cælis: quæ verba & ad peccatorum retentionem & ad anathematis siue excommunicationis sententiam pertingunt. Excommunicatio ergo ista est minor non maior, id quod verba Ambrosii [o] *satis docent: „Caussam contumaciæ in te nullam habeo, „sed habeo timoris, offerre non audeo sacrificia, si volueris adsistere„. An excommunicatio vlla sine contumacia? Immo & se prohibitum docet visione, ne offerret. „Quum enim essem sollicitus ipsa nocte, qua proficisci putabam, venisse quidem visus es ad ecclesiam, sed mihi sacrificium offerre non licuit„. Et infra: „Tunc offeres, quum sacrificandi acceperis facultatem, quando hostia tua accepta sit Deo„. Non ergo separatus est a consortio fidelium, nec Satanæ traditus, sed ligatus in peccato, donec condignam egerat pœnitentiam, & exclusus a liminibus & sacramentis ecclesiæ.* Hactenus ille. IEREMIAS TAYLORIVS [*p*] excommunicationem hoc sensu accipit, quando ait: *Si doctrinam & praxin patrum in primitiua & antiqua ecclesia consulimus, de excommunicatione principum eos ne cogitasse quidem deprehendimus. Primus ex supremis principibus ab episcopo aliquo excommunicatus, Henricus imperator fuit, quem excommunicauit Hildebrandus pontifex Romanus.* Addit: *Pars excommunicationis est, quæ in eo consistit, vt principibus vitam impie & cum publica aliorum offensione agentibus sancta communio denegetur; qua de re dubium non est, quin episcopus possit, immo certis in casibus debeat hoc facere. Christus ait: Ne date sanctum canibus, nec proiicite margaritas vestras coram porcis. Quidquid enim ex iure diuino in ecclesiæ est potestate, id non minus ad eum, qui in solio, quam ad illum, qui in sterquilinio sedet, applicari potest.* Enim

(*o*) Ambros. epist. XXVIII. ad Theodosium.

(*p*) Taylor duct. dubitant. lib. III. c. IV. p. 604. edit. Anglican. Lond. (p. 455. §. 7. p. 457. §. 10. edit. Germ. Brem. MDCCV.)

vero

vero subiungit statim aliquid, quod mea quidem sententia cum hoc pronuntiato pugnat. *Hæc autem recusatio,* inquit, *admonitione tantum & cautione, metus iniectione & denuntiationibus euangelicis fieri debet: Rationibus conuincendus est, quum sit sacra communione indignus, & docendus de periculo, quod incursurus sit, si communicauerit; Quod si post hanc separationem* [q] *princeps ex sententia & ministerio proprio sacræ cœnæ particeps fieri voluerit, episcopum nihil facere oportet aliud, quam orare & flere & libenter ministrare.* Hæc non solum iis contradicunt, quæ modo dixerat, quod episcopus principibus vitam impie & cum publica aliorum offensione agentibus communionem negare ex officio debeat, sed e diametro quoque cum doctrina & praxi pugnant CHRYSOSTOMI atque AMBROSII, qui se malle mori, quam prorsus indigno principi communionem dare, libere profitentur.

§. VI.

Quibus in casibus ab excommunicatione maiore in rem ecclesiæ abstinuerint.

VERVMTAMEN, quod ad maiorem attinet excommunicationem, certum est, ab ea in quibusdam casibus, non principum tantum sed populi etiam respectu, illos abstinuisse. Prudentia enim eos docebat omnia facere in rem ecclesiæ, & hoc acutiori gladio vti ad ædificationem solum ecclesiæ, non ad destructionem. Hinc si exploratum aut saltem maxime probabile esset, intemperatum & inconsultum eius vsum plus detrimenti quam emolumenti ecclesiæ adlaturum, & ratio & caritas eius vsum seponere iubebat, quod verendum esset, ne triticum vna cum zizaniis ante opportunum iudicii tempus eradicaretur. Quod ad principes attinet, ISAACVS BARROW paucis verbis, magnam antiquæ historiæ partem continentibus, obseruat, quod etsi multi supremi principes in ecclesia primitiua hæretici fuerint & veræ religionis inimici, veteres tamen pontifices *Romani* non credidisse videantur, se eos excommunicandi habere potestatem. „ Si, inquit, [*r*] potuis-

(*q*) Taylor. ibid. p. 605. (p. 457. 458.) Vid. etiam alius eius liber, quem inscripsit *Worthy Communicant* cap. V. sect. VI. p. 487.

(*r*) Barrow *of the Pope's Supremacy* p. 12. (p. 25. 26. 27. edit. Germanic. Lipf. MDCCXXIII.)

„ſent excommunicare principes, cur ea poteſtate non vſi fuiſ-„ſent, quum id faciendi grauiſſimas haberent cauſſas, & maxi-„me ad illud incitarentur? Cur *Iulius* vel *Liberius* non excom-„municauit *Conſtantium*, magnum illum *Arianorum* patronum, „contra quem *Athanaſius* tamen, *Hilarius* & *Lucifer Calarius* tan-„to zelo incenſi contendunt, eum modo hæreticum, modo „Antichriſtum & alia omnia vocando? Quomodo ipſe *Iulianus* „excommunicationem effugere potuit *Liberii*? Cur non ful-„minauit *Damaſus* contra *Valentem*, ferociſſimum catholico-„rum perſecutorem? Cur *Damaſus Iuſtinam* imperatricem, „*Arianiſmi* patronam, non excommunicauit? Cur *Siricius* „non ſubiecit cenſuræ *Theodoſium* ob cruentum facinus, ob „quod communionem ei denegauit *Ambroſius*? Cur *Leo*, te-„merarius ille & inſolens pontifex, non auſus eſt reprehen-„dere *Theodoſium* iuniorem, qui *Dioſcorum* aduerſarium eius „tuebatur, & concilium *Epheſinum* ſecundum, quod pontifex „ille tantopere deteſtabatur, imperiali poteſtate protegebat? „Cur non potius eum anathematis fulmine percutiendo quam „lacrimis ſuppliciter rogando, ad obſequium perduxit? Cur „tot pontifices in *Theodorici* aliorumque principum, *Arianiſ-*„*mum* ante ipſorum fores fouentium, hæreſi conniuerunt? „Cur nec *Simplicius* nec *Felix* ita puniuerunt *Zenonem* impe-„ratorem, concilii euerſorem *Chalcedonenſis*, cuius auctorita-„tem ambo tanto cum zelo defendebant? Cur nec *Felix*, nec „*Gelaſius*, nec *Symmachus*, nec *Hormiſdas Anaſtaſium* impera-„torem excommunicarunt? (Immo ne quidem nomen eius, „vt *Gelaſius* loquitur, attigerunt) quod epiſcopos Orientales „ſchiſmate & obſtinatione ſua, qua auctoritati populi ſe ſub-„mittere recuſabant, obfirmaret. Expoſtulabant quidem hi „pontifices cum imperatore de iniuriis, diſerte tamen nega-„bant, ſe illum vna cum aliis, quibus faueret, condemnaſſe. „*Nos non te*, inquit SYMMACHVS [*s*], *excommunicauimus, impe-*„*rator, ſed Acacium. Tu recede ab Acacio, & ab illius excom-*„*municatione recedis. Tu te noli miſcere excommunicatio-*„*ni eius, & non es excommunicatus a nobis. Si te miſces,* „*non a nobis ſed a te ipſo excommunicatus es.* Et GELASIVS

(*s*) Symmach. epiſt. VI. (apud Labb. tom. IV. concil. p. 1298. fin.)

ait

„ait [*t*]: *Si isti* (imperatori) *placet se miscere damnatis*, *nobis non* „*potest imputari.* Quamobrem male agit BARONIVS [*u*], „*Anastasium* ab *Symmacho* excommunicatum esse adserens; quum „tamen iste pontifex illis ipsis verbis, quæ ad id probandum „proferuntur, diserte neget, si quidem ea recte legantur. Cor„rupte [*x*] enim in BARONIO & BINIO scripta exstant; vbi *Ego* „(quod nullum sensum habet, aut certe eum, qui priori ad„sertioni contradicit) positum est pro *Nego*, quod sensum pro„bat satis commodum eisque congruentem, quæ reliqui pon„tifices, hanc materiam narrantes, adfirmant: Quod videlicet „non sibi sumserint anathemate ferire imperatorem cum aliis „hæreticis, quos condemnauerint„. Hactenus BARROW.

EQVIDEM tres erant rationes, ob quas veteres summis imperantibus anathema infligere dubitabant. Vna erat ea, cuius modo mentionem fecimus, quia videlicet credebant, se non habere potestatem eos in hunc modum excommunicandi, sed tantum ab eucharistiæ participatione prohibendi. Alia ratio erat, quod principes hæretici reuera ipsi se excommunicasse iudicarentur, deserendo ecclesiam & hæreticis se iungendo, adeoque ecclesia non haberet caussam anathema aduersus eos pronuntiandi. Tertia quædam ratio erat, quod hoc plus detrimenti quam emolumenti ecclesiæ adferre poterat, dum principum hæreticorum animis magis exasperatis, & ad ecclesiam acrius persequendam irritatis, multa infirmiora ecclesiæ membra offenderentur. Propterea BVCKEREGIVS [*y*] episcopus, satius forte esse existimat, si principes sint parum pii, crudeles, omnis reprehensionis & indignitatis impatientes, episcopum a seueritate minoris æque ac maioris excommunicationis abstinere, quam furorem armatum in se ipsum & ecclesiam conuertere: satius esse, gladium in vagina continere, quam

(*t*) Gelas. epist. IV. (ibid. p. 1108.)

(*u*) Baron. an. DIII. n. XVII. Qui ab ipso Symmacho anathemate idem damnatus est Anastasius imperator &c.

(*x*) Symmach. epist. VI. p. 1298. Dicis, quod mecum conspirante senatu excommunicauerim te. Ista quidem *ego*, sed rationabiliter factum a decessoribus meis sine dubio subsequor. Not. *Ita legit* Baronius *&* *Binius.* Ista quidem ego; *vera autem lectio est.* Ista quidem nego. *Et* Labbeus *nihilominus* hanc *corruptam lectionem retinet sine vlla in eam animaduersione*

(*y*) Ioan. Roffens. de potestate Papæ in temporalibus lib. II. c. XXXIX. p. 931.

in iacturam & perniciem ecclesiæ euaginare. Etsi ergo de iure constet, quod reges & imperatores excommunicari possint, de conuenientia tamen, an ecclesiæ vtile sit, in defensores, patronos & aduocatos suos, hoc est, imperatores & reges, sic sæuire, nondum satis exploratum esse dicit.

Et huius quidem rei consideratione AVGVSTINVS & alii eo adducti sunt, vt non tantum in caussa regum sed populi etiam definierint, quod si vniuersa multitudo eodem crimine, illud vel ipso actu admittendo, vel approbando, vel ad id incitando, sese adstrinxisset, excommunicationis seueritas, præsertim in summo gradu, non possit per leges prudentiæ adhiberi, sed verendum potius sit, ne nullum aut malum effectum habeat. Si vnus quidem sceleris reus, per disciplinam ab ecclesiæ societate separatus, a reliquis vitatur, commodissima pudorem ei incutiendi ratio est. At vero si vniuersa societas, aut bona eius pars, communi crimine adstricta tenetur, fieri non potest, vt tantæ sontium multitudini rubor incutiatur adferaturque peccandi verecundia, quum alter alterius animum accendat confirmetque. Adeoque in tali casu disciplinæ in eos exercere seueritatem nihil aliud est, quam eorum ludibrio eam exponere, & ecclesiam turbulentorum & factiosorum hominum concitatione schismatibus & discidiis implicare, infirmisque & iudicio parum valentibus præbere scandalum, quippe qui a potentiore parte facile abripiuntur, & intempestiua zizaniorum runcatione pereunt. AVGVSTINVS de hac materia sæpius disputat aduersus *Donatistas*, qui ecclesiam sine macula & ruga in terris habere velle præ se ferebant, & zizania, vbicumque locorum reperirentur, euellenda esse stabuebant, quæcumque demum incommoda hanc rem consequerentur. Quamquam ad suam ipsorum regulam eos non agere obseruat. Tolerabant enim quemdam *Optatum Gildonianum*, hominem omnibus vitiis atque omni dedecore per vniuersam *Africam* infamem, neque eum excommunicabant, quod metuerent, ne, multis ex populo in partes suas pertractis, communioni ipsorum nouum schisma conflaret. AVGVSTINVS [z] hoc nomine eos non re-

(z) Aug. epist. CLXIV. ad Emeritum Donatistam. Non ergo reprehendimus, si eo tempore, ne multos secum excommunicatus traheret, & communionem vestram schismatis furore præcideret, eum excommunicare noluistis, sed

pre-

prehendit, ſed id ipſum eis tantum opponit tamquam argumentum κατ᾽ ἄνθρωπον, vt oſtendat, non eſſe, quod eccleſiam vituperent, quando neceſſitate vrgente id faciat, quod ipſimet ſimili occaſione facere cogantur. De eccleſia quidem libere fatetur, ſæpius eam coactam eſſe tolerare zizania, ſi permixta tritico creuiſſent, ſique ſeuerioris diſciplinæ remediis illa eradicare periculoſum eſſet, & magis verendum, ne eccleſia ſubuerteretur eiuſque vnitas & pax periculoſis ſchiſmatibus deſtrueretur, infirmæque mentes hac agendi ratione magis offenderentur, quam ſpes eſſet alios lucrandi. Ita ætate CYPRIANI fuiſſe, ita & ſua ætate eſſe dicit. Crebro repetit & vrget hac occaſione celebrem illum locum CYPRIANI in libro *de lapſis*, vbi loquens de cauſſis, quamobrem Deus eccleſiæ ſuæ terribilem illam perſecutionem immiſerit, manifeſto indicat, quod tot de clero pariter ac populo mores ſuos corruperint, vt viri boni nihil potuerint niſi lugere, & a participatione peccatorum illorum ſibi cauere: Quod vero id fieri haud potuerit diſciplinæ exercitio, propter multitudinem peccantium, quos ex omnibus ordinibus ei ſubiici oportuiſſet; quum multi ex illis, qui eam exercere deberent, ei omnium maxime obnoxii eſſent; nec ſperari potuiſſet, fore, vt hi ipſi promtos paratoſque ad eam adminiſtrandam ſeſe præberent. Vt adeo, ſi malum longius ſerpſiſſet factumque eſſet robuſtius, quam vt hac ratione curari poſſet; non aliud reliquum eſſet remedium, niſi diuini iudicii ſeueritas, vt extraordinario quodam flagro corrigerentur, qui ordinarie per humanam poteſtatem, rebus ita ſe habentibus, corrigi non poterant. „Dominus, inquit „CYPRIANVS [a], probari familiam ſuam voluit, quia traditam

hoc ipſum eſt, quod vos arguit in iudicio Dei, frater Emerite, quod quum videretis tam magnum malum eſſe, diuidi partem Donati, vt Optatus potius in communione tolerandus exiſtimaretur, quam illud admitteretur, permanetis in eo malo, quod in diuidenda eccleſia Chriſti a veſtris maioribus perpetratum eſt. Id. epiſt. CLXX. ad Seuerin. Vos noſtis maxime, quia tum multi ſcelerati apud eos emerſerunt & tolerauerunt illos per tot annos, ne partem Donati conſcinderent &c. Epiſt. CLXXI. ad Donatiſtas. Si malorum permixtionem timeretis, Optatum inter vos in apertiſſima iniquitate viuentem per tot annos non teneretis. Contr. epiſt. Parmen. lib. II. c. II. Optatum Gildonianum decennalem totius Africæ gemitum, tamquam ſacerdotem atque collegam honorantes in communione tenuerunt &c.

(a) Cyprian. de lapſis p. 123. (p. 88. 89. edit. Fell. Amſtelod. MDCC.)

„nobis diuinitus disciplinam pax longa corruperat, iacentem „fidem, & pene dixerim dormientem, censura cælestis erexit, „quumque nos peccatis nostris amplius pati mereremur, cle„mentissimus dominus sic cuncta moderatus est, vt hoc omne, „quod gestum est, exploratio potius quam persecutio videre„tur. Studebant augendo patrimonio singuli; & obliti, quid „credentes aut sub apostolis ante fecissent, aut semper facere „deberent, insatiabili cupiditatis ardore ampliandis facultati„bus incubabant. Non in sacerdotibus religio deuota, non „in ministris vita integra, non in operibus misericordia, non „in moribus disciplina. Corrupta barba in viris, in feminis „forma fucata. Adulterati post Dei manus oculi, capilli men„dacio colorati. Ad decipienda corda simplicium callidæ frau„des, circumueniendis fratribus, subdolæ voluntates: Iunge„re cum infidelibus vinculum matrimonii, prostituere gentili„bus membra *CHRISTI:* non iurare tantum temere, sed adhuc „etiam peierare: Præpositos superbo timore contemnere, ve„nenato sibi ore maledicere, odiis pertinacibus inuicem dissi„dere: Episcopi plurimi, quos & hortamento esse oportet ce„teris & exemplo, diuina procuratione contemta, procurato„res rerum sæcularium fieri, derelicta cathedra, plebe deserta, „per alienas prouincias oberrantes, negotiationis quæstuosæ „nundinas aucupari. Esurientibus in ecclesia fratribus non „subuenire, habere argentum largiter velle, fundos insidiosis „fraudibus rapere, vsuris multiplicantibus fœnus augere. Quid „non perpeti tales pro peccatis eiusmodi mereremur? quum „iam pridem præmonuerit ac dixerit censura diuina: *Si dereli„querint legem meam & in iudiciis meis non ambulauerint: si iustifica„tiones meas profanauerint, & præcepta mea non obseruauerint, visitabo „in virga facinora eorum & in flagellis delicta eorum.* Prænuntiata „sunt ista nobis, & ante prædicta: sed nos datæ legis & ob„seruationis immemores, id egimus per nostra peccata, vt, dum „domini mandata contemsimus, ad correctionem delicti & pro„bationem fidei remediis seuerioribus veniremus„.

APERTE heic monet CYPRIANVS, quod in tam corrupto rerum statu disciplina ecclesiæ custodiri, vel recte administrari non potuerit. Tolerare cogebatur hosce collegas suos, qui erant auari, raptores, extortores, fœneratores, desertores, frau-

fraudatores & crudeles. Non poterant cum bono effectu censuræ ecclesiasticæ administrari, quum tot de sacerdotibus pariter & populo parati potius essent resistere, & ecclesiam in sexcenta schismata discerpere, quam permittere, vt hac ratione turbarentur, vel reformarentur. Proinde, quum nulla alia commoda & apta methodus esset relicta, diuina censura necessaria erat, vtpote vltimum & vnicum remedium.

Et hoc est, quod toties *Donatistis* dicit AVGVSTINVS, quod ecclesia hac in re exemplum imitetur CYPRIANI. „Vbi „hoc [*b*] facere (nimirum malos a populo Dei separare) gratia „pacis & tranquillitatis ecclesiæ non permittimur, non tamen „ideo ecclesiam negligimus, sed toleramus quæ nolumus, vt „perueniamus quo volumus, vtentes cautela præcepti dominici, ne, quum voluerimus ante tempus colligere zizania, simul „eradicemus & triticum. Vtentes etiam exemplo & præcepto „beati *Cypriani*, qui collegas suos fœneratores, fraudatores, raptores, pacis contemplatione pertulit tales, nec eorum contagione factus est talis„. Sic iterum [*c*]: „Non propter malos boni deserendi, sed propter bonos mali tolerandi sunt; „sicut tolerauerunt prophetæ, contra quos tanta dicebant, nec „communionem sacramentorum illius populi relinquebant, sicut ipse dominus nocentem *Iudam* vsque ad condignum eius exitium tolerauit, & eum sacram cœnam cum innocentibus „communicare permisit: sicut tolerarunt apostoli eos, qui per „inuidiam, quod ipsius diaboli vitium est, *CHRISTVM* adnuntiabant: sicut tolerauit *Cyprianus* collegarum auaritiam, quam „secundum apostolum appellat idololatriam„. Hoc *Cypriani* exemplum AVGVSTINVS in aliis etiam locis [*d*] frequenter vrget. Præterea pro necessitate huius rationis agendi ex caussa

(*b*) Aug. lib. ad Donatistas post collat. c. XX. (tom. VII. opp. p. 608. edit. Basil. MDLXIX.)

(*c*) August. epist. XLVIII. ad Vincent. p. 66. (tom. III. p. 174. edit. Basil.)

(*d*) August. de baptismo lib. IV. c. IV. (tom. VII. p. 422.) Neque enim aduersus coëpiscopos suos falsum testimonium diceret, & tamen eos propter Christum, qui pro infirmis mortuus est, ne ante tempus eradicatis zizaniis simul eradicaretur & triticum, paternæ & maternæ caritatis visceribus tolerauit &c. Id. contr. epist. Parmen. lib. III. c. II. (ibid. p. 57.) Dicant ergo, si possunt, meliorem se atque purgatiorem habere nunc ecclesiam, quam erat ipsa vnitas beatissimi Cypriani temporibus, qui collegas suos, a quibus tamen nul-

et natura rei ipsius, & ex præceptis euangelii argumentatur. In libro contra epistolam PARMENIANI fuse demonstrat, quando excommunicatio siue anathema debeat, & quando non debeat adhiberi. Adhiberi posse adserit, quum periculum non sit, ne cum zizaniis simul eradicetur & triticum. „Ipse dominus, (inquit [e],) quum seruis, volentibus zizania colligere, di- „xit: *Sinite vtraque crescere vsque ad messem:* præmisit caussam, di- „cens: *Ne forte, quum vultis colligere zizania, eradicetis simul & triticum.* Vbi satis ostendit, quum metus iste non subest, sed o- „mnimoda frumentorum certa stabilitate certa securitas ma- „net: id est, quando ita cuiusque crimen notum est omnibus, „& omnibus execrabile apparet, vt vel nullos prorsus, vel non „tales habeat defensores, per quos possit schisma contingere: „non dormiat seueritas disciplinæ, a qua tanto est efficacior „emendatio prauitatis; quanto diligentior confirmatio carita- „tis. Tunc autem hoc sine labe pacis & vnitatis & sine læsio- „ne frumentorum fieri potest, quum congregationis ecclesiæ „multitudo ab eo crimine, quod anathematizatur, aliena est. „Tunc enim adiuuat præpositum potius corripientem, quam „criminosum resistentem. Tunc se ab eius coniunctione salu- „briter continet, vt nec cibum quisquam cum eo sumat, non „rabie inimica, sed coërcitione fraterna. Tunc etiam & ille „timore percutitur & pudore sanatur, quum ab vniuersa eccle- „sia se anathematizatum videns, sociam turbam, cum qua in „delicto suo gaudeat, & bonis insultet, non potest inuenire. „Adhuc enim & ipse apostolus ait: *Si quis frater nominatur.* In „eo, quippe, quod ait, *Si quis*, nihil aliud videtur significare „voluisse, nisi eum posse tali modo salubriter corrigi, qui inter „dissimiles peccat, id est inter eos, quos peccatorum similium „pestilentia non corrumpit. In eo vero, quod ait, *nominatur*, „hoc nimirum intelligi voluit, parum esse, vt sit quisque talis, „nisi etiam nominetur, id est, famosus appareat, vt possit o- „mnibus dignissima videri, quæ in eum fuerit anathematis pro- „lata sententia. Ita enim & salua pace corrigitur, & medici-

la corporali disiunctione separatus est, nullum eorum nominatim appellans, sed prudenter ac sobrie saluberrimæ mordacitatis inferens medicinam, his verbis grauiter arguit &c.

(e) August. contr. epist. Parmen. lib. III. c. II. p. 60.

nali-

„naliter vritur. Propterea de illo dixit, quem tali medicina „ſanari voluerat, *Satis hæc eſt correptio a multis.* Neque enim „poteſt eſſe ſalubris a multis correptio, niſi quum ille corri„pitur, qui non habet ſociam multitudinem. Quum vero i„dem morbus plurimos occupauerit, nihil aliud bonis reſtat, „quam dolor & gemitus; vt per illud ſignum, quod *Ezechieli* „ſancto reuelatur, illæſi euadere ab illorum vaſtatione mere„antur. -- Ideoque idem apoſtolus, quum iam multos compe„riſſet & immunda luxuria & fornicationibus inquinatos, ad „eoſdem *Corinthios*, in ſecunda epiſtola ſcribens, non itidem „præcipit, vt cum talibus nec cibum ſumerent. Multi enim „erant, nec dici de his poterat, *Si quis frater nominatur fornica„tor, aut idolis ſeruiens, aut auarus, aut aliquid tale, cum eiuſmodi nec „cibum quidem ſimul ſumere*; ſed ait: *Ne iterum, quum venero ad vos, „humiliet me Deus, & lugeam multos ex iis, qui ante peccauerunt, & „non egerunt pœnitentiam ſuper immunditia, & luxuria, & fornicatione, „quam gesserunt*; per luctum ſuum potius eos diuino flagello co„ërcendos minans, quam per illam correptionem, vt ceteri ab „eorum coniunctione ſe contineant. Conſequenter enim „dicit, *Ecce tertio hoc veniam ad vos, vt in ore duorum vel trium teſti„um ſtet omne verbum. Prædixi, & prædico ſicut præſens ſecundo, & nunc „abſens iis, qui ante peccauerunt, & ceteris omnibus: quia, ſi venero ite„rum, non parcam, quia probationem quæritis eius, qui in me loquitur „Chriſtus*, quid aliud dixit heic, *Non parcam*, niſi quod ſuperius „ait, *Et lugeam multos*: vt luctus eius impetraret flagellum a do„mino, quo illi corriperentur, qui iam propter multitudinem „non poterant ita corripi, vt ab eorum coniunctione ſe ceteri „continerent, & eos erubeſcere facerent, ſicut faciendum eſt, „ſi quis frater in aliquo ceteris diſſimili crimine nominatur? „Et reuera, ſi contagio peccandi multitudinem inuaſerit, di„uinæ diſciplinæ ſeuera miſericordia neceſſaria eſt: nam con„ſilia ſeparationis & inania ſunt, & pernicioſa atque ſacrilega, „quia & impia & ſuperba fiunt, & plus perturbant infirmos „bonos, quam corrigant animoſos malos„. Et propterea idem AVGVSTINVS obſeruat, quod *Paulus* vnum illum inceſtuoſum *Corinthium* & multitudinem, quæ negabat reſurrectionem, diuerſa ratione tractarit. „Non eis (inquit [f],) præcepit cor-

(f) Auguſt. libr. contra Donatiſtas poſt collat. c. XX. (p. 613. edit. Baſil.)

„poralem ſeparationem; multi quippe erant, non ſicut ille v-„nus, qui vxorem patris ſui habuit, quem liberiore correpti-„one & excommunicatione iudicat dignum. Longe aliter iſte, „aliter vitioſa curanda & ſananda eſt multitudo, ne forte, ſi „plebs a plebe ſeparetur, per ſchiſmatis nefas etiam triticum e-„radicetur. Eos ergo, qui iam credebant reſurrectionem „mortuorum, ab his, qui eam in eodem populo non crede-„bant, non corporaliter ſeparat, ſed ſpiritualiter ſeparare non „ceſſat, dicens, *Nolite ſeduci, corrumpunt bonos mores colloquia ma-„la*„. Et alio loco [g]: „Quibus mali placent in vnitate, ipſi „communicant malis: quibus autem diſplicent, & eos emen-„dare non poſſunt, neque ante tempus meſſis audent zizania „eradicare, ne ſimul eradicent & triticum, non factis eorum, „ſed altari *CHRISTI* communicant: ita vt non ſolum non ab „eis maculentur, ſed etiam diuinis verbis laudari prædicarique „mereantur: quoniam ne nomen *CHRISTI* per horribilia ſchi-„ſmata blaſphemetur, pro bono vnitatis tolerant, quod pro „bono æquitatis oderunt„. Hoc laude dignum factum eſſe, variis exemplis, tam ex vetere quam ex nouo teſtamento & praxi ſeruatoris noſtri eiuſque apoſtolorum depromtis, demonſtrat, quæ numeroſiora ſunt, quam vt heic interponi poſſint. Alia in epiſtola [h] rem breuius conſtringit, quando dicit: „Illud non eſt tacendum, etiam cognitos malos bonis non „obeſſe in eccleſia, ſi eos a communione prohibendi aut po-„teſtas deſit, aut aliqua ratio conſeruandæ pacis impediat„. Et rurſus [i]: „Quos corrigere non valemus, etiamſi neceſſitas co-„git pro ſalute ceterorum, vt Dei ſacramenta nobiſcum com-„municent, peccatis tamen eorum non communicamus, quod „non fit niſi conſentiendo & faciendo. Sic enim eos in iſto „mundo, in quo eccleſia catholica per omnes gentes diffundi-„tur, quem agrum ſuum dominus dicit, tamquam zizania in-„ter triticum, vel in hac vnitatis area, tamquam paleam per-„mixtam frumento, vel intra retia verbi ſacramenti tamquam „malos piſces cum bonis incluſos vſque ad tempus meſſis aut „ventilationis aut littoris toleramus, ne propter illos eradice-

(g) Auguſt. epiſt. CLXII. ad epiſc. Donatiſt. p. 280. (p. 735. edit. Baſil.)

(h) Auguſt. epiſt. CLXIV. ad Emeritum. (p. 746. edit. Baſil.)

(i) Aug. epiſt. CLXVI. (p. 761. ed. Baſ.)

mus

„mus & triticum, aut grana nuda ante tempus de area ſepara-„ta, non in horreum mittenda purgemus, ſed volatilibus col-„ligenda proiiciamus, aut diruptis per ſchiſmata retibus, dum „quaſi malos piſces cauemus, in mare pernicioſæ libertatis ex-„eamus. Propter hoc enim his atque aliis ſimilitudinibus do-„minus ſeruorum ſuorum tolerantiam confirmauit, ne dum ſe „boni putant malorum permixtione culpari, per humanas & „temerarias diſſenſiones aut paruulos perdant, aut paruuli pe-„reant„. Idem hoc argumentum pluribus perſequitur in epiſtola ad *Macrobium* [k] & in libris contra *Gaudentium* [l] multisque in locis aliis. Verum quæ iam produximus in medium, ſatis abunde mentem eius hac in materia declarant, neque vero eius ſenſum tantum, ſed concordantem etiam opinionem & praxin totius eccleſiæ *Africanæ*, tam tempore CYPRIANI quam collationis *Carthaginenſis*, quo ille reſpicit. Vt adeo de vniuerſa hac materia opinio eorum manifeſto ea eſſe intelligatur, quod ſi multitudo peccantium in eccleſia diſciplinæ exercitium reddat periculoſum, magis expediat, malos inter bonos tolerare, quam per ſeueritatem pœnarum eos depurgare conando periculum ſciſſuræ retibus conflare, & eccleſiam terribilibus ſchiſmatibus implicare cum infirmorum quidem offenſione, non autem cum emolumento ipſius eccleſiæ, dum vna cum zizaniis & triticum eradicetur. Et hæc praxis difficilibus temporibus generatim expedire iudicatur ab hodiernis ſcriptoribus, inter quos lector eruditus RICHERIVM, ESTIVM, LYRAM [m],

(k) Aug. epiſt. CCLV. al. CCLVI.

(l) Auguſt. contra Gaudent. lib. III. c. III. V. IX. ſeqq. It. epiſt. LXIX. ad Reſtitutum; E breuic. collationis die III. c. VIII. Vid. collat. Carthag. III. n. CCLVIII. & CCLXV. & Auguſt. de fide & oper. c. IV. & V.

(m) Richer. de poteſtat. eccleſ. in rebus temporal. lib. III. c. IV. p. 294.
Eſtius in 2 Cor. X, 6. Accipitur illa excommunicatio de iis, qui adhuc inter Corinthios magnis peccatis erant obnoxii, in quos, quia multi erant, non facile poterat exerceri diſciplina per excommunicationem &c.
Lyra gloſſ. in Matth. XII, 29. Hic datur locus pœnitentiæ, & monemur non cito amputare: quoniam qui errat hodie, cras forte defendet veritatem. Si ergo modo auelleretur: triticum quod futurum erat, eradicaretur. --- Ibi patienter tolerandi mali, vbi aliqui inueniuntur, quibus adiuuentur boni. Auguſtinus, multitudo non eſt excommunicanda: nec princeps populi &c.

GROTIVM [n], TAYLORIVM [o], WHITBIVM [p] & RIVETVM [q] poteſt conſulere. Nam præter PETRVM MARTYREM, qui contrariam opinionem [r] aduerſus AVGVSTINVM tueatur, noui neminem. Sed ad veteres eorumque praxin reuertor.

§. VII.

Inſontes numquam cum ſontibus eccleſiaſticis pœnis inuoluti. Origo & nouitas interdictorum papalium.

VBI inter alias prouidas cautiones, hac in materia adhibitas, obſeruare licet eorum ſapientiam & pietatem in ſtringendo hoc ſpirituali gladio, ita quidem, vt nocentes ſolum adficeret, neque innocentes eadem cum ſontibus condemnatione inuolueret. Quæ tam communis & tam tyrannica praxis pontificibus *Romanis* poſteriorum temporum euaſit, vt totas eccleſias & nationes interdicto multarent eiſque vſum ſacramentorum negarent, ob vnius cuiuſdam criminoſi peccata, ea adeo incognita fuit veteribus, vt AVGVSTINVS obſtupeſceret, vbi iuniorem quemdam epiſcopum *Africanum*, feruido zelo actum, pro priuato *Claſſiciani* cuiuſdam peccato idque non euidenter probato, contra ipſum reum & omnem domum eius anathematis ſententiam pronuntiaſſe audiſſet. Qua de re

(n) Grot. in 2 Cor. X, 6. Neque enim duris remediis locus eſt, vbi tota eccleſia in morbo cubat.

(o) Taylor. duct. lib. III. c. IV. p. 610. p. 468. edit. Germanic. *Es iſt eine alte regel*, daſs weder der könig noch das volck ſoll in bann gethan werden, *denn wenn die gantze menge verbannet iſt, mit wem ſollen wir gemeinſchaft haben? So aber ein groſſer theil derſelben im bann iſt, ſo machen ſie nur offenbare trennung, wenn ſie die zucht unwillig ertragen.*

(p) Whitby Proteſt. Reconcil. par. II. p. 257.

(q) Riuet. ſynopſ. pur. theol. diſput. XLVIII. n. 30. p. 766. edit. Lugdun. Batau. MDCXXV. Si ſola praua vita, non ex doctrina praua, ſed contra doctrinam ſanam magnam gregis partem inuaſerit, ex ſententia Auguſtini lib. III. contra epiſtolam Parmeniani & alibi aduerſus Donatiſtas, nec receſſione ab eis, nec excommunicatione, ſed precibus, gemitu, adhortationibus, reprehenſionibus, comminationibus, bonis exemplis, & ſimilibus remediis tantum vtendum: quemadmodum videmus prophetas & pios ſacerdotes his ſolis armis in eccleſia Iſraelitica eſſe vſos, quod & probat ex loco 2 Cor. X. quod hæc poteſtas non ad deſtructionem ſed ad ædificationem ſit data, & ex parabola zizaniorum, quæ Chriſtus euelli noluit ſed ferri, quando metus eſt, ne triticum eadem opera euellatur ac perdatur Matth. XIII, 29.

(r) Petr. Martyr. loc. commun. lib. V. c. V. n. XII. p. 784. (tom. I. n. XIII. ſeqq. p. 1449. ſeqq. edit. Baſil. MDXXC.)

quum

quum querimonia apud AVGVSTINVM haberetur, ita cum eo expoſtulabat: „Non [*s*] mediocriter æſtuans cogitationibus, „magna cordis tempeſtate fluctuantibus, apud caritatem tuam „tacere non potui: vt, ſi habes, de hac re ſententiam, certis „rationibus vel ſcripturarum teſtimoniis exploratam, nos quo- „que docere digneris: quomodo recte anathematizetur pro „patris peccato filius, aut pro mariti vxor, aut pro domini ſer- „vus, aut quiſquam etiam in domo nondum natus, ſi eodem „tempore, quo vniuerſa domus eſt anathemate obligata, naſca- „tur, nec ei poſſit per lauacrum regenerationis in mortis pe- „riculo ſubueniri. Neque enim hæc corporalis eſt pœna, qua „legimus quoſdam contemtores Dei cum ſuis omnibus, qui e- „iuſdem impietatis participes non fuerunt, pariter interfectos: „tunc quidem ad terrorem viuentium mortalia corpora peri- „mebantur, quandoque vtique moritura. Spiritalis autem pœ- „na, qua fit, quod ſcriptum eſt: *Quæ ligaueris in terra, erunt li- „gata & in cælo*, animas adligat, de quibus dictum eſt: *Anima pa- „tris mea eſt, & anima filii mea eſt. Anima, quæ peccauerit, ipſa mo- „rietur.* Audiſti fortaſſe aliquos magni nominis ſacerdotes cum „domo ſua quempiam anathematizaſſe peccantium, ſed forte, „ſi eſſent interrogati, reperirentur idonei reddere inde ratio- „nem. Ego autem, quoniam ſi quis ex me quærat, vtrum re- „cte fiat, quid ei reſpondeam, non inuenio. Numquam hoc „facere auſus ſum, quum de quorumdam facinoribus, immani- „ter aduerſus eccleſiam perpetratis, grauiſſime permouerer. „Sed ſi tibi, quam iuſte fiat, dominus reuelauit, neqùaquam „iuuenilem ætatem tuam & honoris eccleſiaſtici rudimenta „contemno. En adſum, ſenex a iuuene coëpiſcopo, & epiſco- „pus tot annorum a collega nec dum anniculo paratus ſum „diſcere, quomodo vel Deo vel hominibus iuſtam poſſumus „reddere rationem, ſi animas innocentes pro ſcelere alieno, ex „quo non trahunt, ſicut ex *Adam* (in quo omnes peccauerunt) „originale peccatum, ſpiritali ſupplicio puniamus. --- Si ergo „de hac re potes reddere rationem, vtinam & nobis reſcriben- „do præſtes, vt poſſimus & nos: Si autem non potes, quid ti- „bi eſt inconſulta commotione animi facere, vnde, ſi fueris in-

(*s*) Auguſt. epiſt. LXXV. ad Auxilium.

„terrogatus, rectam rationem non vales inuenire„? Ex hac iusta reprehensione, qua huius episcopi iuuenis peruicaciam & immoderatum zelum adfecit, quo in anathematis pronuntiatione contra totam aliquam familiam, pro solius domini crimine vsus fuerat, colligere nobis licet, non fuisse AVGVSTINI tempore in ecclesia istiusmodi praxin permissam, cuiusmodi est excommunicatio insontium cum sontibus, etiamsi insontes partem offendentem cognatione & necessitudine aliqua attingerent, vel ab ea modo quodam ineuitabili penderent. Multo minus tunc moris fuisse, vniuersa corpora, ecclesias ac nationes interdicto multare eisque negare vsum sacramentorum, ideo duntaxat, vt aliorum reprimeretur contumacia, cuius prorsus exsortes essent nec vlla ratione participes. Qui monstrosus erat ac nouellus disciplinæ abusus, tyrannicis papatus temporibus peculiaris, prioribus autem sæculis plane incognitus. BARONIVS [t] quidem vnum aliquod eius rei exemplum adfert ex *annalibus Francorum*, vbi *Agapetus* pontifex ann. DXXXV dicitur *Clotario* regi mandasse, vt culpam, quam *Gualtero* quodam domino de *Yuetot*, qui pontificis obtulerat litteras commendatitias, in ecclesia crudeliter interfecto, sibi contraxerat, digna satisfactione emendaret, alioquin regnum ipsius interdictum fore. Verum, vti hæc historia a modernis tantum scriptoribus, BERNARDO HALIANO, quem BARONIVS citat, & GAGVINO GILIO & TILIO, quos addit SPONDANVS, narratur, nec vllius vetusti scriptoris nititur auctoritate; immo se ipsam narratio aliqua ex parte apud viros prudentes destruit: ita SPONDANVS [u] fatetur, non deesse, qui inter fabulas re-

(t) Baron. an. DXXXV. in appendice tom. VII. pag. 9. (p. 264. edit. Antuerp. MDCLVIII.) Gualterus cum litteris Suessonum, vbi rex degebat, die Veneris sancta, aduenit, & quum rex in sacello suo sacris adesset, crucemque adorare vellet, Gualterus prædictum sacellum intrauit, pontificisque litteras regi obtulit. Rex autem prima fronte Gualterum non agnouit propter diuturnam illius e regno absentiam: sed acceptis & perlectis litteris ipsoque agnito, gladium suum exeruit, vel vt aliis placet, militis cuiusdam adstantis ensem corripuit & Gualterum interfecit. Pontifex crudeli hoc facinore accensus, regi mandauit, vt culpam illam emendaret, *alioquin regnum ipsius interdictum fore*, cetera.

(u) Spondan. epit. Baron. an. DXXXV. n. XVIII. Hanc historiam regni de Yuetot, præter Halianum, ex quo illam descripsit Baronius, æque recitant, qui

cen-

censeant, quæ constanti credulitate per plura sæcula obtinuerit in *Gallia.* Qua de caussa digna haud est, quæ tamquam antiqua historia in ea materia, quam in manibus habemus, commemoretur.

NONNVLLI interdictorum originem ab *Alexandri* tertii ætate, ad annum *CHRISTI* circiter MCLX, arcessunt. Et certe circa hanc tempestatem crebriora esse cœperunt. MORINVS, citante HABERTO [x], eorum epochen paullo antiquiorem & ad tempora HILDEBRANDI, siue GREGORII VII, referendam esse statuit; a quo habuisse initia sua maxime probabile est [y],

ante illum scripserunt, Gaguinus, Gilius, Tilius, & si qui alii eorumdem temporum rerum Francicarum auctores: quum tamen vetustiores illi eam silentio prætermiserint. Qua ratione, & quod se ipsam narratio aliqua ex parte destruere videatur; non desunt hodie, qui inter fabulas recenseant, quæ constanti credulitate per multa sæcula obtinuit in Gallia.

(x) Habert. archieratic. p. 746. De interdicto apud Græcos aliquid e penu nostra. Duplex interdictum, quo diuina officia actione, vt inquiunt, & passione prohibentur, scio triplex a doctoribus distingui, locale, personale & ex vtraque compositum. Sed locum & gentem proprie respicit. Illius epochen, quod quidam ante tempora Alexandri tertii inauditum interdictum dixerint, recte antiquiorem in occidente ostendit Morinus ex Iuone Carnot. epist. L. & Gregorio septimo lib. I. epist. LXXXI. & lib. II. epist. V. & aliis, immo ex concilio Lemouicensi an. MXXXIV. apud Baronium. Verum longe antiquiorem esse interdicti vsum apud Græcos, ostendimus ex S. Basilio. Locus eximius & obseruatione dignissimus est epistola ad episcopum quemdam CCXLIV. in qua agit de quadam puella rapta parentibus restituenda, raptore vna cum consciis excommunicando per triennium, & si raptam reddere negauerint, pago ipso sacris interdicendo. τὴν μὲν παῖδα, ὅπουπερ ἂν εὕρῃς, ἀφελόμενος πάσῃ ἐντονίᾳ ἀποκατάστησον τοῖς γονεῦσι· καὶ αὐτὸν δὲ ἐκεῖνον ἐξόρισον τῶν εὐχῶν καὶ ἐκκήρυκτον ποίησον, καὶ τὴν κώμην τὴν ὑποδεξαμένην τὴν ἁρπαγεῖσαν καὶ φυλάξασαν, ἤτοι ὑπερμαχίσασαν· καὶ αὐτὴν ἔξω τῶν εὐχῶν πανδημεὶ ποίησον. *Puellam quidem vbicumque inueneris auferens omni contentione parentibus restitue. Raptorem vero e precibus excommunica & eiectum proclama: quin etiam pagum, qui hominem illum susceperit cum puella rapta, aut seruauerit, aut armis defenderit, IPSVM ORATIONVM EXPERTEM CVM OMNI POPVLO EFFICE.*

(y) Gregor. VII. lib. I. epist. LXXXI. Confrater noster Theodoricus Virdunensis episcopus, vt sæpe nobis relatum est, habitatores loci apud monasterium quoddam sancti Michaelis intra parochiam suam, ad quasdam nouas consuetudines sua virtute & potentia flectere & coërcere diu conatus est, videlicet vt cum litaniis maiorem ecclesiam, hoc est suam episcopalem sedem, simul congregati singulis annis visitarent. Quod quum illi inusitatum, ne forte ad alterius nouæ exactionis occasionem darent, pati renuerent, *di-*

quia aliquoties in eius epiſtolis memorantur. HABERTVS eorum vſum ab ætate BASILII repetere ſibi ſumit. Verum locus, ex epiſtola quadam BASILII [z] adlegatus, nihil dicit amplius, quam quod, ſi qua eccleſia peccati vnius cuiuſdam hominis ſe participem fecerit, ſimul omnes cenſuris ſubmitti oporteat. Quæ res multum omnino abeſt ab indiſcreta cenſura interdicti, vniuerſam condemnantis nationem, idque communiter non propter aliquod ſcelus, ſed potius propter officium eorum, quod religioſe in naturali ſua permaneant fidelitate, legitimis principibus ſuis debita, quando pontifici, ſub plenitudinis poteſtatis eccleſiaſticæ obtentu, eos excommunicare magiſtratuque exuere lubet, vti vnuſquiſque, qui hiſtoriam interdictorum conſcribere vellet, facile poſſet demonſtrare. Quidquid vero BASILIVS intelligat, certum eſt, de hoc eum minime cogitaſſe. Neque vſitatus eccleſiæ mos fuit, vniuerſa corpora hominum, etiamſi culpa tenerentur, anathemate ferire, niſi forte terroris cauſſa, quemadmodum in antecedente ſectione oſtendimus.

§. VIII.

Periculum excommunicandi innocentes.

QVOD ad innocentes attinet, ſummo ſtudio cauebatur, ne cenſuræ eccleſiæ, ad condemnationem inſontium indiſcrete applicatæ, in abuſum verterentur. Quo in caſu iniuſta ſententia in auctorem redire credebatur. Ita FIRMILIANVS [a] *Stephano* epiſcopo *Romano* narrat, quod alios, nihil tale commeritos, ſeparando ſe ipſum ſeparet. *Peccatum*, inquit, *quam magnum tibi exaggeraſti, quando te a tot gregibus ſcidiſti? Exſcidiſti enim te ipſum. Noli te fallere: Siquidem ille eſt vere ſchiſmaticus, qui ſe*

vinum tibi officium fieri penitus interdixit. &c. Lib. II. epiſt. V. Quod ſi vos audire noluerit (rex Franciæ) & abiecto timore Dei contra regium decus, contra ſuam & populi ſalutem, in duritia cordis ſui perſtiterit, apoſtolicæ animaduerſionis gladium nequaquam eum diutius effugere poſſe, quaſi ex ore noſtro ſibi notificate. Propter quod & vos apoſtolica auctoritate commoniti atque conſtricti, matrem veſtram ſanctam Romanam & apoſtolicam eccleſiam debita fide & obedientia imitemini, & ab eius vos obſequio atque communione penitus ſeparantes, *per vniuerſam Franciam omne diuinum officium publice celebrari interdicite.* cetera.

(z) Baſil. epiſt. CCXLII. vid. ſub litt. anteced. (x).

(a) Firmil. epiſt. LXXV. ap. Cyprian. p. 228. (p. 326. edit. Fell. Amſtelod.)

a com-

a communione ecclesiasticæ vnitatis apostatam fecerit. Dum enim putas omnes a te abstineri posse, solum te ab omnibus abstinuisti. Simili modo *Polycrates*, episcopus *Ephesinus*, *Victori* pontifici *Romano* respondebat, quum ei & omnibus ecclesiis *Asiaticis* anathematis sententiam minaretur, eo quod non eodem modo, vt *Romæ* fieri solebat, mysterium resurrectionis dominicæ celebrarent. *Nihil moueor*, inquiebat [*b*], *iis, quæ nobis ad formidinem intentantur. Etenim ab illis, qui me longe maiores erant, dictum scio, Obedire oportet Deo magis quam hominibus.* Et addit EVSEBIVS, quod, quum *Victor* in obstinatione animi perstitisset, IRENAEVS & plures alii episcopi, propter inexcusabilem censuræ ecclesiasticæ abusum, litteris acerbius eum perstrinxissent. Notum est effatum in indice operum GREGORII primi, quod huc spectat [*c*], *Si quis illicite quemquam excommunicat, semetipsum, non illum condemnat.* Quamquam scriptores *Romanenses* plerumque aliud eius pronuntiatum magnifice extollant, legi canonicæ [*d*] insertum: *Sententia pastoris, siue iusta, siue iniusta fuerit, timenda est.* Quod vero, nisi in dubio prorsus casu, recte se habere nequit. Magis ad rem faciunt, quæ in eadem quæstione ex AVGVSTINO [*e*] adlegat GRATIANVS: *Cœpisti habere fratrem tuum tamquam publicanum: ligas illum in terra, sed vt iuste alliges, vide. Nam iniusta vincula dirumpit iustitia.* Et, *Temerarium iudicium* [*f*] *plerumque nihil nocet ei, de quo temere iudicatur. Ei autem, qui temere iudicat, ipsa temeritas necesse est vt noceat.* Et rursus: *Quid obest homini* [*g*], *quod ex illa tabula* (h. e. diptychis ecclesiæ) *non vult eum recitari humana ignorantia, si de libro viuorum non eum delet iniqua conscientia.* Ita AVGVSTINVS in diuersis locis a GRATIANO allegatis. Quibus addi potest, quod ille citat ex ante memorato loco GREGORII [*h*]: *Ipse ligandi atque soluendi potestate se priuat, qui*

(*b*) Polycrat. epist. ad Victor. ap. Euseb. lib. V. c. XXIV. *οὐ πτύρομαι ἐπὶ τοῖς καταπλησσομένοις· οἱ γὰρ ἐμοῦ μείζονες εἰρήκασι, πειθαρχεῖν δεῖ θεῷ μᾶλλον ἢ ἀνθρώποις.* Vide sis Augustin. de vera religione c. VI. tot.

(*c*) Gregor. lib. II. epist. XXVI.

(*d*) Gregor. homil. XXVI. in euangel. ap. Gratian. decret. causs. XI. quæst. III. c. I.

(*e*) August. serm. XVI. de verbis domini ap. Gratian. ibid. c. XLVIII.

(*f*) August. de serm. domini in monte lib. II. c. XXIX. ap. Gratian. ibid. c. XLIX.

(*g*) August. epist. CXXXVII. ap. Gratian. ibid. c. L.

(*h*) Gregor. homil. XXVI. in euangel. ap. Gratian. c. LX. Vid. Gelas. ibid. ap. Gratian. c. XLVI. Cui est illata sententia, deponat errorem: sed si iniusta

hanc pro suis voluntatibus & non pro subiectorum moribus exercet. Iudicat ille, excommunicationem iniuste pronuntiatam nihil roboris habere contra immerentem; & absolutionem peccatoris impoenitentis nihilo meliorem esse; eo quod vtraque fiat claue errante, quo in casu, vti glossa in legem [*i*] loquitur, ligatus non ligatus est quoad Deum. „Frequenter enim fit, vt „qui per ecclesiam militantem foras mittitur, intus sit, scilicet „in ecclesia triumphanti: & ille foris est, scilicet extra eccle„siam triumphantem, qui intus, scilicet in ecclesia militanti, „retineri videtur„. Et eiusmodi *Iniqua sententia*, vt ait TOLETVS, ecclesiæ pontificiæ cardinalis, *nec apud Deum* [*k*] *nec apud ecclesiam quemquam grauat.*

§. IX.

Nemo excommunicandus, nisi prius auditus, & pro se ipso dicere permissus.

IAM vt hoc incommodum præuerteret ecclesia antiqua, diuersas vtiles regulas præscripsit, in excommunicationis negotio obseruandas. Etenim prætcrquam quod nemo censuræ submitti debebat sine præuia admonitione, quemadmodum supra [*] obseruauimus, ita similiter præceptum erat, vt ne quis absens damnaretur, vel ante, quam nactus esset pro se dicendi libertatem, nisi forte contumaciter recusasset comparere. *Caveant*, inquit concilium *Carthaginense* [*l*], *iudices ecclesiastici, ne absente eo, cuius caussa ventilatur, sententiam proferant, quia irrita erit, & caussam in synodo pro facto dabunt.* Ex hac ratione AVGVSTINVS [*m*] censuram refutabat, quam *Donatistæ Cæciliano* episcopo

est, tanto eam curare non debet, quanto apud Deum & ecclesiam eius neminem potest iniqua grauare sententia. Ita ergo ea se non absolui desideret, qua se nullatenus perspicit obligatum.

(*i*) Gloss. in extrauagant. Ioan. XXII. tit. XIV. c. V. p. 160. (p. 175. litt. h. edit. Antuerp. MDLXXII.) *Solutum & in cælis*] sed hoc intellige claue non errante: alias enim si ligando vel soluendo erraret, ligatus vel solutus quis non dicitur quoad Deum. Frequenter enim, cetera.

(*k*) Tolet. instruct. sacerdot. lib. I. c. X. p. 35.

(*) Cap. II. §. VI. pag. 80.

(*l*) Concil. Carthag. IV. c. XXX. Vid. plura ap. Gratian. causs. III. quæst. IX.

(*m*) Augustin. epist. CLXII. p. 279. Si nec vituperari, nec corripi nisi interrogatum spiritus sanctus voluit, quanto sceleratius non vituperati aut corrupti, sed omnino damnati sunt, qui de suis criminibus nihil absentes interrogari

Car-

Carthaginensium infligere ausi fuerant, quia absenti ei hoc fecerant, nec ante ab eis examinato.

§. X.

Nec quispiam, nisi legaliter conuictus, siue sua ipsius confessione siue fide digna testatione aliorum, aduersus quos exceptioni non est locus; siue tali euidentia criminis, quod ipso facto hominem excommunicationi obnoxium redderet, sine vlla formali denuntiatione.

ALIA regula, hac in re obseruata, erat, Neminem debere excommunicari, nisi de crimine suo legaliter conuictum. Quod tribus modis fieri poterat. 1. Sua ipsius confessione. 2. Fide digna testatione aliorum, aduersus quos non erat iusta exceptio aut falsi testimonii suspicio. 3. Tali euidentia criminis, quod hominem ipso facto, sine vlla formali denuntiatione, excommunicationi obnoxium reddebat. Vti in caussa erat eorum, qui persequutionis tempore idolis sacrificando peccabant. Heic nec propria ipsorum confessione opus erat, nec conuictione per testes. Nam crimen eorum constabat inter omnes, neque adeo testium examinatio ad condemnandum eos, nec solemnis sententiæ excommunicationis aduersus eos pronuntiatio necessaria erat. Nam ipso facto, vt viri docti vocant [n], excommunicati erant; quum facti ipsius euidentia perspecta omnibus satis esset ad declarandum illos excommunicatos, vt qui omnia christianæ communionis iura ac priuilegia perdidissent. Alias si res non ita euidens esset & explorata, aut propria ipsorum peccantium confessio, aut legalis idoneorum testium probatio requirebatur. Sic AVGVSTINVS [o] declarat: *Nos a communione prohibere quemquam non possumus, nisi aut sponte confessum, aut in aliquo siue sæculari siue ecclesiastico iudicio nomi-*

potuerunt? It. serm. XXII. de verbis apostoli. Damnatus est Cæcilianus, absens primo, deinde a traditoribus &c.

(n) Vid. Caue prim. christ. part. III. c. V. p. 366. p. 566. edit. Germ. *Erstlich wollen wir erwegen, was es gemeiniglich für laster und beleidigungen gewesen, welche von der alten kirchen-zucht sind bestraft worden? Insgemein und durchgängig waren es alle und iede laster und unanständiges wesen, so entweder* an und vor sich selbst schon bekannt waren, *oder doch der kirchen zu wissen gethan und erwiesen wurden.*

(o) Augustin. homil. L. de pœnitent. tom. X. p. 207.

natum atque conuictum. Quis enim sibi vtrumque audeat adsumere, vt cuiquam ipse sit accusator & iudex? INNOCENTIVS [p] episcopus Romanus ait: *Non facile quisquam ex suspicionibus abstinetur. Probatione cessante, vindictæ ratio conquiescit.* ORIGENES [q], *Vbi peccatum non est euidens*, inquit, *eiicere de ecclesia neminem possumus, ne forte eradicantes zizania, eradicemus simul cum ipsis etiam triticum.* Eadem ratio ab AVGVSTINO loco modo citato redditur. IVSTINIANVS hanc ecclesiæ regulam confirmauit sanctione ciuili, pœnamque simul constituit in eos, qui eam migrarent, in hunc modum decernendo [r]: *Omnibus episcopis & presbyteris interdicimus segregare aliquem a sacra communione, antequam caussa monstretur, propter quam sanctæ regulæ hoc fieri iubent. Si quis autem præter hoc a sancta communione quemquam segregauerit: ille quidem, qui iniuste a communione segregatus est, solutus excommunicatione a maiore sacerdote, sanctam mereatur communionem. Qui vero aliquem a sancta communione segregare præsumserit: modis omnibus a sacerdote, sub quo constitutus est, separabitur a communione, quanto tempore ille perspexerit, vt quod iniuste fecit, iuste sustineat.* Quemadmodum itaque illis haud licebat vniuersam aliquam multitudinem excommunicare, quamuis crimen eorum omnibus esset notum; ita nec singularem aliquem peccatorem excommunicare licebat, nisi crimen eius omnibus notum esset & execrabile appareret. Tunc secundum regulam AVGVSTINI [s] non debebat dormire disciplinæ seueritas. Si reus in iudicio accusatus esset, & veris documentis testibusque conuictus [t], iudex eum poterat coër-

(p) Innocent. epist. III. c. IV.

(q) Orig. hom. XXI. in Iosuam tom. I. p. 328. (p. 203. edit. Paris. MDCIV.)

(r) Iustin. nouel. CXXIII. c. XI. *πᾶσι τοῖς ἐπισκόποις καὶ πρεσβυτέροις ἀπαγορεύομεν ἀφορίζειν τινὰ τῆς ἁγίας κοινωνίας, πρὶν ἡ αἰτία δειχθῇ δι' ἣν οἱ ἐκκλησιαστικοὶ κανόνες τοῦτο γενέσθαι κελεύουσιν· εἰ δέ τις παρὰ ταῦτα τῆς ἁγίας κοινωνίας τινὰ χωρίσοι, ἐκεῖνος μὲν ὃς ἀδίκως ἀπὸ τῆς κοινωνίας ἐχωρίσθη, λυομένου τοῦ χωρισμοῦ ὑπὸ τοῦ μείζονος ἱερέως, τῆς ἁγίας ἀξιούσθω κοινωνίας· ὁ δὲ ἀδίκως τινὰ τῆς ἁγίας κοινωνίας χωρίσαι τολμήσας, πᾶσι τρόποις ὑπὸ τοῦ ἱερέως, ὑφ' ὃν τέτακται, χωρισθήσεται τῆς κοινωνίας, ἐφ' ὅσον χρόνον ἐκεῖνος συνίδοι, ἵνα, ὅπερ ἀδίκως ἐποίησε, δικαίως ὑπομείνῃ.*

(s) Aug. contr. epist. Parmen. lib. III. c. II. Quando cuiusque crimen notum est omnibus & omnibus execrabile apparet --- non dormiat seueritas disciplinæ.

(t) August. serm. XXIV. de verbis apost. ap. Gratian. causs. XXIII. quæst. IV. c.

cere,

cere, corripere, excommunicare, graduque deiicere. Alias autem episcopus nullum clericum nondum conuictum a communione suspendere poterat, nisi forte ad caussam dicendam comparere contumaciter detrectaret. Et hoc in concilio episcoporum, ad maiorem securitatem ab arbitraria iudicandi ratione præstandam, constitutum esse dicit [*u*]. Obseruatu quoque dignum hoc in negotio est, quod canones [*x*] vnius cuiusdam testimonium non admittant, velut documentum ad convincendum reum idoneum; idque secundum regulam in lege diuina datam: *In ore duorum vel trium testium stabit omne verbum.* Immo vero si quis episcopus vel presbyter aliquem accusaret, solus sceleris eius conscius, testimonium eius non sufficere credebatur ad anathematis pœnam ei infligendam. Nam, vti modo ex AVGVSTINO audiuimus, nemo poterat cuiquam ipse esse & accusator & iudex. Et propterea in concilio *Vasensi* [*y*] tale decretum hac de re factum legimus: *Si tantum episcopus alieni sceleris se conscium nouit, quamdiu probare non potest, nihil proferat, sed cum ipso ad compunctionem eius secretis correptionibus elaboret. Quod si correptus pertinacior fuerit, & se communioni publice ingesserit, etiamsi episcopus in redarguendo illo, qui reum iudicat, probatione deficiat, indemnatus licet ab his, qui nihil sciunt, secedere ad tempus pro persona maioris auctoritatis iubeatur, illo, quamdiu probari nihil potest, in communione omnium, præterquam eius, qui eum reum iudicat, permanente.* Et hæc maior erat reuerentia, singulari episcopi testimonio exhibita, quam quidem in ecclesiis *Africanis* permittebatur. In concilio enim *Carthaginensi* septimo, tempore AVGVSTINI celebrato, regula præscripta dabatur in hunc modum [z]: *Placuit, vt si quando episcopus dicit, aliquem sibi*

XI. Si iudicandi potestatem accepisti, ecclesiastica regula, si apud te accusatur, si veris documentis testibusque conuincitur, coërce, corripe, excommunica, degrada.

(*u*) Aug. epist. CXXXVII. In episcoporum concilio constitutum est, nullum clericum, qui nondum conuictus est, suspendi a communione debere, nisi ad caussam suam examinandam se non præsentauerit.

(*x*) Can. apost. LXXIV. *Εἰς μαρτυρίαν τὴν κατ᾽ ἐπισκόπε αἱρετικὸν μὴ προσδέχεσθαι, ἀλλὰ μηδὲ πιστὸν ἕνα μόνον· ἐπὶ στόματος γὰρ δύο ἢ τριῶν μαρτύρων σταθήσεται πᾶν ῥῆμα.* Vid. etiam concil. Ilerdens. ap. Crabium ex Iuone lib. V.

(*y*) Concil. Vasens. I. can. VIII.

(*z*) Concil. Carthag. VII. c. V.

soli proprium crimen fuisse confessum, atque ille neget: non putet ad iniuriam suam episcopus pertinere, quod ipsi soli non creditur: Et si scrupulo propriæ conscientiæ se dicit neganti nolle communicare, quamdiu excommunicato non communicauerit suus episcopus, eidem episcopo ab aliis non communicetur episcopis, vt magis caueat episcopus, ne dicat in quemquam, quod aliis documentis conuincere non potest. Adeo sollicite cauebant hi sancti episcopi, ne quem sufficienti & legali documento haud conuictum, condemnarent. AVGVSTINVS, qui huic concilio interfuit, rem narrat notatu dignam [*a*], quæ inter *Bonifacium*, vnum de clericis suis, & hominem, qui apud ipsum accusatus fuerat, contigerit. Quum res non euidentibus argumentis sed singulari testimonio vtriusque ageretur, noluisse se dicit eam decidere, sed iussisse vtrumque adire sepulcrum *Felicis* martyris, vt miraculo transigeretur & diuino quodam iudicio, vbi humano iudicio refelli nec argui posset, quemadmodum in furis cuiusdam caussa *Mediolani* a se factum sit. Addit, quod lex ecclesiastica pariter & ciuilis quemquam damnari vetet vnius duntaxat hominis testimonio, vtpote quod ad conuincendum eum non sufficiat. De lege ecclesiastica iam audiuimus: quod ad legem ciuilem attinet, probabile est, ipsum respicere ad decretum *Constantini* imperatoris, quod in codice *Theodosiano* [*b*] hodieque reperitur, his verbis conceptum: *Manifeste sancimus, vt vnius omnino testis responsio non audiatur, etiam si præclaræ curiæ honore præfulgeat.* Quam in legem GOTHOFREDVS ita commentatur: *Quod heic definitur, illi simile est, quod olim dictum; Vni testi, neque Catoni, creditum:* ἑνὶ μαρτυροῦντι προσέχειν οὐδὲ Κάτωνι καλῶς ἔχει, *vti habetur apud* PLVTARCHVM. Vnde idem ille GOTHOFREDVS recte concludit [*c*], legem istam, quæ ad

Cod. Afric. can. CXXXII. Ὁμοίως ἤρεσεν, ἵνα ἐάν ποτε ἐπίσκοπος λέγῃ τινὰ αὐτῷ μόνῳ τὸ ἴδιον ἔγκλημα ὁμολογῆσαι, καὶ ἐκεῖνος ἀρνῆται, μὴ λογίσηται ὁ ἐπίσκοπος εἰς ἰδίαν ὕβριν συντείνειν, ὅτι αὐτὸς μόνος οὐ πιστεύεται, εἰ καὶ τῷ σκανδάλῳ τῆς ἰδίας συνειδήσεως λέγει, μὴ θέλειν ἑαυτὸν κοινωνεῖν τῷ ἀρνουμένῳ. Can. CXXXIII. Ἐφ' ὅσον τῷ ἀφωρισμένῳ μὴ κοινωνεῖ ὁ ἴδιος ἐπίσκοπος, τῷ αὐτῷ ἐπισκόπῳ ἄλλοι μὴ συγκοινωνήσωσιν ἐπίσκοποι, ὥστε μᾶλλον παραφυλάττεσθαι τὸν ἐπίσκοπον, μὴ λέγειν κατά τινος, ὅπερ ἀποδείξεσι μὴ ἐλέγξαι παρ' ἑτέροις.
August. homil. XVI. de verbis domini. vid. §. VIII. sub litt. (e) p. 161.

(*a*) Augustin. epist. CXXXVII. tom. II. opp. p. 656. 657. 658. edit. Basil. MDLXIX.

(*b*) Cod. Theodos. lib. XI. tit. XXIX. de fide testium leg. III.

(*c*) Gothofr. in codic. Theod. lib. XI. tit. XXXIX. leg. III. Et tamen sub Con-

calcem

calcem codicis *Theodoſiani* ſub nomine *Conſtantini* exhibetur & teſtimonium etiam ab vno licet epiſcopo perhibitum accipi iubet, eſſe ſpuriam, (etſi in *capitularia* [d] CAROLI MAGNI & in *decretales* GRATIANI relatam); quia reliquis legibus omnibus tam eccleſiaſticis quam ciuilibus, de hoc agentibus argumento, contraria ſit.

PRAETEREA obſeruatu dignum eſt, quod ad bonorum virorum innocentiam ab iniuſtis cenſuris tutam præſtandam, multæ leges datæ ſint, quibus teſtimonium hæreticorum aliorumque ſuſpectorum & infamium hominum in iudicio accipi prohibetur, de quibus quum alibi [*] ediſſeruimus, hoc loco nihil amplius dicimus. Ex hactenus autem dictis ſatis abunde apparet, quod, licet veteres in diſciplinæ ſuæ exercitio magnam adhibuerint ſeueritatem, non minore tamen cautione & circumſpectione vſi ſint, ne ſeueritas eius innocentes adficeret. Et quod quilibet innocens eſſe præſumtus ſit, donec iuſta & legalis probatio aduerſus eum fieri potuerit. Neque vero hoc detrimento eccleſiæ fuit, quum ſatius ſit, quoſdam malos cenſuram effugere, quam bonos maximæ omnium pœnæ ob meram ſuſpicionem vel alterius cuiuſcumque arbitrariam libidinem exponi; quam etiam ob cauſſam, vt ſæpius notauimus, eccleſia permiſit, vt quis ab iniuſta cuiuſuis epiſcopi ſententia ad ſynodum prouincialem appellaret.

§. XI.

Excommunicatio non ordinarie iunioribus, pueris, vel impuberibus inflicta.

ALIVD genus hominum, quos cenſura eccleſiaſtica raro

ſtantini magni nomine proponitur *lex 1. infra, de epiſcopali iudicio*, qua definitur, *Teſtimonium etiam ab vno licet epiſcopo perhibitum, omnes iudices indubitanter accipere oportere, nec alium audiri; quum teſtimonium epiſcopi a qualibet parte fuerit repromiſſum*, additis hic: *Illud eſt enim veritatis auctoritate firmatum, illud incorruptum, quod in ſacroſancto homine conſcientia mentis inlibatæ protulerit.* Idque ita relatum *capitular.* lib. VI. c. CCLXXXI. & a Gratiano, *c. omnes XI. quæſt. 1.* Verum vt de tota *leg.* illa, *ad eam* dixi; ita & hoc ſuſpectum eſt. Nam & id contrarium eſt peremtoriis *huius leg.* verbis, quum ſub extremis Conſtantini annis ab eo lata eſt, & Dei verbo: quod Conſtantinus M. vt alias, ita & heic ſequutus eſt, *Deut. XIX, 15.* Vide ſis eumdem ad lib. XVI. tit. XII. leg. I. p. 306.

(*d*) Capitular. lib. VI. cap. CCLXXXI. Grat. cauſ. XI. quæſt. I. c. XXXVI.

(*) Lib. V. c. I. §. V. vol. II. p. 209.

aut

aut numquàm adficiebat, iuniores erant & pueri impuberes. Erant enim aliæ pœnæ illis accommodatiores, vt paterna reprehensio, animaduersio ac castigatio corporalis. Accedit, quod, si talibus vel maximas censuras infligere voluissent, earum auctoritatem potius imminuturi, disciplinamque ecclesiæ contemtui exposituri fuissent. Hinc SOCRATES de *Arsenio* abbate *Aegyptio* obseruat, ipsum iuniores monachos, qui deliquissent, a communione minime separasse, sed eos, qui prouecta essent ætate. Dixisse enim, iuvenem [e] excommunicatum contumacem fieri: seniorem vero cito excommunicationis dolorem sentire. Idem de disciplina maximæ ecclesiæ in monte *Nitriæ* obseruat PALLADIVS [f], quod in ipsa ecclesia fuerint tres palmæ, ex quibus vnaquæque habuerit flagellum suspensum. Et vnum quidem ad castigandos monachos, qui deliquissent: alterum ad puniendos latrones, si quando incidissent: tertium vero ad corrigendos peregrinos, qui in aliqua delicta incidissent. Ita in regula ISIDORI HISPALENSIS articulus quidam habet [g]: *In minori ætate constituti non sunt coërcendi sententia excommunicationis, sed pro quantitate negligentiæ congruis emendandi sunt plagis.* Recentior auctor *historiæ flagellantium* [h] regulam citat MACARII [i], BENEDICTI [k],

(e) Socrat. lib. IV. c. XXIII. Ἀρσένιος τὲς τῶν νέων πλαίσαντας ἐκ ἀφώριζεν, ἀλλὰ τὲς προκόψαντας· λέγων ὅτι ὁ νέος ἀφορισθεὶς, καταφρονητὴς γίνεται· ὁ δὲ προκόψας τῆς ἐκ τῦ ἀφορισμῦ ὀδύνης ταχεῖαν λαμβάνει τὴν αἴσθησιν.

(f) Pallad. histor. Lausiac. c. VI. ἐν τῷ ὄρει τέτῳ τῆς Νιτρίας ἐκκλησία μία ἐςὶ μεγίςη· ἐν ταύτῃ τῇ ἐκκλησίᾳ τρεῖς φοίνικες ἑςᾶσιν, ἕκαςος ἔχων μάςιγα ἐφ' ἑαυτῦ κρεμαμένην· καὶ ὁ μέν ἐςιν εἰς ἐπιςροφὴν τῶν μοναχῶν τῶν πλαιόντων· ὁ δὲ, εἰς τιμωρίαν λῃςῶν, ἐάνγε ἐμπέσωσι ποτέ· ὁ δὲ, εἰς διόρθωσιν τῶν περιτυγχανόντων καὶ ἐκπεπλωκότων οἵοις δήποτε σφάλμασιν.

(g) Isidor. regul. c XVII.

(h) Histor. flagellant. c. V & VI.

(i) Macar. regul. c. XV. (In histor. flagell. p 141.) Si aliquis deprehensus fuerit in risu & scurrilitate sermonis, sicut ait apostolus, quæ ad rem non pertinent, iubemus huiusmodi duarum hebdomadarum spatio, in nomine domini omni *flagello* humilitatis *coerceri*. Idem: Si quis vero monachus furtum fecerit, quod potius sacrilegium dici potest, id censuimus ordinandum, vt *iunior virgis cæsus*, tanti criminis reus neutiquam officium clericatus excipiat. cetera.

(k) Benedict. regul. c. LXX. (Ibid. p. 156.) Vt nulli liceat quemquam fratrum excommunicare aut cædere, nisi cui potestas ab abbate data fuerit. Infantibus vero vsque ad quintum decimum annum ætatis, disciplinæ diligentia adhibeatur & custodia sit omnibus.

AVRE-

AVRELIANI [l] & GREORII MAGNI [m] in eamdem sententiam. Et CYPRIANVS [*] in vita *Cæsarii Arelatensis* dicit, istum episcopum, adhibita secundum legem *Mosis* flagellandi moderatione, solitum esse id accurate obseruare, vt nemo ex istis, qui ipsi parerent, siue illi serui essent, siue ingenui, si pro culpa flagellandi essent, amplius triginta nouem ictibus feriretur. Concilium *Agathense* [n] eamdem pœnam non iunioribus tantum monachis, sed inferioribus etiam clericis constituit. Et concilium *Matisconense* [o] speciatim vndequadraginta ictibus infligendis insistit. Concilium *Veneticum* [p] canonem *Agathensem* repetit. Et concilium *Epaonense* [q] statuit, vt iuniores clerici propter certum crimen vapulent, ob quod superioris loci clerici per integrum annum excommunicandos esse dicit. Neque vero hoc de hisce conciliis mirum videri nobis debet, siquidem AVGVSTINVS [r] adfirmat, hunc modum coërcitionis per verbera & a magistris artium liberalium, & ab ipsis parentibus, &

(l) Aurel. regul. c. XLI. (ibid. p. 172.) Pro qualibet culpa si necesse fuerit flagelli accipere disciplinam, numquam legitimus excedatur numerus, id est, triginta nouem.

(m) Gregor. Magn. lib. IX. epist. LXVI. (ibid. p. 104.) Quia ergo nequitia sine digna non debet vltione transire, supra scriptum Paschasium episcopum volumus admoneri, vt eumdem Hilarium prius subdiaconatus, quo indignus fungitur, priuet officio atque *verberibus publice castigatum* faciat in exilium deportari, vt vnius pœna multorum possit esse correctio.

(*) Cyprian. in vita Cæsar. Arelatens. apud Surium die XXVII Augusti, & in histor. flagell. p. 102.

(n) Concil. Agath. can. XXXVIII. Si verborum increpatio non emendauerit, etiam verberibus statuimus coërceri. It. can. XLI. Quem (clericum) ebrium fuisse constiterit, vt ordo patitur, aut triginta dierum spatio a communione statuimus submouendum, aut *corporali* subdendum *supplicio*.

(o) Concil. Matiscon. I. can. V. Si iunior fuerit, vno minus de quadraginta ictus accipiat.

(p) Concil. Venetic. can. VI.

(q) Concil. Epaonens. c. XV. Si superioris loci clericus hæretici cuiuscumque clerici conuiuio interfuerit, anni spatio pacem ecclesiæ non habebit. Quod *iuniores clerici* si præsumserint, *vapulabunt*.

(r) Augustin. epist. CLIX. ad Marcellin. Noli perdere paternam diligentiam, quam in ipsa inquisitione seruasti, quando tantorum scelerum confessionem non extendente eculeo, non sulcantibus vngulis, sed virgarum *verberibus* eruisti. Qui modus coërcitionis & a magistris artium &c.
August. serm. CCXV. de tempore. Si ad vos pertinent, etiam flagellis cædite &c.

ſæpe etiam in iudiciis ſolere ab epiſcopis adhiberi. Et plana quidem horum omnium ratio videtur eſſe, non tam differentia criminum, quam ætatis & conditionis in hominibus diſtinctio.

§. XII.

Quemadmodum poſt mortem interdum aliqui excommunicati fuerint.

ALIA diſquiſitio inſtitui poteſt de mortuis; num vlla excommunicatio hominibus poſt mortem inflicta ſit, ſi in pace & communione eccleſiæ deceſſiſſent? Iam obſeruatum [*] nobis eſt, quod, ſi qui impœnitentes, vinculis excommunicationis nondum relaxati, diem ſuum obiiſſent, hi quidem ſine ritibus & cærimoniis, in chriſtianorum exſequiis alioquin vſitatis, efferri & omni futura commemoratione in precibus & oblationibus eccleſiæ priuari conſueuerint, nominibus eorum de diptychis, quæ defunctorum in pace & communione eccleſiæ memoriam continebant, deletis. At vero quæſtio hoc loco non eſt de iis, qui ita excommunicati deceſſerunt, ſed de illis, qui in externa communione & pace eccleſiæ, nec ſub vlla cenſura eccleſiaſtica, defuncti ſunt; num, recens detectis poſt mortem eorum erroribus vel criminibus, excommunicationi obnoxii fuerint, & quemadmodum iſta eis cenſura infligi ſolita ſit? Iam hæc quæſtio ex parte facilis ad ſoluendum eſt ex celebrata illa agendi ratione CYPRIANI cum *Geminio* quodam *Victore*, qui contra regulam in concilio datam *Geminium Fauſtinum* presbyterum teſtamento ſuo tutorem conſtituerat; quamob rem CYPRIANVS datis poſt mortem eius ad eccleſiam *Furnitanam*, in qua ille vixerat, litteris, vt concilii ſententiam contra eum exſequerentur, hunc in modum ſcripſit: *Ideo Victor, quum contra formam,* [s] *nuper in concilio a ſacerdotibus datam, Geminium Fauſtinum preſbyterum auſus ſit tutorem conſtituere, non eſt, quod pro dormitione eius apud vos fiat oblatio, aut deprecatio aliqua nomine eius in eccleſia frequentetur.* Hæc manifeſta erat excommunicatio poſt mortem, qua *Victorem*, nomen eius de diptychis expungi iubendo, mulctabat CYPRIANVS. Aliud iſtiuſmodi decretum in codice *Africano* legi-

(*) Cap. II. §. XI. pag. 97.

(s) Cyprian. epiſt. LXVI. al. I. ad cler. Furnitan. p. 3. (p. 170. edit. Fell. Amſtel.)

mus

mus aduersus quemcumque episcopum, qui hæreticos vel paganos hæredes suos constituere ausus fuerit, siue de cognatione sua forent siue non: [t] *Post mortem anathema ei dicatur, atque eius nomen inter Dei sacerdotes nullo modo recitetur.* Cum his congruit, quod AVGVSTINVS plus vice simplice dicit de *Cæciliano*, episcopo *Carthaginensi*: *Si vera essent, quæ a Donatistis obiecta sunt Cæciliano, & nobis possent aliquando monstrari, ipsum iam mortuum* [u] *anathematizaremus.* Neque exempla huius censuræ in hos illos edita desunt. Ita enim *Origenes*, vti fidem nobis facit SOCRATES [x], circiter ducentis post obitum suum annis a *Theophilo* episcopo *Alexandrino* excommunicatus est. Idem quoque *Theodoro Mopsuesteno* a concilio generali quinto [y] factum, quemadmo-

(t) Cod. Afric. LXXXI. μετὰ θάνατον ἀνάθεμα τοιούτῳ λεχθείη, καὶ τὸ ὄνομα αὐτοῦ μηδαμῶς παρὰ τοῖς τοῦ θεοῦ ἱερεῦσιν ἀνενεχθῇ.

(u) August. epist. I. ad Bonifac. comitem p. 80. (p. 208. edit. Basil. MDLXIX.) Item epist. CLII. quæ est epistola synodica concilii Cirtensis ad Donatistas. Si forte malus esset inuentus, ipsum anathematizaremus.

(x) Socrat. lib. VII. c. XLV. θαυμάσαι δέ μοι ἔπεισι, πῶς ὁ φθόνος Ὠριγένους μὲν τελευτήσαντος, ἥψατο, Ἰωάννου δὲ ἐφείσατο· ὁ μὲν γὰρ μετὰ διακόσια ἔτη που τῆς ἑαυτοῦ τελευτῆς, ὑπὸ Θεοφίλου ἀκοινώνητος γέγονεν· Ἰωάννης δὲ, τριακοστῷ πέμπτῳ ἔτει μετὰ τὴν τελευτὴν εἰς κοινωνίαν ὑπὸ Πρόκλου ἐδέχθη. *Mirari subit, qui factum sit, vt inuidiæ liuor Origenem quidem mortuum appetierit, Ioanni vero pepercerit. Nam* ille *quidem* annis circiter ducentis post obitum ipsius a Theophilo excommunicatus est; *Ioannes vero anno post mortem quinto ac tricesimo, a Proclo receptus est in communionem.*

(y) Euagr. lib. IV. c. XXXVII. ἀναγνωσθεισῶν πολλῶν ῥήσεων Θεοδώρου καὶ Θεοδωρήτου, δειχθέντος δὲ ὡς καὶ πάλαι Θεόδωρος κατεκέκριτο, καὶ ἐκ τῶν ἱερῶν ἀπηλείφθη δέλτων καὶ ὡς μετὰ θάνατον δέοι τοὺς αἱρετικοὺς κατακρίνεσθαι· Θεόδωρον μὲν ἅπασαι τὸ δὴ λεγόμενον ἀναθεματίζουσι κ.τ.λ. *Postquam multa loca ex libris Theodori ac Theodoriti recitata essent, ostensumque præterea esset, Theodorum iam pridem condemnatum fuisse, nomenque eius ex sacris diptychis expunctum, & hæreticos etiam post mortem condemnandos esse: omnes vno consensu* Theodorum *quidem* ipsum anathematizarunt *&c.*
Iustin. epist. in act. I. concil. V. general. (tom. V. concil. p. 423.) Ex his omnibus cognoscetis, quod ab illo tempore condemnatus est tam ipse (Theodorus) quam blasphemiæ eius a sanctis patribus, & quod propter istas superioribus temporibus *deletum est & nomen eius a sacris diptychis ecclesiæ*, cuius fuit episcopus. Hortans autem etiam illud disceptare, quod vane profertur ab eis, qui dicunt, non oportere post mortem hæreticos anathematizari; & sequi in hoc doctrinam sanctorum patrum, qui non solum viuentes hæreticos condemnauerunt, sed & post mortem, vtpote in sua im-

dum

dum ex EVAGRIO, epiſtola *Iuſtiniani* & concilii iſtius actis apparet. Similiter concilium generale ſextum [z] *Honorium* pontificem *Romanum*, tamquam *Monothelitam*, iam mortuum anathemati ſubiecit, vna cum *Cyro*, epiſcopo *Alexandrino*, & *Theodoro*, epiſcopo *Pharanitano*, & *Sergio*, *Pyrrho*, *Petro* & *Paulo*, epiſcopis *Conſtantinopolitanis*, quorum omnium nomina de ſacris diptychis iſtius concilii iuſſu expuncta ſunt. Magna quidem inter eccleſiæ *Romananſis* ſcriptores diſputatio eſt, an nomen *Honorii* ſummi pontificis ſui in atro horum catalogo exſtare oporteat, (BARONIO [a] quidem acta iſtius concilii, vbi nomen eius ſcriptum ſit, corrupta eſſe adfirmante; CAMBEFISIO [b] contra, integro volumine aduerſus BARONIVM edito, genuina eſſe demonſtrante:) Quomodocumque autem res ſe habet, de reliquis omnibus dubium non eſt, quin poſt mortem ab hoc concilio anathematis fulmine icti ſint. Nonnumquam homines iniuſte excommunicabantur vel viuentes vel mortui: atque tum ratio communioni eos reſtituendi hæc erat, vt eorum nomina in diptychis ſacris rurſus ſcriberentur, ex quibus antea expuncta fuerant. Ita THEODORETVS [c] *Alexandrum* epiſcopum *Antiochiæ* nomen *Chryſoſtomi* eccleſiaſticis tabulis adſcripſiſſe narrat, in quibus per plures annos omiſſum fuerit. Et *Ioannes* epiſcopus *Conſtantinopolitanus* in ſynodo ad an. DXVIII. habita nomina reſtituit *Leonis* præſulis *Romani*, *Euphemii*, *Macedonii*, & concilii *Chalcedonenſis* [d], quæ per fraudem *Anaſtaſii* imperatoris, qui hæreſi *Eutychianæ* addictus erat, ex diptychis eccleſiæ fuerant deleta. Hæc erat methodus tum damnandi, tum reuocandi homines in communionem eccleſiæ poſt mortem. Negare eis chriſtianam ſepulturam, aut non recipere eorum oblationes, aut

pietate mortuos anathematizauerunt, ſicut eos, qui iniuſte condemnati ſunt, reuocauerunt poſt mortem, & in ſacris diptychis ſcripſerunt.

(z) Concil. Conſtantinop. VI. gen. act. XIII. (tom. VI. concil. p. 939. ſeqq.)

(a) Baron an. DCLXXX. n. XXXIV. (n. XXXVI. tom. VIII. edit. Antuerp. MDCXI.) Item ad ann. DCLXXXI. n. XXII. XXVI. XXVII. ad ann. DCLXXXII. n. IX. X. XI. XII. cit. edit.)

(b) Cambeſiſ. hiſtor. Monothelitar. Par. MDCXLVIII.

(c) Theodor. lib. V. c. XXXIV. ἔτος τὴν Ιωάννε τε πάνυ προσηγορίαν πρῶτος τοῖς ἐκκλησιαστικοῖς διπτύχοις ἐνέταξε.

(d) Vid. acta concil. Conſtantinop. ſub Menna act. V. p. 164. c. d. p. 165. b. c. d. p. 172. b. c.

ex-

expungere illorum nomina diptychis ecclesiæ, idem erat ac declarare eos anathemate ictos proiectosque ex communione fidelium, cum quibus post obitum ecclesia communionem servabat. Atque eatenus homines consideravimus, qui vel viui vel mortui ecclesiasticis censuris subiici potuerunt vel non potuerunt.

§. XIII.

Censuræ ecclesiasticæ non inflictæ propter peccata leuia.

SEQVITVR iam, vt dispiciamus crimina, propter quæ istæ censuræ infligi potuerint. Et heic quidem canones generatim peccata grauiora a leuioribus curate solent distinguere, quippe quorum priora talia tantum erant, vt eorum in excommunicationis negotio ratio haberetur. Quum enim hæc omnium pœnarum esset grauissima, non propter quoduis erratum infligenda erat. Hinc concilium *Agathense* [e] præcipit: *Episcopi, si sacerdotali moderatione postposita, innocentes, aut minimis caussis culpabiles excommunicare præsumserint, & ad gratiam festinantes recipere fortasse noluerint, a vicinis episcopis cuiuslibet prouinciæ litteris moneantur: Et si parere noluerint, communio illis vsque ad tempus synodi a reliquis episcopis negetur.* Nonnulla exemplaria legunt: *Communio illis vsque ad tempus synodi a reliquis episcopis NON negetur*: Et sic ad excommunicatos id refertur, vt quamuis ab suis ipsorum episcopis ob leues caussas ecclesia præpropere eiecti fuerint, reliqui tamen episcopi communionem eis non negent, vsque dum eorum caussa in synodo audiatur. Concilium *Aurelianense* quintum [f] simile decretum habet: *Nullus sacerdotum quemquam rectæ fidei hominem pro paruis & leuibus caussis a communione suspendat: Præter eas culpas, pro quibus antiqui patres arceri iusserunt committentes.* Et hoc in concilio *Auernensi* [g], eadem ætate an. DXLIX. celebrato, repetitur.

(e) Concil. Agath. c. III. Vid. Gratian. causs. XI. quæst. III. c. VIII. vbi hic canon citatur, & *correctores Romani* hanc variam lectionem obseruant: Denegetur] *Sic habet Iuo, & Pannormia & antiquiores conciliorum editiones & duo Vaticana exemplaria: videturque huic simile, quod legitur, sup. 6. q. 2. c fin. sed in recentioribus editionibus est*, non denegetur.

(f) Concil. Aurel. V. c. II.

(g) Concil. Auernens. II. c. II. (tom. V. concil. p. 402.)

§. XIV.

Quid veteres per paruas cauſſas hoc in negotio intelligant, quomodo eas a grauioribus diſtinguant.

QVAERI autem poteſt, Quid veteres per paruas cauſſas & leuia peccata in hoc eccleſiaſticarum pœnarum negotio intelligant? Et quomodo hæc a grauioribus criminibus, hominem excommunicationi & publicæ pœnitentiæ in eccleſia ſubiicientibus, diſtinguant? Ad quarum rerum intelligentiam multum proderit, non tantum diſciplinæ eccleſiaſticæ naturam perſpicue nobis ob oculos proponere, ſed futilitatem etiam recentioris diſtinctionis inter peccatum mortale & veniale oſtendere, prout illa a *Romanenſibus* adhibetur, vt omnia peccata, quæ mortalia ſunt, ſub confeſſionis auricularis & arcanæ abſolutionis reducant neceſſitatem. Iam certum eſt & exploratum, veteres nullum peccatum credidiſſe veniale, quatenus hoc ſignificat non indigum veniæ, ſed eo ſenſu omnia peccata in ſe & natura ſua eſſe mortalia & iſtiuſmodi, vt eorum veniam a Deo petere neceſſe habeamus. Quum autem peccata quædam humanæ fragilitatis & inconſiderantiæ in optimo quoque ſint & peccata quotidiana, ſine quibus hæc vita non ducitur: hæc peccata *venialia* vocare ſolebant, vtpote quæ non aliam pœnitentiam requirant, niſi generalem quamdam confeſſionem; nec aliam veniam, niſi quæ piis mentibus, peccata ſua quotidie agnoſcentibus & condonari ſibi, preces ad Deum fundendo, cupientibus diuinitus indulgetur. Præterea ſunt alia peccata voluntaria & peioris naturæ, quæ, ſi quis continuet, nec ſeria pœnitentia ductus emendare ſtudeat, euadunt mortalia, hominemque regno cælorum excludunt. Et tamen eorum multa erant iſtiuſmodi, vt homines non ſubiicerent grauiſſimis eccleſiæ cenſuris, ſed tantum generalioribus reprehenſionibus & exhortationibus ad pœnitentiam ſanari deberent. Hæc ſimiliter, reſpectu habito ad diſciplinæ eccleſiaſticæ ſeueritatem, quæ ea non adficiebat, interdum vocabantur leuia & venialia peccata, in oppoſitione atrociorum, quæ homines excommunicationi & publicæ pœnitentiæ, ad faciendam ſui expiationem, ſubmittebant. Hæc peccata natura ſua mortalia erant & quod ad effectum peccatoribus fatalia. Verumtamen eccleſia multis de cauſſis haud alia cenſura, quam paſtorali admonitione,

in ea animaduertere necesse habebat. Tertium autem aliquod genus erat peccatorum, quæ grauia erant, publica & atrocia, de quibus peccatores facile argui & conuinci poterant. Et hæc erant grauia illa peccata (vti in oppositione vtriusque ante memorati generis vocari solent) quibus summa ecclesiasticæ disciplinæ seueritas adhibebatur, nisi multitudo peccantium, vel criminis conscientia & affinitas, vel metus schismatis (quemadmodum antea obseruauimus) exercitium eius impediret. Hæc triplex peccatorum distinctio accurate notatur ab AVGVSTINO in libro *de fide & operibus*. *Nisi essent*, inquit [*h*], *quædam* (peccata) *ita grauia, vt etiam excommunicatione plectenda sint, non diceret apostolus: Congregatis vobis & meo spiritu, tradere eiusmodi hominem satanæ in interitum carnis, vt spiritus saluus sit in die domini Iesu; vnde etiam dicit, Ne lugeam multos ex iis, qui ante peccauerunt & non egerunt pœnitentiam super immunditiem & fornicationem, quam gesserunt. Item, nisi essent quædam non ea humilitate pœnitentiæ sananda, qualis in ecclesia datur eis, qui proprie pœnitentes vocantur, sed quibusdam correptionum medicamentis, non diceret ipse dominus: Corripe eum inter te & ipsum solum, & si te audierit, lucratus es fratrem tuum. Postremo, nisi essent quædam, sine quibus hæc vita non agitur, non cotidianam medelam poneret in oratione, quam docuit, vt dicamus, Dimitte nobis debita nostra, sicut & nos dimittimus debitoribus nostris.* Manifestum hinc est, non quæcumque grauia & cotidiana peccata hominem publicæ censuræ excommunicationis subiecisse, sed ea tantum, quæ primi generis & grauissima erant. Aliis in locis peccata in duas tantum classes distinguit, in grandia & minuta; peccata, quæ homines publicam pœnitentiam agere compellant, & peccata, quorum venia precibus, gemitibus, ieiuniis, eleemosynis, iniuriarum condonatione, sine impacta publicæ pœnitentiæ necessitate, obtineatur. Illa vocat lethalia, hæc venialia; non quasi non sint natura sua mortalia, sed quia sine solemnibus publicæ pœnitentiæ cærimoniis condonantur. Ita multa grandia peccata, vt iracundia, prauæ cogitationes, maledicentia & immoderatus rerum concessarum vsus, in minutis peccatis ab ipso ponuntur, si cum grauioribus facinoribus, homicidio, furto & adulterio comparentur. *Liberatus*

(*h*) August. de fide & operibus c. XXVI. (tom. IV. opp. p. 82. ed. Bas. MDLXIX.)

ratus, inquit [*i*], *ab illis letalibus & grandibus pecatis, qualia sunt facinora, homicidia, furta, adulteria, præter illa, quæ minuta videntur esse peccata linguæ aut cogitationum, aut immoderationis in rebus concessis, facit veritatem confessionis, & venit ad lucem in operibus bonis: quoniam minuta plura peccata, si negligantur, occidunt. Minutæ sunt guttæ, quæ flumina implent, minuta sunt grana arenæ: sed si multa arena imponatur, premit atque opprimit. Hoc facit sentina neglecta, quod facit fluctus irruens. Paullatim per sentinam intrat, sed diu intrando & non exhauriendo, mergit nauim. Quid est autem exhaurire, nisi bonis operibus agere, vt non obruant peccata: gemendo, ieiunando, tribuendo, ignoscendo!* Peccata minuta, de quibus heic loquitur AVGVSTINVS, non erant sola peccata inconsiderantiæ & humanæ fragilitatis, sed altioris cuiusdam gradus. Nihilo tamen secius minuta peccata vocat, comparando ea cum grandibus illis facinoribus, adulterio & homicidio, propter quæ homines publicæ pœnitentiæ subiiciantur, quod non fiat propter alia peccata; quæ tamen fatalia euadant, nisi homines confessione, pio luctu & ieiunio, eleemosynis & amore inimicorum depurgare ea studeant. Alio loco de duplici pœnitentia pro duplicis generis peccatis, post baptismum commissis, distincte loquitur in hunc modum [*k*]: *Est alia pœnitentia quotidiana. Et vbi illam ostendimus? non habeo, vbi melius ostendam, quam in oratione dominica, vbi dominus orare nos docuit, & quid ad patrem dicamus ostendit, & in his verbis posuit. Dimitte nobis debita nostra, sicut & nos dimittimus debitoribus nostris. Est & pœnitentia grauior atque luctuosior, in qua proprie vocantur pœnitentes, remoti etiam a sacramento altaris participandi, ne accipiendo indigne iudicium sibi manducent & bibant. Illa vero pœnitentia luctuosa est: graue vulnus est. Adulterium forte commissum est, forte homicidium, forte aliquid sacrilegum. Grauis res, graue vulnus, letale, mortiferum. Sed omnipotens medicus.* Heic iterum plana distinctio est inter talia grauia peccata, qualia sunt adulterium, sacrilegium & homicidium, pro quibus homines longam & publicam pœnitentiam agere oportebat: & ea peccata, quæ inferioris erant gradus, eluenda quotidianis precibus & quotidiana pœnitentia, quæ omnium peccatorum gra-

(*i*) Augustin. tractat. XII. in Ioann. p. 47. (tom. IX. opp. p. 112. edit. Basil.)
(*k*) August. homil. XXVII. ex L. tom. X. p. 177. (p. 480. 482. ed. Basil.)

vium

vium & leuium, quæ non essent summi gradus, erant remedia. Idcirco publicam pœnitentiam vocat *pœnitentiam maiorem* pro grauibus & mortalibus peccatis, in oppositione minoris & quotidianæ pœnitentiæ pro peccatis leuioribus, quæ venialia nominat, quia facilius condonantur ordinaria illa & quotidiana pœnitentia. Ita catechumenos docens, quemadmodum post baptismum viuere debeant, ait [l]: *Non vobis dico, quia sine peccato heic viuetis: Sed sunt venialia, sine quibus vita ista non est. Propter omnia peccata baptismus inuentus est: Propter leuia, sine quibus esse non possumus, oratio inuenta. Quid habet oratio? Dimitte nobis debita nostra, sicut & nos dimittimus debitoribus nostris. Semel abluimur baptismate. Quotidie abluimur oratione. Sed nolite illa committere, pro quibus necesse est, vt a Christi corpore separemini; quod absit a vobis. Illi enim, quos videtis agere pœnitentiam, scelera commiserunt, aut adulteria, aut aliqua facta immania: Inde agunt pœnitentiam. Nam si levia peccata eorum essent, ad hæc quotidiana oratio delenda sufficeret. Ergo tribus modis dimittuntur peccata in ecclesia, in baptismate, in oratione, in humilitate maioris pœnitentiæ.* Vbi per maiorem pœnitentiam, publicam pœnitentiam, in ecclesia pro grauissimis tantum peccatis actam, intelligi manifestum est. Adeoque pœnitentia minor, quotidianis precibus iuncta, sufficiebat ad delenda, tam peccata leuia & quotidie obuia, quam maiora peccata, pro quibus non publica pœnitentia, sed tantum sincera peccatoris emendatio, bona opera & speciatim opera caritatis & misericordiæ producens, requirebatur. Ita in *enchiridio* suo [m]: *De quotidianis, breuibus, leuibusque peccatis, sine quibus hæc vita non ducitur, quotidiana oratio fidelium satisfacit. --- Delet omnino hæc oratio minima & quotidiana peccata. Delet & illa, a quibus vita fidelium, scelerate etiam gesta, sed pœnitendo in melius mutata, discedit: si, quemadmodum veraciter dicitur, Dimitte nobis debita: quoniam non desunt, quæ dimittantur; ita veraciter dicatur, sicut & nos dimittimus debitoribus nostris.* Sæpe peccata distinguit a criminibus [n], illa talia peccata esse statuens, quæ quotidiana ora-

(l) August. de symbolo ad catechumenos. lib. I. c. VII. (tom. IX. p. 1101. ed. Bas.)

(m) August. enchirid. cap. LXXI.

(n) August. homil. XLI. ex L. Homo baptizatus, si vitam, non audeo dicere sine *peccato* (quis enim sine peccato?) sed vitam sine *crimine* duxerit, & alia habet peccata, quæ quotidie dimittuntur in oratione dicente, Dimitte

tione & quotidiana pœnitentia dimittantur; hæc autem eiusmodi atrocia flagitia, qualia ſunt homicidium, adulterium, ſcortatio, furtum, fraus, ſacrilegium & iſtiuſmodi alia, pro quibus homines publicam in eccleſia pœnitentiam ſubire oporteat. Et res eaſdem intelligit, quando grauia peccata & leuia, mortalia & venialia toties diſtinguit [v]; illis quidem publicam, his vero priuatam præſcribens pœnitentiam. Ex quibus omnibus liquido apparet, nec peccata humanæ fragilitatis & quotidianæ incurſionis, quibus optimus quiſque obnoxius eſt; nec multa alia peioris generis, qualia ſunt mala quædam verba, malæ cogitationes, & intemperantia in rerum conceſſarum vſu, iracundia & frequens itio in ius propter cauſſas leuiores, in iſtis atrocibus criminibus habita fuiſſe, propter quæ delinquentibus diſciplinæ eccleſiaſticæ ſeueritas adhibenda eſſet; ſed omnia iſtiuſmodi peccata, quæ inferioris cuiuſdam ſunt gradus, vel non ita facile homini demonſtrari poſſunt, fuiſſe tantum obnoxia vituperationi & propriis eorum conſcientiis relicta, quotidiana oratione ſiue priuata pœnitentia & emendatione curanda.

ATQVE rem ita ſe habuiſſe ab initio, ex iis manifeſtum eſt, quæ contra ARNALDVM & alios communionis ſuæ ſcriptores hac de re diſputat eruditus DV PINIVS [x]. Obſeruat hic, veteres omnes hac ipſa diſtinctione inter peccata leuia &

nobis debita noſtra &c. quando diem finierit, vitam non finit, ſed tranſit de vita in vitam.

It. tractat. XLI. in Ioan. tom. IX. p. 126. Apoſtolus, quando elegit ordinandos, -- non ait, ſi quis ſine *peccato* eſt; hoc enim ſi diceret, omnis homo reprobaretur, nullus ordinaretur; ſed ait, ſi quis ſine *crimine* eſt, ſicut eſt homicidium, adulterium, aliqua immunditia fornicationis, furtum, fraus ſacrilegium & cetera huiuſmodi.

Paullo ante: *Crimen* eſt *peccatum graue*, accuſatione & damnatione digniſſimum.

De ciuit. lib. XXI. c. XXVII. Non putare, nos eſſe ſine *peccatis*, etiamſi a *criminibus* eſſemus immunes.

(v) Auguſtin. tractat. XXVI. in Ioan. p. 93. (p. 227. lin. vlt. edit. Baſil. MDLXIX.) Peccata & ſi ſint quotidiana, vel non ſint *mortifera*, antequam ad altare accedatis, attendite, quod dicatis.

De ſymbol. lib. I. c. VII. c. cit. ſub litt. anteced. (t) in textu. It. contr. Iulian. Pelag. lib. II. c. X.

(x) Du Pin bibliotheque cent. IV. pag. 218. (tom. II. pag. 675. a. edit. Gallic. MDCLXXXX.) *Il eſt bon de faire remarque en paſſant, comment les Peres*

gran-

grandia vſos eſſe, & capitalia tantum & mortalia crimina in eorum peccatorum numero habuiſſe, quæ excommunicatione plectenda ſint. TERTVLLIANVS, etiam quando contra eccleſiam diſputat in capite de abſolutione & reſtitutione peccatorum in eccleſiæ communionem, non inficiatur, multa eſſe peccata, quæ non ſubiiciantur cenſuræ excommunicationis, quia ſint delicta quotidianæ incurſionis, quibus omnes ſimus obiecti. *Cui enim*, inquit [p], *non accidet aut iraſci inique vltra ſolis occaſum, aut & manum immittere, aut facile maledicere; aut temere iurare, aut fidem pacti deſtruere, aut verecundia aut neceſſitate mentiri; in negotiis, in officiis, in quæſtu, in victu, in viſu, in auditu quanta tentamur? Vt, ſi nulla ſit venia iſtorum, nemini ſalus competat.* Addit: *Sunt autem & contraria iſtis, vt grauiora & exitioſa, quæ veniam non capiant* (loquitur ex rigidis *Montaniſmi* principiis) *homicidium, idololatria, fraus, negatio, blaſphemia, vtique & mœchia & fornicatio, & ſi qua alia violatio templi DEI.* In libro aduerſus *Marcionem* ſeptem recenſet peccata, quæ *capitalia delicta* vocat [q], *idololatriam, blaſphemiam, homicidium, adulterium, ſtuprum, falſum teſtimonium, fraudem.* Clerus *Romanus* eamdem diſtinctionem inter grandia & leuia peccata obſeruat, quando in epiſtola ad CYPRIANVM [r] idololatriam *grande delictum & ingens ſupra omnia peccatum* appellat. Et CYPRIANVS ipſe [s] ſummum delictum vocat, & blaſphemiam ſpiritus ſancti, quæ veniam non habeat, ſed hominem æterni peccati reum faciat, hoc eſt peccatum in vtroque mundo puniendum ſine pœnitentia. Quæ notio eſt, (vt hoc obiter notemus) quam veterum plerique de peccato in ſpiritum ſanctum habuerunt, non quod abſolute irremiſſibi-

entendent cette diſtinction de grands & de petits pechez. Tertullien, qui eſt le premier, qui en parle clairement dans ſon livre de la Pudicité, met au nombre des petits pechez la colere, la médiſance, une ſerment inutile, un manque de parole, un menſonge fait par honte ou par neceſſité &c. vſque ad pag. 276. ſub finem.

(p) Tertull. de pudicit. c. XIX.

(q) Tertull. contr. Marcion. lib. IV. c. IX.

(r) Ap. Cyprian. epiſt. XXVI. al. XXXI p. 63. (p. 214. edit. Fell. Amſtelod.)

(s) Cyprian. epiſt. X. al. XVI. p. 36. (195. edit. Amſtel.) *Summum delictum* eſſe, quod perſecutio committi coëgit, ſciunt ipſi etiam, qui commiſerunt, quum dixerit dominus, Qui blaſphemauerit ſpiritum ſanctum, non habebit remiſſam, ſed reus eſt æterni peccati.

le [t] ſit, ſed quod homines pro eo puniendi ſint tam in hoc quam futuro mundo, niſi illius vere eos pœniteat. Iterum CYPRIANVS loquens de idololatria eorum, qui in perſecutione lapſi erant [u], *grauiſſimum atque extremum delictum* vocat. Loquens etiam de adulterio, fraude atque homicidio, *mortalia crimina* [w] appellat, a minoribus peccatis ea diſtinguendi gratia. Ita ORIGENES dicit, eſſe quaſdam culpas mortales & grauiores, in quibus eccleſia [x] ſemel tantum vel raro pœnitentiæ locum concedat, eſſe autem dicit peccata quædam communia, quæ frequenter incurramus, & quæ ſemper pœnitentiam recipiant & ſine intermiſſione redimantur. Vbi clare indicat, pœnitentiam, quam eccleſia ſemel concedat in grauioribus peccatis, publicam ſignificare pœnitentiam in eccleſia: minora autem & communia peccata alia ratione expiari, & toties quidem, quoties committantur, per quotidianam pœnitentiam. Alio loco [y] leuibus culpis adnumerat, in quibus omnes magis vel minus arguantur, videlicet detractionem, qua ſibi inuicem homines detrahant, inflationem, epulationem, verbum mendacii & otioſum, & ſimilia iſtiuſmodi leuiora errata, quæ etiam in illis, quæ proficere videantur in eccleſia, frequenter inueniri dicit. Hæc igitur non poterant eſſe ea peccata, quæ hominem ordinarie ſubiiciebant excommunicationi, niſi o-

(t) Vid. Cap. VII. §. III.

(u) Cypr. epiſt. XI. al. XV. ad martyr. p. 34. (p. 193. edit. Amſtelod.) ante actam pœnitentiam, ante exomologeſin *grauiſſimi atque extremi delicti* factam &c.

(w) Cypr. de patient. p. 216. (p. 148. lin. vlt. ed. Amſtel.) Adulterium, fraus, homicidium mortale crimen eſt.

(x) Orig. homil. XV. in Leuitic. tom. I. p. 174. (p. 109. c. d. edit. Pariſ. MDCIV.) Si nos aliqua culpa moralis (alii rectius legunt, *mortalis*) inuenerit, quæ non in *crimine mortali*, non in blaſphemia fidei, -- ſed vel in ſermonibus, vel in morum vitio conſiſtat, --- huiuſmodi culpa ſemper reparari poteſt, nec aliquando tibi interdicitur de culpis huiuſmodi pœnitudinem gerere. In *grauioribus* enim *criminibus* ſemel tantum, vel raro pœnitentiæ conceditur locus: iſta vero *communia*, quæ frequenter incurrimus, ſemper pœnitentiam recipiunt & ſine intermiſſione redimuntur.

(y) Id. tract. VI. in Matth. p. 60. (p. 38. m. edit. Pariſ.) Nec enim exiſtimo, cito aliquem inueniri in eccleſia, qui non iam ter in eadem culpa argutus ſit, vtpote in detractione, qua inuicem homines detrahunt proximis ſuis, aut inflatione, aut in epulatione, aut in verbo mendacii vel otioſo, aut in tali aliqua culpa leui, quæ etiam in illis, qui videntur proficere in eccleſia, frequenter inueniuntur.

mnes

mnes & ſingulos homines tam ſeueræ cenſuræ obnoxios ſtatuas. Erant autem alia crimina, quæ grauiora vocat & peccata ad mortem, vti adulterium, homicidium, effeminatio & pæderaſtia, quæ qui committeret, is gentilis & publicani loco habebatur. AMBROSIVS [z] eamdem peccatorum diſtinctionem adhibet: *Sicut vnum baptiſma, ita vna pœnitentia, quæ tamen publice agitur. Nam quotidiani nos debet pœnitere peccati: Sed hæc delictorum leuiorum, illa grauiorum.* Ita quoque PROSPER, vel IVLIANVS POMERIVS ſub eius nomine [a], ait: *Exceptis peccatis, quæ tam parua ſunt, vt caueri non poſſint, pro quibus expiandis quotidie clamamus ad Deum, & dicimus, Dimitte nobis debita noſtra, ſicut & nos dimittimus debitoribus noſtris, illa crimina caueantur, quæ publicata ſuos auctores humano faciant damnari iudicio.* Intelligit, iſta capitalia peccata eſſe ea crimina, quæ homines excommunicationi ſubiiciant, non autem leuiora delicta, quæ quotidiana tantum pœnitentia emendanda ſint. CASSIANVS ſeptem genera humanorum lapſuum obſeruat, quæ a mortalibus peccatis diſtinguit. *Aliud eſt,* inquit [b], *admittere mortale peccatum, & aliud eſt, cogitatione, quæ peccato non caret, præueniri, vel ignorantiæ, aut obliuionis errore aut facilitate otioſi ſermonis offendere, aut ad punctum in fidei theoria aliquid hæſitare, aut ſubtili quadam κενοδοξίας titillatione pulſari, aut neceſſitate naturæ aliquantiſper a ſumma perfectione recedere. Hæc enim ſunt ſeptem lapſuum genera, in quibus ſanctus licet nonnumquam cadat, tamen iuſtus eſſe non deſinit, quæ quamuis leuia eſſe videantur ac parua, tamen faciunt eum ſine peccato eſſe non poſſe. Habet enim, pro quibus quotidianam gerens pœnitudinem & veniam veraciter debeat poſtulare, & pro ſuis indeſinenter orare peccatis, dicens: Dimitte nobis debita noſtra.* GREGORIVS NYSSENVS canonicam epiſtolam ſcripſit de diſciplina, vbi, obſeruante DV PINIO [*], accurate recenſet peccata publicæ pœnitentiæ obnoxia, quæ omnia ſint immania peccata, & ingentia facinora, vt idolola-

(z) Ambroſ. de pœnitent. lib. II. c. X.

(a) Proſper. de vit. contemplat. lib. II. c. VII.

(b) Caſſian. collat. XXII. c. XIII.

(*) Du Pin. l. c. p. 276. *Ceci peut être confirmé par la Lettre canonique de Saint Gregoire de Nyſſe à Letoius, où il fait un denombrement exact des pechez ſoumis a la Penitence publique, qui ſont tous pechez énormes, & crimes conſiderables.*

tria, fidei abnegatio, veneficium, cædes, adulterium, furtum & ſacrilegium. Ex quibus omnibus manifeſtum eſt, quod per antiquas regulas nulla crimina excommunicatione punienda fuerint, niſi quæ ſumma eſſent & grauiſſima, & quæ vocarunt peccata mortalia, nec omnes remotas legis moralis violationes, ſed tantum proximas, directas & manifeſtas eius transgreſſiones. Speciebus & effectis iræ, vti GREGORIVS NYSSENVS obſeruat [†], canonicam, & homicidio publicam infligebant pœnitentiam; ſed non omnibus inferioribus illius gradibus, in ſacra ſcriptura prohibitis & hominem æternæ mortis periculo exponentibus. Ita ex omnibus auaritiæ gradibus, qui multiplices erant & deteſtandi, nullum excommunicatione puniebant, ſed tantum apertam oppreſſionem, furtum, ſepulcrorum effoſſionem, ſacrilegium & id genus alia. Vt adeo, quando hæc mediæ claſſis peccata vocant leuia & venialia in oppoſitione horum, quæ mortalia appellant, non id intelligant, quod hodiernum caſuiſtarum *Romanenſium* vulgus per peccata venialia intelligit, ſed quod non ſint de iſtorum capitalium criminum cenſu, propter quæ eccleſia homines excommunicatione multarit, iniunxeritque eis publicam pœnitentiam. Id quod lector non tantum accurate demonſtratum reperire poteſt a DALLAEO [c], ſed ingenue etiam conceſſum a DVPINIO & PETAVIO ante ipſum. DALLAEVS tranſcripſit verba PETAVII [d], & nos hoc loco verba DVPINII interponemus:

(†) Nyſſen. epiſt. ad Letoium tot.

(c) Dall. de confeſſ. auricul. lib. IV. c. XX.

(d) Petau. not. in Epiphan. p. 238. Principio peccatorum apud antiquos inuenio genera fuiſſe duo. Alia mortalia ſiue capitalia dicebantur: non vt nos intelligere vulgo ſolemus, quæcumque Dei nos gratia ac ſpiritualibus caritatis ornamentis ſpoliant, ſed huius generis certa duntaxat, quæ cum grauiora ceteris eſſent, tum canonibus, ac ſynodorum decretis nominatim expreſſa; hæc inquam capitalia nominabant, quibus pœnæ a canonibus ſigillatim propoſitæ, &c. Alia vero leniora, & quotidiana dicebantur, ſiue quæ nos venialia nuncupamus, ſiue alioqui mortalia, ſed de quibus nulla nominatim extaret in conciliorum decretis mentio; quale verbi gratia eſſe poteſt aſperius in quemquam maledictum, aut conuicium, periurium, aliaque ſexcenta, quæ quamquam letalia ſint, nullæ tamen iis a canonibus erant pœnæ conſtitutæ.

Nemo

„Nemo [e], in animum inducat, hæc a me obſeruari, vt licen-„tiæ auctoritatem addam, vel vt innuam, eſſe quædam pecca-„ta mortalia, quæ venialia haberi poſſint: Talem mentem a „me auertat Deus! Contra mihi animus eſt, omnium peccato-„rum horrorem ingenerare. Primo ingentium criminum; ſe-„cundo peccatorum, quæ mortalia eſſe poſſunt, licet adeo hor-„renda non videantur; & tertio peccatorum etiam leuiſſimo-„rum. Verum putaui, me heic obſeruare debuiſſe, ad expli-„candum locum AMBROSII, ſola primæ claſſis peccata pœni-„tentiæ publicæ obnoxia fuiſſe, & a patribus memorari, atque „grauiſſimorum peccatorum & criminum nomine deſignari; „quamuis alia eſſe poſſint æque mortalia, a quibus chriſtianus „ſedulo abſtinere debet, & quæ pœnitentiæ publicæ humili-„tate non ſanabantur, ſed quibuſdam correptionum medica-„mentis clanculum adhibitis, vt docet AVGVSTINVS„. Hæ obſeruationes ſunt veriſſimæ. Patres enim, certum eſt, contra omnia peccata, ea etiam loqui, quæ ſunt claſſis infimæ, tamquam periculoſa & mortalia, ſi quis ea negligat & foueat, nec contra eundo eorumque culpam quotidiana pœnitentia abluendo oppugnet. Quomodo ex AVGVSTINO [†] antea percepimus, quod minuta plura peccata, ſi negligantur, occidant; ſicut minutæ guttæ per ſentinam paullatim intrantes, ſi non exhauriantur, nauim æque mergunt atque fluctus irruens. Qua

(e) Du Pin. cent. IV. p. 219. (p. 276. edit. cit. Gallic.) *Qu'on ne croie pas, que je faſſe ces remarques, pour autoriſer le relâchement, ou pour inſinuer, qu'il y a des pechés mortels, qui peuvent paſſer pour veniels: à Dieu ne plaiſe, que j'aie une ſi deteſtable intention! au contraire, mon but eſt de donner de l'horreur de tous les pechez. Premiérement des grands crimes; ſecondement, de pechez qui peuvent être mortels, quoi qu'ils ne paroiſſent pas ſi enormes; & troiſiemement, des pechez même les plus legèrs. Mai j'ai crû, que j'étois obligé de remarquer ici, pour expliquer le paſſage de Saint Ambroiſe, qu'il n'y avoit que les pechés de la premiere claſſe, qui fuſſent ſoûmis a la penitence publique, & que c'eſt de ceux-la ſeulement que les Peres parlent, & qu'ils comprennent ſous le nom de pechez enormes & de crimes; quoi qu'il y en ait d'autres, qui peuvent auſſi être mortels, qu'un Chrétien doit ſoigneuſement éviter, mais pour leſquels il n'étoit pas ſoumis à l'humiliation de la penitence publique, mais ſeulement à des corrections & à des reprimandes faites en ſecret, comme Saint Auguſtin nous l'enſeigne.*

(†) Auguſtin. tract. XII. in Ioan. p. 47. vid. ſupra litt. (i) in textu pag. 176.

ſimi-

ſimilitudine multis in locis [*f*] vtitur. Eamdem cautionem contra leuia peccata & mortalia per ſe, ſi negligantur & foveantur, inuenire poteſt, qui volet, datam a NAZIANZENO [*g*], BASILIO [*h*], HIERONYMO [*i*], GREGORIO MA-

(*f*) Auguſt. tract. I. in 1 epiſt. Ioan. p. 237. (p. 580. edit. Baſil.) Non poteſt homo, quam diu carnem portat, non habere vel leuia peccata. Sed iſta leuia, quæ dicimus, noli contemnere. Si contemnis, quando appendis, expaueſce, quando numeras. Leuia multa faciunt vnum grande. *Multæ guttæ implent flumen: multa grana faciunt maſſam.*

Id. Serm. III. in pſalm. CXVIII. p. 545. (p. 1339. edit. Baſil.) quando aduerſus maiora vigilantibus quædam incautis *minuta* ſurrepunt. Quæ ſi aduerſus nos colligantur, etſi non ſingula ſuis motibus conterunt, *omnia* tamen *aceruo nos obruunt.*

Id. Epiſt. CVIII. (p. 507. edit. Baſil.) Neque enim ea nobis dimitti volumus, quæ dimiſſa non dubitamus in baptiſmo, ſed illa vtique, quæ humanæ fragilitati quamuis parua tamen crebra ſubrepunt. Quæ ſi collecta contra nos fuerint, ita nos grauabunt, ſicut vnum aliquod grande peccatum. Quid enim intereſt ad naufragium, vtrum vno grandi fluctu nauis operiatur & obruatur, an paullatim ſubrepens aqua in ſentinam & per negligentiam derelicta atque contemta impleat nauem atque ſubmergat?

Id. homil. vltim. ex L. (p. 556. tom. X. opp.) Quæ (peccata) quamuis ſingula non letali vulnere ferire ſentiantur, ſicuti homicidium, & adulterium, vel cetera huiuſmodi; tamen omnia ſimul congregata velut ſcabies, quo plura ſunt, necant, & noſtrum decus ita exterminant, vt ab illius ſponſi ſpecioſi forma præ filiis hominum caſtiſſimis amplexibus ſeparent, niſi medicamento quotidianæ pœnitentiæ diſſecentur.

(*g*) Naz. orat. XXXI. p. 504. τὸ κατὰ μέρος ὑφελκόμενον καὶ κλεπτόμενον, ἀνεπαίσθητον μὲν τὴν πρὸς τὸ παρὸν ἔχει βλάβην, εἰς τὸ κεφάλαιον δὲ τῆς κακίας ἀπαντᾷ. *Quod paullatim attrahitur, ac tamquam ſurripitur, tametſi eam rationem habeat, vt damnum in præſenti minime ſentiatur, tamen in vitii ſummam occurrit.*

(*h*) Baſil. regul. breuic. IV. Ἐρώτησις· Ἐάν τις καὶ τὰ μικρὰ ἁμαρτήματα στενοχωρῇ τοὺς ἀδελφοὺς, λέγων, ὅτι ὀφείλετε μετανοῆσαι, μή ποτε καὶ αὐτὸς ἄσπλαγχνός ἐστι, καὶ τὴν ἀγάπην καταλύει; Ἀπόκρισις· Τοῦ κυρίου διαβεβαιωσαμένου μὲν, ὅτι ἰῶτα ἓν, ἢ μία κεραία οὐ μὴ παρέλθῃ ἀπὸ τοῦ νόμου, ἕως ἂν πάντα γένηται· ἀποφησαμένου δὲ, ὅτι πᾶν ῥῆμα ἀργὸν, ὃ ἐὰν λαλήσωσιν οἱ ἄνθρωποι, ἀποδώσουσι περὶ αὐτοῦ λόγον ἐν ἡμέρᾳ κρίσεως· οὐδενὸς δεῖ καταφρονεῖν ὡς μικροῦ. Interrogatio. *Si quis pro leuiſſimis etiam peccatis fratres acriter nimis vrgeat, ac dicat, de iis pœnitentiam eos agere debere, numquid is inclemens habendus eſt & euerſor caritatis.* Reſponſio. *Quum adſeueranter dominus adfirmauerit, quod iota vnum, aut apex vnus non præteribit a lege, donec omnia fiant: quumque idem etiam pronuntiauerit, quod omne verbum otioſum, quod loquuti fuerunt homines, reddent rationem de eo in die iudicii, nihil omnino tamquam minutum contemni debet.*

(*i*) Hieron. epiſt. XIV. (p. 113. c. edit. Pariſ. MDCXLIII.) Etſi multum inter peccata diſtare credimus, quia & legimus; tamen ſatis prodeſſe ad cautionem

GNO

GNO [*k*] & pluribus aliis, qui nullum peccatum tam paruum esse dicunt, quin in iustitiæ rigore mortale sit, si Deus nobiscum in iudicium ire, & seuere in ea animaduertere velit, quæ aduersus ipsius legem, & in primis in eius contemtum committuntur. Sed reuertimur ad institutum, vnde sumus digressi.

§. XV.

Excommunicatio non inflicta propter caussas temporales.

VT generalis erat regula, non adhibendam esse excommunicationem propter peccata leuia, ita obseruare licebit, per nullam regulam hoc armorum genus vsurpatum fuisse, vti quidem in posterioribus sæculis, propter res mere pecuniarias & caussas temporales. Frequentes a viris doctis, tam inter protestantes quam pontificios, factæ sunt querelæ, grandem excommunicationis abusum [*l*] committi, quando sæpius ad de-

dicimus, etiam minima pro maximis cauere. Tanto enim facilius abstinemus a quocumque delicto, quando illud magis metuimus. Nec cito ad maiora progreditur, qui etiam parua formidat. Et sine nescio, an possimus leue aliquod peccatum dicere, quod in Dei contemtum admittitur. &c.

(*k*) Gregor. lib. II. in cap. I. Reg. (tom. III. part. II. p. 59. e. edit. Paris. MDCCV.) Quia sine peccato electi etiam viri esse non possunt, quid restat, nisi vt a peccatis, quibus eos humana fragilitas maculare non desinit, euacuari quotidie conentur? Nam qui quotidie non exhaurit, quod delinquit, etsi minima sunt peccata, quæ congerit, paullatim anima repletur, atque ei merito auferunt fructum internæ saturitatis.

Id. lib. I. homil. II. in Ezech. (p. 1185. c. cit. edit.) Omne peccatum graue est, quia non permittit animam ad sublimia leuari.

(*l*) Taylor. duct. dubit. libr. III. c. IV. p. 617. p. 482. edit. Germanic. *In der Römischen kirche hat man es sehr in brauch gehabt, sich des bannes zu bedienen, um diebstähle zu entdecken, und geheime sachen zu erforschen, davon unterschiedliche exempel in den Decretalibus und letzten Canonibus der kirche zu befinden.*

Du Moulin *Buckler of Faith.* p. 369.

Gentillet. exam. concil. Tridentin. p. 300. (p. 296. edit. Geneu. MDLXXXVI.) Secundo eiusdem tertii decreti capite potestas datur episcopis decernendorum monitoriorum & excommunicationum, vt, a quibus res amissæ aut subtractæ possideantur, constare possit. Quod veteribus canonibus repugnat, qui non ob leues caussas, sed ob graues tantum excommunicationis gladio spirituali vtendum esse sanciunt. &c.

Gerson. de vita spirit. anim. lect. IV. coroll. V. vid. sub litt. seq. (p.). Idem serm. in concil. Rhemens. partib. II. consider. II. prouisio II. (tom. II. opp. p. 552. edit. Antuerp. MDCCVI.) Fiat insuper abbreuiatio tam dispendiosarum litium, moderatio tot excommunicationem, tam a iure, quam ab homine

tegendum furtum, vel manifestandas secretas actiones adhibeatur. Cuius rei diuersa occurrunt exempla in *decretalibus*; & a concilio *Tridentino* [m] approbantur, tantummodo casibus istiusmodi, tamquam speciali priuilegio, episcopo reseruatis; cuius est præmonere, quem non nouit, & damnare sic creditum reum nec dum auditum, modo & ratione omnibus ante memoratis primitiuæ ecclesiæ regulis contraria, quæ excommunicationem in caussa leui non permisit, nec in re vlla sine idoneis documentis, reumque pro se dicere siuit. Ita quoque, quemadmodum ex FRANCISCO TOLETO obseruat PETRVS MOLINAEVS [n], in ecclesia *Romanensi* homines excommunicant in futurum, antequam vllum crimen sit commissum, idque ideo tantum, vt radices domini in ciuitate aliqua vel villa a corruptione immunes seruentur, etiamsi nemo illis manum intulerit. Ad petitionem creditoris alicuius debitorem excommunicant, si intra certum temporis interuallum non soluat, nec per legem *decretalium* [o] tam seueram censuram effugere potest, nisi constiterit, quod propter summam rerum in-

fulminatorum. Et hoc nonnumquam pro defendenda, seu recuperanda re modica, parum vt hi, vel profana; quum tamen baculus iste primitus fuerit institutus a Christo tamquam durissimum, summumque supplicium, quo nolentes ecclesiam audire plecti deberent. --- Nunc apud quosdam talis regnat stoliditas, qualis apud illum, qui, vt muscam abigeret a fronte proximi, ictu securis excerebrauit eum. Itaque temporalis incommoditas vix reputari debet musca pungens, per respectum ad æternam salutem, quam auferunt aliquando percussiones istæ per excommunicationes grauissimas, quæ vt in aliquem ceciderint, vix abiici possint, trahentibus de vna in aliam, lupis curæ rapacibus.

(m) Concil. Trident. sess. XXV. de reformat. c. III. Excommunicationes illæ, quæ monitionibus præmissis, ad finem reuelationis, vt aiunt, aut pro deperditis seu subtractis rebus ferri solent, a nemine prorsus præterquam ab episcopo decernantur.

(n) Du Moulin. ibid. ex Tolet. instruct. sacerdot. lib. I. c. VIII. Toletus hæc habet: Quando fulminatur in futurum, quia vel præcipitur aliquid faciendum, vel prohibetur ne fiat, tunc, dummodo iustum sit, quod præcipitur, resque sit grauis, potest excommunicatio ferri in transgressores: quia, qui non obedit, iam fit contumax & inobediens, & mortaliter peccat, & ideo excommunicationem contrahit.

(o) Decretal. Gregor. lib. III. tit. XXIII. de solut. c. III. Odoardus clericus proposuit, quod quum P. clericus, D. laicus, & quidam alii ipsum coram officiali archidiaconi Remens. super quibusdam debitis conuenissent, idem in eum recognoscentem huiusmodi debita, sed propter rerum inopiam soluere

opi-

opiam ſoluere non valeat. Iſte autem excommunicationis abuſus, de quo inter ipſos doctus IOANNES GERSONIVS maxime queritur, ad cauſſas pecuniarias in ipſis iudiciis eccleſiaſticis attinet. IEREMIAS TAYLORIVS [p] his cum verbis allegat: „Qui pro ſolis incommodis temporalibus euitandis aut „commodis politici conſeruandis, æternam vult infligere „mortem, cui quæſo ſimilis erit? Illi nimirum, qui volens abigere muſcam a fronte vicini, eam ſecuri percutiens vicinum „ſtolidus excerebrauit: aut ei parem dixerim, qui ſtudens curationem modici vulneris in pede equi ſui, pedem confeſtim „abrupit & ſcidit, equumque peremit. Sola itaque contumacia vera vel præſumta, renuens ſtare iudicio eccleſiæ, reddit „hominem, pro chriſtiano ſe gerentem, dignum excommunicatione; nam ſi paratus eſt audire eccleſiam, qualiter velut „ethnicus nobis erit & publicanus? Porro differt plurimum, „qualis eſt contumacia & quam damnoſa eccleſiæ, pro qua materia & circa quam incurritur: nam peior eſt contumacia in

non volentem excommunicationis ſententiam promulgauit. --- Mandamus, quatenus ſi conſtiterit, quod prædictus O. in totum vel pro parte non poſſit ſoluere debita ſupra dicta, ſententiam ipſam ſine difficultate qualibet relaxetis, recepta prius ab eo idonea cautione, vt ſi ad pinguiorem fortunam deuenerit, debita prædicta perſoluat.

(p) Gerſ. de vita ſpiritual. lect. IV. corol. VII. (tom. III. part. I. p. 42. cit. edit. Pariſ.) Not. Taylorii verſio Anglicana huius *Gerſoniani* loci, quam auctor noſter tradit, in non paucis aliter habet, quam verba quæ ex ipſo *Gerſonio* latine tranſcripſimus. Quæ differentia, vt lectori pateat, iuuat heic ex Germanica *Taylorii* editione p. 481. num. 9. locum iſtum interponere: *Nicht eine iede wiederſetzung wieder die ordnung der kirchen-gerichte ſoll mit dieſem tode beſtraffet werden. Wenn es ſachen ſind, welche den glauben und das leben antreffen, ſo gehören ſie hieher; wenn aber die frage von geld oder einkünften iſt, ausgeſetzt, daß es eine ſache, welche voller mißgunſt und ſchmach iſt, auch geſchickt, ärgerniß zu erwecken, und verachtung über die kirche zu bringen, ſo hat ſelbe für ſich ſelbſt keine gewalt darin, und wenn ſie auch dergleichen durch hülfe der weltlichen macht hätte, ſo muß ſie ſich doch dazu eines weltlichen zwanges bedienen. Es iſt gewiß unrecht, iemand deßwegen in bann zu thun, daß er die einkünfte der kirchen nicht abgetragen; denn wenn man hierin wiederſpenſtig iſt, ſo beleidigt man die weltliche obrigkeit, und dieſelbe hat denn für ſich ſelbſt ſchon ein ſchwerdt ſich zu rächen. Der bann aber iſt ein ſchwerdt, damit die wiederſpenſtigkeit desjenigen gerochen wird, der halsſtarriger weiſe wieder die zucht der kirchen ſündiget in demjenigen, darin ihr Chriſtus auctorität gegeben hat; und das iſt in ſolchen dingen, welche die ſeligkeit und ver-*

„materia fidei & religionis, quam pusillæ quæstionis de paucis „denariis, vbi numquam tantum prodest obedientia, quam ob- „est excommunicatio separatiua a spiritualibus suffragiis & so- „cietate sanctorum; ita vt longe minor sit processus, qui fit in „curiis sæcularibus per punitiones corporales seu temporales, „quam vbi per prælatum præscindi quæritur anima a Deo, vita „sua, & dari Satanæ in interitum, non solum carnis, sed spiri- „tus, ne iam saluus fiat ab aliorum auxiliis destitutus„. Quid-quid ponderis hæc argumenta habeant, vel quomodocumque ecclesiam *Romanensem* ob hanc manifestam disciplinæ corruptionem adficiant, nihil mea interest, certe primitiuam ecclesiam nullo modo adficiunt, quæ istiusmodi praxeos sibi non fuit conscia, sed excommunicationem quamcumque ob caussas leues, quibus caussas pecuniarias adnumerari oportet, interdixit. Certum quidem est, episcopos nonnumquam audiuisse & decidisse caussas ciuiles, ab eorumque sententia non licuisse prouocari: Sed vero potestas eorum coërcendi & definiendi in talibus caussis non fuit excommunicatio, sed ciuiles fuerunt punitiones, a republica mutuatæ, & quas respublica in effectum se dare debere credidit; qua de re iam supra [*] diximus copiosius, ostendimusque, rem ab excommunicatione & quocumque censuræ ecclesiasticæ genere esse longe diuersissimam.

§. XVI.

Nulli episcopo, ad vlciscendas priuatas iniurias sibi illatas, eam adhibere licitum.

OBSERVAMVS porro tamquam rem notatu dignam in hac materia, quod nulli episcopo propter priuatas sibi illatas iniurias quempiam anathemate ferire licuerit. Quamquam e-

damniß unmittelbar betreffen, darin kein zeitliches Interesse ist, da es auch keines streitens bedarf, und da der sünder nicht etwan durch eine folge und interpretation, sondern offenbarlich, und ohne einige entschuldigung sündiget: man betrachte aber nur, was für ein grosser vorwurf es der kirchen zucht sey, wenn sie dem geitz oder den nothwendigkeiten der Procuratoren oder Advocaten dienen solle, und wenn die kirche grausamer strast, als die weltlichen gerichte in eben dergleichen verbrechen zu thun pflegen. Und weil sie nur eine einzige sache abzuthun hat, so wird sie entweder gar zuviel tödten, oder gar keinen beleidigen, wenn sie bey allen gelegenheiten mit ihrem schwerdt drein schlagen will.

(*) Lib. II. c. VII. vol. I. pag. 123 -- 129.

nim

nim hoc graue crimen esse poterat, tamen vindicta propria esse, adeoque eius characteri minime conuenire credebatur, si per excommunicationem iustitiam sibi ipse administraret: iniuriam potius patienter ferre, vel caussam suam aliorum iudicio committere debebat. Propterea CYPRIANVS iniurias, sibi ipsi tamquam priuato illatas, ab iniuriis cum detrimento fraternitatis siue totius corporis ecclesiastici factis, distinguit. *Contumeliam*, inquit [q], *episcopatus nostri dissimulare & ferre possum, sicut dissimulaui semper & pertuli: Sed dissimulandi nunc locus non est, quando decipiatur fraternitas nostra a quibusdam vestrum, qui dum sine ratione restituendæ salutis plausibiles esse cupiunt, magis lapsis obsunt.* Heic aperte distinguit inter iniurias personales, quas ferre poterat sine vindictæ cupiditate. Quæ autem magis publicæ erant & non tantum auctoritati ipsius derogabant, sed populo etiam existebant fraudi, in eas se animaduersurum esse dicit, pro eo ac meruissent. Similem distinctionem a GREGORIO MAGNO adhibitam inuenimus, qui scribens ad certum episcopum, qui ob iniuriam sibi priuatim illatam non neminem excommunicauerat, his illum verbis reprehendit [r]: *Nihil te ostendis de cælestibus cogitare, sed terrenam te conuersationem habere significas; dum pro vindicta propriæ iniuriæ (quod sacris regulis prohibetur) maledictionem anathematis inuexisti. Vnde de cetero omnino esto circumspectus atque sollicitus, & talia cuipiam pro defensione propriæ iniuriæ tuæ inferre denuo non præsumas. Nam si tale aliquid feceris, in te scias postea vindicandum.* Fuisse antiquos canones in hunc finem datos tempore GREGORII, hoc eius testimonium dubitare nos non sinit, quamquam nullum in præsenti norim, qui de hoc casu expressis verbis loquatur. Tantummodo concilium *Sardicense* [s] episcopis generatim interdicit, quemquam

(q) Cyprian. epist. X. al. XVI. ad cler. p. 36. (p. 194. edit. Amstelod.)

(r) Gregor. lib. II. epist. XXXIV. vid. Gratian. causs. XXIII. quæst. IV. c. XXVII.

(s) Concil. Sardic. c. XIV. (in Latin. edit. XVII.) *Ὅσιος ἐπίσκοπος εἶπε· τὸ δὲ πάντοτέ με κινῶν ἀποσιωπῆσαι ἐκ ὀφείλω· εἴ τις ἐπίσκοπος ὀξύχολος εὑρίσκοιτο· ὅπερ ἐκ ὀφείλει ἐν τοιέτῳ ἀνδρὶ πολιτεύεσθαι· καὶ ταχέως ἀντικρὺ πρεσβυτέρε ἢ διακόνε κινηθεὶς ἐκβαλεῖν ἐκκλησίας αὐτὸν ἐθελήσει· προνοητέον ἐστί, μὴ ἀθῷον τὸν τοιῦτον κατακρίνεσθαι, καὶ τῆς κοινωνίας ἀποστερεῖσθαι· πάντες εἰρήκασιν· ὁ ἐκβαλλόμενος ἐχέτω ἐξεσίαν ἐπὶ τὸν ἐπίσκοπον τῆς μητροπόλεως τῆς αὐτῆς ἐπαρχίας καταφυγεῖν· εἰ δὲ ὁ τῆς μητροπόλεως ἄπεστιν, ἐπὶ τὴν πλησιόχωρον κατατρέχειν, καὶ ἀξιῦν, ἵνα μετὰ ἀκριβείας αὐτῦ ἐξετάζηται τὸ πρᾶγμα. Osius episcopus*

mouente iracundia cito excommunicare, eique, qui iniuriam hoc modo paſſus eſt, poteſtatem concedit appellandi ad ſynodum prouincialem, vel finitimos epiſcopos, vt cauſſam ſuam audiant & decidant.

§. XVII.

Nullus excommunicandus propter peccata meditata tantum & cogitata.

NOTANDVM etiam eſt, eccleſiam ſeueras excommunicationis cenſuras hominibus tantum inflixiſſe ob manifeſta facinora, non autem ob peccata meditata tantum & cogitata: quia etſi hæc grandia peccata eſſe poterant coram Deo, quemadmodum ſeruator noſter dicit, *Quicunque adſpicit mulierem, vt eam concupiſcat, iam adulterauit eam in corde ſuo*; eccleſia tamen de corde iudicare commode non poterat, adeoque iſtiusmodi peccata ordinarie non puniebat ante, quam in externam actionem producta in oculos incurrerent. Hic ſenſus eſſe videtur canonis concilii *Neocæſarienſis* [t], qui habet: *Si quis propoſuerit concupiſcere mulierem ad dormiendum cum ipſa, eius autem deſiderium ad opus non venerit, videtur eſſe a gratia liberatus.* Hoc eſt, coram Deo hac mala cogitatione & conſilio peccat, eccleſia autem excommunicationis fulmine ipſum non ferit, quia cogitata in externum impuritatis actum non producit. Ita ZONARAS [u] inter veteres hunc canonem interpretatur, & inter

dixit: Quod me adhuc mouet, reticere non debeo. Si epiſcopus quis forte iracundus (quod eſſe non debet) cito aut aſpere commoueatur aduerſus presbyterum, aut diaconum ſuum, & exterminare eum de eccleſia voluerit; prouidendum eſt, ne innocens damnetur, aut perdat communionem. Et ideo habeat poteſtatem, qui deiectus eſt, vt finitimos epiſcopos interpellet & cauſſa eius audiatur & diligentius tractetur; quia non oportet ei negari audientiam roganti. &c.

(t) Concil. Neocæſar. c. IV. Ἐὰν προθῆταί τις ἐπιθυμῆσαι γυναικὸς, συγκαθευδῆσαι μετ' αὐτῆς, μὴ ἔλθῃ δὲ εἰς ἔργον αὐτοῦ ἡ ἐνθύμησις, φαίνεται ὅτι ὑπὸ τῆς χάριτος ἐῤῥύσθη.

(u) Zonar. in can. XXXII. (apud Beuereg. tom. II. p. 92.) ἡ δὲ μέχρι τοῦ βουλεύσασθαι καὶ συγκατατεθῆναι, οὐ πρὸς θάνατον, δηλονότι τὸν ψυχικόν· οὐ γὰρ πόρνος ἂν κριθείη ὁ πορνεῦσαι συγκατατιθέμενος, τῆς δὲ πράξεως ἀπεχόμενος· φησὶ γὰρ ὁ τέταρτος κανὼν τῆς ἐν Νεοκαισαρείᾳ συνόδου· ἐὰν προθῆταί τις ἐπιθυμῆσαι γυναικὸς κ. τ. λ. *Quod peccatum in conſultatione & conſenſu ſiſtit, non eſt ad mortem, animæ nimirum. Nec enim fornicatus iudicaretur,*

recen-

recentiores [x] OSIANDER: Tametsi non nulli existimant, quod istiusmodi cogitata, si per quemcumque apertum actum detegantur, hominem ecclesiasticæ censuræ subiicere valeant.

§. XVIII.

Nec propter actiones coactas & inuoluntarias.

RES clarior est de coactis & inuoluntariis actionibus, in quas voluntas nulla ratione consenserat. Nam vti a peccato, ita a pœna peccati, erant immunes. Erant quidem, qui præ nimio zelo & inconsiderato puritatis, quod præ se ferebant, studio homines propter istiusmodi res, quæ in calamitatibus potius quam criminibus eorum habendæ erant, communione pellendos esse contendebant. Enim vero concilium *Ancyranum* hunc falsi nominis zelum prudenter corrigit, canone facto in hanc sententiam: *Qui [y] fugientes comprehensi, sunt vel a domesticis traditi, vel ademtis facultatibus sustinuere tormenta, aut in custodiam trusi, proclamauerunt, se christianos esse, & eo vsque adstricti sunt, vt manus eorum comprehendentes violenter attraherent, & funestis sacrificiis admouerent, aut aliquid polluti cibi per necessitatem sumere cogerentur; confitentes iugiter, se christianos esse, & luctum rei, quæ contigit, incessabiliter ostendentes omni deiectione & habitu & humilitate vitæ: hos velut extra delictum constitutos, a communionis gratia non vetamus. Si vero prohibiti sunt ab aliquibus propter ampliorem cautelam, vel propter quorumdam ignorantiam, statim recipiantur.* Idem deter-

---

qui, quum fornicationi adsensus fuerit, ab actione ipsa nihilominus abstinuit. Ait namque quartus Neocæsarianæ synodi canon; Si quis mulierem concupiscens &c.

(x) Osiand. in can. IV. Neocæs. edit. Witeberg. MDCXIV. Hoc videtur velle hic canon, eum non cadere sub pœnam aliquam disciplinæ ecclesiasticæ.

(y Concil. Ancyr can. III. *τοὺς φεύγοντας καὶ συλληφθέντας, ἢ ὑπὸ οἰκείων παραδοθέντας, ἢ ἄλλως τὰ ὑπάρχοντα ἀφαιρεθέντας, ἢ ὑπομείναντας βασάνους, ἢ εἰς δεσμωτήριον ἐμβληθέντας, βοῶντάς τε ὅτι εἰσὶ χριστιανοὶ, καὶ περισχισθέντας, ἤτοι εἰς τὰς χεῖρας πρὸς βίαν ἐμβαλλόντων τῶν βιαζομένων, ἢ βρῶμά τι πρὸς ἀνάγκην δεξαμένους, ὁμολογοῦντας δὲ διόλου, ὅτι εἰσὶ χριστιανοὶ, καὶ τὸ πένθος τοῦ συμβάντος ἀεὶ ἐπιδεικνυμένους τῇ πάσῃ καταστολῇ, καὶ τῷ σχήματι, καὶ τῇ τοῦ βίου ταπεινότητι· τούτους, ὡς ἔξω ἁμαρτήματος ὄντας, τῆς κοινωνίας μὴ κωλύεσθαι· εἰ δὲ καὶ ἐκωλύθησαν ὑπό τινος, περισσοτέρας ἀκριβείας ἕνεκεν, εἰ καὶ τινων ἀγνοίᾳ, εὐθὺς προσδεχθῆναι.*

mina-

minatur in cauſſa mulierum a GREGORIO THAVMATVRGO [z] & BASILIO [a]. Ita quoque a DIONYSIO ALEXANDRINO [b], ATHANASIO [c], & aliis pro quacumque inuoluntaria pollutione. Hæ erant rationes generales, quas veteres in diſtinguendis grandibus & leuibus peccatis, & diiudicanda immunitate a peccato inibant, vt oſtenderent, quid poſſet, vel quid non poſſet hominem cenſuræ excommunicationis ſubmittere. Quia autem multum ad exactiorem antiquæ diſciplinæ intelligentiam conferet, diuerſa genera iſtorum criminum, propter quæ homines grauiſſimis cenſuris ſubiici ſoliti ſunt, dignoſcere curatius; pergemus iam, in ſequentibus capitibus in naturam, ſpecies & gradus grandium iſtorum delictorum ſtudioſius inquiſituri.

(z) Gregor. Thaumat. can. I. *εἰ μέν τοί τις ἐν ἄκρᾳ σωφροσύνῃ ζήσασα, καὶ καθαρὸν, καὶ ἔξω πάσης ὑπονοίας ἐπιδεδειγμένη βίον, τὸν πρότερον· νῦν περιπέπλωκεν ἐκ βίας, καὶ ἀνάγκης, ὕβρει· ἔχομεν παράδειγμα τὸ ἐν τῷ Δευτερονομίῳ, τὸ ἐπὶ τῇ νεανίδι, ἣν ἐν τῷ πεδίῳ εὗρεν ἄνθρωπος, ἢ βιασάμενος αὐτὴν, ἐκοιμήθη μετ' αὐτῆς· τῇ νεανίδι, φησὶν, ἐ ποιήσετε ἐδὲν κ. τ. λ. Si quidem aliqua, quæ in ſumma continentia vixerit, & puram ab omnique ſuſpicione alienam priorem vitam oſtenderit; nunc vi & neceſſitate in probrum, contumeliamue lapſa ſit: habebimus exemplum, quod eſt in Deuteronomio, de adoleſcentula, quam homo in agro inuenit, & ea vi compreſſa, cum ipſa dormierit: Adoleſcentulæ, inquit, nihil facietis, cetera.* (vid. Deut. XXII, 26.)

(a) Baſil. can. XLIX. *Αἱ πρὸς ἀνάγκην γινόμεναι φθοραὶ, ἀνεύθυνοι ἔςωσαν· ὥςε καὶ ἡ δέλη, εἰ ἐβιάσθη παρὰ τῦ ἰδίυ δεσπότυ, ἀνεύθυνος ἐςιν. Stupra, quæ per vim inferuntur, non ſint accuſationi obnoxia. Quare etſi ancillæ vis illata fuerit a proprio domino, ea a culpa eſt libera.*

(b) Dionyſ. can. IV. *οἱ δ' ἐν ἀπροαιρέτῳ νυκτερινῇ ῥύσει γενόμενοι, καὶ ἔτοι τῷ ἰδίῳ συνειδότι κατακολυθείτωσαν, καὶ ἑαυτὺς εἴτε διακρίνονται περὶ τύτυ, εἴτε μὴ, σκοπείτωσαν. Qui in inuoluntario nocturno fluxu fuerint, ii quoque propriam conſcientiam ſequantur, & ſe ipſos, an de eo dubitent, annon, conſiderent.*

(c) Athanaſ. epiſt. ad Ammum. ap. Beuereg. tom. II. p. 36. d. *τότε μεμολύσμεθα, ὅτε τὴν δυσωδεςάτην ἁμαρτίαν ἐργαζόμεθα· ὅτε δὲ φυσική τις ἀβυλήτως ἔκκρισις γίνεται, τότε τῇ τῆς φύσεως ἀνάγκῃ μετὰ τῶν ἄλλων, ὡς προείπομεν, καὶ τῦτο ὑπομένομεν. Tum demum polluimur, quando fœtidiſſimum peccatum operamur. Quando autem naturalis excretio præter voluntatem facta fuerit, tunc naturæ neceſſitate cum aliis, vt prædiximus, hæc quoque ſuſtinemus.*

LIBRI

LIBRI DECIMI SEXTI
CAPVT QVARTVM
DE SIC DICTIS GRANDIBVS CRIMINIBVS SIGILLATIM, QVORVM PRAECIPVVM IDOLOLATRIA. DE DIVERSIS EIVS SPECIEBVS ET GRADIBVS POENARVM, PRO DELICTORVM PROPORTIONE ET QVALITATE ILLIS CONSTITVTARVM.

§. I.

Error notatur quorumdam de numero grandium peccatorum, qui ea ad idololatriam, adulterium & homicidium restringunt.

VIRI docti de numero eorum criminum, quæ veteres grandia crimina, respectu habito ad censuras ecclesiasticas, appellabant, deque ratione & fundamento huius appellationis non satis inter se consentiunt. Erant tempore AVGVSTINI, qui tria tantum grandia crimina digna excommunicatione esse statuebant, adulterium videlicet, idololatriam & homicidium. Hæc largiebantur esse peccata mortifera, nec dubitabant, excommunicatione [a] esse punienda, donec pœnitentiæ publicæ humilitate sanarentur; cetera autem omnia eleemosynis facile compensari dictitabant. Quam opinionem AVGVSTINVS confutare studet, non tantum loco adlegato, sed multis etiam aliis [b], ex quibus manifestum est, non hæc sola fuisse grandia crimina, excommunicatione plectenda. Et propterea isti de recentioribus auctoribus antiquam disciplinam male repræsentant, qui eam hisce tribus grandibus criminibus vel talibus, quæ ad ea reduci possunt, adstringunt. Siquidem e dictis liquet, quod vlterius protendatur. Quid quod, vt mox ostendemus, omnia grandia crimina contra vniuersum decalogum siue legem moralem, in singulis exemplis commissa, includat.

(a) Aug. de fide & oper. c. XIX. Qui autem opinantur, & cetera eleemosynis facile compensari, tria tamen mortifera esse non dubitent excommunicatione punienda, donec pœnitentia humiliore sanentur, impudicitiam, idololatriam, homicidium.

(b) Vide sis Augustin. hom. vltim. ex L. citat. sub litt. seq. (f) & de ciuitate Dei lib. XXI. c. XXVII.

§. II.

Recensio grandium criminum in lege ciuili data, multo amplior & vberior.

OBSERVARI vtique meretur, quod data in ipsa lege ciuili grandium criminum recensio multo amplior sit atque vberior. Quando enim imperatores in solemnitate paschali ex more generalem indulgebant veniam & libertatem iis, qui propter crimina sua in custodiam dati fuerant, diuersa tamen odiosa crimina excipiebant, in legibus ipsorum memorata, in aliis quidem quinque, in aliis sex, in aliis octo, in aliis decem, quæ ad tria ista crimina, idololatriam, adulterium & homicidium referri nequeunt. Leges *Valentiniani* & *Gratiani* [c] septem capitalia crimina beneficio istiusmodi clementiæ excludunt, nimirum sacrilegium, maiestatis iniuriam, sepulcrorum spoliationem, veneficium, adulterium, raptum & homicidium. Leges *Theodosii magni* [d] octo excipiunt crimina capitalia, maiestatis iniuriam, parricidium, cædem, adulterium, rapinam virginis, incestum, veneficium, & adulterinæ monetæ figurationem. *Valentiniani* autem *iunioris* leges decem excipiunt; sacri-

(c) Cod. Theodos. lib. IX. tit. XXXVIII. de indulgentiis criminum leg. III. Ob diem paschæ, quem intimo corde celebramus, omnibus, quos reatus adstringit, carcer inclusit, claustra dissoluimus. Attamen sacrilegus, in maiestate reus, in mortuos, veneficus, siue maleficus, adulter, raptor, homicida communione istius muneris separentur.

Ibid. leg. IV. Paschæ celebritas postulat, vt quoscumque nunc ægra exspectatio quæstionis pœnæque formido sollicitat, absoluamus: Decretis tamen veterum mos gerendus est, ne temere homicidii crimen, adulterii fœditatem, maiestatis iniuriam, maleficiorum scelus, insidias venenorum, raptusque violentiam sinamus euadere.

(d) Ibid. leg. VI. Paschalis lætitiæ dies ne illa quidem tenere sinit ingenia, quæ flagitia fecerunt: pateat insuetis horridus carcer aliquando luminibus. Alienum autem censemus ab indulgentia, qui nefariam criminum conscientiam 1. in *maiestatem* superbe animauerit: 2. qui *parricidali* furore raptus sanguine proprio manum tinxit: 3. qui cuiusque præterea hominis *cæde* maculatus est: 4. qui *genialis* tori ac lectuli fuit inuasor alieni: 5. qui verecundiæ virginalis *raptor* exstitit: 6. qui venerandum cognati sanguinis vinculum profano cæcus violauit *incestu*: 7. vel qui noxiis quæsita graminibus & diris immurmurata secretis, mentis & corporis *venena* composuit: 8. aut qui sacri oris *imitator* & diuinorum vultuum adpetitor venerabiles formas sacrilegio eruditus impressit.

legi-

legium, adulterium [e], inceſtum, raptum, ſepulcrorum violationem, veneficium, maleficium, adulterationem monetæ, cædem, & maieſtatis iniuriam. Iam vero ſi lex ciuilis tot grauia crimina ſub nomine atrocium delictorum a beneficio huius indulgentiæ excepit, probabile non eſt, (ſi nullum argumentum aliud ad hoc probandum obuium eſſet) legem eccleſiaſticam vllum ex his deteſtandis facinoribus impunitum voluiſſe dimittere, vel concedere, vt eccleſiaſticæ cenſuræ ſeueritatem prorſus effugeret.

§. III.

Et in lege eccleſiaſtica, grandium criminum enarratio ad vniuerſum decalogum extenditur.

CLARIORA autem & certiora documenta hac in re habemus. Grandia crimina, quæ publica pœnitentia puniebantur, erant, quæ aduerſus totum decalogum [f] committebantur, de quibus apoſtolus ait: *Qui talia agunt, regnum Dei non poſſidebunt.* Modo, vt IOANNES DALLAEVS [g] recte obſeruat, id de ſolis capitalibus delictis, diſerte & nominatim in decalo-

(e) Ibid. leg. VII. Religio anniuerſariæ obſecrationis hortatur, vt omnes omnino periculo carceris metuque pœnarum eximi iuberemus, qui leuiore crimine rei ſunt poſtulati. Vnde apparet, eos excipi, quos atrox cupiditas in ſcelera compulit ſæuiora: in quibus eſt primum crimen, 1. & maxime, maieſtatis, 2. deinde homicidii, 3. veneficiique ac 4. maleficiorum, 5. ſtupri, atque 6. adulterii, parique immanitate ſacrilegii, 7. ſepulcri violatio, 8. raptus, 9. monetæque adultera figuratio. Ibid. leg. VIII. Vbi primum dies paſchalis exſtiterit, nullum teneat carcer incluſum, omnium vincula ſoluantur. Sed ab his ſecernimus eos, quibus contaminari potius gaudia lætitiamque communem, ſi dimittantur, aduertimus. Quis enim 1. *ſacrilego* diebus ſanctis indulgeat? quis 2. *adultero*, vel 3. *inceſti* reo tempore caſtitatis ignoſcat? quis non 4. *raptorem* in ſumma quiete & gaudio communi perſequatur inſtantius? 5. Nullam accipiat requiem vinculorum, qui quieſcere *ſepultos* quadam ſceleris immanitate non ſiuit: patiatur tormenta 6. *veneficus*: 7. *maleficus*: 8. *adulteratorque monetæ*: 9. *homicida*, quod fecit ſemper exſpectet: 10. reus etiam *maieſtatis*, de domino, aduerſum quem talia molitus eſt, veniam ſperare non debet.

(f) Auguſtin. homil. vlt. ex L. c. III. tom. X. p. 205. (pag. 557. edit. Baſil.) Tertia actio eſt pœnitentiæ, quæ pro illis peccatis ſubeunda eſt, quæ legis decalogus continet: Et de quibus apoſtolus ait, Qui talia agent, regnum Dei non poſſidebunt.

(g) Dall. de conf. auricul. lib. IV. c. XX. p. 431. Id. de ſolis capitalibus delictis diſerte in decalogo vetitis eſt accipiendum. Nam id, ſi latius de qui-

go vetitis, accipiendum eſt, non de omnibus remotioribus ramis & inferioribus gradibus peccati, qui aliquo modo ad capitale crimen reduci poſſunt, vel cadunt ſub prohibitionem. Alias enim non vere diceretur, quod omnia peccata in catalogo vetita hominem pœnitentiæ publicæ ſubmittant, ſiquidem quædam peccata in corde tantum concipiuntur nec vmquam producuntur in actum [b]; quæ licet graues legis transgreſſiones eſſe poſſent, ſub publicam tamen cenſuram vocari non poterant, ſed priuata pœnitentia erant ſananda.

§. IV.

De grandibus criminibus contra primum & ſecundum præceptum ſigillatim. De idololatria & diuerſis eius ſpeciebus & gradibus.

QVANDO itaque probatum dedimus, quod multa grandia crimina aduerſus ſingula legis moralis præcepta fuerint, ob quæ quis cenſuræ eccleſiaſticæ & publicæ pœnitentiæ ſubiici potuerit, iam ad ductum decalogi naturam, ſpecies & pœnas eorum conſiderabimus. Ingentia crimina contra primum & ſecundum præceptum (quæ ambo communiter coniunguntur) ſub generalibus nominibus apoſtaſiæ & impietatis [*] compre-

busuis in decalogo quomodocumque vetitis ſumatur, euidenter falſum erit, quum conſtet, non modo, quæ hodie ab aduerſariis venialia dicuntur, ſed & alia multo plura, quæcumque ſcilicet a veteribus inter capitalia minime numerabantur, *publicæ pœnitentiæ* nequaquam olim fuiſſe obnoxia.

(*b*) Auguſtin. hom. XLIV. de verb. domin. c. V. ap. Dall. loc. cit. Ita accipiendum eſſe (inquit Dallæus) hoc Auguſtini dictum, ipſe alibi clare docet; dum diuerſa peccatorum, qui ex peccato per gratiam Chriſti reſurgunt, genera perſequens; primo loco eos ponit, *qui peccatum intus in corde habent*; *in facto nondum habent.* Iſti ſane, ſi proprie & in genere loquendum eſt, in decalogum peccarunt. Eos tamen Auguſtinus publicæ pœnitentiæ minime ſubiicit, ſed ſine ea ſanari apertiſſime docet, dum huius generis peccatorem *filiæ archiſynagogi mortuæ, nec dum de ſecretis parietibus in publicum elatæ, & ibi intus a Chriſto ſuſcitatæ* comparans, ait: *Nondum acceſſit corpore ad mulierem, ſcilicet conſentit in corde; mortuum intus habet; nondum extulit. Et fit, vt nouimus, vt quotidie homines in ſe experiuntur, aliquando audito verbo Dei, tamquam domino dicente, ſurge, condemnatur conſenſus ad iniquitatem; reſpiratur in ſalutem, atque iuſtitiam. Surgit mortuus in domo, reuiuiſcit cor in cogitationis ſecreto. Facta eſt iſta reſurrectio animæ mortuæ intus inter latebras conſcientiæ, tamquam intra domeſticos parietes.* cetera.

(*) Anglice *Apoſtacy and Irreligion.*

hen-

henduntur; quæ diuersas idololatriæ species includunt; blasphemiam in *CHRISTVM* eiusque abnegationem tempore persecutionis; vsum malarum artium diuinationis, magiam & veneficium; ignominiam Deo illatam per sacrilegium & *Simoniam*; per hæresin & schisma; aliasque profanationes & abusus, corruptionem & contemtionem veræ religionis eius & cultus. Omnia ista pro grandibus criminibus habita & grauissimis ecclesiæ censuris punita sunt.

§. V.

De sacrificatis *&* turificatis, *hoc est iis, qui incensa idolis offerendo deque sacrificiis sumendo in idololatriam delabebantur.*

IDOLOLATRARVM diuersa erant genera. Nonnulli manifesto ad templa vadebant, ibique incensa offerebant idolis, & sacrificiorum fiebant participes. Hi nominibus *sacrificatorum* & *turificatorum* insigniebantur, quomodo eos in CYPRIANO [*i*] sæpe appellari inuenimus, qui de illis loquitur, tamquam qui sacrilegis contactibus manus suas atque ora maculent: manus videlicet, incensa offerendo, ora autem, de sacrificiis manducando. Et horum etiam diuersi erant gradus. Nonnulli, simulac persecutio aliqua esset suborta, antequam appellarentur, vel vlla eis inferretur vis, sponte sua adibant templa, vltroque offerebant sacrificia; dum alii diu tormentis vrgerentur, nec nisi summa necessitate compulsi sacrificarent. CYPRIANVS [*k*] magnum discrimen inter hos duplicis generis lapsos statuit: vti etiam statuit inter eos, qui non tantum ipsi vadebant, sed vxores etiam & liberos & amicos suos secum ire & sacrificare compellebant; & illos, qui ipsi soli pro cunctis

(*i*) Cyprian. epist. XV. al. XX. ad cler. Roman. p. 43. (p. 199. edit. Amstel.) Qui sacrilegis contactibus manus suas atque ora maculassent.
Id. epist. LV. al. LII. ad Anton. p. 108. (p. 246. edit. Amstel.) Placuit sacrificatis in exitu subueniri, quum exomologesis apud inferos non est.

(*k*) Cyprian. ibid. p. 106. (p. 245. cit. edit.) Nec tu existimes, frater carissime, sicut quibusdam videtur, libellaticos cum sacrificatis æquari oportere; quando inter ipsos etiam, qui sacrificarunt, & conditio frequenter & caussa diuersa sit. Neque enim æquandi sunt, ille qui ad sacrificium nefandum statim voluntate prosiluit; & qui reluctatus & congressus diu ad hoc funestum opus necessitate peruenit; ille qui & se & omnes suos prodidit; & qui ipse pro cunctis ad discrimen accedens, vxorem & liberos, & domum totam periculi

suis periculum subibant; & hoc modo non tantum domum suam, sed fratres etiam & colonos, quos extorres & profugos in sua tecta & hospitia receperant, periculo liberabant, ostendentes & offerentes domino multas viventes & incolumes animas, quæ pro ipsis deprecarentur. Qui hoc fecerant, eos facilius excusari posse dicit, quam illos, qui & voluntarie templa idolorum frequentarant, & consilio suo atque auctoritate multos alios induxerant, vt secum eo vaderent. Quorum proinde crimina eleganter describit eorumque grauitatem depingit in libro *de lapsis* in hunc modum [*l*]: „Non exspectauerunt, vt adscenderent apprehensi, aut interrogati negarent. „Ante aciem multi victi, sine congressione prostrati; nec hoc „sibi reliquerunt, vt sacrificare idolis viderentur inuiti. Vltro „ad forum currere, ad mortem sponte properare, quasi hæc olim cuperent, quasi amplecterentur occasionem datam, quam „semper optassent. Quid illi, qui a magistratibus vespera vrgente dilati sunt, quod ne eorum differretur interitus, etiam „rogauerunt? Quam vim potest talis obtendere, qua crimen „suum purget, quum vim magis ipse fecerit, vt periret? Nonne quando ad capitolium sponte ventum est, quando vltro „ad obsequium diri facinoris accessum est, labauit gressus, „caligauit adspectus, tremuerunt viscera, brachia conciderunt? „Nonne sensus obstupuit, lingua hæsit, sermo defecit? Stare „illic potuit Dei seruus & loqui, & renuntiare Christo, qui „iam diabolo renuntiarat & sæculo? Nonne ara illa, quo moriturus accessit, rogus illi fuit? Nonne diaboli altare, quod „fœtore tetro fumare ac redolere conspexerat, velut funus & „bustum vitæ suæ horrere ac fugere debebat? Quid hostiam „tecum miser, quid victimam supplicaturus imponis? Ipse ad „aras hostia, victima ipse venisti. Immolasti illic salutem tuam, „spem tuam, fidem tuam funestis illis ignibus concremasti. Ac

sui perfunctione protexit, ille qui inquilinos vel amicos suos ad facinus compulit, & qui inquilinis & colonis pepercit, fratres etiam plurimos, qui extorres & profugi recedebant, in sua tecta & hospitia recepit, ostendens & offerens domino multas viuentes & incolumes animas, qui pro vna saucia deprecentur. Vide sis Petri Alexandr. can. I. II. III. apud Beuereg. Synodic. tom. II. p. 8. 9.

(*l*) Cyprian. de lapsis p. 124. (p. 89. 90. edit. Amstelod. MDCC.)

„mul-

„multis proprius interitus ſatis non fuit, hortamentis mutuis „in exitium ſuum populus impulſus eſt: mors inuicem letali „poculo propinata eſt. Ac ne quid deeſſet ad criminis cumu„lum, infantes quoque parentum manibus vel impoſiti vel at„tracti; amiſerunt paruuli, quod in primo ſtatim natiuitatis „exordio fuerant conſequuti. Nonne illi, quum iudicii dies „venerit, dicent: Nos nihil fecimus, nec derelicto cibo & „poculo domini ad profana contagia ſponte properauimus: „perdidit nos aliena perfidia, parentes ſenſimus parricidas. Il„li nobis eccleſiam matrem, illi patrem Deum negauerunt; „vt dum parui & improuidi, & tanti facinoris ignari, per alios „ad conſortium criminum iungimur, aliena fraude caperemur„. Hactenus CYPRIANVS, crimina amplificans eorum, qui tam promtos paratoſque ad committendam idololatriam ſe præbebant fidemque chriſtianam auidi & quaſi exſultabundi abnegabant.

QVEMADMODVM igitur hæc crimina ſummi quidam idololatriæ gradus erant, ita eccleſia inſigne aliquod diſcrimen inter ea & alia, reſpectu pœnarum illis infligendarum, obſervabat, peculiarem illis notam diacriticam in cenſuris ſuis apponens. Diuerſi exſtant canones in concilio *Ancyrano*, qui hanc diſtinguendi rationem clare oſtendunt. Canon quartus [*] ita ſtatuit: *De his, qui ſacrificare coacti ſunt, inſuper & cœnauerunt ad idola, quicumque eorum, quum ducerentur, lætiore habitu fuerunt, & veſtimentis pretioſioribus vſi ſunt, & præparatæ cœnæ indifferenter participes exſtiterunt: placuit, eos inter audientes vno anno conſtitui, ſuccumbere vero tribus annis, in oratione autem communicare biennio, & tunc ad perfectionis gratiam peruenire. Quotquot autem adſcenderunt templa veſte lugubri, & recumbentes per omne tempus fleuerunt diſcubitus, ſi compleuerunt pœnitentiam triennii, ſine oblatione recipiantur.*

(*) Concil. Ancyr. c. IV. Περὶ τῶν πρὸς βίαν θυσάντων, ἐπὶ δὲ τούτοις καὶ τῶν δειπνησάντων εἰς τὰ εἴδωλα, ὅσοι μὲν ἀπαγόμενοι, καὶ σχήματι φαιδροτέρῳ ἀνῆλθον, καὶ ἐσθῆτι ἐχρήσαντο πολυτελεστέρᾳ, καὶ μετέσχον τοῦ παρασκευασθέντος δείπνου ἀδιαφόρως· ἔδοξεν ἐνιαυτὸν ἀκροᾶσθαι, ὑποπεσεῖν δὲ τρία ἔτη, εὐχῆς δὲ μόνης κοινωνῆσαι ἔτη δύο, καὶ τότε ἐλθεῖν ἐπὶ τὸ τέλειον· ὅσοι δὲ ἀνῆλθον μετὰ ἐσθῆτος πενθικῆς, καὶ ἀναπεσόντες ἔφαγον μεταξὺ δι᾽ ὅλης τῆς ἀνακλίσεως δακρύοντες, εἰ ἐπλήρωσαν τὸν τῆς ὑποπτώσεως τριετῆ χρόνον, χωρὶς προσφορᾶς δεχθήτωσαν.

Canon

Canon octauus [*] habet: *Qui bis vel ter ſacrificarunt per vim, triennio ſubſternantur, duobus autem annis ſine oblatione communicent, & ſeptimo perfecte ſuſcipiantur.* Et nonus [**]: *Quicumque non ſolum deſciuerunt, ſed etiam inſurrexerunt & fratres ſuos coëgerunt, & cauſſæ fuerunt, vt cogerentur* (prout antea audiuimus ex CYPRIANO), *ii annis quidem tribus auditionis locum ſuſcipiant, alio autem anno ſine oblatione communicent, vt, decennio expleto, eius, quod eſt perfectum, ſint participes.* Septimus [***] autem ita decernit: *De iis, qui in feſto ethnico, in loco gentibus deputato conuiuati ſunt, & proprios cibos attulerunt, & comederunt: viſum eſt, quum biennio ſubſtrati fuerint, eſſe recipiendos.* Iſti canones præcipue ad eos ſpectant, qui peccabant, tormentis, vel exilio, vel carcere, vel proſcriptione, vel ſimili alius cuiuſcumque tentationis neceſſitate coacti: ſi qui autem vltro deficerent, & minime coacti præuaricarentur, in illos ſeuerius animaduertebatur. Nam per regulas concilii *Nicæni* [m] duodecim annorum pœnitentiam ſubire iubebantur, antequam in integram eccleſiæ communionem reſtituerentur. Idem quoque terminus præſcribitur a concilio *Arelatenſi*

(*) Can. VIII. Οἱ δὲ δεύτερον καὶ τρίτον θύσαντες μετὰ βίας, τετραετίαν ὑποπεσέτωσαν, δύο δὲ ἔτη χωρὶς προσφορᾶς κοινωνησάτωσαν, καὶ τῷ ἑβδόμῳ τελείως δεχθήτωσαν.

(**) Can. IX. Ὅσοι δὲ μὴ μόνον ἀπέστησαν, ἀλλὰ καὶ ἐπανέστησαν καὶ ἠνάγκασαν ἀδελφὰς, καὶ αἴτιοι ἐγένοντο τοῦ ἀναγκασθῆναι· οὗτοι ἔτη μὲν τρία τὸν τῆς ἀκροάσεως δεξάσθωσαν τόπον, ἐν δὲ ἄλλῃ ἑξαετίᾳ τὸν τῆς ὑποπτώσεως· ἄλλον δὲ ἐνιαυτὸν κοινωνησάτωσαν χωρὶς προσφορᾶς· ἵνα τὴν δεκαετίαν πληρώσαντες, τοῦ τελείου μετάσχωσιν.

(***) Can. VII. Περὶ τῶν συνεστιαθέντων ἐν ἑορτῇ ἐθνικῇ ἐν τόπῳ ἀφωρισμένῳ τοῖς ἐθνικοῖς, ἴδια βρώματα ἐπικομισαμένων καὶ φαγόντων· ἔδοξε διετίαν ὑποπεσόντας δεχθῆναι.

(m) Concil. Nicæn. can. XI. Περὶ τῶν παραβάντων χωρὶς ἀνάγκης, ἢ χωρὶς ἀφαιρέσεως ὑπαρχόντων, ἢ χωρὶς κινδύνου, ἤ τινος τοιούτου, ὃ γέγονεν ἐπὶ τῆς τυραννίδος Λικινίου· ἔδοξε τῇ συνόδῳ, κἂν ἀνάξιοι ἦσαν φιλανθρωπίας, ὅμως χρηστεύσασθαι εἰς αὐτούς· ὅσοι οὖν γνησίως μεταμέλονται, τρία ἔτη ἐν ἀκροωμένοις ποιήσουσιν οἱ πιστοί, καὶ ἑπτὰ ἔτη ὑποπεσοῦνται· δύο δὲ ἔτη χωρὶς προσφορᾶς κοινωνήσουσι τῷ λαῷ τῶν προσευχῶν. *De iis, qui ſine neceſſitate, vel ſine facultatum ſuarum ablatione, vel ſine vllo periculo, vel aliquo eiuſmodi, tranſgreſſi ſunt, quod ſub Licinii tyrannide factum eſt; etſi humanitate indigni ſunt, clementia tamen & benignitate in eas vti. Quicumque ergo germane & vere pœnitentia ducuntur, tres annos inter audientes exigent, vt fideles, & ſeptem annis proſternentur ſupplices: duobus autem annis abſque oblatione erunt orationum cum populo participes.*

ſecun-

ſecundo [n], quod ad canonem iſtum *Nicænum* reſpicit. Concilium *Valentinum* in *Gallia* [o] paullo vlterius progreditur, *Acturi*, inquiens, *pœnitentiam, vſque in diem mortis, non ſine ſpe tamen remiſſionis, quam ab eo plene ſperare debebunt, qui eius largitatem & ſolus obtinet, & tam diu ei miſericordia eſt, vt nemo deſperet.* Quo cum canone congruit illa SIRICII [p] regula: *Apoſtatis, quamdiu viuunt, agenda pœnitentia eſt, & in vltimo fine ſuo reconciliationis gratia tribuenda.* Concilium *Illiberritanum* adhuc ſeueriorem illis pœnam conſtituit [q], *Placuit*, inquiens, *vt, qui poſt fidem baptiſmi ſalutaris, adulta ætate, ad templum idololatraturus acceſſerit, & fecerit, quod eſt crimen principale, quia eſt ſummum ſcelus, nec in fine eum communionem accipere.* Nonnumquam adulteria & homicidia in hac idololatria committebantur, vt in gentilibus ludis & ſpectaculis fieri adſolebat, quæ in idololatria, adulterio & cæde finiebantur. Quam in rem idem concilium alium habet canonem [r], ita præcipientem: *Flamines, qui poſt fidem lauacri & regenerationis ſacrificauerunt; eo quod geminauerint ſcelera, accedente homicidio, vel triplicauerint facinus, cohærente mœchia, placuit eos nec in fine accipere communionem.* Non eſt, quod hanc miremur ſeueritatem, ſiquidem CYPRIANVS nobis narrat, apud anteceſſores ſuos [s] quoſdam de epiſcopis in *Africa* dandam pacem mœchis non putauiſſe, & in totum pœnitentiæ locum contra adulteria clauſiſſe, non tamen a coëpiſcoporum ſuorum collegio receſſiſſe, qui aliter fecerint. Et de voluntariis deſertoribus & apoſtatis, qui per omnem vitam in rebellione perſiſtant, addit [t]: *Pœnitentiam non agentes, nec dolorem delictorum ſuorum toto corde & mani-*

(n) Concil. Arelat. II. c. X. De his, qui in perſecutione præuaricati ſunt, ſi voluntarie fidem negauerint, hoc de iis Nicæna ſynodus ſtatuit, vt quinque annos inter catechumenos exigant, & duos inter communicantes: ita vt communionem inter pœnitentes non præſumant, in poteſtate tamen vel arbitrio ſit epiſcopi, vt ſi eos ex animo errorem deflere & agere pœnitentiam viderit, ad communionem pro eccleſiaſtica humanitate ſuſcipiat.

(o) Concil. Valent. c. III.

(p) Siric. epiſt. I. ad Himerium c. III.

(q) Concil. Eliber. can. I.

(r) Concil. Eliber. can. II.

(s) Cyprian. epiſt. LII. al. LV. ad Antonian. p. 110. (p. 248. lin. 1. ſeq. edit. Amſtelod.)

(t) Cypr. ibid. p. 111. (p. 248. cit. edit.)

festa lamentationis suæ professione testantes, prohibendos omnino censuimus a spe communicationis & pacis, si in infirmitate atque periculo cœperunt deprecari, quia rogare illos non delicti pœnitentia, sed mortis vrgentis admonitio compellit; nec dignus est in morte accipere solatium, qui se non cogitauit esse moriturum. Simile decretum fecit concilium *Arelatense* primum [u]: *De his, qui apostatant, & numquam se ad ecclesiam repræsentant, nec quidem pœnitentiam agere quærunt, & postea in infirmitate arrepti petunt communionem, placuit eis non dandam communionem, nisi reualuerint, & egerint dignos fructus pœnitentiæ.* Hæ regulæ erant, ad quas antiqua disciplina administrabatur in istiusmodi idololatras & apostatas, qui reuera se contaminauerant sacrificia offerendo idolis, siue hoc vltro, siue per vim fecissent; siue soli lapsi essent, siue alios secum in idem crimen perduxissent; siue statim redirent & pœnitentiæ sese submitterent, siue in apostasia & rebellione perseuerarent. Pro quarum circumstantiarum diuersitate diuersi pœnarum gradus illis irrogabantur.

§. VI.

De libellaticis, *in quo eorum constiterit idololatria.*

ALIVD genus eorum, qui in idololatriam delapsi erant, & religionem suam abnegasse accusabantur, *libellatici* vocabantur, a certis libellis, quos vel magistratibus ethnicis priuatim dare solebant, vel ab illis accipere, vt a faciendis publice sacrificiis immunes essent. BARONIVS [x] existimat, vnum tantum horum *libellaticorum* genus fuisse, omnesque aliqua per se ipsos vel per alios edita professione, fidem negasse; ne vero cogerentur id facere publice & diis offerre sacrificia, priuatim *CHRISTO* renuntiasse idque redemisse pecunia. Verum alii viri docti [y] discrimen aliquod inter eos obseruant: Et sane tria saltem eorum genera fuisse videntur. Nonnulli, magistra-

(u) Conc. Arelat. I. c. XXIII.

(x) Baron. an. CCLIII. n. XX. (XVIII.) Libellaticos eos esse, significare tradunt, qui, quum sacrificium offerre publice cogerentur, se data pecunia redemissent. Ibid. n. XIX. Quibus omnibus exprimere videntur, libellatici caussam fuisse huiusmodi, vt, etsi minus quis sacrificium diis offerret, tamen aliqua per se vel per alium edita professione fidem negaret: ne vero, sicut ceteri, traheretur ignominiose ad aram, id pecunia redimebat.

(y) Albaspin. obseruat. lib. I. c. XXI. §. IV. V. VI. VII. (p. 97. 98. 99. edit. Helmestad. MDCLXXII.)

tibus

tibus se non esse christianos diserte adfirmabant, religionem suam vel verbis vel scripto negantes, sicuti alii ipso actu faciebant; profitentes, se sacrificare idolis paratos esse, si a magistratibus ad id vocentur. CYPRIANVS de his saepe loquitur & in eadem eos classe collocat cum illis, qui re ipsa sacrificaverant. *Ne sibi, quo minus agant poenitentiam, blandiantur*, inquit [z], *qui, etsi nefandis sacrificiis manus non contaminauerunt, libellis tamen conscientiam polluerunt. Et illa professio denegantis contestatio est christiani, quod fuerat abnuentis: fecisse se dixit, quidquid alius faciendo commisit.* Alii nec abiurabant, nec libellum abiurationis exhibebant ipsi, sed vel amicum ethnicum vel seruum mittebant, vt ipsorum nomine sacrificaret vel fidem abnegaret, & hoc ipso libellum securitatis a magistratu ipsis procuraret, quasi fecissent, quod pro ipsis fecerant alii. Et ecclesia quidem rem ita interpretabatur, eosque non minus quam priores illos, apostasiae reos habebat. Clerus *Romanus* in epistola sua ad *Cyprianum* vtrosque [a] perinde condemnat. *Sententiam nostram*, inquiunt, *dilucida expositione protulimus -- etiam aduersus illos, qui accepta fecissent, licet praesentes, quum fierent, non adfuissent, quum praesentiam suam vtique vt sic scriberentur, mandando fecissent. Non est enim immunis a scelere, qui, vt fieret, imperauit; nec est alienus a crimine, cuius consensu, licet non a se admissum crimen, tamen publice legitur; & quum totum fidei sacramentum in confessione Christi nominis intelligatur esse digestum: qui fallaces in excusatione praestigias quaerit, negauit: & qui vult videri praepositis aduersus euangelium vel edictis vel legibus satisfecisse, hoc ipso iam paruit, quod videri paruisse se voluit.* Canones PETRI ALEXANDRINI huiusmodi *libellaticorum* etiam mentionem faciunt, illisque constituunt poenam, aliquid discriminis ponentes inter dominum, qui seruum suum pro se sa-

Cave prim. christ. lib. III. c. V. p. 384. (p. 568. 590. 591. 592. 593. edit. German. Lips. MDCCXXIII.)
Suicer. thesaur. tom II. p 240. 241.

(z) Cypr. de lapsis p. 133. (p. 95. edit. Amstelod. MDCC.)
Vid. etiam epist. cler. Rom. ad Cyprian. ep. XXX. al. XXXI. p. 57. (p. 210. edit. Amstel.) Se ipsos infideles illicita nefariorum libellorum professione prodiderant, quando non minus, quam si ad nefarias aras accessissent, hoc ipso, quod contestati fuerant, tenerentur.

(a) Cyprian. ibid.

crifi-

crificare compellat, & ſeruum, qui iuſſus eat. Seruo [b] vnius anni pœnitentiam iniungunt, domino autem biennii, tum quod diſſimulauerit, tum quod effecerit, vt conſeruus ſacrificaret: quum omnes ſimus ſerui *CHRISTI*, & non ſit apud eum perſonarum acceptio. Præter hoſce aliud erat genus *libellaticorum*, qui, obſeruato, quod præſidis *Romani* furor reſtingui pecunia poſſet, ipſum adibant, & ſe chriſtianos eſſe nec ſacrificare poſſe aperte profitebantur, adeoque ipſum rogabant, vt ſibi libellum daret immunitatis, pro eo munus accommodatum offerentes. De hiſce libellaticis loquens CYPRIANVS, eos introducit ita ſeſe [c] excuſantes: *Ego prius legeram & epiſcopo tractante cognoueram, non ſacrificandum idolis, nec ſimulacra ſeruum Dei adorare debere; & idcirco ne hoc facerem, quod non licebat, (quum occaſio libelli fuiſſet oblata, quum nec ipſum acciperem, niſi oſtenſa fuiſſet occaſio) ad magiſtratum vel veni, vel alio adeunte mandaui: Chriſtianum me eſſe, ſacrificare mihi non licere, ad aras diaboli me venire non poſſe, dare me ob hoc præmium, ne, quod non liceat, faciam.* CYPRIANVS eos non omnino excuſat, ſed addit, etſi manus puræ

(b) Petri Alex. can. VI. (ap. Beuereg. tom. II. p. 12.) Τοῖς δὲ δούλοις χριστιανοῖς ἀνθ' ἑαυτῶν ὑποβεβληκόσιν, οἱ μὲν δοῦλοι ὡς ἂν ὑποχείριοι ὄντες καὶ τρόπον τινὰ καὶ αὐτοὶ φυλακισθέντες ὑπὸ τῶν δεσποτῶν, καταπειληθέντες ὑπ' αὐτῶν, καὶ διὰ τὸν φόβον αὐτῶν εἰς τοῦτο ἐληλυθότες καὶ ὀλισθήσαντες, ἐνιαυτῷ τὰ τῆς μετανοίας ἔργα δείξασι, μανθάνοντες τοῦ λοιποῦ, ὡς δοῦλοι χριστοῦ, ποιεῖν τὸ θέλημα τοῦ χριστοῦ καὶ φοβεῖσθαι αὐτόν. *Ii autem, qui ſeruos chriſtianos pro ſe ſubmiſerunt, ſerui quidem, vt qui ipſi ſub manu eſſent, & quodammodo ipſi quoque in dominorum cuſtodia eſſent, minisque ab ipſis territi, & propter eorum metum eo compulſi & lapſi, anno opera pœnitentiæ oſtendent & deinceps diſcentes, vt ſerui Chriſti, facere voluntatem & eum timere.* Can. VII. Οἱ δὲ ἐλεύθεροι, ἐν τρισὶν ἐξετασθήσονται ἐν μετανοίᾳ, καὶ ὡς ὑποκρινόμενοι, καὶ ὡς καταναγκάσαντες τοὺς ὁμοδούλους θῦσαι, ὅτι δὴ παρακούσαντες τοῦ ἀποστόλου τὰ αὐτὰ θέλοντος ποιεῖν τοὺς δεσπότας τοῖς δούλοις, ἀνιέντας τὴν ἀπειλὴν, εἰδότας, φησὶν, ὅτι καὶ ἡμῶν καὶ αὐτῶν ὁ κύριός ἐστιν ἐν οὐρανοῖς, καὶ προσωποληψία παρ' αὐτῷ οὐκ ἔστιν. *Liberi autem tribus annis in pœnitentia examinabuntur, tum quod diſſimulauerint, tum quod effecerint, vt conſerui ſacrificarent, vt qui apoſtolo non obedierint, qui vult dominos eadem facere, quæ ſerui, remittentes minas. Scientes, inquit, quod noſter quoque & ipſorum dominus eſt in cælis, & non eſt apud eum perſonarum acceptio.*

(c) Cyprian. epiſt. LII. al. LV. ad Anton. p 107. (p. 245. edit. Amſtelod.) Vid. Celerin. epiſt. XXI. ibid. p. 4 . (p. 201.) Etecuſa pro ſe dona numeravit, ne ſacrificaret, ſed tantum adſcendiſſe videtur vſque ad Tria Fata, & inde deſcendiſſe.

ſint,

ſint, & ora eorum feralis cibi contagia nulla polluerint, conſcientiam tamen eorum eſſe pollutam. Quum vero non tam crimine quam errore decepti videantur, eorum conditionem putat paullo meliorem eſſe, quam eorum, qui ſacrificarint; adeoque quum differentia quædam facta ſit etiam inter eos, qui ſacrificarint, plus indulgendum hiſce eſſe putat, etiamſi non exponat diſtincte, quis pœnitentiæ terminus eis ſtatuendus ſit.

§. VII.

De illis, qui amentiam ſimulabant, vt ne ſacrificare cogerentur.

NON abſimiles iſtiuſmodi libellaticis illi erant, qui tempore perſecutionis amentiam fingebant, vt hoc ipſo excuſati ab officio ſacrificandi haberentur. Nonnulli ad ipſas aras ſe accedere & ſacrificare, vel abiurationi fidei ſubſcribere velle ſignificabant, ſed rem euadebant epilepticos ſe ſimulantes; quo facto magiſtratus eos excuſatos habens effugere ſinebat, quemadmodum *Dauid* iſtiuſmodi artificio ab *Achiſo* fugit, quum eum vellet occidere. Tum vero hoc ſpectabatur vt vera diſſimulatio & colluſio, & artificioſior religionem abnegandi ratio. Vnde per regulas pœnitentiales PETRI ALEXANDRINI [*d*] tales, etiamſi nec ipſi ſacrificaſſent, nec alios pro ſe ſubmiſiſſent, ſex menſium pœnitentiæ ſubiiciebantur, eo quod religionem ſuam quodammodo abnegaſſent, & animi ſui abiectione ac diſſimulatione idololatriam ornare viſi eſſent.

(*d*) Petr. Alex. can. V. *Τοῖς δὲ καθυποκρινομένοις κατὰ τὸν ἐπιληπτευσάμενον Δαβὶδ, ἵνα μὴ ἀποθάνῃ, ἐκ ὄντα ἐπίληπτον· καὶ μὴ γυμνῶς ἀπογραψαμένοις τὰ πρὸς ἄρνησιν, ἀλλὰ διαπαίξασι κατὰ πολλὴν στενοχωρίαν, ὡς ἂν παιδία βουλευτικὰ ἔμφρονα ἐν παιδίοις ἄφροσι, τὰς τῶν ἐχθρῶν ἐπιβουλὰς, ἤτοι ὡς διελθόντες βωμοὺς, ἤτοι ὡς χειρογραφήσαντες, ἤτοι ὡς ἀνθ᾽ ἑαυτῶν βαλόντες ἐθνικοὺς, εἰ καὶ τισιν αὐτῶν συνεχώρησάν τινες τῶν ὁμολογησάντων, ὡς ἤκουσα, ἐπεὶ μάλιστα κατὰ πολλὴν εὐλάβειαν ἐξέφυγον αὐτόχειρες γενέσθαι τοῦ πυρὸς καὶ ἀναθυμιάσεως τῶν ἀκαθάρτων δαιμόνων· ἐπεὶ τοίνυν ἔλαθεν αὐτοὺς ἄγνοια τοῦ πράξαντος, ὅμως ἑξάμηνος αὐτοῖς ἐπιτιθήσεται τῆς ἐν μετανοίᾳ ἐπιστροφῆς.* *Iis autem, qui ſimularunt, ſicut & Dauid, qui ſe epilepticum fingebat, ne moreretur, quamuis reuera epilepticus non eſſet, & non nude negationem inſcripſerunt, ſed in multis anguſtiis, tamquam pueri conſilio & prudentia præditi inter pueros inſipientes, inimicorum inſidias ludificati ſunt, vel vt qui altaria peruaſerint, vel tamquam qui chirographum dederint, vel vt qui pro ſe ethnicos miſerint, etiamſi nonnulli eorum, qui confeſſi ſunt, vt audiui, aliquibus eorum ignouerunt, quoniam maxima cautione vitarunt, ne ipſi ſuis manibus*

§. VIII.

De adiutoribus idololatriæ. De flaminibus, munerariis, & coronatis. Quinam fuerint, & quomodo rei idololatriæ habiti.

NEQVE vero nuda idololatriæ patratio erat, quæ homines censuræ ecclesiasticæ submittebat: sed omnes adiutores, hortatores & imitatores superstitiosorum rituum idololatriæ quodammodo rei habebantur, & consequenter vt religionis suæ proditores tractabantur. Ita in concilio *Illiberritano* canon aduersus istos christianos exstat, qui flaminis, siue sacerdotis gentilis munus in se suscepissent; cuius officii pars erat, solemnes ludos & spectacula exhibere populo: Et hoc si fecissent, etiamsi non sacrificassent, per omnem vitam debebant agere pœnitentiam, tamquam rituum idololatricorum adiutores, & tantum in hora mortis in communionem recipi, si quidem idonea veræ pœnitentiæ signa ostendissent. *Flamines*, inquit concilium [e], *qui non immolauerint, sed munus tantum dederint, eo quod se a funestis abstinuerunt sacrificiis, placuit in fine eis præstari communionem, acta tamen legitima pœnitentia.* Nonnulli viri eruditi sensum huius canonis perperam accipiunt, verba illa *munus dare* intelligentes, quasi pecuniam dedissent præsidi, vti a sacrificandi necessitate eos immunes redderet. Quod idem crimen foret, cuius libellatici rei erant; quum tamen hic canon non de istis lapsis loquatur, sed de his, qui officium flaminum in se recepissent, quorum negotium erat inter alia, dare siue exhibere propriis vel publicis sumtibus *munera*, hoc est, ludos, spectula & oblectamenta populo. Hæc enim vocabantur munera [f], quemadmodum ex huius vocabuli vsu in lege ciuili

ignem facerent & dæmonas impuros suffirent: Licet vero, & agentis ignorantia eos latuit, semestris tamen pœnitentiæ pœna illis imponatur.

(e) Concil. Illiber. c. III.

(f) Cod. Theod. lib. IX. tit. XIIX. leg. I. Si quis eiusmodi reus fuerit ablatus, posteaquam super crimine patuerit, seruus quidem vel libertate donatus, bestiis primo quoque *munere* obiiciatur.

Gothofred. in loc. Sane qui ad bestias dati, depugnaturi cum his inducebantur stato spectaculi die: quod *munus* dictum, & vero hac quoque lege dicitur.

Martial. de spectacul. epigram. VI.

Prisca fides taceat: nam post tua munera *Cæsar,*
Hæc iam feminea vidimus acta manu.

appa-

apparet. Et qui ea exhibebant, dicebantur hinc *munerarii*, qui bestias alebant & homines, vt in amphitheatris in oblectationem populi depugnarent, vti videre est in TERTVLLIANO [g], SENECA, SVETONIO [h] & aliis, qui ex linguæ *Latinæ* proprietate loquuntur. Quia autem hæc spectacula præcipue exhibebantur diebus festis gentilium & in honorem deorum, & ritibus idololatricis scatebant, nec minus crudelitate & impudicitia; nemo christianus ea populo exhibere poterat, quin crimen idololatriæ incurreret, saltem indirecte, promouendo & adiuuando eius praxin. Quæ caussa est, quamobrem hic canon adeo seuerus sit in illos, qui istos ludos suis ipsorum sumtibus exhibebant. Inferior quidem huius criminis gradus erat, si quis de istis flaminibus nec sacrificia offerret, nec suis sumtibus ludos exhiberet, sed coronam [i] tantum portaret, quod fieri in istis solemnitatibus solebat. Quod quum signum esset idololatriæ, ideo per alium istius concilii canonem duorum annorum pœnitentia, tamquam moderata pœna, si cum priore comparetur, illis imponebatur, qui eatenus in istud negotium se implicari passi fuerant. Notandum autem fuerit, quod inuectiua TERTVLLIANI contra coronam militarem in libro de *corona militis* huc non sit referenda. Nam istiusmodi coronæ gestatio nihil ad religionem spectasse, sed mere ciuilis actio fuisse videtur, in honorem imperatorum illis diebus suscepta, vbi munera & dona sua distribuebant militibus. Laurea nihil aliud præ se ferebat, quam insigne victoriæ, & quantumuis esset *Apollini* dicata, id tamen eius vsum non reddebat illicitum; nam ea ratione quatuor elementorum & multarum aliarum arborum, plantarum & animalium vsus etiam fuisset illicitus, quia, vt AVGVSTINVS [k] docet, ea omnia diis quoque consecrata erant. Hinc viri docti [l] TERTVLLIANVM heic reprehendunt, tamquam argu-

(g) Tertull. apolog. c. XLIV. De vestris semper *munerarii* noxiorum greges pascunt.

(h) Sueton. vit. Domit. c. X. Threcem Mirmilloni parem, *munerario* imparem.

(i) Conc. Illiberrit. c. LV. Sacerdotes, qui tantum coronam portant, nec sacrificant, nec de suis sumtibus aliquid ad idola præstant, placuit post biennium accipere communionem.

(k) Augustin. epist. CLIV. ad Publicolam. (pag. 703. d. p. 704. 705. edit. Basil. MDLXIX.)

(l) Baron. ad ann. CCI. n. XVI. tot.

mentum hac de re ſuum iuſto longius extendentem, & quidem ex nouis *Montaniſmi* principiis, ex quibus etiam chriſtiano homini perſecutionis tempore fugere, vel arma ad defendendum imperium [m] ſumere licere negat, vtens ratione docendi prorſus contraria priori, in apologia ſua vſurpatæ, vbi imperatori narrat, exercitum ipſius diſcipulis *IESV* refertum eſſe, legioniſque fulminatricis cum magna laude facit mentionem. Vt adeo hæc noua eius ſeueritas, qua chriſtianos milites damnat, portantes coronam lauream, inter ea placita referenda ſit, quæ amplexus eſt, poſteaquam de eccleſia ad ſcholam *Montani* tranſiit; ſiquidem nullum vmquam militem hanc ob rem in eccleſia catholica condemnatum, multo minus diſciplinæ ſiue pœnitentiæ propter eius vſum ſubiectum, inuenimus.

§. IX.

Quemadmodum duumuiratus aliquem idololatriæ reum fecerit, & quemadmodum punitus ſit.

EXSTAT autem alius canon in concilio *Illiberritano*, ita decernens, *Magiſtratum* [n] *vno anno, quo agit duumuiratum, prohibendum placuit, vt ſe ab eccleſia cohibeat.* Nullius heic criminis mentio habetur, intelligitur autem idololatria. Nam ratio & fundamentum huius canonis facile dari poteſt ex iis, quæ hoc de officio in lege ciuili leguntur. Vbi diſcere poſſumus, duumuiros fuiſſe præcipuos ciuitatis magiſtratus, alio nomine vocatos *primates curiæ*, ſingulis annis electos (annuum enim erat officium) eorumque fuiſſe (non ſecus ac flaminum, pontificum ſiue ſacerdotum prouinciarum, & prætorum) exhibere ſpectacula ſiue ludos populo, quemadmodum GOTHOFRE-

Du Pin bibliothec. vol. I. p. 95. (p. 152. edit. Latin.) Id Tertullianus in quibuſdam plus ſatis videtur extendere & nimis præfracte res carpere, quæ excuſari poſſunt, vt v. g. arma ſumere ad defendendum imperium; lucernis ædes ornare & lauris in honorem principum, locutiones vſitatas vſurpare, quamuis ad idololatriam aliquatenus referantur.
Seller. *Life of* Tertull. p. 221.

(m) Tertull. de coron. milit. c. XI. Vt ipſam cauſſam coronæ militaris adgrediar, puto prius conquirendum, an in totum chriſtianis militia conueniat. &c.

(n) Concil. Illiber. c. LVI.

DVS

DVS [o] ex variis codicis *Theodosiani* [p] legibus demonstrat. Et TERTVLLIANVS non tantum idem obseruat, magistratus oppidanos horum spectaculorum editores fuisse; sed spectacula ipsa, idololatria fundata [q], multas cærimonias idololatricas sibi adnexas habuisse. Vnde argumentum nectit, quamobrem christiano ea frequentare non liceat. Et hanc ob caussam concilium *Illiberritanum* omnes christianos, qui duumviratum in se suscepissent, a communione abstineri iubet eo anno, quo istud officium administrent; quia hæc spectacula populo exhibere non poterant, quin adiuuarent participarentque istam idololatriam, quæ eis ita occulte admista erat. *Ludorum celebrationes*, inquit LACTANTIVS [*], *deorum festa sunt.*

§. X.

Quemadmodum scenici, histriones, aurigæ & alii lusores, theatri ac circi frequentatores idololatriæ incusati & propterea puniti fuerint.

OB eamdem rationem omnes scenici, histriones, & qui currus agitabant in publicis spectaculis, gladiatores, & omnes, ad quos harum ineptiarum exercitium vllo modo pertinebat, omnesque earum frequentatores hasce consuetudines deserere debebant, aut excommunicatione plectebantur, quoad eas sequi pergerent; non tantum quia magna impuritas & crudelitas in illis committebatur, sed quia ad fouendam idololatriam, quæ earum appendix erat, conferebant. Omnia ista sub

(o) Gothofr. paratitlon. ad cod. Theodos. lib. XV. tit. V. de spectac. Edebantur spectacula vel a magistratibus -- 1. Duumuiris -- seu a curiarum primatibus viris, --- 2. Vel a sacerdotibus prouinciarum. 3. Vel a prætoribus. 4. Vel denique a iudicibus.

(p) Vid. cod. Theodos. lib. XII. tit. I. de decurionibus leg. CLXIX. lib. XV. tit. V. de spectac. leg. I.

(q) Tertull. de spectac. c. XI. Proinde Tituli Olympia Ioui, quæ sunt Romæ capitolina. Item Herculi Nemæa, Neptuno Isthmia, ceteri mortuorum varii agones. Quid ergo mirum, si apparatus agonum idololatria conspurcat de coronis profanis, de sacerdotibus præsidibus, de collegiariis ministris &c. It. cap. XII. Hæc muneris origo --- Et licet transierit hoc genus editionis ab honoribus mortuorum ad honores viuentium, quæsturas dico & magistratus & flaminia & sacerdotia: quum tamen nominis dignitas idololatriæ crimine censeatur, necesse est, quidquid dignitatis nomine administratur, communicet etiam maculas eius, a qua habet caussas &c.

(*) Lactant. lib. VI. c. XX.

pompa & ministerio diaboli comprehendebantur, cui quilibet christianus in baptismo renuntiauerat. Et propterea, si quis ad ista reuerteretur, fœderi baptismali renuntiasse existimabatur, & tamquam apostata & desertor ab ecclesiæ christianæ communione auellebatur. Ita CYPRIANVS ab *Eucratio* [r] interrogatus, quid sibi videatur de histrione quodam, qui in eiusdem adhuc artis suæ dedecore perseueret, an talis debeat communicare cum ecclesia? respondet: *Puto, nec maiestati diuinæ nec euangelicæ disciplinæ congruere, vt pudor & honor ecclesiæ tam turpi & infami contagione fœdetur.* Concilium *Illiberritanum* [s] de istis hunc habet canonem: *Si pantomimi credere voluerint, placuit, vt prius actibus suis renuntient, & tunc demum suscipiantur, ita vt vlterius non reuertantur. Quod si facere contra interdictum tentauerint, proiiciantur ab ecclesia.* Simile decretum habet concilium *Arelatense* primum [t]: *De theatricis & ipsos placuit, quamdiu agunt, a communione separari.* Et concilium *Carthaginense* tertium [u] excommunicationis sententiam ad omnes istos spectare statuit, quando decernit: *Vt scenicis atque histrionibus, ceterisque huiusmodi personis, vel apostaticis, conuersis vel reuersis ad dominum, gratia vel reconciliatio non negetur.* Hoc innuit, quod euagati & eiecti fuerint propter crimina sua de ecclesia, siquidem ad pœnam auferendam illosque restituendos venia & reconciliatio eis opus erat. Concilium *Arelatense* [x] primum idem statuit de iis, qui currus agitabant in ludis publicis: *De agitatoribus, qui fideles sunt, placuit eos, quamdiu agitant, a communione separari.* TERTVLLIANVS [y] & alii diserte dicunt, hasce artes partem esse huius pompæ & cultus Satanæ, cui renuntient christiani in baptismo.

(r) Cyprian. epist. LXI. al. II. ad Eucratium p. 3. (p. 171. edit. Amstelod.)

(s) Conc. illib. c. LXII.

(t) Concil. Arelat. I. c. V.

(u) Concil. Carth. III. c. XXXV.

(x) Concil. Arelat. I. c. IV.

(y) Tertull. de spectac. c. IV. Quum aquam ingressi christianam fidem in legis sanæ verba profitemur, renuntiasse nos diabolo & pompæ & angelis eius, ore nostro contestamur. Quid erit summum ac præcipuum, in quo diabolus & pompæ & angeli eius censeantur, quam idololatria, ex qua omnis immundus & nequam spiritus, vt ita dixerim, quia nec diutius de hoc. Igitur si ex idololatria vniuersam spectaculorum paraturam constare constiterit, indubitate præiudicatum erit, etiam ad spectacula pertinere renuntiati-

Ex regula etiam in *constitutionibus* [z] data constat, quod scenici, aurigæ, gladiatores, stadii cursores, ludorum curatores, olympici, choraulæ, citharistæ, lyristæ, saltationem ostentantes, ad baptismum non fuerint admittendi, nisi finem istarum artium statim facerent. Neque minus crimen erat frequentare theatrum, & istarum rerum idololatricarum esse spectatorem, vti in eadem *constitutionum* regula [*] notatur. Itaque vt pertinax harum rerum studium catechumenos a baptismo arcebat, ita similiter baptizatos siue fideles communionis priuilegio excludebat.

§. XI.

De idolorum artificibus, eorumque crimine & pœna.

ALIA ratio adiuuandi idololatriam, erat ars conficiendi idola pro eorum cultoribus. Multi christiani, qui ab ipso idolorum cultu abhorrebant, non dubitabant idola pro aliis conficere, & ex hoc opificio victum sibi comparare; quæ vero plena scandali professio habebatur, indirecte & per necessariam consequentiam ad sustentandam promouendamque tendens idololatriam. Quam ob caussam nullus eorum, qui hanc artem profitebantur, ad baptismum admitti poterat, nisi ei se renuntiaturum promitteret, quemadmodum ab auctore *constitutionum* [a] condiscimus. Quidquid igitur hominibus vnum sacramentum denegauit, idem & alterum eis denegasse creden-

onis nostræ testimonium in lauacro, quæ diabolo & pompæ & angelis eius sint mancipata, scilicet per idololatriam.

Id. de coron. milit. c. XIII. Vniuersas caussas enumeramus, nec vlla nobiscum est: omnes alienæ, profanæ, illicitæ, semel iam in sacramenti testatione eieratæ. Hæ enim erant pompæ diaboli & angelorum eius, officia sæculi, honores, solemnitates &c.

Saluian. de prouid. lib. VI. p. 197. (p. 208. edit. Rittersh. Noriberg. MDCXXIII.) cit. lib. XI. c. VII. §. II. sub litt. (g) volum. IV. p. 263. in textu.

Cyrill. catech. mystagog. I. n. IV. cit. ibid. sub litt. (l) p. 264.

(z) Constitut. lib. VIII. c. XXXII. τῶν ἐπὶ σκηνῆς ἐάν τις προσείῃ ἀνὴρ, ἢ γυνὴ, ἢ ἡνίοχος, ἢ μονόμαχος, ἢ σαδιοδρόμος, ἢ λυδεμπιστὴς, ἢ Ὀλυμπικὸς, ἢ χοραύλης, ἢ κιθαριστὴς, ἢ λυριστὴς, ἢ ὁ τὴν ὄρχησιν ἐπιδεικνύμενος, ἢ κάπηλος, ἢ παυσάσθωσαν, ἢ ἀποβαλλέσθωσαν.

(*) Constit. lib. VIII. c. XXXII. Θεατρομανίᾳ εἴ τις πρόσκειται -- ἢ παυσάσθω ἢ ἀποβαλλέσθω.

(a) Constitut. lib. VIII. c. XXXII. Εἰδωλοποιὸς προσιὼν, ἢ παυσάσθω, ἢ ἀποβαλλέσθω.

dum eſt. TERTVLLIANVS eos vocat procuratores idolorum [b], & acriter in hanc aliaſque ſimiles artes inuehitur. *Quum pompæ*, inquit, *quum ſacerdotia, quum ſacrificia idolorum inſtruuntur, quid aliud quam procurator idolorum demonſtraris? Nemo contendat, poſſe hoc modo omnibus negotiationibus controuerſiam fieri. Grauiora delicta quæque pro magnitudine periculi diligentiam extendunt obſeruationis, vt non ab his tantum abſcedamus, ſed ab iis, per quæ fiunt. Licet enim ab aliis fiat, non intereſt, ſi per me. In nullo neceſſarius eſſe debeo aliis, quum faciunt, quod mihi non licet. Ex hoc, quod vetor facere, intelligere debeo, curandum mihi eſſe, ne fiat per me.* Ex his rationibus concludit, idola facere æque illicitum eſſe, ac colere & adorare. Atque ita CLEMENS ALEXANDRINVS [c], & IVSTINVS MARTYR [d] ante ipſum. TERTVLLIANVS *Hermogeni* [e] tamquam graue delictum obiectat, quod artem exerceat pingendi imagines. Quod vero in rem præſentem omnium maxime facit, obſeruatio eſt, quam habet in libro de *idololatria* de pœna infligenda illis, qui ex hoc illicito vitæ genere victum quærant, quod nimirum iſtiuſmodi artifices numquam in domum Dei admitti [f] oporteat: quia hoc fidei, quam in baptiſmo profeſſi ſint, repugnet. *Quomodo* [g] *renuntiauimus diabolo & angelis eius, ſi eos facimus? Quod repudium diximus his, non dico cum quibus, ſed de quibus viuimus? Quam diſcordiam ſuſcepimus in eos, quibus exhibitionis noſtræ gratia obligati ſumus? Potes lingua*

(b) Tertull. de idol. c. XI.

(c) Clem. Alex. protreptic. ad gentes p. 54. edit. Oxon. καὶ γὰρ δὴ καὶ ἀπηγορεύεται ἡμῖν ἀναφανδὸν, ἀπατηλὸν ὁρίζεσθαι τέχνην· ού γὰρ ποιήσεις, φησὶν ὁ προφήτης, παντὸς ὁμοίωμα, ὅσα ἐν τῷ οὐρανῷ, καὶ ὅσα ἐν τῇ γῇ κάτω. *Nos clare prohibemur fallacem hanc artem exercere: Non facies enim, inquit propheta, cuiusuis rei ſimilitudinem, eorum quæ ſunt in cælo & quæ ſunt in terra infra.*

(d) Iuſtin. dial. cum Tryph. p. 321. εἴπατε γάρ μοι, οὐχὶ Θεὸς ἦν ὁ ἐντειλάμενος διὰ Μωσέως, μήτε εἰκόνα, μήτε ὁμοίωμα, μήτε τῶν ἐν οὐρανῷ ἄνω, μήτε τῶν ἐπὶ γῆς ὅλως ποιῆσαι κ. τ. λ. *Dicite mihi, an non Deus is erat, qui per Moſen ſanxit, ne qua omnino fieret vel imago vel ſimilitudo, neque eorum quæ in cælo ſunt ſurſum, neque in terris deorſum?* cetera.

(e) Tertull. contr. Hermogen. c. I. Pingit licite, nubit aſſidue: legem Dei in libidinem defendit, in artem contemnit: bis falſarius, & cauterio & ſtilo.

(f) De idololatr. c. V. Huiuſmodi artifices numquam in domum Dei admitti oportet, ſi quis eam diſciplinam norit.

(g) Ibid. c. VI.

ne-

negaſſe, quod manu confiteris? Verbo deſtruere, quod facto ſtruis? Vnum Deum prædicare, qui tantos efficis? Verum Deum prædicare, qui falſos facis? Facio, (ait quidam) ſed non colo, quaſi ob aliam cauſſam colere non audeat, niſi ob quam & facere non debeat, ſcilicet ob Dei offenſam vtrobique. Immo tu colis, qui facis, vt coli poſſint. Colis autem non ſpiritu viliſſimi nidoris alicuius, ſed tuo proprio: nec anima pecudis impenſa, ſed anima tua. Illis ingenium tuum immolas, illis ſudorem tuum libas, illis prudentiam tuam accendis. Plus es illis quam ſacerdos, quum per te habeant ſacerdotem. Diligentia tua numen illorum eſt. Negas te, quod facis, colere? Sed illi non negant, quibus hanc ſaginatiorem & maiorem hoſtiam cædis, ſalutem tuam. Hactenus TERTVLLIANVS, qui nihilo minus conqueri videtur, quod magna in exercenda aduerſus ſontes hac diſciplina negligentia tum fuerit. Nam ſtatim ſubiungit [*h*]: *Tota die ad hanc partem zelus fidei perorabit, ingemens, chriſtianum ab idolis in eccleſiam venire, de adverſaria officina in domum Dei venire, attollere ad Deum patrem manus matres idolorum, his manibus adorare, quæ foris aduerſus Deum adorantur, eas manus admouere corpori domini, quæ dæmoniis corpora conferunt. Nec hoc ſufficit. Parum ſit, ſi ab aliis manibus accipiant, quod contaminant, ſed etiam ipſæ tradunt aliis, quod contaminauerunt. Adleguntur in ordinem eccleſiaſticum artifices idolorum. Proh ſcelus! Semel iudæi CHRISTO manus intulerunt, iſti quotidie corpus eius laceſſunt. O manus præcidendæ!* Si TERTVLLIANVS heic non iuſto ſeuerius in eccleſiam inuehitur eamque calumniatur, fatendum eſt, fuiſſe tum aliquam negligentiam in diſciplinæ exercitio, vt iſtiuſmodi offenſores non tantum communicare permitterentur, ſed ordinem etiam recipere eccleſiaſticum, qui per regulas diſciplinæ in corpore chriſtiano communicare non debebant, quocumque nomine id facere conarentur.

§. XII.

De idololatria, in ædificandis vel ornandis gentilium aris & templis commiſſa.

TERTVLLIANVS eodem libro crimen idololatriæ omnibus reliquis artificibus imputat, qui quidquam ad idolorum cultum conferant, ſiue aras erigendo, ſiue templa exſtruendo, ſiue capſas faciendo, ſiue idola vel quidquid ad ea perti-

(*h*) Tertull. de idololatr. c. VII.

neat, exornando. *Nec enim differt*, inquit, [*i*] *an exstruas vel exornes: Si templum, si aram, si aediculam eius instruxeris, si bracteam expresseris, aut insignia, aut etiam domum fabricaueris. Maior est eiusmodi opera, quae non effigiem confert, sed auctoritatem.* Hac ratione omnes, qui ad idolorum cultum quidquam conferebant, etiamsi illis non sacrificarent, in eadem cum idololatris classe collocabantur, & consequenter ecclesiae subiiciebantur censuris. Id quod apparet ex celebratissima AMBROSII epistola ad *Valentinianum* imperatorem, quum hic a *Symmacho* ethnico ad restaurandam aram victoriae in capitolio sollicitaretur. Libere ipsi profitebatur AMBROSIVS, si hoc faceret, episcopos hoc aequo animo pati & dissimulare non posse. *Licebit tibi* [*k*], inquit, *ad ecclesiam conuenire, sed illic non inuenies sacerdotem, aut inuenies resistentem. Quid respondebis sacerdoti dicenti tibi: Munera tua non quaerit ecclesia, quia templa gentilium muneribus ornasti? Ara Christi dona tua respuit, quoniam aram simulacris fecisti.* Celebris est in historia *Marcus Arethusius*, qui sub *Iuliano* imperatore mortem subire maluit, quam templum instaurare, quod regnante *Constantio* destruxerat, quemadmodum res a GREGORIO NAZIANZENO [*l*] & SOZOMENO memoriae prodita est. Et THEODO-

(*i*) Tertull. de idololatr. c. VIII.

(*k*) Ambros. epist. XXX. ad Valentin. Iun. (epist. X. tom. V. p. 195. k. edit. Paris. MDCXLII.)

(*l*) Naz. orat. I. in Iulian. p. 90. *ἕως μὲν γὰρ βαρυτάτην ποιησάμενοι τοῦ ναοῦ τὴν ἀποτίμησιν, τὸ πᾶν ᾔτουν χρυσίον, ἢ αὐτόν γε ἀναδείμασθαι τὸν νεὼν ἐκέλευον κ. τ. λ. Quamdiu Arethusii grauissima templi aestimatione facta totam auri summam poscebant, aut ipsum certe templum reficere iubebat &c.*
Sozom. lib. V. c. X. *προθυμότερον ἢ κατὰ πειθώ, Κωνσταντίου βασιλεύοντος, τοὺς ἑλληνιστὰς εἰς χριστιανισμὸν ἐπανῆγε, καὶ τὸν παρ' αὐτοῖς σεμνότατον καὶ πολυτελέστατον ναὸν καθεῖλεν· ἐπεὶ δὲ μετέπεσεν εἰς Ἰουλιανὸν ἡ ἀρχὴ, κεκινημένον ἐπ' αὐτὸν τὸν δῆμον ὁρῶν, ἅμα δὲ καὶ κατὰ πρόσταγμα βασιλέως καταδικασθεὶς, ἢ τὴν ἀποτίμησιν τοῦ ναοῦ ἐκτίσαι, ἢ τοῦτον ἀνοικοδομῆσαι· λογισάμενος ὡς ἀδύνατον ἑκάτερον, χριστιανῷ δὲ ἄλλως ἀθέμιτον τὸ δεύτερον, μήτι γε δὴ ἱερεῖ, ἔφυγε τὰ πρῶτα· μαθὼν δὲ δι' αὐτὸν κινδυνεύειν πολλοὺς, ἑλκυσμάτων τε καὶ δικαστηρίων καὶ τῶν ἐν τούτοις πειρᾶσθαι δεινῶν, ἐπανῆλθεν ἀπὸ τῆς φυγῆς, καὶ ἐθελοντὴς ὅ, τι βούλοιντο αὐτὸν δρᾷν τῷ πλήθει προσήγαγεν. Regnante Constantio, in traducendis ad christianam religionem gentilibus acriorem se ostenderat (Marcus) quam esse solent ii, qui verbis suadent: & sanctissimum apud ipsos (Arethusios) ac magnificentissimum templum destruxerat. Postea vero imperio ad Iulianum translato, cernens populum in se concitatum; simulque imperatoris edicto condemnatus, vt aut pretium, quanti templum aestima-*

RETVS

RETVS ſummopere laudat *Abdam* [*m*] epiſcopum in *Perſide*, quod quum *Pyreum*, (hoc eſt templum igni, quem Deum eſſe *Perſæ* arbitrabantur, conſecratum) deſtruxiſſet, etſi intempeſtiuo & immoderato zelo impulſus hoc feciſſet, mori maluerit quam euerſum fanum inſtaurare; quia igni templum exſtruere non minus ſit, quam eumdem adorare. CHRYSOSTOMVS [*n*] etiam narrat, tempore *Iuliani* ſæpius accidiſſe, vt, qui ſuperioribus annis, quum adhuc pii reges, *Conſtantinus* & *Conſtantius*, rerum potirentur, vel altaria demoliti fuerint, vel templa ſuffoderint,

tum fuiſſet, perſolueret, aut illud reſtauraret: quum neutrum horum a ſe fieri poſſe animaduerteret, poſterius autem illud nefas eſſe homini chriſtiano, nedum ſacerdoti; primum quidem fugam arripuit. Sed vbi multos ſua cauſſa periclitari raptarique, & iudicia ac tormenta ſubire comperit, rediit ex fuga, ſeque ſua ſponte obtulit multitudini, vt quocumque placuiſſet modo, in ipſum ſæuirent. Vid. etiam Theodoret. lib. III. c. VII.

(*m*) Theodoret. lib. V. c. XXXVIII. Ἄβδας τὶς ἐπίσκοπος ἦν, πολλοῖς κοσμούμενος εἴδεσιν ἀρετῆς· οὗτος οὐκ εἰς δέον τῷ ζήλῳ χρησάμενος πυρεῖον κατέλυσε· πυρεῖα δὲ καλοῦσιν ἐκεῖνοι τοῦ πυρὸς τοὺς νεώς· θεὸν γὰρ τὸ πῦρ ὑπειλήφασι· τοῦτο μαθὼν παρὰ τῶν μάγων ὁ βασιλεὺς, μετεπέμψατο τὸν Ἄβδαν· καὶ πρῶτον μὲν ἠπίως τὸ πραχθὲν ᾐτιάσατο, καὶ τὸ πυρεῖον οἰκοδομῆσαι προσέταξεν· ἐκείνου δὲ ἀντιλέγοντος, καὶ τοῦτο δράσειν ἥκιστα φάσκοντος, πάσας καταλύσειν τὰς ἐκκλησίας ἠπείλησε· καὶ μέντοι καὶ τέλος ἐπέθηκεν οἷς ἠπείλησε· πρότερον γὰρ τὸν θεῖον ἄνδρα ἐκεῖνον ἀναιρεθῆναι κελεύσας, καταλυθῆναι τὰς ἐκκλησίας προσέταξεν· ἐγὼ δὲ τὴν μὲν τοῦ πυρείου κατάλυσιν οὐκ εἰς καιρὸν γεγενῆσθαι φημί --- τὸ δὲ τὸν καταλυθέντα μὴ ἀνοικοδομῆσαι νεὼν, ἀλλὰ τὴν σφαγὴν ἑλέσθαι μᾶλλον ἢ τοῦτο δρᾶσαι, κομιδῇ θαυμάζω, καὶ στεφάνων τιμῶμαι· ἴσον γάρ μοι δοκεῖ τοῦ προσκυνῆσαι τὸ πῦρ, τὸ τέμενος δείμασθαι. *Erat quidam epiſcopus, nomine Abda, multis virtutis generibus ornatus. Hic zelo immoderato impulſus Pyreum deſtruit. Ita Perſæ vocant templa igni conſecrata: ignem enim Deum eſſe arbitrantur. Rex ea de re per magos certior factus, Abdam ad ſe euocauit. Ac primum quidem leniter id facinus reprehendit, iuſſitque vt Pyreum ædificaret. Sed quum Abda contradiceret, ſeque id facturum negaret, rex cunctas eccleſias ſe deſtructurum minatus eſt. Sed & minas ſuas ad effectum perduxit. Etenim diuino illo viro prius trucidari iuſſo, eccleſias ſolo æquari præcepit. Ego vero Pyreum quidem intempeſtiue ab epiſcopo deſtructum fuiſſe, fateor. --- Quod vero euerſum fanum minime inſtaurauerit, ſed mori maluerit, quam id præſtare, id equidem admiror & coronis dignum iudico. Igni enim templum exſtruere, non minus eſſe cenſeo, quam eum adorare.*

(*n*) Chryſoſt. homil. XL. in Iuuentin. & Maxim. tom. I. p. 548. (p. 484. edit. Francof. MDCXCVIII.) εἴ τις ἦν ἐν τοῖς ἔμπροσθεν χρόνοις, ἡνίκα βασιλεῖς ἦσαν εὐσεβεῖς, ἢ βωμοὺς καταλύσας, ἢ ναοὺς κατασκάψας, ἢ ἀναθήματα λαβὼν, ἢ ἄλλ᾽ ὁτιοῦν τοιοῦτον ἐργασάμενος, εἰς δικαστήριον εἵλκετο καὶ ἐσφάζετο.

vel

vel donaria diripuerint, rapti ad tribunal trucidarentur, eo quod ea instaurare recusarint.

§. XIII.

De mercatoribus tus vendentibus pro templis idolorum, & de emtoribus ac venditoribus publicarum victimarum.

INTER alios adiutores & instigatores idololatriæ omnes mercatores referebant, qui tus vendebant pro idolorum templis, omnesque, qui emebant & vendebant publicas victimas. TERTVLLIANVS hosce vniuersos *procuratores idololatriæ* vocat. Et de illis quidem, qui publicas victimas redimebant & vendebant [o], diserte dicit, quod nulla ecclesia eos ad baptismum admissura sit, nisi illicitæ huic professioni renuntient, nec eos in communione sua retentura, si iam per baptismum in numerum fidelium cooptati id agere susceperint. Et hinc acrius in *turarios* inuehitur, vt eos appellat, qui tus pro templis deorum vendendo lucrum faciebant, quos ex duobis istis pessimos esse existimabat. *Quo ore*, inquit, [p] *christianus turarius, si per templa transibit, quo ore fumantes aras despuet, & exsufflabit, quibus ipse prospexit? Qua constantia exorcizabit alumnos suos, quibus domum suam cellariam præstat?* Hinc tandem in vniuersam materiam concludit: *Nulla ars, nulla professio, nulla negotiatio, quæ quid aut instruendis aut formandis idolis administrat, carere poterit titulo idololatriæ: nisi si aliud omnino interpretemur idololatriam, quam famulatum idolorum colendorum.*

§. XIV.

De esu eorum, quæ idolis immolabantur. Quomodo & quando idololatriæ incusatus fuerit.

QVAESTIO de esu eorum, quæ idolis immolabantur, a *Paulo* apostolo soluitur. Numquam in templo deorum idolothyta edere fas erat, quia hoc erat de sacrificio tamquam sacrificio edere, & communicare dæmonibus; quæ res gentilibus confirmationi erat, ecclesiæ autem offendiculo. *Nicolaitæ* ob hoc in scriptura, & *Basiliani* & *Valentiniani* [q] a sequentium æta-

(o) Tertull. de idolis c. XI. Si publicarum victimarum redemtor ad fidem accedat, permittes ei in eo negotio permanere? Aut si iam fidelis id agere susceperit, retinendum in ecclesia putabis? Non opinor.

(p) Tertull. ibid.

(q) Agrippa Castor. ap. Euseb. lib. IV. c. VII. ὧν εἰς ἡμᾶς κατῆλθεν ἐν τοῖς τότε

tum

tum ſcriptoribus damnantur. Acta *Luciani* martyris [r] referunt, maluiſſe ipſum fame conſumi, quam veſci iis, quæ ab gentilibus ſacrificata eſſent, quum perſecutores alium cibum in carcere ei porrigere nollent. Et BARONIVS aliud iſtiuſmodi exemplum [s] ſuggerit in ciuibus *Conſtantinopolitanis*, qui, quum *Iulianus* cuncta cibaria, quæ venum publice in foris exponi ſolebant, ſacrificiis diis immolatis infeciſſet ac polluiſſet, libere ab illis abſtinuerint, & loco panis cocto omnes frumento vſi ſint in cibum, peſſimum tyranni conſilium hoc modo eludentes. Non quaſi idololatria fuiſſet, ſi iſtiuſmodi cibaria in tali caſu comediſſent: Apoſtolus enim hoc permittit, ſi quidem ſine communicatione cum idolis vel offenſione infirmiorum fieri poſſit: *Quidquid in macello venditur, edite, nihil diſcriminantes propter conſcientiam.* Et ex hac apoſtolica permiſſione THEODORETVS [t] populum *Antiochenum* in alio iſtiuſmodi caſu defendit. Nam *Iulianus* eodem diabolico ſtrategemate ad chriſtianos irretiendos vſus, omnes fontes in vrbe *Antiochena* & ſuburbano *Daphnenſi* inquinabat, cuncta etiam, quæ in foro venalia erant, ſimiliter con-

---

γνωριμωτάτȣ συγγραφέως Ἀγρίππα Κάϛορος ἱκανώτατος κατὰ Βασιλείδȣ ἔλεγχος, τὴν δεινότητα τῆς τἀνδρὸς ἀπικαλύπτων γοητείας· -- διδάσκειν τε, ἀδιαφορεῖν εἰδωλοθύτων ἀπογευομένȣς, καὶ ἐξομνυμένȣς ἀπαραφυλάκτως τὴν πίϛιν κατὰ τȣ̀ς τῶν διωγμῶν καιρȣ́ς. *Ex quibus peruenit ad nos Agrippæ Caſtoris, ſcriptoris ea ætate nobiliſſimi, validiſſima aduerſus Baſilidem confutatio: in qua hominis præſtigiæ ac fraudes deteguntur. --- Ait præterea, eum docere, quod indifferens ſit, victimas diis immolatas deguſtare, & perſequutionum tempore licenter fidem abnegare.*

Iren. lib. I. c. I. §. XII. εἰδωλόθυτα ἀδιαφόρως ἐσθίȣσι, μηδὲ μολύνεσθαι ὑπ' αὐτῶν ἡγȣ́μενοι. *Idolothyta indifferenter manducant, nihil inquinari ab iis putantes.*

(r) Ap. Baron. an. CCCXI. n. VI. (tom. III. p. 56. edit. Antuerp. MDCXXIII.) Eum etiam arcebant ab omni cibo, niſi vellet veſci iis, quæ ab ipſis ſacrificabantur: ea enim affatim porrigebant. Ille autem maluiſſet ſubire mortes vel innumerabiles, & lubentius manens ieiunus, paullatim a fame eſſet conſumtus, quam vel illorum ſolum paſſus eſſet conſpectum.

(s) Baron. an. CCCLXII. num. XLIII. p. 24. Cuncta cibaria, quæ venum publice in foris exponi ſolerent, ſacrificiis diis immolatis infecit ac polluit, vt ſic illi omnes cibis cogerentur veſci immolatitiis, niſi fame confici penitus vellent. Cum oraculo Theodori martyris, quonam modo conſulendum eſſet fidelibus fame periclitantibus, fuit diuinitus demonſtratum, nempe vt tunc loco panis, cocto omnes frumento vterentur in cibum.

(t) Theodoret lib. III. c. XV. πρῶτον μὴν τὰς ἐν τῷ ἄϛει καὶ τὰς ἐν Δάφνῃ πηγὰς ταῖς μυσαραῖς θυσίαις ἐμόλυνεν, ἵν' ἕκαϛος ἀπολαύων τȣ̃ νάματος μεταλαγχάνῃ

taminabat; panes, carnes, olera item ac poma, cuncta denique cibaria lustrali aqua adspergi iubendo, ne christiani haberent, quod ederent, nisi quæ idolis essent sacrificata. Quod etiam a CHRYSOSTOMO [u] notatur & aliis, qui de diabolicis insidiis *Iuliani* loquuntur. Enimuero hoc in casu christiani, non obstantibus aduersarii sui dolis, non dubitabant quidquam edere, vtpote scientes, bonas res creatas non posse contaminari vllis eiusmodi artificiis, quoad eis non consentirent vel communicarent: *Nam domini est terra & omnis plenitudo eius.* Et quod ipsis sanctificatum erat verbo Dei & precibus, profanis abusibus inquinari & pollui non poterat.

§. XV.

Numquis christianus ex curiositate sacrificio deorum adesse potuerit, si ipsi quidem cultui se non iungeret?

VBI autem vera aliqua idololatriæ participatio erat, vel vlla iusta eius rei suspicio, nulla prorsus ratione christiano homini permittebatur, vel minimum ei præbere adminiculum, aut clandestinæ etiam approbationis se reddere suspectum. Huc spectat canon ille ex concilio *Illiberritano* [x]: *Prohibendum, ne*

τοῦ μύσους· ἔπειτα δὲ καὶ τὰ κατὰ τὴν ἀγορὰν προκείμενα τοῦ μιάσματος ἐνεπίμπλα· περιεῤῥαίνοντο γὰρ καὶ ἄρτοι, καὶ κρέα, καὶ ὀπῶραι, καὶ λάχανα, καὶ ὅσα ἄλλα ἐδώδιμα· ταῦτα ὁρῶντες, οἱ τῆς τοῦ σωτῆρος προσηγορίας τετυχηκότες, ἔστενον μὲν καὶ ὠλοφύροντο βδελυττόμενοι τὰ γινόμενα· μετελάμβανον δὲ ὅμως, ἀποστολικῷ πειθόμενοι νόμῳ· πᾶν γάρ, φησι, τὸ ἐν μακέλλῳ πωλούμενον ἐσθίετε, μηδὲν ἀνακρίνοντες διὰ τὴν συνείδησιν. *Primum quidem fontes, tum qui in vrbe, tum qui in suburbano Daphnensi erant, abominandis sacrificiis inquinauit; vt, quicumque aquam gustassent, communione sceleris inficerentur. Deinde cuncta, quæ in foro venalia erant, similiter contaminauit. Panes enim & carnes, olera item ac poma, cuncta denique cibaria lustrali aqua adspergebantur. Quæ quum viderent christiani, gemebant ipsi quidem ac lamentabantur, talia abominantes. Edebant tamen, obtemperantes legi apostolicæ, ita dicenti: Omne, quod in macello venundatur, comedite, nihil interrogantes propter conscientiam.*

(u) Chrysostom. hom. IV. de laudibus Pauli tom. V. p. 503. (p. 529. edit. Francof.) πάλιν αἱ πηγαὶ αἱ παρ' ἡμῖν, αἱ νικῶσαι τῷ ῥεύματι τοὺς ποταμοὺς, ἀθρόον ἔφυγον καὶ ἀπεπήδησαν, μηδέποτε τοῦτο παθοῦσαι πρότερον, ἀλλ' ὅτε θυσίαις καὶ σπονδαῖς τὸ χωρίον ἐμόλυνεν ὁ βασιλεύς. *Tunc etiam regionis nostræ fontes, qui prius flumina ipsa cursu inundante vincebant, subito in se resiliendo fugerunt, numquam hoc ante perpessi, nisi postquam loca rex sacrificiis ac victimis inquinauit.*

(x) Concil. Illiberrit. c. LIX.

quis

quis chriſtianus, vt gentilis, ad idolum capitolii cauſſa ſacrificandi adſcendat & videat: Quod ſi fecerit, pari crimine teneatur. Si fuerit fidelis, poſt decem annos, acta pœnitentia, recipiatur. ALBASPINAEVS [y] recte obſeruat, quod, licet canonis verba paullo obſcuriora ſint, intelligenda tamen ſint prohibere, ne quis videndi cauſſa eo adſcendat: Nam ſi quis animo ſacrificandi interfuiſſet, cum non decem annis, ſed per omnem vitam, ſecundum primum canonem, pœnitentiæ ſubeſſe debuiſſe dicit. Vt adeo plana & perſpicua canonis ſententia ſit oporteat, quod ſi, vti gentilis aliquis ſacrificandi cauſſa eo vadit, ita aliquis chriſtianus videndi ſacrificii gratia eodem pergat, pari crimine teneri, & decem annorum pœnitentia mulctari debeat. Hoc tamen intelligendum eſt, ſi non niſi curioſitatis ſuæ inſtinctu eo perueniſſet. Si enim ex vrgente aliquo conditionis vitæ ſuæ officio eo adſcendiſſet, id ei crimini non dabatur: Verbi gratia, ſi quis eſſet de præſidiariis imperatoris militibus & tantum eo iuiſſet, principi ſuo miniſtraturus, inſons habebatur, quia non iuerat ſacrificii videndi, ſed officii ſui exſequendi cauſſa. Ita de *Valentiniano* narrat THEODORETVS [z], ipſum, quum eſſet tribunus, lanciarios ad palatii cuſtodiam conſtitutos regens, *Iuliano* domino, in templum genii publici pergenti, miniſtraſſe. Quum autem adſtantes ad ianuas æditui luſtrali aqua ingredientes ex more adſpergerent, tunc *Valentinianum*, qui ante imperatorem incederet, vbi guttam aquæ chlamydi ſuæ adſperſam vidiſſet, æдituum pu-

(y) Albaſpin. in loc. Arbitror ita legendum eſſe *cauſſa ſacrificii*, ſubintellige *videndi*. nam ſi animo ſacrificandi interfuiſſent, atrociori ſupplicio adficerentur, neque in morte iis ad communionem adſpirare liceret. *Quod ſi fecerit*] Si ad capitolium adſcenderit, vt ſacrificio intereſſet, neque tamen illud adſpicere, aut intueri ei licuerit, pari pœna ſupplicioque multetur, atque illud ſi oculis vſurpaſſet, quum eius voluntas fuerit, vt videret: neque vero ſenſus ſententiaque ita perſpicua manifeſtaque, ſi de iis ſermonem fieri dicamus, qui ſacrificandi cauſſa eo pergerent, qui tamen non ſacrificarent, quique tantum id a ſe viſum eſſe & ſpectatum lætarentur, quia nec in morte communione erant donandi, qui ſacrificauerant, vt ex primo canone conſtat.

(z) Theodoret. lib. III. c. XVI. *Οὐαλεντινιανὸς ἐκεῖνος, ὁ μικρὸν ὕστερον βασιλεύσας, χιλίαρχος δὲ ἦν τηνικαῦτα, τῶν περὶ τὰ βασίλεια τεταγμένων λογχοφόρων ἡγούμενος, ὃς εἶχεν ὑπὲρ τῆς εὐσεβείας οὐκ ἀπέκρυψε ζῆλον· ὁ μὲν γὰρ ἐμβρόντητος ἐκεῖνος εἰς τὸ τῆς τύχης τέμενος εἰσῄει χορεύων· ἑκατέρωθεν τῶν θυρῶν εἱστήκεισαν νεωκόροι περιῤῥαντηρίοις τοὺς εἰσιόντας προκαθαίροντες, ὡς ἐνόμιζον· ἐπειδὴ δὲ τοῦ*

gno percussisse, & inquinatum se, non autem purgatum esse, dixisse. Atque ob hanc caussam vtrumque regnum, terrestre videlicet & cæleste, meruisse adipisci, dicit THEODORETVS. Nam etsi *Iulianus* hanc ob rem eum in castellum quoddam, situm in solitudine, relegasset, præcipiens, vt illic degeret: elapso tamen anno & mensibus paucis pro confessionis suæ mercede imperium *Romanum* accepisse. Ex quibus apparet, veteres magnum discrimen fecisse inter eos, qui ex mera curiositate templum aliquod gentilium ingressi sint, ad spectandos ritus superstitiosos & sacrificia, & illos, qui ex officio eo perrexerint. Et TERTVLLIANVS, qui, si quisquam alius, hac in re seuerus est, hanc tamen distinctionem admittit. *Vtinam quidem*, inquit [a], *nec videre possimus, quæ facere nobis nefas est. Sed quoniam ita malis circumdedit sæculum idololatria, licebit adesse in quibusdam, quæ nos homini, non idolo, officiosos habent. Plane ad sacerdotium & sacrificium vocatus non ibo, (proprium enim idoli officium est;) sed neque consilio, neque sumtu, aliaue opera in eiusmodi fungar. Si propter sacrificium vacatus adsistam, ero particeps idololatriæ: si me alia caussa coniungit sacrificanti, ero tantum spectator sacrificii. Ceterum quid facient serui, vel liberi fideles, item officiales sacrificantibus dominis, vel patronis, præsidibus suis adhærentes? Sed si merum quis sacrificanti tradiderit, immo si verbo quoque aliquo sacrificio necessario adiuuerit, minister habebitur idololatriæ. Huius regulæ memores etiam magistratibus & potestatibus officium possumus reddere secundum patriarchas & ceteros maiores, qui regibus idololatris vsque ad finem idololatriæ apparuerunt.* Eodem modo sententiam suam in quibusdam priuatis & communibus casibus dicit, quando ait [b]: *Circa officia priuatarum & communium, solemnitatum, vt togæ puræ, vt sponsalium, vt nuptialium, vt nominalium nullum putem periculum obseruari de adstatu idololatriæ, quæ interuenit: caussæ enim sunt considerandæ, quibus præstatur officium. Eas mundas*

βασιλέως ἡγέμενος τῇ χλανίδι ῥανίδα. πελάσασαν εἶδεν Οὐαλεντινιανὸς, ὁ βασιλείας ἑκατέρας τέτε χάριν τετυχηκὼς, πὺξ ἔπαισε τὸν νεωκόρον, μεμολύνθαι φήσας, ἐ κεκαθάρθαι. Θεασάμενος δὲ τὸ γεγονὸς ὁ ἐξάγιστος, εἰς Φρέριον αὐτὸν παρὰ τὴν ἔρημον κείμενον ἐξέπεμψεν, αὐτόθι διάγειν προστεταχώς· ἀλλ' ἐκεῖνος μὲν ἐνιαυτῦ καὶ μηνῶν διεληλυθότων ὀλίγων, μισθὸν τῆς ὁμολογίας τὴν βασιλείαν ἐδέξατο.
Vid. Sozom. lib. VI. c. VI. qui eadem narrat.

(a) Tertull. de idololatr. cap. XVI. XVII.

(b) Tertull. ibid. c. XVI.

esse

esse opinor per semetipsas, quia neque vestitus virilis, neque annulus, aut coniunctio maritalis de alicuius idoli honore descendit. Omnia ista per Deum fieri licet; & quamuis his tunc accommodarentur sacrificia, ille tamen, cuius officium & negotium non erat in sacrificio, sed ex alia quadam ratione requirebatur, sine labe illis adesse posse credebatur. Ita omnes istiusmodi decidebantur casus, in quibus aliqua officii ratio homines cultui deorum adesse iubebat; non vt quidquam ad idololatriam conferentes, aut in cultu siue directe siue indirecte partem habentes; sed tantum peragentes, quod legitimi muneris ratio ab eis postulabat, & cum *Valentiniano* animum ab istis rebus alienatum, si opportuna offerretur occasio, declarantes. Nuda præsentia propter aliud quoddam officium peragendum non habebatur in tali casu communio cum idolis, quia ipse officii sui tenor & muneris ratio rem aliter se habere satis demonstrabat.

§. XVI.

Num alicui suum ipsius cibum in idolorum templis edere licuerit?

Si quis vero non ex muneris sui ratione vllum istiusmodi officium, quod eius præsentiam in templo requirebat, peragere necesse haberet, tum, si quis nihilo minus cultui idolorum adesset, vel quidquam faceret, quod suspicionem eius rei habere poterat, idonea caussa erat, quamobrem ecclesiasticæ censuræ subiiceretur. Ita nemo iustam prætendere poterat rationem cibum suum secum portandi edendique in templo idoli, sed hoc non poterat non aliquam arguere propensionem ad idololatriam. Vnde in concilio *Ancyrano* [c] decretum legimus in hanc sententiam: *De iis, qui in festo ethnico, in loco gentilibus deputato, conuiuati sunt, & proprios cibos attulerunt & comedunt, visum est, quum biennio substrati fuerint, esse recipiendos.* Hic canon non diserte vocat locum, templum idolorum, sed τόπον ἀφωρισμένον τοῖς ἐθνικοῖς, locum separatum, nimirum ad cultum deorum; quem siue pro templo, siue pro alio quocumque loco, festis diebus agendis deputato, accipias, perinde est; siquidem locus fuit, colendo

(c) Concil. Ancyran. c. VII. Περὶ τῶν συνεστιαθέντων ἐν ἑορτῇ ἐθνικῇ ἐν τόπῳ ἀφωρισμένῳ τοῖς ἐθνικοῖς, ἴδια βρώματα ἐπικομισαμένων καὶ φαγόντων ἔδοξε διετίαν ὑποπεσόντας δεχθῆναι.

idolo in solemnitate, quæ dei alicuius gentilis honori peculiariter dicata erat, destinatus.

§. XVII.

Num conuiuari cum paganis in festis idolorum diebus?

ET hic mos conuiuandi cum paganis in festis eorum diebus, siue in templo siue extra templum, omnino vetitus erat sub notione communicandi eorum impietati. Quæ expressa verba sunt concilii *Laodiceni*, prohibentis hanc consuetudinem agendi istiusmodi dies festos cum gentilibus [d]. Inter *canones* sic dictos *apostolicos* [e] vnus quidam reperitur, quo christianis oleum deferre in templum gentium, vel in synagogam iudæorum in eorum festis, vel lucernam accendere, sub pœna anathematis interdicitur. Ex quo perspicimus, christianos non numquam ad coniungendum se cum gentibus in hac consuetudine fuisse propensos.

ATQVE hic omnium commodissimus sensus videtur esse, qui duobus istis concilii *Illiberritani* canonibus, qui tot interpretibus crucem fixerunt, tribui potest: Quorum vnus [f] sic habet: *Cereos per diem placuit in cœmiterio non incendi. Inquietandi enim sanctorum spiritus non sunt. Qui hæc non obseruauerint, arceantur ab ecclesiæ communione.* Et alter [g] ita: *Prohibendi etiam, ne lucernas publice accendant. Si facere contra interdictum voluerint, abstineant a communione.* ALBASPINAEVS [h] hos canones factos esse putat ex erronea ista opinione, quod animæ martyrum sub

(d) Concil. Laodicen. c. XXXIX. Ὅτι ὀ δεῖ τοῖς ἔθνεσι συνεορτάζειν, καὶ κοινωνεῖν τῇ ἀθεότητι αὐτῶν.

(e) Can. apost. LXXI. (al. LXX.) Εἴ τις χριστιανὸς ἔλαιον ἀπενέγκῃ εἰς ἱερὰ ἐθνῶν ἢ εἰς συναγωγὴν Ἰουδαίων ἐν ταῖς ἑορταῖς αὐτῶν, ἢ λύχνους ἅπτει, ἀφοριζέσθω.

(f) Conc. Illiberrit. c. XXXIV.

(g) Conc. Illiberrit. c. XXXVII.

(h) Albaspin. ad can. XXXIV. (ap. Labb. tom. I. p. 998.) Ego facile adducor, vt credam, concilii illius patres opinionem mentemque Tertulliani, Cypriani & eorum, qui ea ætate florerent, sequutos, qui animas martyrum sub altaribus hærere & habitare, ibique, dum eorum mortem Deus vlcisceretur, expectare senserunt: atque adeo verba illa cap. VI. apocal. ad verbum tueri ac recipere, diuum Cyprianum de lapsis, *Sub ara Dei animæ occisorum martyrum clamant magna voce, dicentes, quo vsque domine, sanctus & verus, non iudicas & vindicas sanguinem nostrum de iis, qui in terris inhabitant? & requiescere & patientiam adhuc tenere iubentur: & quamquam posse aliquis existimat remittendis passim donandisque peccatis bonum fieri*

alta-

altaribus hæreant & habitent, atque ita CYPRIANVM, & TERTVLLIANVM sensisse, adfirmat. Probabilius autem est, concilium hosce ritus alia de caussa interdixisse, quia superstitiosi erant & idololatrici, ab ethnicis in celebrandis solemnibus adhibiti, vti expressis verbis TERTVLLIANVS [i] & alii, a BARONIO [k] collecti, adfirmant. Et hæc quidem vera ratio videtur esse, cur concilii istius patres eos vetuerint, Ne videlicet christiani in istiusmodi superstitiosis ritibus cum gentilibus conspirarent. Sed pergimus. Gentilium solemnia nota sunt in lege ciuili sub generali nomine *votorum*, & *celebritatis votorum*. Et, vt GOTHOFREDVS [l] ea accurate distinguit, comprehendebant 1. Omnes ipsorum ludos, siue spectacula publica, quæ in honorem deorum habebantur. In quibus *Maiumæ* spectacu-

contra iudicem velle, aut priusquam vindicetur ipse, alios posse defendere. Quibus credere videtur martyrum animas sub aris quiescere. Idem de bono patientiæ, *Vnde etiam clamantes martyres, & ad vindictam suam dolore erumpente properantes exspectare adhuc iubentur, & temporibus consummandis implendisque martyribus prabere patientiam. Et quum aperuisset, inquit, agnus quintum sigillum, vidi sub ara Dei animas occisorum propter verbum Dei & martyrium suum, & clamauerunt voce magna, dicentes.* Idem ad Quirinum, libro tertio, *Et quum aperuisset quintum signum, vidi sub ara Dei animas occisorum propter verbum Dei & martyrium suum.* Tertull. de resurr. carnis cap. XXV. *Etiam in apocalypsi Ioannis ordo temporum sternitur, quem martyrum quoque animæ sub altari, vltionem & iudicium flagitantes, sustinere didicerunt, vt prius & orbis de pateris angelorum plagas suas ebibat, & præstituta illa ciuitas a decem regibus dignos exitus referat, & bestia antichristus cum suo pseudopropheta certamen ecclesiæ Dei inferat, atque ita diabolo in abyssum interim relegato, primæ resurrectionis prærogatiua de solus ordinetur: dehinc & igni dato vniuersalis resurrectionis censura, de libris iudicetur.* Idem de anima capite VIII. *Sol enim corpus, siquidem ignis, sed quod aquila confiteatur, neget noctua, non tamen præiudicans aquilæ: tantumdem & animæ corpus inuisibile carni si forte, spiritui vero visibile; sic Ioannes in spiritu Dei factus animas martyrum conspicit.* Idem aduersus Gnosticos, capite XI. *Sed & interim sub altari martyrum animæ placidum quiescunt & fiducia vltionis candidum claritatis vsurpant, donec & alii consortium illorum gloriæ impleant. &c.*

(*i*) Tertull. apol. c. XXXV. Grande videlicet officium focos & toros in publicum educere, vicatim epulari &c. Cap. XLVI. Quis philosophum sacrificare, aut deierare, aut lucernas meridie vanas proferre compellit? Vid. de idololatr. c. XV.

(*k*) Baron. an. LVIII. n. LXXII. LXXIII.

(*l*) Gothofred. in codic. Theodos. lib. XVI. tit. X. de paganis leg. VIII. p. 260.

lum

lum valde celebre erat, vtpote de quo titulus in codice *Theodosiano* [m] habetur, quo id permittitur, & regulæ in eius celebratione obseruandæ præscribuntur sub imperatoribus christianis, donec tandem ab *Arcadio* prorsus inhiberetur. 2. Conuiuia, seu, vt alias vocantur, festa conuiuia. 3. Festum diem kalendarum Ianuariarum. In cuius superstitiosam obseruationem crebræ orationes inuectiuæ in antiquis scriptoribus occurrunt, maxime in AMBROSIO [n], ASTERIO AMASENO [o] & PRVDENTIO [p]. 4. Tertium nonarum Ianuariarum, vbi vota publica pro salute principis in templis suscipiebantur, festaque pariter conuiuia & *εὐωχίαι* peragebantur. Hisce adnumerari etiam possunt βρουμάλια, id est *bromialia*, in concilio *Trullano* [q] vetita: Item *neomeniæ* siue nouilunia, contra quæ CHRYSOSTOMVS integram habet homiliam, qua christianis eorum obseruationem dissuadet. Vbi in impiam superstitionem, quæ tamquam paganismi reliquiæ in hominum mentibus adhuc penitus insidebat, acriter [r] inuehitur. Nam superstitiose obseruabant dies, & auguriis erant addicti;

(*m*) Cod. Theodos. de Maiuma lib. XV. titul. VI.

(*n*) Ambros. serm. XVII. (serm. XI. tom. V. opp. p. 15. I. edit. Paris. MDCXLII.) Ianus homo fuit, vnius conditor ciuitatis, quæ Ianiculum nuncupatur, in cuius honorem a gentibus kalendæ sunt Ianuariæ nuncupatæ: vnde qui kalendas Ianuarias colit, peccat, quoniam homini mortuo defert diuinitatis obsequium.

(*o*) Aster. hom. IV. de festo kalendarum. (In bibliothec. patr. max. tom. V. p. 816. 817. 818. edit. Lugdun. MDCLXXVII.)

(*p*) Prudent. contr. Symmach. lib. I. v. 237 - 240.

- - - - *Iano etiam celebri de mense litatur*
Auspiciis epulisque sacris, quas inueterato,
Heu miseri, sub honore agitant, & gaudia ducunt
Festa kalendarum.

(*q*) Concil. Trullan. c. LXII. vid. sub litt. seq. (c). Can. LXV. Τὰς ἐν ταῖς **νεομηνίαις** *ὑπό τινων πρὸ τῶν οἰκείων ἐργαστηρίων καὶ οἴκων ἀναπτομένας πυρκαϊκὰς, ἃς καὶ ὑπεράλλεσθαί τινες κατά τι ἔθος ἀρχαῖον ἐπιχειροῦσιν, ἀπὸ τοῦ παρόντος καταργηθῆναι προστάσσομεν.* *Qui in* nouiluniis *a quibusdam ante suas officinas & domos accenduntur, rogos, supra quos etiam antiqua quadam consuetudine salire inepte ac delirare solent, iubemus deinceps cessare.*

(*r*) Chrysost. homil. XXIII. in eos, qui nouilunia obseruant. Tom. I. p. 297. (p. 264. edit. Francof. *παρατηροῦσιν ἡμέρας -- καὶ οἰωνίζονται, καὶ νομίζουσιν, εἰ τὴν νουμηνίαν τοῦ μηνὸς τούτου μεθ' ἡδονῆς καὶ εὐφροσύνης ἐπιτελέσαιεν, καὶ τὸν ἅπαντα τοιοῦτον ἕξειν ἐνιαυτόν· -- γυναῖκες καὶ ἄνδρες φιάλας καὶ ποτήρια πληρώσαντες μετὰ πολλῆς τῆς ἀσωτίας, τὸν ἄκρατον πίνουσι.*

puta-

putabantque, si nouilunium mensis istiusmodi cum voluptate & lætitia degerent, reliquum se annum sic transacturos. Ita viri ac feminæ hisce diebus pocula implentes, multa cum intemperantia vinum merum hauriebant, ex hac diabolica persuasione, vt recte vocat, quod bona vel aduersa fortuna reliquorum dierum a tam ominoso eius exordio penderet. Quod diaboli sane inuentio erat, qua omne virtutis exercitium tollere studebat. Obseruat etiam [s], quod in horum temporum celebratione lucernas in foro accendere & fores sertis coronare consueuerint, quam rem vna cum superstitione eorum & intemperantia, tamquam diabolicam pompam & puerilem amentiam, damnat. Ex quibus videmus, quam procliues fuerint homines ad sequendas istiusmodi consuetudines gentilium, etiam vbi ab earum ignorantia & coactione fuerunt liberati. Et quod multo magis existimandi sint obnoxii fuisse tentationi conformandi se cum illis, in obseruandis ipsorum solemnitatibus, dum terrori legum & violentis persecutionibus ipsorum subiacuerunt. Immo vero ipsis AVGVSTINI temporibus pagani adeo insolentes erant in *Africa*, vt christianos festos ipsorum dies celebrare cogerent, qua de re patres *Africani* in concilio *Carthaginensi* quinto [t] apud *Honorium* imperatorem conqueri necesse habebant, ipsumque rogare, vt auctoritate sua hoc grauamen tolleret. *Illud etiam*, inquiunt, *petendum, vt, quoniam contra præcepta diuina conuiuia multis locis exercentur, quæ ab errore gentili attracta sunt, ita vt nunc a paganis christiani ad hæc celebranda cogantur, ex qua re temporibus christanorum imperatorum persequutio altera fieri occulte videatur, vetari talia iubeant & de ciuitatibus & possessionibus imposita pœna prohibere.* Quam rem *Honorius* gratificari initio recusabat, sed re studiosius deliberata eorum petitioni relinquebat locum.

(s) Chrysost. homil. XXIII. in eos, qui nouilunia obseruant. tom. I. p. 300. (p. 265. ed. Frf.) *λύχνους ἅπτειν ἐπὶ τῆς ἀγορᾶς, καὶ στεφανώματα πλέκειν, παιδικῆς ἀνοίας ἐστίν.*

(t) Concil. Carthag. V. can. V. (Not. Apud Labbeum hæc loco citato non leguntur.)
Vid. cod. Afric. can. LX. *κἀκεῖνο ἔτι μὲν δεῖ αἰτῆσαι παρὰ τῶν χριστιανῶν βασιλέων, ἐπειδὴ παρὰ τὰ θεῖα παραγγέλματα ἐν πολλοῖς τόποις συμπόσια ἔτι ἐπιτελοῦνται, ἐκ τῆς ἐθνικῆς πλάνης συναχθέντα, ὡς καὶ χριστιανοὺς τοῖς Ἕλλησι λάθρα προσσυνάγεσθαι ἐν τῇ τούτων τελετῇ· ἵνα κελεύσωσι τὰ τοιαῦτα κωλυθῆναι καὶ ἐκ τῶν πόλεων καὶ ἐκ τῶν κτήσεων.*

Lex iſta adhuc exſtat in codice *Theodoſiano* [u]: *Non liceat omnino in honorem ſacrilegi ritus funeſtioribus locis exercere conuiuia, vel quidquam ſolemnitatis agitare. Epiſcopis quoque locorum, hæc ipſa prohibendi eccleſiaſticæ manus tribuimus facultatem, iudices autem XX librarum auri pœna conſtringimus, & pari forma officia eorum ſi hæc eorum fuerint diſſimulatione neglecta.* Verum hoc ſuperſtitionem non delebat penitus, ſed multi ethnici in ea perſeuerabant, & perditi quidam ac diſſoluti chriſtiani ſatis promto erant animo, ad coniungendum ſe cum gentilibus in eorum conſuetudinibus, aut certe ad imitandum eorum luxuriam & vanitatem ſub notione chriſtianarum obſeruationum. AVGVSTINVS ſtatim poſt huius legis promulgationem acerbam querelam habet de gentilium inſolentia, quando in epiſtola quadam ſua hunc in modum ſcribit [x]: „Contra recentiſſimas leges kalendis Iuniis feſto „paganorum ſacrilega ſolemnitas agitata eſt, nemine prohi„bente, tam inſolenti auſu, vt, quod nec *Iuliani* temporibus fa„ctum eſt, petulantiſſima turba ſaltantium in eo prorſus vico „ante fores tanſiret eccleſiæ. Quam rem illicitiſſimam atque „indigniſſimam clericis prohibere tentantibus, eccleſia lapida„ta eſt. Deinde poſt dies ferme octo, quum leges notiſſimas „epiſcopus ordini replicaſſet, & dum ea, quæ iuſſa ſunt, velut „implere diſponunt, iterum eccleſia lapidata eſt. Poſtridie „noſtris ad imponendum perditis metum, quod videbatur, apud „acta dicere volentibus publica iura negata ſunt. Eodemque „ipſo die vt vel diuinitus terrerentur, grando lapidationibus „ reddita eſt, qua tranſacta continuo tertiam lapidationem, & „ poſtremo ignes eccleſiaſticis tectis atque hominibus intule„ runt, vnum ſeruorum Dei, qui oberrans occurrere potuit, „ occiderunt, ceteris partim vbi potuerant, latitantibus, partim „quo potuerant, fugientibus, quum interea contruſus atque „coarctatus quodam loco ſe occultaret epiſcopus, vbi ſe ad „mortem quærentium voces audiebat ſibique increpantium, „quod eo non inuento gratis tantum perpetraſſent ſcelus. „Geſta ſunt hæc ab hora ferme decima vſque ad noctis partem „non minimam. Nemo compeſcere, nemo ſubuenire tentauit „illorum, quorum eſſe grauis poſſet auctoritas, præter vnum

(u) Cod. Theod. lib. XVI. tit. X. de paganis leg. XIX.

(x) Aug. epiſt. CCII. ad Nectarium.

pere-

„peregrinum, per quem & plurimi ferui Dei de manibus interficere conantium liberati funt, & multa extorta prædantibus, „per quem clarum factum eft, quam facile illa vel omnino non „fierent, vel cœpta defifterent, fi ciues maximeque primates „ea fieri perficique vetuiffent„. Hic AVGVSTINI locus oftendit, quam altas harum feftiuitatum gentilium amor radices egerit in carnalium ac profanorum chriftianorum mentibus. In alia epiftola ad *Aurelium* epifcopum *Carthaginenfem* [*y*] lamentatur temulentiam & intemperantiam, quæ apud multos iftiufmodi chriftianos in folemnibus conuiuiis, in honorem martyrum fieri folitis, & in anniuerfariis defunctorum amicorum fuorum commemorationibus regnet: quod certe nihil aliud fit, quam impuritatem feftiuitatum gentilium committere fub nomine chriftianarum. Rogat itaque eum, vt certa methodo vtatur, qua tantæ impuritates de domo Dei [*z*] arceantur. Putat autem, fieri hæc non poffe afpero, duro vel imperiofo modo, fed magis docendo quam iubendo, magis monendo quam minando: Sic enim agendum effe [*a*] cum multitudine peccantium; feueritatem autem exercendam effe in peccata paucorum. Grauis fane hæc querimonia eft, quam & aliis in locis [*b*] fæpius repetit: Quæ oftendit, quantopere fuperftitio & voluptas feftorum gentilium in multorum rudium ac carnalium

(*y*) Aug. epift. LXIV. ad Aurelium. Comeffationes & ebrietates ita conceffæ & licitæ putantur, vt in honorem etiam beatiffimorum martyrum, non folum per dies folemnes, quod ipfum quis non lugendum videat, qui hæc non carnis oculis infpicit, fed etiam quotidie celebrentur. --- Iftæ in cœmiteriis ebrietates & luxuriofa conuiuia, non folum honores martyrum a carnali & imperita plebe credi folent, fed etiam folatia mortuorum. -

(*z*) Ibid. Saltem de fanctorum corporum fepulchris, faltem de locis facramentorum, de domibus orationum tantum dedecus arceatur.

(*a*) Ibid. Non afpere, quantum exiftimo, non duriter, non modo imperiofo ifta tolluntur, magis docendo quam iubendo, magis monendo quam minando. Sic enim agendum eft cum multitudine peccantium, feueritas autem exercenda eft in peccata paucorum.

(*b*) Auguftin. contr. Fauftum lib. XX. c. XXI. Qui fe in memoriis martyrum inebriant, quomodo a nobis approbari poffunt, quum eos, etiam fi in domibus fuis id faciant, fana doctrina condemnet? fed aliud eft quod docemus, aliud quod fuftinemus: aliud quod præcipere iubemur, aliud quod emendare præcipimur &, donec emendemus, tolerare compellimur. Alia eft difciplina chriftianorum, alia luxuria vinolentorum, vel error infirmorum.

 homi-

hominum mentibus, etiam postea, quam christiani facti fuerint, inhæserit. Et horum quidem multitudo in *Africa* tanta erat, vt, quantumuis eorum crimina excommunicationis commeruissent feueritatem, AVGVSTINVS tamen hoc remedio istum morbum curari posse non crederet. *Ambrosium* & episcopos *Italicos* hanc malam consuetudinem feliciter exstirpasse dicit, & esse spem, fore, vt etiam in *Africa* id fiat. Verum non longe post querelam inuenimus iteratam contra christianos, reliquias paganæ huius superstitionis in hac obseruandi dies festos materia retinentes. Nam concilium *Trullanum* [c] canonem habet hæc omnia prohibentem. *Kalendas, quæ dicuntur, & vota & brumalia quæ vocantur; &, qui in primo Martii* (alia exemplaria legunt *Maii*) *mensis die fit, conuentum ex fidelium vniuersitate omnino tolli volumus: sed & publicas mulierum saltationes multam noxam exitumque adferentes: quin etiam eas, quæ nomine eorum, qui falso apud gentiles dii nominati sunt, vel nomine virorum ac mulierum fiunt, saltationes ac mysteria more antiquo & a vita christianorum alieno, amandamus & expellimus; statuentes, vt nullus vir deinceps muliebri veste induatur, vel mulier veste viro conueniente. Sed neque comicas vel satyricas, vel tragicas personas induat; neque exsecrandi Bacchi nomen, vuam in torcularibus exprimentes inuocent; neque vinum in doliis effundentes, risum moueant, ignorantia vel vanitate ea, quæ ab insaniæ impostura procedunt, exercentes.*

Aug. de ciuitate Dei lib. VIII. c. XXVII. Quicumque epulas suas eo (ad martyrum loca) deferunt, quod quidem a christianis melioribus non fit, & in plerisque terrarum nulla talis est consuetudo: tamen quicumque id faciant, quas cum apposuerint, orant & auferunt, vt vescantur, vel ex eis etiam indigentibus largiantur, sanctificari ibi eas volunt per merita martyrum in nomine domini martyrum.

(c) Concil. Trullan. c. LXII. Τὰς οὕτω λεγομένας καλάνδας, καὶ τὰ λεγόμενα βότα, καὶ τὰ καλούμενα βρουμάλια, καὶ τὴν ἐν τῇ πρώτῃ τοῦ Μαρτίου μηνὸς ἡμέρᾳ τελουμένην πανήγυριν, καθάπαξ ἐκ τῆς τῶν πιστῶν πολιτείας περιαιρεθῆναι βουλόμεθα· ἀλλὰ μὴν καὶ τὰς τῶν γυναίων δημοσίας ὀρχήσεις, πολλὴν λύμην καὶ βλάβην ἐμποιεῖν δυναμένας· ἔτι μὴν καὶ τὰς ὀνόματι τῶν παρ' Ἕλλησι ψευδῶς ὀνομασθέντων Θεῶν, ἢ ἐξ ἀνδρῶν ἢ γυναικῶν γενομένας ὀρχήσεις καὶ τελετὰς κατά τι ἔθος παλαιὸν καὶ ἀλλότριον τοῦ τῶν χριστιανῶν βίου ἀποπεμπόμεθα, ὁρίζοντες μηδένα ἄνδρα γυναικείαν στολὴν ἐνδιδύσκεσθαι, ἢ γυναῖκα τὴν ἀνδράσιν ἁρμόδιον· ἀλλὰ μήτε προσωπεῖα κωμικὰ, ἢ σατυρικὰ, ἢ τραγικὰ ὑποδύεσθαι· μήτε τὸ τοῦ βδελυκτοῦ Διονύσου ὄνομα τὴν σταφυλὴν ἀποθλίβοντας ἐν τοῖς ληνοῖς ἐπιβοᾶν· μηδὲ τὸν οἶνον ἐν τοῖς πίθοις ἐπιχέοντας ἀγνοίας τρόπῳ ἢ ματαιότητι τὰ τῆς μανιώδους πλάνης ἐνεργοῦντας.

Kalen-

Kalendæ hoc loco ſignificant primum diem Ianuarii. Vocabulum βότα, quod in *Græco* eſt, a BALZAMONE aliiſque eum ſequentibus explicatur per feſtum in honorem *Panis* agitari ſolitum, quia τὰ βότα ἀπὸ τῶν βοτῶν, id eſt ἀπὸ τῶν προβάτων, deducunt. GOTHOFREDVS [d] autem & SVICERVS [e] aptius id reddunt *vota*, quia hoc *Latinum* vocabulum tantummodo in *Græcum* commutatum eſt, denotatque ſolemnem pro ſalute imperatoris votorum nuncupationem, tertio a kalendis Ianuariis die a gentilibus fieri ſolitam. Per *brumalia* BALSAMON intelligit feſta *Bacchi*: At melius ex TERTVLLIANO nomen iſtud explicari poteſt, qui inter alia ſolemnia, ad quæ obſeruanda quoſdam chriſtianos procliues eſſe queritur, *brumas* ſiue *brumalia* refert, & iſtiuſmodi chriſtianos reprehendit, quod non eam fidem in religionem ſuam demonſtrent, quam pagani in ſuam. *Saturnalia*, inquit [f], *& ianuariæ & brumæ, & matronales frequentantur, munera commeant, ſtrenæ conſonant, luſus conuiuia conſtrepunt: O melior fides nationum in ſuam ſectam: Quæ nullam ſolemnitatem chriſtianorum ſibi vindicat, non dominicum diem, non pentecoſten. Etiamſi noſſent, non communicaſſent, timerent enim, ne chriſtiani viderentur.*

(*d*) Gothofred. in codic. Theodoſ. lib. XVI. tit. X. de paganis leg. VIII. p. 270. Balſamo ioculariter lapſus eſt, qui τὰ βότα ἀπὸ τῶν βοτῶν, id eſt, ἀπὸ τῶν προβάτων, deduxit, & feſtum id in Panis honorem agitari ſolitum prodidit.

(*e*) Suicer. theſaur. eccleſ. tom. I. p. 706. Βότα apud recentiores Græcos, *vota* & *votorum dies* Latinis appellantur, qui annum inchoant, ob ſolemnem pro ſalute principis votorum nuncupationem. Et quidem κυρίως tertius poſt kalendas Ianuarii dies appellatione *votorum* intelligitur, vt & in lege CCXXXIII de verborum ſignificatione, & apud Dionem lib. LVIII. licet ipſis etiam kalendis ſuſcepta pro principe vota, vt illo ipſo loco ſcripſit &c. Retinuere chriſtiani principes *votorum* & morem & appellationem, vt apparet ex titulo codicis de oblatione votorum: & ex canone LXII. concilii in Trullo: Τὰς ἔτω κ. τ. λ. (vid. ſub anteced. litt. [c]). Balſamon ad hunc canonem p. 436. de vocis βότα origine ſuauiter philoſophatur, dum illud Græcis ſuis vindicat, vultque eſſe illud nomen ei feſto inditum ἀπὸ τῶν βοτῶν, ἤγουν προβάτων, quod in honorem Panis, paſtorum dei, ſit inſtitutum; A Balſamone etiam ſeductus cl. Meurſius in gloſſario ſuo ſcribit, Βότα eſſe *feſtum quoddam in honorem Panis* inſtitutum. At βότα ſunt heic *vota*, vt recte interpres vertit, & Caſaubonus in Spartianum docet. Vide Reineſii var. lect. lib. II. c. IV.

(*f*) Tertull. de idololatr. c. XIV. It. c. X. Etiam ſtrenæ captandæ, & Septimontium & *Bruma* &c.

Nos ne ethnici pronuntiemur, non veremur. Vbi per *brumas* viri docti [g] intelligunt non festa *Bacchi*, sed festa solstitii brumalis siue hiemalis, ex quibus coniectabant, an reliqua hiems fausta eis futura esset, nec ne. Hæc superstitio, vtpote ex antiquo paganismo residua, in multorum christianorum mentibus defixa hæsit ad tempus vsque concilii *Trullani* an. DCXCII. Quæ caussa erat, quamobrem hoc concilium consuetudinem istam, cum multis aliis istiusmodi obseruationibus & cærimoniis, vetaret sub pœna excommunicationis; qua, vti vidimus, talia crimina plectebantur, nisi multitudo peccantium (vt AVGVSTINVS dicit) impediret, quo minus ecclesiasticæ disciplinæ seueritas eis adhiberi posset.

§. XVIII.

De idololatria in cultu angelorum, sanctorum, martyrum, imaginum &c. commissa.

NVLLAM hoc loco mentionem facimus idololatriæ, quæ in cultu angelorum, sanctorum & martyrum, *Mariæ* virginis, imaginum, & eucharistiæ committi poterat, quia de ea fusius edisserendi in diuersis huius operis partibus [*] habuimus occasionem. Satis itaque fuerit, heic tantum obseruasse in genere, quod nulli, nisi manifesti hæretici, antiquis temporibus huiusmodi idololatriæ incusati fuerint. e. g. *Angelici* propter cultum angelorum, *Simoniaci* & *Carpocratiani* propter cultum imaginum, & *Collyridiani* propter cultum *Mariæ* virginis: Qui quum professi essent hæretici, dubium non est, quin censuræ ecclesiasticæ illis fuerint inflictæ, & omnibus eis adhærentibus, vel ad eorum castra transeuntibus; quod heic ad explanandum

(g) Vid. Iun. in loc.
Hospinian. de festis ethnicorum c. XXVIII. p. 127. (pag. 224. b. edit. Genev.) Brumalia] Bruma a breuitate dierum dicta Pompeio auctore, quasi βραχύμερον, tempus illud est, quum breuiores sunt dies. Et vt ex Florentino Principe Paulus Marsus in commentariis ad lib. I. Ouidii Fastorum, & Merula in comment. in Elegiam XII. lib. III. Tristium eiusdem, indicat, ab octauo kalendarum Decembrium vsque ad nonum kalendarum Ian. celebrabantur festa Brumalia. De hoc festo Cælius lib. XV. cap. XXIV. ex Græcorum collectaneis rei rusticæ hæc adnotat: *Democritus & Apuleius talem exspectari hiemem aiunt oportere, cuiusmodi fuerit dies festus, quem Brumam vocant Romani: est autem quarta & vicesima Dii mensis, qui est Nouember.*

(*) Vid. lib. VIII. c. VIII. §. VIII. seqq. vol. III. pag. 305. seqq. Lib. XIII. c. III. vol. V. pag. 68. seq.

con-

confirmandumque disciplinæ ecclesiasticæ exercitium obseruasse sufficit.

§. XIX.

De fautoribus & adiutoribus idololatriæ.

VNVM adhuc de praxi idololatriæ notandum est, Quod fautores & adiutores idololatriæ eiusdem criminis rei habiti fuerint cum ipsis idololatris, vtpote peccati eorum se reddentes participes. Si quis dominus seruum mitteret ad sacrificandum loco suo, actio quidem serui erat, culpa autem in dominum redundabat, tamquam præcipuum eius rei auctorem; quemadmodum supra vidimus in negotio *libellaticorum*, qui seruos suos pro se mittebant sacrificatum. Si quis iudex, qui ex officio exstirpare idololatriam debebat, legibus auctoritatem potestatemque ei id faciendi impertientibus, vel publice hoc officium negligeret, vel secreto in idololatrarum praxi conniueret, eiusdem criminis ex participatione reus habebatur. Ita magistratus certæ cuiusdam ciuitatis tamquam reos hoc crimine accusat AVGVSTINVS [*h*], quod quum leges auctoritatem eis dedissent omnes idololatriæ reliquias exstirpandi, in illis ad effectum dandis negligentes & remissos se se præbuerint. Quum tamen ipsæ leges [*i*], ad quas respicit, viginti librarum auri pœna iudices, & officia eorum multari iubeant, si eorum dissimulatione vis legis, conuiuia & solemnitates gentilium celebrari prohibentis, fraudulenter fuerit infracta. Ita antequam idololatria imperialibus legibus esset prohibita, dum fulcientibus & sustinentibus imperatoribus ethnicis triumpharet, christiani non tantum ab ipso sacrificandi actu abstinere debebant, sed nec auctoritatem suam sacrificiis accommodare; nec victimas vendere; nec curas templorum delegare, nec vectigalia eorum procurare, nec publicos ludos & spectacula de propriis aut de publicis sumtibus edere, multo minus edendis præsidere; nec vllum de solemnibus eorum verbis & formulis, cultui idolorum peculiaribus & propriis, pronuntiare vel edicere, nec

(*h*) August. epist. CCII. ad Nectarium. vid. sub litt. antec. (x) in textu pag. 226.

(*i*) Cod. Theod. lib. XVI. tit. X. de paganis leg. XIX. Iudices autem viginti librarum auri pœna constringimus & pari forma officia eorum, si hæc eorum fuerint dissimulatione neglecta.

per

per deorum nomina iurare eis licebat. Quæ omnia TERTVLLIANVS notat & loco quodam [k] congerit; hanc reddens rationem, cur christianus sub imperatoribus ethnicis munus iudicis in se recipere tuto non possit; quia ista functio adactura ipsum sit idololatriam vel auctoritate sua vel alia quadam ratione adiuuare, quod facere nequeat saluo officio christiano saluisque religionis suæ legibus, quippe quæ idololatriam apud alios prouehere non permittant. Et hanc ob caussam patres concilii *Illiberritani* [l] canonem fecerunt, sub pœna separationis ab ecclesiæ communione per quinquennium prohibentem, ne, quum rationes suas ab administratoribus rei familiaris acciperent possessores, quidquid ad idolum datum esset, acceptum referrent. Et alio canone [m] omnes dominos iubent admoneri, vt quantum possint prohibeant, ne serui sui idola in domibus suis retineant. Si vero persequutionis temporibus vim metuant seruorum, hoc est, timeant, ne ab illis deferantur & prodantur, vt saltem se ipsos puros conseruent, alioquin futurum, vt ab ecclesia eiiciantur. Pacis temporibus potestatem suam paullo vlterius extendere debebant. Nam per regulam concilii *Arelatensis* secundi [n] post leges imperiales, ad prohibendam & exstirpandam idololatriam datas, quilibet presbyter in territorio suo omnes infideles deferre iubetur, qui adhuc faculas idolis accendant, aut arbores, fontes vel saxa venerentur. Et si hoc facere neglexerit, ipse sacrilegii reus habendus dicitur: Dominus autem loci istius, qui admonitus

(*k*) Tertull. de idololatr. c. XVII. Neque sacrificet, neque sacrificiis auctoritatem suam accommodet, non hostias locet, non curas templorum deleget, non vectigalia eorum procuret, non spectacula edat de suo aut de publico, aut edendis præsit: Nihil solemne pronuntiet vel edicet, nec iuret quidem.

(*l*) Concil. Illiberrit. c. XL. Prohiberi placuit, vt, quum rationes suas accipiunt possessores, quidquid ad idolum datum fuerit, acceptum non referant; si post interdictum fecerint, per quinquennii spatia temporum a communione esse arcendos.

(*m*) Ibid. c. XLI. Admoneri placuit fideles, vt in quantum possint, prohibeant, ne idola in domibus suis habeant: Si vero vim metuunt seruorum, vel se ipsos puros conseruent; si non fecerint, alieni ab ecclesia habeantur.

(*n*) Concil. Arelat. II. c. XXIII. Si in alicuius presbyteri territorio infideles aut faculas accenderint, aut arbores, fontes vel saxa venerentur: si hæc eruere neglexerit, sacrilegii se esse reum cognoscat. Dominus autem vel ordinator rei ipsius, si admonitus emendare noluerit, communione priuetur.

erro-

errorem emendare recuſauerit, communione iubetur priuari. Alius concilii *Illiberritani* canon [o] viris ac feminis interdicit, veſtimenta ſua ad ornandam ſæculariter pompam commodare ethnicis, non obedientibus trium annorum denuntians ſeparationem. Vbi per pompam ſæculariter ornandam rationi maxime conſentaneum eſt intelligere idololatricas gentilium cærimonias in publicis eorum ſolemnitatibus. Vnum autem eſt, quod patres *Illiberritani* hac in re maxime cautum volunt. Fieri nimirum facile poterat, vt nonnulli bene animati chriſtiani, ex inconſiderato aduerſus idololatriam zelo, in contrarium currerent, ſui eſſe officii exiſtimantes, deſtruere idola & vbicumque reperta frangere: ad quem errorem corrigendum aliud decretum [p] facere neceſſe habebant, quo hanc importunam agendi rationem prohiberent, ſtatuerentque, vt ſi quis in iſto facto occiſus eſſet, in numerum martyrum ne reciperetur: quoniam hoc in euangelio non ſit ſcriptum, neque inueniatur ab apoſtolis vmquam factum. Hæc concilii illius obſeruatio de praxi apoſtolorum omnino iuſta eſſe videtur. Quantocumque enim zelo contra idololatriam arderent, numquam tamen eos tumultuoſe templa gentilium ad demolienda idola ingreſſos, ſed prorſus contrarii characteris teſtimonium ab ipſis gentilibus eis datum eſſe legimus. Cuius illuſtre exemplum habemus in apologia, quam pro *Paulo* eiuſque ſociis fecit ſcriba *Epheſius*, quum a *Demetrio* aurifabro & reliquis artificibus, templa argentea *Dianæ* facientibus, accuſarentur, tamquam qui iſtius deæ templo & cælitus delapſæ imagini vim intuliſſent: *Adduxiſtis*, inquit, *homines iſtos neque ſacrilegos, neque in veſtram deam maledicos*. Act. XIX, 37.

EQVIDEM non longe ante *Eulalia* martyr tale quid in *Hiſpania* auſa fuerat: concilium autem actionem illius, ſingulari forte ſpiritus impulſu factam, in exemplum capi nolebat; quia minus neceſſaria gentilium prouocatio erat & eccleſiæ

(o) Concil. Eliber. c. LVII. Matronæ vel eorum mariti veſtimenta ſua ad ornandam ſæculariter pompam non dent. Et ſi fecerint, triennii tempore abſtineant.

(p) Ibid. c. XL. Si quis idola fregerit & ibidem fuerit occiſus; quoniam in euangelio non eſt ſcriptum neque inuenitur ab apoſtolis vmquam factum; placuit in numerum eum non recipi martyrum.

noxia, ſine vlla conceſſione ſcripturæ; quæ homines iubet *CHRISTVM* confiteri, ad id faciendum vocatos, non imprudenti zelo inimicos prouocare, ſi nulla id faciendi ſit idonea ratio. Et hoc eſt, quod iam ſuperioribus temporibus plebem ſuam & voce & ſcripto docuerat CYPRIANVS, vti ex epiſtola quadam ipſius apparet, in qua hunc in modum ſcribit [q]: *Vos, fratres cariſſimi, pro diſciplina, quam de mandatis dominicis a me ſemper accepiſtis, & ſecundum quod me tractante ſæpiſſime didiciſtis, quietem & tranquillitatem tenete: ne quiſquam veſtrum aliquem tumultum de fratribus moueat, aut vltro ſe gentilibus offerat: apprehenſus enim & traditus loqui debet; ſiquidem in nobis dominus poſitus in illa hora loquatur: qui nos confiteri magis voluit, quam temere profiteri.* Sic veteres in hoc negotio idololatriæ, quæ magna iſtius ætatis noxa erat, diſciplinam ſuam recta quaſi lance librabant, inter duo extrema medium tenentes; non concedentes, vt quis vitioſo quodam modo ad eam ſe accommodaret; nec approbantes, ſi quis ex immoderato zelo ei ſe opponeret. Et ſi TERTVLLIANVS in priori caſu rem paullo longius extendit, quando, exempli cauſſa, idololatriæ ſpeciem eſſe eamque redolere ſtatuit, ſi quis præceptor nomina deorum diſcipulos ſuos doceat, vel chriſtianus arma portet, vel tempore perſecutionis fugiat; facile eſt ſingularium iſtarum opinionum reddere rationem, quum pateat, qua ex ſchola prouenerint, & quod non a ſpiritu *CHRISTI* ſed a ſpiritu *Montani* dictatæ fuerint. Ad cuiuſmodi aſſertiones idonea reſponſio eſt, quod nulla eiuſmodi dogmata in purioribus ſcriptoribus, nec vllas tales regulas in diſciplina eccleſiaſtica, nec vllam iſtiuſmodi inuectam in eccleſiam Dei conſuetudinem inueniamus.

NOS tanto ſtudioſiores fuimus in exponenda veterum ſententia de diuerſis hiſce quæſtionibus, tum quia vtiles ſunt ad explanandam eccleſiæ diſciplinam, tum quia vſum habere poſſunt, ad alios caſus applicatæ. Accedit, quod hoc argumentum de idololatria ab hodiernis ſcriptoribus hoc modo tractatum non adeo facile inuenias.

(q) Cypr. epiſt. LXXXI. al. LXXXIII. p. 239. (p. 334. edit. Fell. Amſtelod.)

LIBRI DECIMI SEXTI
CAPVT QVINTVM
DE CVRIOSARVM ET VETITARVM ARTIVM EXERCITIO, HOC EST, DE DIVINATIONE, MAGIA ET INCANTAMENTO: ET DE LEGIBVS ECCLESIAE AD PVNIENDVM EAS PROMVLGATIS.

§. I.

De diuersis diuinationis speciebus. Speciatim de astrologia.

ALIVD grande crimen in religionem erat exercitium curiosarum ac vetitarum artium, quæ fere innumerabiles sunt, ab ingenti ac varia hominum in superstitionem propensione. Nos illas summatim recensebimus sub tribus generalibus nominibus *diuinationis*, *magiæ* & *incantamenti*. *Diuinatio* omnes artes ac vias comprehendit reuelandi secreta & prænuntiandi futura, quæ ex nullis naturæ legibus sciri possunt; *Magia*, omnes artes noxiarum operationum per occulta & incognita media, quæ vulgo *Sorcery*, & *Latinis veneficium* ac *maleficium* vocatur. *Incantamentum* præcipue refertur ad peritiam & potestatem faciendi aliquid boni, vt curandi morbos per certa verba, signa & amuleta, quæ res illud rudioribus ac superstitiosis hominibus acceptius reddidit, quia speciem vtilitatis & beneficii pro genere humano præ se fert. Inter diuersas *diuinationis* species notissima & maxime infamis erat *astrologia*, siue ars manifestandi secreta ex positu & motu stellarum. Qui hanc artem profitebantur, communiter vocabantur, *mathematici*; quo nomine in vtroque codice [a] damnantur. Neque sub christianis solum imperatoribus, sed sub veteribus etiam *Romanis* infames fuerunt. Exstat enim in codice *Iustinianeo* [b] lex *Diocletiani*, quæ artem geometriæ tamquam vtilem scientiam admittit, artem autem mathematicam damnabilem atque interdictam pronuntiat. Et imperante *Tiberio* senatusconsulta

(a) Cod. Theod. lib. IX. tit. XVI. tot. de maleficis & mathematicis. pag. 113 - 136.

(b) Cod. Iustin. lib. IX. tit. XXXVIII. de malefic. & mathematic. leg. II. Artem geometriæ discere atque exercere publice interest. Ars autem mathematica damnabilis est atque interdicta omnino.

de mathematicis magiſque *Italia* pellendis facta eſſe, auctor eſt TACITVS [*c*]: Sed idem ille obſeruat [*d*], eſſe eos genus hominum, quod vetitum ſemper ſit & retentum. Licet enim infidi & fallaces fuerint potentibus, hos tamen ad conſulendum illos data occaſione ſemper propendiſſe. Expulſio eorum ex *Italia* etiam SVETONIO obſeruatur, vt bis facta [*e*], ſub *Tiberio* & *Vitellio*. Vnde TERTVLLIANVS non minus acute argute que quam eleganter chriſtianis quibuſdam, qui ipſi in huius malæ artis profeſſione tolerari poſtulabant, reſpondet: *Vrbs* [*f*] *& Italia interdicitur mathematicis, ſicut cælum & angelis eorum, eadem pœna eſt exſilii diſcipulis & magiſtris.* Quando igitur leges imperatorum, tam chriſtianorum quam gentilium ita ſeueræ in eos erant, æquum omnino erat, vt leges eccleſiæ non minus ſeueræ eſſent, quia genus quoddam idololatrarum erant, ſuæque artis originem malorum angelorum inuentioni debebant. Quam ob cauſſam *conſtitutiones* ſic dictæ *apoſtolicæ* [*g*] aſtrologos inter eos referunt, quos reiici a baptiſmo oporteat, niſi profeſſioni ſuæ renuntiare velint. Concilium *Toletanum* primum [*h*] *Priſcillianiſtis* propter hanc praxin anathema infligit. Sciendum enim eſt, *Priſcillianiſtas* omnia fato & neceſſario aſtrorum influxui adſcripſiſſe, quemadmodum AVGVSTI-

(*c*) Tacit. annal. lib. II. c. XXXII. Facta & de mathemathicis magiſque Italia pellendis ſenatus conſulta; quorum e numero Pituanius ſaxo deiectus eſt.

(*d*) Id. in hiſtor. lib. I. c. XXII. Mathematici, genus hominum potentibus infidum, ſperantibus fallax, quod in ciuitate noſtra & vetabitur ſemper & retinebitur.

(*e*) Sueton. vit. Tiber. c. XXXVI. *Expulit & mathematicos*: ſed deprecantibus, ac ſe artem deſituros promittentibus, veniam dedit. Id. vit. Vitell. c. XIV. Nullis infenſior quam vernaculis & *mathematicis*, vt quiſque deferretur, inauditum capite puniebat: exacerbatus, quod poſt edictum ſuum, *quo iubebat, intra kalend. Octobris vrbe Italiaque mathematici excederent*, ſtatim libellus eſt propoſitus, & Chaldæos dicere &c.

(*f*) Tertull. de idol. c. IX.

(*g*) Conſtitut. lib. VIII. c. XXXII. *μάγος, ἐπαοιδὸς,* ἀστρολόγος, *μάντις, θηρεπῳδὸς -- παυσάμενοι προσδεχέσθωσαν, μὴ πειθόμενοι δὲ ἀποβαλλέσθωσαν. Magus, incantator,* aſtrologus, *vates, captator carminum magicorum -- quum deſierint, admittantur, ſi non pareant, reiiciantur.*

(*h*) Concil. Tolet. I. in regula fidei contra Priſcillianiſtas. Si quis aſtrologiæ vel matheſi exiſtimat eſſe credendum, anathema ſit.

NVS

NVS [*i*] fidem nobis facit, *Adstruunt*, inquiens, *fatalibus stellis homines colligatos, ipsumque corpus nostrum secundum duodecim signa cæli esse compositum, sicut hi, qui vulgo mathematici appellantur, constituentes in capite arietem; taurum in ceruice, geminos in humeris, cancrum in pectore, & cetera nominatim signa percurrentes, ad plantas vsque perueniunt, quas piscibus tribuunt, quod vltimum signum ab astrologis nuncupatur.* LEO [*k*] in epistola quadam sua eadem de illis narrat: *Fatalibus stellis*, inquiens, *& animas hominum & corpora opinantur adstringi: per quam amentiam necesse est, vt homines paganorum erroribus implicati & fauentia sibi, vt putant, sidera colere, & aduersantia studeant mitigare. Verum ista sectantibus nullus in ecclesia catholica locus est: Quoniam qui se talibus persuasionibus dedit, a Christi corpore totus abscessit.* SOZOMENVS [*l*] *Eusebium Emissenum* narrat accusatum fuisse, quod hanc artem excoleret, eamque ob caussam relicto episcopatu fugam arripuisse. Alio quidem nomine eam appellat, vocans *astronomiam apotelesmaticam:* sed hoc nomen rem eamdem [*m*] significat: duæ enim partes erant astronomiæ, vna docens naturam & cursum stellarum; quæ ars licita erat: & altera occultos effectus & potestates earum in oppositione & coniunctione &c. qui effectus *apotelesmata* & ars ipsa *apotelesmatica*, & qui eam tractabant, *apotelesmatici* olim vocabantur, vt postea *mathematici* & *Chaldæi*. Sunt [*n*], qui hæc apotelesmata paruas figuras & imagines cereas fuisse putant, arte magica ita, vt influentiæ stellarum essent capaces, factas & in di-

(*i*) Augustin. de hæres. c. LXX.

(*k*) Leo epist. XCI. al. XCIII. ad Turibium cap. XI.

(*l*) Sozomen. lib. III. c. VI. *διεβάλλετο ἀσκεῖσθαι τῆς ἀστρονομίας, ὃ μέρος ἀποτελεσματικὸν καλοῦσι, φυγὰς ἦλθεν εἰς Λαοδίκειαν.*

(*m*) Iustin. respons. ad orthodox. XXIV. de *τελέσμασι* Apollonii loquitur: *Εἰ Θεός ἐστιν δημιουργὸς καὶ δεσπότης τῆς κτίσεως, πῶς* τὰ Ἀπολλωνίου τελέσματα *ἐν τοῖς μέρεσι τῆς κτίσεως δύνανται; Si Deus conditor est & dominus creaturæ, quomodo* Apollonii effectus *in partibus creaturæ potentes sunt?*

(*n*) Vid. Selden. de diis Syris. syntagma I. c. II. p. 116. (NB. In edit. Lugdun. Batav. MDCXXIX. suo integum cap. II. semel atque iterum perlegi, non inveni autem, imagines istas fuisse *cereas*.)
Spencer. de Vrim & Thummim lib. III. c. III. sect. X. p. 369. (p. 1302. edit. Lips. MDCCV. 4to.) Minus igitur a vero distare credimus eorum sententiam, qui imagines hasce futurorum conscias ab antiquissimæ memoriæ populis, Chaldæis, Syris, Aegyptiis, inuentas aut vsitatas adserunt. Maimonides enim imagines illas oracula fundentes, apud nominis antiquissimi

vinatione adhibitas. Vt adeo ars apotelesmatica eadem omnino fuerit ac astrologia iudiciaria. Et propterea *Eusebius Emissenus* ob huius, tamquam illicitæ & christianum episcopum minime decentis, artis exercitium damnatus est. Nam ex iis, quæ de ea dicta sunt, planum est, omnem istiusmodi speciem diuinationis habitam esse pro idololatria & paganismo, vt quæ originem suam malis spiritibus debeat, & absolutum fatum ac necessitatem in humanas actiones introducat, atque ita hominis voluntati omnem libertatem adimat, faciatque Deum auctorem peccati: Quæ blasphemiæ huic arti communiter imputantur a veteribus, AVGVSTINO [o], LACTANTIO [p], TERTVLLIANO [q]

gentes, Zabios aut Chaldæos, fidem & pretium inuenisse refert: *Erexerunt stellis imagines, soli quidem aureas, lunæ vero argenteas. --- Deinde sacella ædificauerunt, imaginesque in illis collocauerunt, arbitrantes stellarum vires influere in illas imagines, easque intelligendi virtutem habere, hominibus prophetiæ donum largiri, ac denique, quæ ipsis vtilia & salutaria sint, indicare.*

(o) Augustin. de ciuit. Dei lib. V. c. I. Illi qui positionem stellarum, quodammodo decernentium qualis quisque sit, & quid ei proueniat boni, quidue mali accidat, ex Dei voluntate suspendunt, si easdem stellas putant habere hanc potestatem traditam sibi a summa illius potestate, vt volentes ista decernant, magnam cælo faciunt iniuriam; in cuius velut clarissimo senatu ac splendidissima curia opinantur scelera facienda decerni: qualia si aliqua terrena ciuitas decreuisset, genere humano decernente fuerat euertenda.
Id. de doctrin. christian. lib. II. c. XXI. Neque illi ab hoc genere perniciosæ superstitionis segregandi sunt, qui genethliaci propter natalium dierum considerationes, nunc autem vulgo mathematici vocantur. Nam & ipsi quamvis veram stellarum positionem, quum quisque nascitur, consectentur & aliquando etiam peruestigent, tamen quod inde conantur vel actiones nostras vel actionum euenta prædicare, nimis errant & vendunt imperitis hominibus miserabilem seruitutem. &c.

(p) Lactant. lib. II. c. XV. Eorum (dæmonum) inuenta sunt astrologia, & aruspicina, & auguratio, & ipsa, quæ dicuntur, oracula, & necromantia & ars magica &c.

(q) Tertull. de idololatr. c. IX. Animaduertimus inter artes etiam professiones quasdam obnoxias idololatriæ. De *astrologis* ne loquendum quidem est. Sed quoniam quidam istis diebus prouocauit defendens sibi perseuerantiam professionis illius, paucis vtar. Non allego, quod idola honorat, quorum nomina cælo inscripsit, quibus omnem Dei potestatem addit: quod propterea homines non putant Deum requirendum, præsumentes stellarum nos immutabili arbitrio agi. Vnum propono, angelos esse illos desertores Dei, amatores feminarum, proditores etiam huius curiositatis, propterea quoque damnatos a Deo. &c.

EVSE-

EVSEBIO [r], ORIGENE & BARDESANE SYRO, qui peculiares dissertationes contra eam scripsit, memoratas EVSEBIO, qui earum epitomen exhibet. Ex AVGVSTINO præterea licebit notare, hosce astrologos siue haruspices nonnumquam *genethliacos* [s] vocatos esse, propter natalium dierum considerationes beneficio schematum & horoscoparum, vt vocabant, institutas, vt cognoscerent, quæ stellarum positio puncto illo temporis fuerit, quo quisque natus esset, & hinc prænuntiarent, quæ ipsis per vitam bona malaue obuentura forent, ex coniunctione stellarum, sub qua nati essent. Et quum horum nonnulli vitam ac mortem principum accurate determinare sibi sumerent, quod publicæ quieti & imperio perniciosum esse credebatur: ideo seueræ leges imperii sub ipsis ethnicis imperatoribus aduersus istud genus hominum latæ sunt, vti ex antiquis iureconsultis VLPIANO & PAVLO demonstrat GOTHOFREDVS [t]. Et hæc alia ratio erat, cur ecclesia seuerissima censura in eos vtendum statueret, vtpote existimans, illud quod leges ethnicæ tamquam crimen capitale punirent, in christianæ ecclesiæ disciplina inultum impunitumque non esse dimittendum. Hoc crimen est, quod *Aquilam* ab ecclesia pepulit. EPIPHANIVS enim [u] cum olim christianam religionem amplexum esse dicit; quum vero mathematicorum artibus nimium tribueret, ac reprehensus sese emendare nollet, ab ecclesia eiectum esse; quo facto ad iudæos eum transiisse, totumque se litteris *Hebraicis* dedisse, iisque egregie penitiusque perceptis ad interpretanda biblia se contulisse, & quædam scripturæ loca de aduentu *CHRISTI* deprauasse. Insigne exemplum astrologi AVGVSTINVS [x] nobis suppeditat, qui quum

(r) Euseb. de præparat. euangel. lib. VI. c. X. & XI. tot.

(s) Augustin. de doctrin. christian. lib. II. c. XXI. cit. sub litt. antec. (o).

(t) Gothofred. in cod. Theodos. lib. IX. tit. XVI. de malefic. & mathematic. leg. II. p. 116. §. Porro. Sane Vlpianus quoque apud *auctorem collationis legum Mosaicarum*, eos qui de principis salute consuluissent, capite punitos, vel qua alia grauiore pœna adfectos scribit. Sed & Paulus 5. *sentent. tit.* 21. Aruspices & ceteros, qui de salute principis & summa reip. respondcrint, vna cum eo, qui consuluerint, capite puniri.

(u) Epiphan. de mensur. & ponder. §. XV. tot. tom. II. p. 171. Vid. infr. cap. VI. sub litt. (a).

(x) Augustin. de mathematico. ad calcem tractatus in psalm. LXI. (tom. VIII.

pro-

propter crimina ſua eccleſia eſſet eiectus, poſtea velut pœnitens eiuſque miniſterio abſolutus & in eccleſiam receptus fuit. Summa criminum eius hæc erat: Fatalem ſtellarum influentiam docuerat, dicens, quod adulterium non faceret voluntas propria, ſed *Venus:* & homicidium non faceret voluntas propria, ſed *Mars*, & iuſtum non faceret Deus, ſed *Iupiter*, ſidus ſic dictum cæleſte. Et hoc modo multis chriſtianis nummos abſtulerat; tandem vero conuerſus, edita confeſſione actaque pœnitentia in eccleſiam rurſus admittebatur, ad communionem laicam, denegata ei in perpetuum dignitate clericali. Ex quo vno exemplo de criminis magnitudine & ratione agendi, quam eccleſia contra iſtiuſmodi ſontes iniit, ſatis poſſumus iudicare.

§. II.

De augurio.

ALIVD diuinationis genus erat, quod vocabatur augurium. Quod diuerſis modis fiebat. Interdum per diuerſorum ſignorum & indiciorum in inteſtinis ſacrificiorum obſeruationem, quod *haruſpicium* & *aruſpicina* dicebatur. Interdum per obſeruationes, ex motu, volatu vel cantu auium factas, quod *augurium* appellabatur ſenſu ſtrictiſſimo. Interdum per obſeruationes ex voce vel etiam ſternutatione hominum captatas, quod *omen* nominabatur, & res reputabatur ominoſa. Interdum ex inſpectione linearum corporis, vt in manu, quod *chi-*

opp. p. 632. edit. Baſil. MDLXIX.) Iſte ex chriſtiano & fideli pœnitens redit, & territus poteſtate domini, conuertitur ad miſericordiam domini. Seductus enim ab inimico, quum eſſet fidelis, diu mathematicus fuit: ſeductus ſeducens, deceptus decipiens, illexit, fefellit, multa mendacia loquutus eſt contra Deum, qui dedit hominibus poteſtatem faciendi quod bonum eſt, & non faciendi quod malum eſt. Iſte dicebat, quia adulterium non faciebat voluntas propria, ſed Venus: & homicidium non faciebat voluntas propria, ſed Mars: & iuſtum non faciebat Deus, ſed Iupiter: & alia multa ſacrilega non parua. Quam multis eum putatis chriſtianis numos abſtuliſſe? -- Modo, ſicut de illo credendum eſt, horruit mendacium & multorum hominum interitum: ſe aliquando a diabolo ſenſit illectum, conuertitur ad Deum pœnitens. Putamus fratres, de magno timore cordis acceſſiſſe. Quid enim dicturi ſumus? Num quid ſi ex pagano conuerteretur mathematicus, magnum quidem eſſet gaudium, ſed tamen poſſet videri, quia ſic conuerſus eſt, clericatum quærere in eccleſia. Pœnitens eſt, non quærit niſi ſolam miſericordiam.

roman-

romantia nuncupabatur, vel vultu ac fronte, quod dicebatur μετωποσκοπία siue *physiognomia*, vel in dorso, quod νωτομαντεία audiebat, cum multis aliis istiusmodi obseruationibus. Veteres *Romani* his superstitionibus maximopere dediti erant, adeo vt collegia augurum haberent, nec pugnare vellent, nec bellum nec pacem facere, vel ardui quid agere, nisi illis prius consultis. Occentus soricis auditus occasionem sæpius dedit dissoluendi senatum, vel consuli consulatum, aut dictatori dictaturam [y] abrogandi caussam præbuit, quod malo omine officium suscepisse credebantur. Iam vero licet christiana religio istis vanitatibus omnibus esset inimica; reliquiæ tamen huius superstitionis in multorum animis, etiam post eorum conuersionem, remanebant. Concilium *Illiberritanum* [z] abrenuntiationem istarum artium conditionem baptismi facit. *Si augur aut pantomimi credere voluerint, placuit, vt prius artibus suis renuntient, & tunc demum suscipiantur, ita vt vlterius non reuertantur. Quod si facere contra interdictum tentauerint, proiiciantur ab ecclesia.* Quæ etiam regula est, in *constitutionibus* apostolicis [a], conciliis *Agathensi* [b], *Venetico* [c], *Aurelianensi* [d] & diuersis aliis præscripta. *Constitutiones* non solum astrologos, magos & carminum magicorum captatores sub censuram vocant, sed etiam erroneos vates, augures, ominum & signorum monstratores, palpitationum interpretes, in occursu obseruantes vitia oculorum & pedum, ex iisque diuinantes, obseruantes aues, aut mustelas, aut voces, aut symbolicas auditiones.

§. III.

De diuinatione per sortes.

OBSERVATIONE etiam dignum est, quod in conciliis *Gallicanis* modo memoratis peculiaris augurii species condemnetur sub nomine *sortium sacrarum.* Quæ pars nouæ erat su-

(y) Valer. Maxim. lib. I. c. I. n. 5. Occentus soricis auditus Fabio Maximo dictaturam, Caio Flaminio magisterium equitum deponendi caussam præbuit.

(z) Concil. Illiberrit. can. LXII.

(a) Constit. lib. VIII. c. XXXII. cit. §. I. sub litt. (g) pag. 236.

(b) Concil. Agathens. c. XLII. vid. sub litt. seq. (g) p. 243.

(c) Concil. Venetic. c. XVI. vid. sub litt. seq. (h).

(d) Concil. Aurel. I. c. XXX. vid. sub litt. seq. (h).

perstitionis, vetustæ stirpi insitæ & ex speciosiore caussa in paganæ praxeos locum introductæ. Pagani enim per certas sortes diuinare solebant, quas vocabant *sortes Virgilianas:* quum videlicet temere arrepto VIRGILII poëtæ libro, quicumque versus primum oculis se obiiciebat, pro sorte eum & oraculi loco haberent. Ita SPARTIANVS [*e*] *Hadrianum* sibi imperium prænuntiasse narrat, sortes *Virgilianas* consulendo. Nam prima verba, quæ oculis obuia habuerit, *Missus in imperium magnum*, imperium *Romanum* ipsi portendisse. Atque ita LAMPRIDIVS [*f*] in vita *Alexandri Seueri* dicit, quod hic imperator per huiusmodi sortes diuinationis ex aliis VIRGILII versibus intellexerit, se *Romani* imperii principem futurum. Iam multi superstitiosi christiani in ea erant opinione, hoc genus diuinationis melius fieri posse per vsum sacrarum scripturarum, eodem modo eodemque consilio. Hinc, vt gentiles VIRGILIO, ita illi sacris bibliis abutebantur, vt per sacras sortes, vti vocabant, fata sibi obuentura discerent, arripientes locum, qui primum ipsorum oculis se obiiceret, vt ex eo futura sibi diuinarent. Et videntur sane nonnulli de inferioribus clericis ex vili & abiecto animo turpisque studio lucri hanc praxin adiuuisse, & quæstum ex ea fecisse in ecclesia *Gallicana.* Vnde concilia *Gallicana*

(*e*) Spartian. vit. Hadrian. p. 5. (p. 9. inter historiæ Augustæ scriptores edit. a Schreuelio Lugd. Batav. MDCLXI.) Quo quidem tempore quum sollicitus de imperatoris erga se iudicio, Virgilianas sortes consuleret,

Qui procul ille autem ramis insignis oliuæ
Sacra ferens? nosco crines incanaque menta
Regis Romani, primam qui legibus vrbem
Fundauit, Curibus paruis & paupere terra,
Missus in imperium magnum, cui deinde subibit,

sors excidit, quam alii ex Sybillinis versibus ei prouenisse dixerunt.

(*f*) Lamprid. vit. Alex. p. 341. (cap. XIV. p. 521. cit. edit.) Ipse, quum parentis hortatu animum a philosophia & musica ad alias artes traduceret, Virgilii sortibus huiusmodi illustratus est:

Excudent alii spirantia mollius æra,
Credo equidem, viuos ducent de marmore vultus,
Orabunt caussas melius, cælique meatus
Describent radio, & surgentia sidera ducent:
Tu regere imperio populos Romane memento.
Hæc tibi erunt artes, pacique imponere morem,
Parcere subiectis & debellare superbos.

Fuerunt multa alia signa, quibus principem humani generis esse constaret.

licana sæpius eam damnant. Concilium *Agathense* [g] de ea hunc in modum loquitur & decernit: *Quod maxime fidem catholicæ religionis infestat, aliquanti clerici siue laici student auguriis & sub nomine fictæ religionis, per eas quas SANCTORVM SORTES vocant, diuinationis scientiam profitentur, aut quarumcumque scripturarum inspectione futura promittunt. Hoc quicumque clericus vel laicus detectus fuerit, vel consulere vel docere, ab ecclesia habeatur extraneus.* Hoc iam sexaginta circiter annis ante iisdem prorsus verbis in concilio *Venetico* an. CCCCLXV decretum fuerat. Et concilium primum *Aurelianense* [h], quinque annis post *Agathense* celebratum, decretum illud cum quadam variatione repetiit. At vero consuetudo nihilo secius durauit. Nam GREGORIVS TVRONENSIS [i] *Chramnum* filium *Chlotacharii* regis clericos *Diuionenses* certis de rebus consuluisse, eosque illi per istiusmodi sortes respondisse, narrat. Nonnulli conuersionem AVGVSTINI istiusmodi consultationi adscribunt. Verum hæc opinio falsa est in ipsumque iniuriosa admodum & contumeliosa. Nam ipsius conuersio originem suam vocationi per diuinam factæ prouidentiam debebat, qualis illa *Pauli* erat de cælo. Ipse in *confessionibus* suis rem enarrat in hunc modum [k]: „Ego sub quadam fici arbore straui me, nescio quomodo, & dimisi habenas lacrimis & proruperunt flumina oculorum meorum. Et „ecce audio vocem de vicina domo cum cantu dicentis & „crebro repetentis quasi pueri an puellæ, nescio: Tolle, lege,

(g) Concil. Agath. c. XLII.

(h) Concil. Venetic. c. XVI.

Concil. Aurel. I. c. XXX. Si quis clericus, monachus, vel sæcularis, diuinationem vel auguria crediderit obseruanda, vel sortes (quas mentiuntur esse sanctorum) quibuscumque putauerint intimandas, cum his qui eis crediderint, ab ecclesiæ communione pellantur.

(i) Gregor. Turon. histor. lib. IV. c. XVI. Positis clerici tribus libris super altarium, id est prophetiæ, apostoli, atque euangeliorum, orauerunt ad dominum, vt Chramno quid eueniret ostenderet: simulque vnam habentes conniuentiam, vt vnusquisque in libro quod primum aperiebat, hoc ad missas etiam legeret. Aperto ergo primo omnium prophetarum libro, reperiunt: *Auferam maceriem eius* &c. (Iesa. V, 5. 4.) Reseratoque apostoli libro, inveniunt: *Ipsi enim diligenter scitis, fratres, quia dies domini sicut fur in nocte veniet* &c. (1 Thess. V, 2. 3.) Dominus autem per euangelia ait: *Qui non audit verba mea, adsimilabitur viro stulto* &c. Matth. VII, 27.

(k) Augustin. confess. lib. VIII. c. XII.

Hh 2 tolle,

„tolle, lege. Statimque mutato vultu intensissimus cogitare „cœpi, vtrumnam solerent pueri in aliquo genere ludendi can-„tare tale aliquid, nec occurrebat omnino audiuisse me vspi-„am: Repressoque impetu lacrimarum surrexi, nihil aliud in-„terpretans diuinitus mihi iuberi, nisi vt aperirem codicem & „legerem, quod primum caput inuenissem. --- Itaque concitus „redii ad eum locum, vbi sedebat *Alipius:* ibi enim posueram „codicem apostoli, quum inde surrexeram. Arripui, aperui, „& legi in silentio capitulum, quo primum coniecti sunt o-„culi mei. *Non in comessationibus & ebrietatibus, non in cubilibus & „impudicitiis, non in contentione & æmulatione, sed induite dominum „Iesum Christum, & carnis prouidentiam ne feceritis in concupiscentiis.* „Nec vltra volui legere, nec opus erat. Statim quippe cum „fine huiusce sententiæ quasi luce securitatis infusa cordi meo, „omnes dubitationis tenebræ diffugerunt„. Hactenus AVGV-STINVS. Nihil diuinationis in his omnibus; sed tempe-stiua loci ad statum suum accommodati applicatio, qualem di-cit ab *Antonio* factam istorum verborum seruatoris nostri: *Va-de, vende omnia, quæ habes, & da pauperibus, & habebis thesaurum in cælis, & veni, sequere me.* Quibus velut oraculo, quod sibi di-ceretur, confestim ad dominum conuersum eum esse ait. Sane AVGVSTINVS quemcumque alium scripturarum vsum in diuina-tionem se detestari declarabat, reprehendens nonnullos, qui hunc in finem eas adhibere solebant. *Hi vero,* inquiens [*l*], *qui de paginis euangelicis sortes legunt, etsi optandum est, vt hoc potius faci-ant, quam vt ad dæmonia consulenda concurrant, tamen etiam ista mihi displicet consuetudo, ad negotia sæcularia & ad vitæ huius vanitatem, propter aliam vitam loquentia oracula diuina velle conuertere.* Ex qui-bus verbis planum est, quod hoc genus diuinationis pro gran-di euangelii abusu, etsi non eodem loco, quo consuetudinem consulendi dæmones, habuerit. Quod ad sic dictas sortes po-liticas attinet, iis nihil mali inest, si rebus, quæ in nostra po-testate sunt, applicentur; exempli caussa, si sortibus agri di-vidantur, vel in exercitu definiatur, quis primus hostem ado-riri debeat; vel tempore persecutionis, quosnam ecclesiæ mi-nistros ad gerendam curam plebis in ciuitate manere oporteat;

(*l*) Augustin. epist. CXIX. ad Ianuar. c. XX.

quæ

quæ res ſpeciatim AVGVSTINO [m] memoratur & vt licita permittitur. Ita princeps pœnas ſuas ſorte diſtribuere poteſt, ſi aliquibus ſontibus parcere velit & reliquos punire. Et ſi duo ſunt, quibus dari aliquid oporteat, nec duobus dari poteſt, AVGVSTINVS [n] non iniuſte fieri putat, ſi ſorte eligatur, cui dandum ſit. Et ſunt multi caſus indifferentes alii eiuſdem generis, in quibus ſortes adhiberi poſſunt ſine vllo religionis detrimento. Et proinde eccleſia nullam vmquam legem tulit ad eas prohibendas vel ſub cenſuram vocandas, niſi ſolum in diſtribuendis officiis eccleſiaſticis & decernendo de vitis hominum, quæ res ſacratiores ſunt, quam vt ſortibus committi poſſint, ſine peculiari Dei mandato, vt in cauſſa *Matthiæ* & *Iuſti* factum, quod, monente HIERONYMO [o], non ſtatim in exemplum ad imitandum nobis proponere debemus; quia priuilegia ſingulorum non poſſunt facere legem communem. Et manifeſtum eſt, ſine iſtiuſmodi ſpeciali mandato ſortes iſtiusmodi res mere fortuitas fore, aut certe puram diuinationem.

§. IV.

De diuinatione per explicitum pactum cum Satana.

ALIAE quædam ſpecies diuinationis erant, multo magis deteſtandæ quam priores illæ, eo quod per explicitum pactum cum diabolo fierent, illiuſque opem & auxilium inuoluerent. Interdum reſponſa ille dabat per imagines ſuas & idola, quæ vocabantur oracula. Interdum loquendo per vates ſuos, quos poſſidebat, qui appellabantur *Pythonici* & *Pythoniſſæ*, hoc eſt, genio familiari, ſiue ſpiritu fatidico agitati, & ἐγγαστριμύθοι, quia ex imo ventre per vmbilicum loquebantur. Interdum

(m) Auguſt. epiſt. CLXXX. ad Honorat. Quæ diſceptatio, ſi aliter non potuerit terminari, quantum mihi videtur, qui maneant & qui fugiant, ſorte legendi ſunt.

(n) Auguſtin. de doctrin. chriſtiana lib. I. c. XXVIII. Si tibi abundaret aliquid, quod dari oporteret ei, qui non haberet, nec duobus dari poſſet, ſi tibi occurrerent duo, quorum neuter alium vel indigentia, vel erga te aliqua neceſſitudine ſuperaret, nihil iuſtius faceres, quam vt ſorte eligeres, cui dandum eſſet, quod dari vtrique non poſſet.

(o) Hieron. in Ioan. I. Nec ſtatim debemus ſub hoc exemplo ſortibus credere, vel illud de actibus apoſtolorum huic teſtimonio copulare, vbi ſorte in apoſtolatum Matthias eligitur: Quum priuilegia ſingulorum non poſſint facere legem communem.

homines certis quibusdam vtebantur cærimoniis in dormiendo, in alio istiusmodi positu, in aliquo templo, in pellibus sacrificiorum &c. ad recipienda illius responsa per somnia, quod *ὀνειρομαντείαν* vocitabant. Interdum responsa dabat per spectra & visiones mortuorum, vti *Sauli* per pythonissam *Endoræam*. Hoc proprie vocabant *νεκρομαντείαν*, hoc est vaticinationem, quæ fiebat euocatis mortuis. Interdum verba faciebat ex cranio hominis mortui, id quod *κρανιομαντεία* dicebatur. Interdum responsa dabat per certa signa & figuras factas in terra, aut aqua, aut aëre, aut igne, aut vitro, aut cribro, & sexcentis aliis fallaciarum modis, siue per veras apparitiones, siue per ludificationem imaginationis. Quæ diuinationis species quemadmodum vocatæ sint & transactæ, in MARTINO DELRIO [*p*] vel LEONARDO LESSIO [*q*] vel PETRO MOLINAEO [*r*] videre est, qui distinctius & per singula capita de illis loquuntur. Ad præsens nostrum institutum id tantummodo spectat, vt obseruemus, quod, vti hoc crimen ex idololatria, hæresi, incredulitate, apostasia, sacrilegio, hypocrisi, curiositate & ambitione admistum aliquid in se habebat, quorum vnumquodque graue crimen per se erat; ita ecclesia numquam non grauissimam excommunicationis censuram ei infligere solita sit. Generale nomen, sub quo omnes illius species damnantur, est *μαντεία*, vaticinatio ex inspiratione Satanæ. In *constitutionibus* [*s*] in eorum, quibus baptismus negandus sit, numero *μάνται vates*, expresso nomine recensentur. Et in concilio *Ancyrano* [*t*] *οἱ καταμαντευόμενοι*, illi, qui diuinationes expetunt, & morem gentilium subsequuntur, aut in domos suas huiusmodi homines introducunt, exquirendi aliquid arte malefica, aut domos lustrandi caussa, a communione separari & quinquennii pœnitentiæ submitti iubentur, ita vt tres annos sub-

(*p*) Delrio disquisit. Magic. lib. IV. cap. II. pag. 564 -- 636. edit. Colon. Agripp. MDCLXXIX. 4to.

(*q*) Lessius de iure & instit. lib. II. c. XLIII. dubit. V.

(*r*) Molinæi vates lib. III. c. VI. seqq. pag. 95. seq. edit. Gorinch. MDCLXXII.

(*s*) Constitut. lib. VIII. c. XXXII. vid. supr. §. I. sub litt. (g) pag. 23[illegible].

(*t*) Concil. Ancyr. c. XXIV. *οἱ καταμαντευόμενοι, καὶ ταῖς συνηθείαις τῶν ἐθνῶν ἐξακολουθοῦντες, ἢ εἰσάγοντές τινας εἰς τοὺς ἑαυτῶν οἴκους ἐπὶ ἀνευρέσει φαρμακειῶν, ἢ καὶ καθάρσει, ὑπὸ τὸν κανόνα πιπτέτωσαν τῆς πενταετίας κατὰ τοὺς βαθμοὺς ὡ-*

strati

ſtrati tranſigant, duobus vero annis orationis ſine oblatione participes ſint. Per legem *Conſtantii* [u] in codice *Theodoſiano* vates & harioli reliquis artes prohibitas exercentibus accenſentur, cuiuſmodi eſſe dicuntur haruſpices, mathematici, augures, Chaldæi, magi, ceteri: Et tam hi, qui iſta diuinandi curioſitate vtuntur, quam illi, qui eos conſulunt, capitis damnantur, tamquam rei criminis capitalis & præuaricationis aduerſus religionem. GOTHOFREDVS [x] obſeruat, quod huius legis crebram mentionem cum aliquo dolore faciant ſcriptores ethnici, AMMIANVS MARCELLINVS, MAMERTINVS & LIBANIVS, qui diuerſa ſeueritatis *Conſtantii*, hanc legem in

---

ϱισμένας, τρία ἔτη ὑποπτώσεως, καὶ δύο ἔτη εὐχῆς χωρὶς προσφορᾶς. Baſil. can. LXXII. Ὁ μάντεσιν ἑαυτὸν ἐκδοὺς, ἤ τισι τοιούτοις, τὸν χρόνον τῶν φονέων καὶ αὐτὸς ἐπιτιμηθήσεται. *Qui ſe vatibus, vel eiuſmodi aliis tradit, ipſe quoque pari tempore atque homicidæ punietur.*

(*u*) Cod. Theodoſ. lib. IX. tit. XVI. de malefic. & mathematicis leg. IV. Nemo haruſpicem conſulat, aut mathematicum, nemo hariolum. Augurum & vatum praua confeſſio conticeſcat. Chaldæi ac magi, & ceteri, quos maleficos ob facinorum magnitudinem vulgus appellat, nec ad hanc partem aliquid moliantur. Sileat omnibus perpetuo diuinandi curioſitas: Etenim ſupplicium capitis feret gladio vltore proſtratus, quicumque iuſſis obſequium denegauerit.

(*x*) Gothofred. in loc. Sane Conſtantii legem memorat quoque Libanius *de vita ſua* p. 11. vbi agit de Criſpinis Heracleotis patruo: ὑπὸ τοῦ θείου τινὸς ὡς ἀληθῶς ἀνθρώπου καὶ πλείω τε θεοῖς ἢ ἀνθρώποις ὁμιλήσαντος ἐν γῇ· Καὶ τοίγε νόμος εἶργε, καὶ ἦν ἡ δίκη τῷ τολμῶντι θάνατος. *Legem* ait *latam aduerſos diuinos & vates, qua pœna mortis his indicata.* Eodemque refert Libanii locum *orat. XXI. ad Theodoſium* p. 393. vbi *Iuliani* nomen loco *Conſtantii* infartum: & pœnam ignis impoſitam *ibidem* teſtatur. Capitale igitur id, vetitumque ſub Conſtantio, vt præter Ammianum Marcellinum pluribus locis docet quoque Libanius *dicta oratione*. Mamertinus *in grat. act. ad Iulianum*. Et tot Conſtantii leges aduerſus id. Ammiani Marcellini locus heic inter alios ſternendus eſt, quo in geſtis anni ſuperioris (id eſt a. d. CCCLVI.) hæc de eodem Conſtantio memorat *lib. XVI. p. 72. Superato Marcello, euerſaque Serdica vnde oriebatur, in caſtris Auguſti per ſimulationem tuendæ maieſtatis imperatoriæ multa & nefanda perpetrabantur. Nam ſi quis ſuper occentu ſoricis, vel occurſu muſtelæ, vel ſimilis ſigni gratia CONSVLVISSET quemquam peritum, aut anile incantamentum ad leniendum dolorem adhibuiſſet (quod medicinæ quoque admittit auctoritas) reus vnde non poterat opinari delatus, raptuſque in iudicium pœnaliter interibat:* Et quæ ſequuntur: vbi inter cetera de Mauortio præfecto prætorio in huiuſmodi negotiis iudice ſeu cognitore delegato agit. *Re*, inquit, *comperta iubetur Mauortius tunc præfectus prætorio vir ſublimis conſtantiæ, cri-*

eſſe-

effectum dantis, exempla adferat. *Constantinus* per vnam duasue leges priores [*y*] gentilibus indulserat libertatem consulendi augures suos, ea tamen conditione, vt publice id facerent, nec de statu reipublicæ vel de vita principis quæstiones proponerent; quod etiam a IVLIO FIRMICO MATERNO [*z*] notatur in libris *matheseon*, quos dum esset ethnicus scripsit. Enimuero *Constantius* obseruato, hanc licentiam in magnos abusus trahi, in vniuersum omnes istiusmodi consultationes prohibuit sub ante memorata capitis pœna, quæ non solum in magos extendebatur, sed ad hariolos etiam & vates, quorum priores aris ministrabant, vt numen siue inspirationem de nidore sacrificiorum reciperent, vti eos describit TERTVLLIANVS [*a*], & posteriores vates erant, qui ex perpetuo inhabitantis dæmonis impulsu vaticinari præ se ferebant; *Latinis* ideo *fanatici* & *Græcis enthusiastæ*, θεόληπτοι & θεοφορούμενοι dicti, vti in THEODORETO [*b*], SVIDA [*c*] aliisque pluribus videre est.

men acri inquisitione spectare, iuncto ad audiendi societatem Vrsulo largitionum comite, seueritatis itidem non improbandæ.

(*y*) Cod. Theodos. ibid. leg. I. Superstitioni suæ seruire cupientes, poterunt publice ritum proprium exercere. Leg. II. Qui id vobis existimatis conducere, adite aras publicas atque delubra, & consuetudinis vestræ celebrate solemnia: nec enim prohibemus præteritæ vsurpationis officia libera luce tractari.

(*z*) Firmic. de mathesi siue astronom. lib. II. in fine. Dabis sane responsa publice & hoc interrogaturis ante prædicito, quod omnia quidem illa, de quibus interrogant te, clara sis voce dicturus: ne quid a te tale forte quæratur, quod non liceat nec interrogare nec dicere. Caue, ne quando de statu reipublicæ, vel de vita Romani imperatoris aliquid interroganti respondeas. Non enim oportet nec licet, vt de statu reipublicæ aliquid nefaria CVRIOSITATE dicamus. Sed & sceleratus atque adnimaduersione dignus est, si quis interrogatus de fato dixerit imperatoris, quia nec dicere poteris de eo aliquid, nec inuenire. Scire enim te conuenit, quod & ARVSPICES quotiescumque a priuatis interrogati de statu imperatoris fuerint, & quærenti respondere voluerint, exta semper quæ ad hoc fuerint destinata, ac venarum ordines inuoluta confusione conturbent. *Et mox:* Numquam nocturnis sacrificiis intersis, siue illa publica, siue priuata dicantur, nec SECRETE cum aliquo fabulas conferas, sed palam sub conspectu omnium istius diuinæ artis exerce disciplinam.

(*a*) Tertull. apol. c. XXIII. Qui aris inhalantes numen de nidore concipiunt.

(*b*) Theodos. histor. lib. IV. c. XI. ἐνθουσιασταὶ καλοῦνται, δαίμονός τινος ἐνεργείας εἰσδεχόμενοι. *Enthusiastæ vocantur, eo quod dæmonis cuiusdam impulsu agantur.*

(*c*) Suid. voce ἔνθους. Ἔνθους τε θεοφορούμενος· ἐνθουσιῶν. *A numine agitatus. Numine aliquo adflatus. Fanaticus.*

Quum

Quum itaque nemo chriſtianus hanc artem exercere, nec eos qui id faciebant, conſulere poſſet ſine directa communione cum dæmonibus, ideo lex ciuilis capitale id faciebat crimen, & lex eccleſiaſtica ſeueriſſima excommunicationis cenſura puniebat.

§. V.

De incantatione magica & faſcinatione.

SVPERSTITIONI diuinationis proxima erat incantationis magicæ & faſcinationis ſuperſtitio; quæ quum communiter ad operanda mala ſpectaret, ideo qui ei ſe dederant, plerumque *venefici* & *malefici* vocabantur, quia aut veneno aut aliis faſcinationis adminiculis mala inferebant aliis. Leges in codice *Theodoſiano* [d] plerumque eis hoc nomen *maleficorum* inurunt. In primis a *Conſtantino* [e] incuſantur, tamquam qui malis artibus ſuis contra innocentium hominum vitam moliantur & potionibus magicis (ſic dictis philtris & pharmacis) ad libidinem alios inducant.

Harmenopul. de ſectis n. XVIII. de Meſſalianis. (ap. Leunclau. in iure Græco-Roman. tom. I. p. 551.) *καλȣ̃νται δὲ ἐκ τȣ̃ πράγματος καὶ* ἐνθȣσιασαί· *δαίμονος γὰρ ἐνέργειαν λαβόντες, πνεύματος ἁγίȣ εἶναι ταύτην ὑπολαμβάνȣσιν. Vocantur etiam ab ipſa re* Enthuſiaſtæ *ſiue limphatici. Nam agitatione dæmonis occupati, putant eam eſſe ſpiritus ſancti.*

(*d*) Cod. Theodoſ. lib. IX. tit. XVI. de maleficiis leg. VI. *Magus* vel magicis contaminibus adſuetus, qui *maleficus* vulgi conſuetudine nuncupatur &c. Leg. IX. Haruſpicinam ego nullum cum *maleficiorum* cauſſis habere conſortium iudico. Leg. X. Nonnulli ex ordine ſenatus *maleficiorum* inſimulatione atque inuidia ſtringebantur. Leg. XI. Quicumque *maleficiorum* labe pollutum audierit &c. Tit. XXXVIII. de indulgentiis criminum leg. I. Propter Criſpi atque Helenæ partum omnibus indulgemus, præter *veneficos*, homicidas, adulteros. Leg. III. Ob diem paſchæ -- omnibus, quos reatus adſtringit, carcer incluſit, clauſtra diſſoluimus: attamen ſacrilegus, in maieſtate reus, in mortuos *veneficus*, ſiue *maleficus*, adulter, raptor, homicida, communione iſtius muneris ſeparentur. Leg. IV. Paſchæ celebritas poſtulat, vt quoſcumque nunc ægra exſpectatio quæſtionis, pœnæque formido ſollicitat, abſoluamus: Decretis tamen veterum mos gerendus eſt, ne temere homicidii crimen, adulterii fœditatem, maieſtatis iniuriam, *maleficiorum* ſcelus, inſidias venenorum raptuſque violentiam ſinamus euadere. Vide ſis ibid. leg. VI. VII. VIII. cit. infr cap. X. §. I. ſub litt. (a).

(*e*) Cod. Theodoſ. lib. IX. tit. XVI. leg. III. Eorum eſt ſcientia punienda, & ſeueriſſimis merito legibus vindicanda, qui magicis adcincti artibus, aut contra hominum moliti ſalutem, aut pudicos ad libidinem defixiſſe animos detegentur.

Omnes isti, si detecti fuerint, capitis pœna adfici iubentur. *Constantinus* [*f*] elementa eos turbare dicit & tempestates ciere & malis artibus manes euocare, vt hominibus ad conficiendos inimicos suos succurrant: Quos proinde puniri iubet, tamquam monstra, quæ omnem humanitatem exuerint. Et dignum obseruatu est, quod in istis legibus omnibus, quæ reis in festiuitate paschali indulgentiam [*g*] tribuunt, venefici & malefici, hoc est, artibus magicis contra vitam hominum operam nauantes, semper excludantur, vtpote grauiore crimine adstricti, quam vt sub vniuersali venia, aliis sontibus indulta, comprehendi possint. Et secundum hanc agendi rationem, in legibus ciuilibus initam, leges ecclesiasticæ admodum seuere in eos omnes animaduertebant, quocumque nomine rei deprehenderentur. Concilium *Laodicenum* [*h*] eos sub nomine magorum & incantatorum damnat vna cum sic dictis mathematicis & astrologis, iubens eos omnes ex ecclesia eiici. Concilium *Ancyranum* [*i*] artem prohibet sub nomine Φαρμακειῶν, hoc est, artis magicæ inueniendi medicamenta in vsus prauos: Et quinquennii pœnitentiæ subiici iubentur, quicumque magum in ædes suas hoc consilio receperint. Canones BASILII [*k*] sub eadem appellatione Φαρμακειῶν istam artem damnant, &

(*f*) Ibid. leg. V. Multi magicis artibus ausi elementa turbare, vitas insontium labefactare non dubitant, & manibus accitis audent ventilare, vt quisque suos conficiat malis artibus inimicos. Hos quoniam naturæ peregrini sunt, feralis pestis absumat.

(*g*) Vid. cod. Theodos. lib. IX. tit. XXXVIII. de indulgentiis criminum leg. I. III. cit. sub litt. (d). Ibid. leg. IV. VI. VII. VIII. cit. cap. IV. §. II. sub litt. (c) (d) (e) pag. 194. 195.

(*h*) Concil. Laodic. can. XXXVI. ὅτι οὐ δεῖ ἱερατικοὺς ἢ κληρικοὺς, μάγους ἢ ἐπαοιδοὺς εἶναι, ἢ μαθηματικοὺς, ἢ ἀστρολόγους, ἢ ποιεῖν τὰ λεγόμενα φυλακτήρια, ἅτινά ἐστι δεσμωτήρια τῶν ψυχῶν αὐτῶν· τοὺς δὲ φοροῦντας ῥίπτεσθαι ἐκ τῆς ἐκκλησίας ἐκελεύσαμεν. *Quod non oportet eos, qui sunt sacrati, vel clerici, esse* magos, *vel* incantatores, *vel* mathematicos, *vel* astrologos, *vel facere ea, quæ dicuntur amuleta, quæ quidem sunt ipsarum animarum vincula: eos autem qui ferunt, eiici ex ecclesia iussimus.*

(*i*) Concil. Ancyran. c. XXV. vid. sub anteced. litt. (t) pag. 246.

(*k*) Basil. Can. VII. Φαρμακοὶ καὶ μοιχοὶ καὶ εἰδωλολάτραι τῆς αὐτῆς καταδίκης εἰσὶν ἠξιωμένοι. Venefici *& adulteri & idololatræ eadem condemnatione digni habentur.* Can. LXV. Ὁ γοητείαν ἢ Φαρμακείαν ἐξαγορεύων, τὸν τοῦ

tri-

triginta annorum pœnitentiam exercentibus illam iniungunt. In concilio *Carthaginensi* quarto nomine incantationis [*l*] improbatur & augurio iungitur, omnesque ei seruientes a conventu ecclesiæ separari iubentur: vt ne memoremus, quæ scriptores priuati, ORIGENES [*m*], TERTVLLIANVS [*n*], HERMES PASTOR [*o*] & complures alii contra id maleficium dixerunt: Inter quos TERTVLLIANVS speciatim obseruat, nullis vmquam magis aut incantatoribus licuisse esse impunitis.

§. VI.

De amuletis, carminibus & characteribus magicis.

ERAT autem alia incantationis species, quam multi rudes ac superstitiosi christiani ex gentilis erroris reliquiis adamabant. Vsus videlicet amuletorum, carminum ac characterum magicorum ad curandos morbos & pericula ac damna tum a se ipsis, tum a fructibus terræ auerruncanda. CONSTANTINVS enim sub reformationis suæ initia paganis ad tempus permiserat, vt non tantum augures suos publice consulerent, sed suffragia etiam, hoc est carmina magica, tamquam remedia [*p*]

φονέως χρόνον ἐξομολογήσεται. *Qui præstigias vel* veneficium *confitetur, is homicidæ tempus in pœnitentia ducet.*

(*l*) Concil. Carthagin. IV. c. LXXXIX. Auguriis vel incantationibus seruientem, a conuentu ecclesiæ separandum.

(*m*) Orig. contr. Celsum lib. VII. p. 373. οὐ χρὴ θεραπεύειν δαίμονας, ὅστις σέβει θεόν· δηλοῦται δὲ τὰ περὶ τοὺς δαίμονας καὶ ἐκ τῶν καλούντων δαίμονας ἐπὶ τοῖς ὀνομαζομένοις φίλτροις, ἢ μισήτροις, ἢ ἐπὶ κωλύσεσι πράξεων, ἢ ἄλλων τοιούτων μυρίων· ἅπερ ποιοῦσιν οἱ δι' ἐπῳδῶν καὶ μαγγανειῶν μεμαθηκότες καλεῖν καὶ ἐπάγεσθαι δαίμονας ἐφ' ἃ βούλονται· διόπερ ἡ πάντων δαιμόνων θεραπεία ἀλλοτρία ἡμῶν ἐστι, τῶν σεβόντων τὸν ἐπὶ πᾶσι θεόν. *Quisquis Deum colit, non debet seruire dæmonibus. Liquent etiam res dæmonum ex eorum innocatoribus, quum horum opera vtuntur ad excitandos amores & odia, aut ad impediendas actiones innumeraque alia similia, quæ faciunt per* incantationes magicas, *edocti vocare & inducere dæmonas ad quidquid libuerit: quamobrem omnis dæmonum cultura est aliena a nobis, summi Dei cultoribus.*

(*n*) Tertull. de idol. c. IX. Post euangelium nusquam inuenies aut sophistas, aut Chaldæos, aut incantatores, aut coniectores, aut magos, nisi plane punitos.

(*o*) Hermes Past. lib. I. vision. III. n. VI. Malefici quidem venena sua in pyxidibus baiulant.

(*p*) Cod. Theodos. lib. IX. tit. XVI. de malefic. leg. III. Nullis criminationibus implicanda sunt remedia humanis quæsita corporibus, aut in aggrestibus lo-

adhiberent corporibus humanis, nec non auertendis a messe & vindemia imbribus ac grandinis ictibus; quemadmodum ex ipsa illa lege liquido patet, in qua alias magiæ species, ad mala efficienda spectantes, morte puniri iussit. Qua ex indulgentia paganis facta probabiliter accidit, vt multi christiani, qui maculam aliquam ex paganismo in religionem suam secum attulerant, occasionem arriperent opinandi, non adeo mala esse istiusmodi carmina magica & incantamenta, si tantum ad procurandam vtilitatem, non ad damnum cuipiam inferendum, spectarent. Vtcumque autem fuit, res ipsa certa est & explorata, quod multi christianorum in hanc praxin propensi, & idcirco carminibus magicis & amuletis vsi fuerint, quæ **περιάμματα** & *φυλακτήρια ligaturas* & *seruatoria* vocarint, se per illa custodiri a malis & morbos auerti existimantes. Ista phylacteria, vti nominabant, species amuletorum erant, ex filis contexta, & verba quædam e scripturis sacris vel alios magicos characteres inscriptos habentia, quæ sine vlla vi naturali remedia aduersus morbos futura credebantur. Quocirca ecclesia, vt hanc superstitionem ex hominum mentibus expelleret, seueras leges contra eam facere necesse habebat. Concilium *Laodicenum* [q] clericos damnat, facientes istiusmodi amuleta siue phylacteria, quæ sint potius ipsarum animarum vincula, omnesque, qui ea ferant, eiici ex ecclesia iubet. CHRYSOSTOMVS sæpe eorum cum quadam indignatione meminit. In illud psaltæ: *Exsultabo in salutari tuo*, ait [r]: *Ita nos quoque quæramus non omnino seruari, non omnino a malis liberari, sed per Deum. Hoc autem dico propter eos, qui in morbis vtuntur incantationibus, & alias exquirunt imposturas & præstigias ad suam leuandam ægritudinem. Hoc enim non est seruari, sed perire.* Alio loco dissuadens christi-

cis, ne maturis vindemiis metuerentur imbres, aut ruentis grandinis lapidatione quaterentur, adhibita innocenter suffragia, quibus non cuiusque salus aut existimatio læderetur, sed quorum proficerent actus, ne diuina munera & labores hominum sternerentur.

(q) Concil. Laodicen. c. XXXVI. vid. sub litt. anteced. (h).

(r) Chrysost. in psalm. IX, 15. p. 137. (p. 117. circ. fin. edit. Francof.) *οὕτω δὴ καὶ ἡμεῖς μὴ πάντως σωθῆναι ζητῶμεν, μὴ πάντως ἀπαλλαγῆναι τῶν δεινῶν παντὶ τρόπῳ, ἀλλὰ κατὰ Θεόν· τοῦτο δὲ λέγω διὰ τοὺς ἐπαοιδαῖς χρωμένους ἐν ταῖς νόσοις, καὶ ἑτέρας μαγγανείας ἐπιζητοῦντας εἰς παραμυθίαν τῆς ἀῤῥωστίας· τοῦτο γὰρ οὐχὶ σωθῆναί ἐστιν, ἀλλ' ἀπολέσθαι.*

anis,

anis, ne ad iudæos currant, qui iſtiuſmodi incantationibus morbos curare dicantur, in hunc modum loquitur [*s*]: *Chriſtiani propter hoc vocamur & ſumus, vt CHRISTO pareamus, non vt ad hoſtes curramus. Quod ſi quis prætexat curationes aliquas, dicatque tibi, Pollicentur remedium, & ideo ad illos curro: patefacito illorum impoſturas, incantationes, amuleta, veneficia. Neque enim alio modo videntur mederi, neque enim vere medentur, abſit. Quin ego quidem illud longe mirabilius dicam, etiamſi vere ſanaret, ſatius tamen eſſe emori, quam ad CHRISTI hoſtes accurrere, atque ita ſanari. Quid enim prodeſt curare corpus, anima pereunte? Quid autem lucri, ſi quid ſolatii nanciſcamur, mox coniiciendi in ignem æternum?* Exemplum ibi *Iobi* proponit & *Lazari* & viri illius, qui triginta octo annis detentus fuerat in infirmitate ſua, & ſingulis annis cucurrerat ad piſcinam *Betheſdæ*, qui numquam confugerint ad vates, non adierint incantatores, non alligarint amuleta, ſed exſpectarint diuinam opem: Et *Lazarum* quidem prius habuiſſe dicit ſuis immori malis, quam quidquam vetitarum artium tentare & vlla ex parte deſerere pietatem. Hoc genus quoddam martyrum [*t*] eſſe exiſtimat, ſi quis mori, aut infantem ſuum videre mortuum malit, quam amuleta facere. Etſi enim propria manu corpus ſuum non ſacrificet, vti *Abraham* filium ſuum, mente tamen ſacrificium Deo offerre eum dicit. Contra ea „Amuleta, inquit, etſi de iis mil-„lies philoſophentur, qui ex iis rem faciunt, dicentes, Deum in-

(*s*) Chryſoſt. homil. VI. contr. Iudæos tom. I. p. 536. (p. 478. edit. Francof.) *χριστιανοὶ διὰ τοῦτο καλούμεθα καὶ ἐσμέν, ἵνα τῷ χριστῷ πειθώμεθα, οὐχ ἵνα πρὸς τοὺς ἐχθροὺς τρέχωμεν· ἂν δέ τινας θεραπείας προτείνηται, καὶ λέγῃ πρός σε· ὅτι ὑπισχνοῦνται θαραπεύειν, καὶ διὰ τοῦτο πρὸς αὐτοὺς τρέχω· ἀνακάλυψον αὐτῷ τὰς μαγγανείας, τὰς ἐπῳδάς, τὰ περιάμματα, τὰς φαρμακείας· οὐδὲ γὰρ ἄλλῳ τινὶ τρόπῳ δοκοῦσι θεραπεύειν, οὐδὲ γὰρ θεραπεύουσι κατὰ ἀλήθειαν, μὴ γένοιτο· ἐγὼ δὲ καὶ ὑπερβολὴν ποιοῦμαι πολλήν, καὶ ἐκεῖνο λέγω· ὅτι εἰ καὶ θεραπεύουσι ἀληθῶς, βέλτιον ἀποθανεῖν, ἢ τοῖς ἐχθροῖς τοῦ θεοῦ προσδραμεῖν, καὶ τοῦτον θεραπευθῆναι τὸν τρόπον· τί γὰρ ὄφελος, σῶμα θεραπεύεσθαι, τῆς ψυχῆς ἀπολλυμένης; τί δὲ κέρδος, ἐνταῦθά τινος τυγχάνειν παραμυθίας, μέλλοντας εἰς τὸ ἀθάνατον παραπέμπεσθαι πῦρ.*

(*t*) Chryſoſtom. hom. VIII. in Coloſſ. p. 1374. (p. 220. edit. Francof.) *ἐνόσησεν, οὐκ ἐποίησε περίαπτα· μαρτύριον αὐτῇ λογίζεται, κατέθυσε γὰρ τὸν υἱὸν τῇ γνώμῃ, τί γὰρ εἰ καὶ μηδὲν ὠφελεῖ ἐκεῖνα, ἀλλ᾽ ἀπάτης ἐστὶ καὶ χλεύης; ἀλλ᾽ ὅμως ἦσαν οἱ πείθοντες, ὅτι ὠφελεῖ· καὶ εἵλετο μᾶλλον νεκρὸν τὸ παιδίον ἰδεῖν, ἢ εἰδωλολατρείας ἀνασχέσθαι - - μᾶλλον δὲ ἤδη ἐποίησε τὸ τῆς θυσίας, τὰ γὰρ περίαπτα, κἂν μυρία φιλοσοφῶσιν οἱ ἐκ τούτων χρηματιζόμενοι, λέγοντες ὅτι τὸν θεὸν κα-*

„vocamus, & nihil amplius facimus, chriſtiana & fidelis eſt mu-„lier, & quæ ſunt eiuſmodi, ea res eſt idololatria. Es fidelis, „ſigna te, dic, hæc arma habeo ſola, hoc medicamentum: a-„liud autem neſcio. Dic mihi, ſi quis acceſſerit medicus, & me-„dicinæ dimiſſis medicamentis incantet, eumne dicemus me-„dicum? Nequaquam. Medicinæ enim non videmus medi-„camenta. Ita nec heic chriſtianiſmi„. Addit, quaſdam aniculas applicare incantationibus ſuis nomina fluuiorum; alias autem cineres, fuliginem & ſales, & exclamare, oculum rapuiſſe infantem & ſexcenta iſtiuſmodi ridicula, & pudenda alia, quæ chriſtianos riſui & ſubſannationi exponant gentilium, quorum multi ſapientiores ſint, quam vt iſtiuſmodi impoſturis aurem præbeant. Tandem rem omnem concludens ipſis adfirmat, quod ſi quiſpiam amuletum, vel incantationem, vel iſtius artis aliquid aliud feciſſe fuerit deprehenſus, futurum ſit, vt non parcat. Senſus eſt, iſtiuſmodi hominem ſeueritati cenſuræ eccleſiaſticæ ob iſtiuſmodi crimina ſubiectum iri. Alibi [u] de feminis queritur, quod phylacteria ex euangeliis faciant, geſtentque collo dependentia. Similes querelæ a BASILIO [x] fiunt & EPIPHANIO [y]. Ex quibus videre eſt,

λέγωμεν, καὶ οὐδὲν πλέον ποιοῦμεν, καὶ ὅσα τοιαῦτα, καὶ χριστιανή ἐστιν ἡ γραῦς καὶ πιστή, εἰδωλολατρεία τὸ πρᾶγμά ἐστι· πιστὴ εἶ; σφράγισον, εἰπὲ, τοῦτο ἔχω τὸ ὅπλον μόνον, τοῦτο τὸ φάρμακον· ἄλλο δὲ οὐκ οἶδα· εἰπέ μοι, ἐὰν προσελθὼν ἰατρὸς, καὶ τὰ τῆς ἰατρικῆς φάρμακα ἀφεὶς, ἐπᾴδῃ, τοῦτον ἰατρὸν ἐροῦμεν; οὐδαμῶς· τὰ γὰρ τῆς ἰατρικῆς οὐχ ὁρῶμεν φάρμακα· οὕτως οὐδὲ ἐνταῦθα τὰ τοῦ χριστιανισμοῦ.

(u) Chryſoſt. homil. LXXIII. in Matth. p. 627. (p. 772. edit. Francof.) ἃ φυλακτήρια ἐκάλουν· ὡς πολλαὶ νῦν τῶν γυναικῶν εὐαγγέλια τῶν τραχήλων ἐξαρτῶσαι ἔχουσι.

(x) Baſil. in pſalm. XLV. p. 229. ὅταν ἐν ταῖς θλίψεσιν ἐπὶ πάντα μᾶλλον ἢ ἐπὶ τὸν θεὸν τρέχωμεν· νοσεῖ τὸ παιδίον; καὶ σὺ τὸν ἐπαοιδὸν περισκοπεῖς, ἢ τὸν τοὺς περιέργους χαρακτῆρας τοῖς τραχήλοις τῶν ἀναιτίων νηπίων περιτιθέντα. κ. τ. λ. *Quum tribulatione quadam adflictamur, ad omnia potius, quam ad ipſum Deum noſtrum recurrimus. Vnus tibi puſio ægrotat? quaquauerſum circumfers oculos requirens incantatorem: aut certe eum, qui ſupervacaneos vanoſque characteres, ſeu figuras, puerorum innocentium collo circumliget.*

(y) Epiphan. hæreſ. XV. de ſcribis. Not. Nihil heic de feminis phylacteria geſtantibus inuenio, etſi quædam de ſcribarum phylacteriis dicat: καὶ φυλακτήρια (inquiens) παρ᾽ ἑαυτοῖς ἐπὶ τὰ ἱμάτια ἐπετίθετο, τουτέστι πλατέα σήματα πορφύρας· νομίσειε δ᾽ ἄν τις, ἐπειδήπερ καὶ ἐν τῷ εὐαγγελίῳ τοῦτο ἐμφέρονται, μὴ

hanc

hanc partem ſuperſtitionis, morborum curationem citra vſum medicamentorum quærendi, in multorum chriſtianorum mentibus altas radices egiſſe.

ECCLESIA quidem ſæpius ſine medicamentis morbos curabat, ſed eadem id faciebat ratione, qua dæmones eiiciebat, multaque patrabat miracula in hominum vtilitatem per poteſtatem *CHRISTI*, nominiſque ipſius inuocationem. *Non inuocationibus angelicis*, inquit IRENAEVS [z], *facit* (eccleſia) *aliquid, nec incantationibus, nec reliqua praua curioſitate; ſed munde & pure, & manifeſte orationes dirigens ad dominum, qui omnia fecit, & nomen domini noſtri Ieſu Chriſti inuocans, virtutes ſecundum vtilitates hominum, ſed non ad ſeductionem perficit.* Hoc diſcrimen inter hæreticos erat & eccleſiam. Hæretici incantationibus plerumque vtebantur, vt IRENAEVS ſpeciatim de *Baſilidianis* [a] obſeruat, qui imagines ſuas habebant, nomina *abraxas*, vel *abracadabra*, vel, vti BARONIVS [b] exiſtimat, nomina trecentorum ſexaginta quinque cælorum ſuorum, pari numero membrorum in corpore humano reſpondentium, ſibi inſcripta gerentes. AVGVSTINVS queritur, quod nonnulli ex ſatanæ inſtrumentis, qui haſce artes profiteantur, ipſius *CHRISTI* nomen vſurpent, vt eo facilius chriſtianos decipiant. *Fingunt*, inquit [c], *ſpiritus mali vmbras quaſdam honoris ſibimet ipſis, vt ſic decipiant eos, qui ſequuntur Chriſtum. Vſque adeo, vt illi ipſi, qui ſeducunt per ligaturas, per præcantationes, per machinamenta inimici, miſceant præcantationibus ſuis nomen CHRISTI, quia iam non poſſunt ſeducere chriſtianos, vt dent venenum, addunt mellis aliquantum, vt per id quod dulce eſt, lateat quod amarum eſt, & bibatur ad perniciem.* De quorum deceptione ſuos admonet, ne quærant alibi *CHRISTVM*, quam vbi ſe ipſis

---

ἄρα; περὶ περιάπτων λέγει· ἐπειδὴ γὰρ καὶ εἰώθασί τινες τὰ περίαπτα φυλακτήρια ὀνομάζειν· ἐκ ἔχει δὲ ὁ λόγος τὸ παράπαν περὶ τέτε. Adhæc veſtes phylacteriis diſtinctas gerebant, quæ ſunt latiora quædam purpuræ ſegmenta. De quibus quum euangelium meminerit, ſuſpicari quiſpiam poſſit, de amuletis hic ſermonem inſtitui: quod a nonnullis amuleta phylacteria vocentur.

(z) Iren. lib. II. c. LVII.

(a) Iren. lib. I. c. XXIII. Vtuntur hi magia & incantationibus & inuocationibus & reliqua vniuerſa periergia &c.

(b) Baron. an. CXX. n. X. (n. XIII. XIV. XV. edit. Antuerp. MDCXVII.)

(c) Auguſt. tract. VII. in Ioan. tom. IX. p. 27. (p. 63. 64. edit. Baſil. MDLXIX.)

volu-

voluerit prædicari CHRISTVS, & ſubiungit: *Non, quando nobis dolet caput, curramus ad præcantatores, ad ſortilegos & remedia vanitatis. Fratres mei, non vos plangam? Quotidie inuenio iſta. Et quid faciam? Nondum perſuadeo chriſtianis, in CHRISTO ſpem eſſe ponendam. Ecce ſi cui factum eſt remedium, moriatur. Quam multi enim cum remediis mortui ſunt, & quam multi ſine remediis reuixerunt. Qua fronte exiit anima ad Deum? Perdidit ſignum CHRISTI, accepit ſignum diaboli.* Alio loco [*d*] in hunc modum loquitur: *Quoties aliqua infirmitas ſuperuenerit, corpus & ſanguinem CHRISTI iſte, qui ægrotat, accipiat, & inde corpuſculum ſuum vngat, vt illud, quod ſcriptum eſt, impleatur in eo, Infirmatur aliquis, inducat presbyteros, & orent ſuper eum, vngentes eum oleo, & oratio fidei ſaluabit infirmum, & alleuabit eum dominus: & ſi in peccatis ſit, dimittentur ei. Videte fratres, quia qui in infirmitate ad eccleſiam cucurrerit, & corporis ſanitatem recipere, & peccatorum indulgentiam merebitur obtinere. Quum ergo duplicia bona poſſint in eccleſia inueniri, quare per præcantatores, per fontes & arbores & diabolica phylacteria, per characteres & haruſpices & diuinos vel ſortilegos multiplicia ſibi mala miſeri homines conantur inferre?* Multas alias iſtiuſmodi ſuperſtitiones memorat, quæ ex paganiſmo remanſerant, qualis erat turpiſſima conſuetudo, de hinnicula vel ceruula obſeruata; mos exclamandi, quum luna obſcuraretur, quo ipſo a maleficiis ſeſe defenſare poſſe credebant; obſeruatio feriæ quintæ hebdomadis in honorem *Iouis*; de quibus omnibus concludit [*e*]: *Quoſcumque tales eſſe cognoueritis, duriſſime caſtigate. Et ſi ſe emendare noluerint, nec ad colloquium, nec ad conuiuium veſtrum eos venire permittite.* Sunt, qui hanc homiliam potius CAESARII eccleſiæ *Arelatenſis* antiſtitis eſſe, exiſtimant; quod ſi ita eſt, id ſolum oſtendit, hoc crimen inter nonnullos in *Gallia* tum obtinuiſſe, vti aliquot ſæculis poſt obtinuit. Id quod ex *capitulis Caroli Magni* [*f*] apparet, vbi hoc decretum legimus: *Calculatores, incantatores, tempeſtarii, vel obligatores* (hoc eſt, phylacteria facientes collis circumliganda) *non fiant: Et vbicumque ſint, vel emendentur vel damnentur.* Hoſce

(*d*) Aug. ſerm. CCXV. de tempore. (tom. X. opp. p. 1070. edit. Baſil. MDLXIX.) Vide ſis lib. II. c. XX. de doctrin. chriſt. infra §. VIII. ſub litt. (a).

(*e*) Ibid. p. 1071.

(*f*) Capit. Aquiſgran. lib. I. c. LXIV. concil. tom. VII. p. 984.

etiam

etiam notat ac damnat concilium *Romanum* [*g*] ſub GREGORIO ſecundo an. DCCXXI: *Si quis*, inquiens, *hariolos*, *haruſpices*, *vel incantatores obſeruauerit*, *aut phylacteriis vſus fuerit*, *anathema ſit*. Et in concilio *Trullano* [*h*] ſimile decretum factum legimus in hanc ſententiam: *Qui vatibus ſe ipſos tradiderunt, vel qui hecatontarchæ vel centuriones dicuntur, vel aliis eiuſmodi, vt ab iis diſcant, ſi quid ſibi reuelari velint; conuenienter iis, quæ de ipſis a patribus conſtituta ſunt, ſexennii canoni ſubiiciantur*, hoc eſt ſex annis excommunicentur. Eamdem pœnam diuerſis aliis ſuperſtitionis adiutoribus infligi iubet iſtud concilium, quando ſtatim pergit: *Ipſi*[*i*] *eos quoque ſubiici oportet, qui vrſos, vel eiuſmodi animalia ad ludum & ſimpliciorum noxam circumferunt, & fortunam ac fatum & genealogiam & quorumdam eiuſmodi verborum multitudinem ex fallaciæ impoſturæque nugis proferunt: eoſque qui nubium expulſores, & incantatores & amuletorum præbitores & vates appellantur. Eos autem, qui in iis perſiſtunt, & non ab eiuſmodi pernicioſis gentilibuſque ſtudiis auertuntur & aufugiunt, eccleſia omnino exturbandos decernimus, ſicut & ſacri canones dicunt: Quæ enim eſt luci cum tenebris communicatio? (vt ait apoſtolus) vel quæ templo Dei cum idolis conſenſio? vel quæ fideli cum infideli pars eſt? Quæ autem Chriſti eſt cum Belial concordia ac conuentio?* Ex his manifeſtum eſt, fuiſſe adhuc reliquias quaſdam gentilis

(*g*) Concil. Roman. can. XII. Vid. capit. Martin. Bracarenſis c. LXXII. Non liceat chriſtianis tenere traditiones gentilium, & obſeruare vel colere elementa; aut lunam aut ſtellarum curſum, & inanem ſignorum fallaciam conſiderare, pro domo facienda & ad coniugia ſocianda: ſcriptum eſt enim: *Omnia quæcumque facitis in verbo, aut in opere, in nomine domini noſtri Ieſu Chriſti facite, gratias agentes Deo.* Si quis autem fecerit, ſeueriſſime corripiatur, & canonice pœniteat.

(*h*) Concil. Trullan. c. LXI. *οἱ μάντεσιν ἑαυτὰς ἐπιδιδόντες, ἢ τοῖς λεγομένοις ἑκατοντάρχαις, ἤ τισι τοιούτοις, ὡς ἂν παρ᾽ ἐκείνων μάθοιεν, εἴ τι ἂν αὐτοῖς ἐκκαλύπτεσθαι βούλοιντο, κατὰ τὰ πρώην ὑπὸ τῶν πατέρων περὶ αὐτῶν ὁρισθέντα ὑπὸ τὸν κανόνα πιπτέτωσαν τῆς ἑξαετίας.*

(*i*) Ibid *τῷ αὐτῷ δὲ τούτῳ ἐπιτιμίῳ καθυποβάλλεσθαι δεῖ καὶ τοὺς τὰς ἄρκτους ἐπισυρομένους, ἢ τοιαῦτα ζῶα, πρὸς παίγνιον καὶ βλάβην τῶν ἁπλουστέρων· καὶ τύχην, καὶ εἱμαρμένην, καὶ γενεαλογίαν, καὶ τοιούτων τινῶν ῥημάτων ὄχλον κατὰ τοὺς τῆς πλάνης λήρους φθεγγομένους· τούς τε λεγομένους νεφοδιώκτας, καὶ γοητευτὰς, καὶ φυλακτηρίους, καὶ μάντεις· ἐπιμένοντας δὲ τούτοις καὶ μὴ μετατιθεμένους καὶ ἀποφεύγοντας τὰ ὀλέθρια ταῦτα καὶ ἑλληνικὰ ἐπιτηδεύματα, παντάπασιν ἀπορρίπτεσθαι τῆς ἐκκλησίας ὁρίζομεν, καθὰ καὶ οἱ ἱεροὶ κανόνες διαγορεύουσι· τίς γὰρ κοινωνία φωτὶ πρὸς σκότος; κ. τ. λ.*

superstitionis & idololatriæ inter christianos, in primis in vsu phylacteriorum & diuinationis aliarumque istiusmodi obseruationum. Difficile autem ad hariolandum est, quinam intelligendi sint per ἑκατοντάρχας siue *centuriones*, qui vatibus heic iunguntur & vetantur consuli. Exstat in codice *Theodosiano* lex aliqua *Honorii* [*k*], quam GOTHOFREDVS huic canoni non nihil lucis dare posse existimat. Ex huius enim legis verbis colligere licere ait, chiliarchas & centenarios millenis & centenis plebis ita distributis præfuisse, ad instruendam scilicet pompam gentilitiam: vtpote iunctos *fredianis* & *dendrophoris*, quos ostendit imagines deorum humeris suis portasse in pompis. Præerant hi certis corporibus siue societatibus, & alia in lege appellantur *collegiati* & *vituriarii* (siue *didumarii*) hoc est officiales *Apollinis Didumæi*; & *nemesiaci*, id est, officiales deæ *Nemesis* (quæ & bona fortuna & fatorum dispensatrix appellatur;) & *signiferi* & *cantabrarii*, qui signa, & in his deorum, ferebant in pompis, festis & ludicris gentilitiis [*l*]; Et hi, vt ex COMMODIANO [*m*], christiano poëta, ostendit GOTHOFREDVS, diuinos se & prophetas agebant, fataque hominum explicabant. Alios etiam in hæc collegia cooptabant, tamquam principes in hisce pompis, qui *chiliarchæ* & *hecatontarchæ* vocitati. Quæ omnia cum canone *Trullano* congruunt, qui hecatontarchas vatibus iungit, eosque facit fatorum expositores, de fortuna, fato, & genealogia multum loquentes ad decipiendam multitudinem. Qui vrsos & alia animalia trahebant ex

(*k*) Cod. Theodos. lib. XVI. tit. X. de paganis leg. XX. Chiliarchas insuper & centenarios, vel qui sibi plebis distributionem vsurpare dicuntur, censuimus remouendos, cetera.

(*l*) Cod. Theod. lib. XIV. tit. VII. de collegiatis leg. II. Collegiatos & vituriarios & nemesiacos, signiferos, cantabrarios & singularum vrbium corporatos, simul forma præcipimus, reuocari. cetera. Vid. Gothofred. in loc. p. 192. 193. 194.

(*m*) Commodian. instruct. ad calcem Cypriani edit. Rigaltii.

Mente ebrio, crudo, perituro creditis vino:
Ex arte qui ficte loquitur, quod illi videtur:
Seuere dum agit, sibi viscera poscit:
Ipse sibi nescit diuinare, cæteris audet:
Succollat, quando libet, eum, & quando deponit,
Vertitur a se rotans cum ligno bifurci,
Ac si putes illum afflatum numine ligni.

BAL-

BALZAMONIS [*] ſententia tales erant impoſtores, qui in capite & totius animalis corpore tincturas appendentes, & pilos ex ipſo tondentes, eos vna cum tincturis dabant vt remedia & amuleta, quæ in morbis & faſcinantibus oculis aliquid conferre poſſent. Atque ita concilium omnes hoſce modos faciendi & adhibendi incantamenta & amuleta prohibet, tamquam gentilitiæ ſuperſtitionis reliquias, quæ inter rudiores & abiectiores chriſtianos remanſerint. Nos in perquirendo vero huius canonis ſenſu tanto maiorem adhibuimus diligentiam, quia plerique interpretes ſilentio eum præterierunt, eiuſque explicationem erudito GOTHOFREDO lector nobiſcum debet.

§. VII.

De præſtigiis, ſiue commentitiis miraculis, poteſtate ſatanæ effectis.

ALIVD genus impoſtorum in eodem canone memoratur ſub nomine γοητευτῶν, quod generale nomen eſt, omnibus illis tributum, qui præſtigiis & impoſturis nauant operam; heic autem ſenſu ſtrictiore ſumitur pro iis, qui poteſtate magica miracula efficere præ ſe ferunt, cuiuſmodi *Iannes* & *Iambres* inter *Aegyptios*, *Simon Magus* inter iudæos, *Apollonius Tyanæus* & alii impoſtores inter paganos fuerunt. Alio nomine θαυματοποιοὶ & ψηφάδες [n] a *Græcis*, & *præſtigiatores* a *Latinis* ſcriptoribus appellantur. Præſtigiæ eorum præcipue oſtentabantur in effici-

(*) Balzam. in can. LXI. conc. Trullan. ap. Beuereg. p. 228. ἄρκτους ἐπισύρειν λέγονται οἱ καλούμενοι ἀρκτότροφοι· οἵ τινες βάμματα ἐξαρτῶσι κατὰ τῆς κεφαλῆς καὶ τοῦ ὅλου σώματος τοῦ ζώου, καὶ τρίχας κείροντες ἐκ τούτου, διδόασιν ταύτας σὺν τοῖς βάμμασιν, ὡς φυλακτήρια, καὶ ὡς δυναμένας λυσιτελεῖν ἐν νόσοις καὶ ἐν βασκάνοις ὀφθαλμοῖς.

(n) Theodoret. in 2 Theſſ. II, 9. διδάσκει δὲ, ὡς καὶ τὰ ἐσόμενα οὐκ ἀληθῆ θαύματα· τοιαῦτα δὲ ποιοῦσι καὶ οἱ ἀπὸ τῶν ψήφων τὰς ἐπωνυμίας ἔχοντες. *Docet autem (apoſtolus) ea quum futura ſunt, non fore vera miracula. Talia autem faciunt & præſtigiatores, qui a calculis nomen habent.*

Athanaſ. quæſt. CXXV. ad Antioch. (tom. II. opp. p. 298. ed. Par. MDCXCVIII.) οἱ λεγόμενοι ψηφάδες, καὶ πάλιν αὐτὸς ὁ ἀντίχριστος ἐρχόμενος ἐν φαντασίᾳ πλανᾷ τοὺς ὀφθαλμοὺς τῶν ἀνθρώπων, *qui dicuntur pſephades, vt item ipſe antichriſtus, falſa amictus ſpecie venturus eſt, qua oculos hominum deludat.*

Suidas voce ψηφολόγοι. ψηφολόγοι εἰσὶν οἱ ψηφοπαῖκται· ψηφολογικοὶ γοῦν, οἱ πλανῶντες καὶ ἀπατῶντες, ὥσπερ οἱ ψηφολόγοι, τοὺς ὀφθαλμοὺς τῷ τάχει τῆς μεταθέσεως τῶν ψήφων ἀπατῶντες συναρπάζουσι. *Præſtigiatores, qui calculis*

endis falsis rerum apparitionibus, & decipiendis hominibus per externorum sensuum ludificationem. Vetustus *recognitionum* auctor artem eorum [o] describit in persona *Simonis Magi*, quem introducit in hunc modum de se gloriantem: „Possum „facere, vt volentibus me comprehendere non appaream, & „rursus volens videri, palam sim: si fugere velim, montes per„forem, & saxa quasi lutum pertranseam: si me de monte ex„celso præcipitem dedero, tamquam subuectus ad terras illæ„sus deferar: vinctus memet ipsum soluam, eos vero, qui me „in vincula coniecerint, vinctos reddam: in carcere colliga„tus, claustra sponte patefieri faciam: statuas animatas red„dam; ita vt putentur ab his, qui vident, homines esse: no„vas arbores subito oriri faciam, & repentina virgulta produ„cam; in ignem memetipsum iniiciens, non ardeam. Vul„tum meum commuto, vt non agnoscar: sed & duas facies ha„bere me, possum hominibus ostendere. Ouis aut capra effi„ciar: pueris paruis barbam producam: in aërem volando in„vehar: aurum plurimum ostendam: reges faciam eosque de„iiciam„. Iam TERTVLLIANVS [p] obseruat, quod *Simon Magus* propter hasce fallacias & miracula professionis suæ ab apostolis maledictus & de fide eiectus sit: Et quod omnes sophistæ, vt eos appellat, ab initiis inde euangelii eamdem sortem habuerint. Quæ obseruatio TERTVLLIANI omnino vera est, & innumeris exemplis in antiqua historia confirmari potest, maxime hæresiarcharum, qui plerumque miracula se patrare posse gloriabantur, vt nouis opinionibus suis fidem conciliarent atque existimationem. Vnius tantum vel duorum mentionem faciemus, qui in hoc genere famosi fuerunt. *Marcus*

---

ludentes spectatorum oculos decipiunt. Iidem etiam ψηφοπαῖκται *vocantur. Tamquam præstigiatores, calculos celeriter transferentes, oculos spectatorum agilitate sua fallunt.*

Capitul. Aquisgran. lib. I. c. LXIV. Calculatores, incantatores, tempestarii, cetera. vid. litt. antec. (f) p. 256.

(*o*) Recognit. lib. II. c. IX. apud Coteler. tom. I. p. 506.

(*p*) Tertull. de idololatr. c. IX. Exinde & Simon Magus iam fidelis, quoniam aliquid adhuc de circulatoria secta cogitaret, vt scilicet inter miracula professionis suæ etiam spiritum sanctum per manuum impositionem enundinaret, maledictus ab apostolis de fide eiectus est. --- Et post euangelium nusquam inuenias sophistas, nisi plane punitos.

hæreticus, *Marcosianorum* antesignanus, ita describitur a vetusto quodam auctore, qui ante IRENAEVM [q] vixit, verbis sequentibus:

Idolorum fabricator, Marce, & portentorum inspector,
Astrologiæ cognitor, & magicæ artis,
Per quæ confirmas erroris doctrinas,
Signa ostendens his, qui a te seducuntur,
Apostaticæ virtutis operationes,
Quæ tibi præstat tuus pater Satanas
Per angelicam virtutem Azazel facere,
Habens te præcursorem contrariæ aduersum Deum nequitiæ.

Et ipse IRENAEVS [r] alicuius imposturæ eius facit mentionem. *Pro calice vino mixto*, inquit, *fingens se gratias agere & in multum extendens sermonem inuocationis, purpureum & rubicundum apparere facit, vt putetur ea gratia ab iis, quæ sunt super omnia, suum sanguinem stillare in illius calicem per inuocationem eius.* Aliam istiusmodi imposturam de muliere quadam a dæmone agitata narrat FIRMILIANVS, quando in epistola ad CYPRIANVM in hunc modum scribit: „Emersit subito [s] quædam mulier, quæ in extasi con„stituta, propheten se præferret, & quasi sancto spiritu plena „sic ageret. Ita autem principalium dæmoniorum impetu fe„rebatur, vt per longum tempus sollicitaret & deciperet frater„nitatem; ac mirabilia quædam & portentosa perficiens & fa„cere se terram moueri polliceretur. Non quod dæmoni tan„ta esset potestas, aut terram mouere, aut elementum concu-

(q) Ap. Iren. lib. I. c. XII. p. 76.
Εἰδωλοποιὲ Μάρκε, καὶ τερατοσκόπε,
Ἀστρολογικῆς ἔμπειρε καὶ μαγικῆς τέχνης,
Δι' ὧν κρατύνεις τῆς πλάνης τὰ διδάγματα,
Σημεῖα δεικνὺς τοῖς ὑπὸ σοῦ πλανωμένοις,
Ἀποστατικῆς δυνάμεως ἐγχειρήματα,
Ἃ σοὶ χορηγεῖ ὡς πατὴρ Σατανᾶς, εἰ
Δι' ἀγγελικῆς δυνάμεως [ἐγχειρήματα] Ἀζαζὴλ ποιεῖν,
Ἔχων σε πρόδρομον ἀντιθέου πανουργίας.

(r) Iren. lib. I. c. IX. ποτήρια οἴνῳ κεκραμένα προσποιούμενος εὐχαριστεῖν, καὶ ἐπὶ πλέον ἐκτείνων τὸν λόγον τῆς ἐπικλήσεως, πορφύρεα καὶ ἐρυθρὰ ἀναφαίνεσθαι ποιεῖ· ὡς δοκεῖν τὴν ἀπὸ τῶν ὑπὲρ χάριν τὸ αἷμα τὸ ἑαυτῆς στάζειν ἐν τῷ ἐκείνῳ ποτηρίῳ διὰ τῆς ἐπικλήσεως αὐτοῦ.

(s) Firmilian. epist. LXXV. ad Cyprian. p. 222. (p. 323. edit. Fell. Amstel. MDCC.)

„tere iuſſu valeret; ſed quod nonnumquam ſpiritus nequam „præſciens & intelligens terræ motum futurum, id ſe facturum „eſſe ſimularet, quod futurum videret. Quibus mendaciis & „iactationibus ſubegerat mentem ſingulorum, vt ſibi obedi„rent, & quocumque præciperet & duceret, ſequerentur: fa„ceret quoque mulierem illam cruda hieme nudis pedibus per „aſperas niues ire, nec vexari in aliquo aut lædi in illa diſcur„ſione: diceret etiam, ſe in *Iudæam* & *Hieroſolymam* feſtinare, „fingens tamquam inde veniſſet. Hic & vnum de presbyteris „*Ruſticum*, item & alium diaconum fefellit, vt eidem mulieri „commiſcerentur, quod paullo poſt detectum eſt. Nam ſubi„to apparuit illi vnus de exorciſtis, vir probatus & circa reli„gioſam diſciplinam bene ſemper conuerſatus, qui exhortati„one quoque fratrum plurimorum, qui & ipſi fortes ac lauda„biles in fide aderant, excitatus, erexit ſe contra illum ſpiri„tum nequam reuincendum, qui ſubtili fallacia etiam hoc „paullo ante prædixerat, venturum quemdam aduerſum & ten„tatorem infidelem. Tamen ille exorciſta inſpiratus Dei gra„tia fortiter reſtitit, & eſſe illum nequiſſimum ſpiritum, qui „prius ſanctus putabatur, oſtendit„. Hactenus ille. Plura alia iſtiuſmodi exempla reperiuntur in hiſtoria *Montaniſtarum* [t], *Pepuzianorum*, & *Apellitarum* [u], AVGVSTINO aliiſque ſcriptoribus memorata: Hæc autem ſufficiunt ad oſtendendum, quantopere hæretici communiter ſibi arrogarint poteſtatem operan-

(t) Auguſtin. de hæreſ. c. XXVI. Aduentum ſpiritus ſancti a domino promiſſum, in ſe potius quam in apoſtolis eius fuiſſe adſerunt redditum. Secundas nuptias pro fornicationibus habent: & ideo dicunt, eas permiſiſſe apoſtolum Paulum, quia ex parte ſciebat & ex parte prophetabat: nondum enim venerat, quod perfectum eſt. Hoc autem perfectum in Montanum & eius prophetiſſas veniſſe delirant.

Euſeb. lib. V. c. XIII. ἀπὸ τῆς τούτων ἀγέλης Ἀπελλῆς μὲν ὁ τῇ πολιτείᾳ σεμνυνόμενος καὶ τῷ γήρᾳ, μίαν ἀρχὴν ὁμολογεῖ· τὰς δὲ προφητείας ἐξ ἀντικειμένου λέγει πνεύματος· πειθόμενος ἀποφθέγμασι παρθένου δαιμονώσης ὄνομα Φιλουμένης. *Ex illorum grege Apelles quidem ſanctioris vitæ cultum & ſenectutem præ ſe ferens, vnum fatetur eſſe principium: prophetarum autem miracula ex aduerſario ſpiritu profecta eſſe dicit, virginis cuiuſdam dæmoniacæ nomine Philumenæ reſponſis inductus.*

(u) Auguſtin. ibid. cap. XXIII. Apellitæ ſunt, quorum Apelles eſt princeps. --- Hunc Apellem, dicunt quidam, etiam de Chriſto tam falſa ſenſiſſe, vt diceret eum, non quidem carnem duxiſſe de cælo, ſed ex elementis mundi

di

di miracula, quæ ecclesia, cognito, per satanæ potestatem non per spiritum sanctum effecta, tamquam imposturas reiecit, in eosque, qui istam potestatem iactarunt, seuerissime animaduertit. Nam EVSEBIVS [x] EX APOLLINARI speciatim de *Montanistis* refert, quod fideles nouam eorum doctrinam examinarint, & profanam atque impiam iudicarint, & quod damnata hæresi auctores ab ecclesia & fidelium communione expulsi sint, tamquam enthusiastæ & dæmoniaci, qui semper a sanctis mysteriis arcebantur, dum sub potestate & agitatione essent satanæ. BASILIVS [y] eamdem pœnam γοητείαν, hoc est, præstigias profitentibus, quam reis homicidii constituit, hoc est viginti annos in diuersis pœnitentiæ gradibus absoluendos.

§. VIII.

De obseruatione dierum & casuum fortuitorum & de præsagiis ac ominibus inde factis.

ERAT adhuc alia quædam superstitionis species, in quam veteres plerumque animaduertebant tamquam violationem fœderis baptismalis & partem pompæ ac cultus satanæ, cui in baptismo se renuntiare profitebantur. Erat hæc obseruatio dierum & casuum fortuitorum, vt faustorum vel infaustorum, & præsagiendi exinde ac ominandi consuetudo. CHRYSOSTO-

accepisse, quæ mundo reddidit, quum sine carne resurgens in cælum adscendit. Ibid. c. XXIV. Seueriani a Seuero exorti. - - Hic præterea Philumenem quandam puellam dicebat inspiratam diuinitus ad prænuntianda futura, ad quam somnia atque æstus sui animi referens, diuinationibus seu præsagiis eius secretim erat solitus præmoneri eodem phantasmate, eidem Philumenæ pueri habitu se demonstrante, qui puer apparens Christum se aliquando, aliquando esse adsereret Paulum. A quo phantasmate sciscitans, ea soleret respondere, quæ se audientibus diceret. Nonnulla quoque illam miracula operari solitam, inter quæ illud præcipuum, quod in angustissimi oris ampullam vitream, panem grandem immitteret, eumque extremis digitulis leuare soleret illæsum, eoque solo quasi diuinitus sibi cibo dato fuisset contenta. Vide sis Euseb. lib. V. c. XIV. & XVI. tot.

(x) Euseb. lib. V. c. XVI. p. 147. edit. Amstelod. MDCXCV. τῶν κατὰ τὴν Ἀσίαν πιστῶν πολλάκις καὶ πολλαχῆ τῆς Ἀσίας εἰς τοῦτο συνελθόντων, καὶ τοὺς προσφάτους λόγους ἐξετασάντων καὶ βεβήλους ἀποφηνάντων καὶ ἀποδοκιμασάντων τὴν αἵρεσιν, οὕτω δὴ τῆς τε ἐκκλησίας ἐξεώθησαν καὶ τῆς κοινωνίας εἴρχθησαν.

(y) Basil. can. LXV. ὁ γοητείαν ἢ φαρμακείαν ἐξαγορεύων, τὸν τοῦ φονέως χρόνον ἐξομολογήσεται.

MVS

MVS [z] multis verbis contra hoc ſuperſtitionis genus vehementiſſime declamat. „Pompa ſatanica, inquit, ſunt, theatra, „circenſes, & omne peccatum, & dierum obſeruatio, & præſa-„gia, & omina. Et quid tandem ſunt omina? Sæpe domum ſu-„am quis egreſſus hominem videt vnoculum, vel claudican-„tem, & ominatus eſt. Hæc eſt pompa ſatanica: non enim ho-„minis occurſus malum facit eſſe diem, ſed in peccatis viuere. „Quum igitur exieris, vnum ſolum cuſtodi, ne occurrat tibi „peccatum: hoc enim eſt, quod ſupplantat, præter hoc vero „nec ipſe diabolus nos quidpiam lædere poterit. Quid dicis? „Hominem cernis & ominaris, nec cernis laqueum diaboli-„cum, quomodo te illi, qui te nulla adfecit iniuria, reddit ini-„micum? quomodo te fratri conſtituit aduerſarium ex nulla iu-„ſta occaſione? Et Deus quidem vel inimicos amare nos iuſſit: „tu autem & non lædentem auerſaris, nil accuſandum habens, nec „cogitas, quantus riſus, quantum dedecus, immo vero quan-„tum periculum? Dicamne & aliud ridiculoſius? confundor „nempe & erubeſco, ſed cogor propter ſalutem veſtram dice-„re. Si virgo, inquit, occurrerit, ſterilis dies erit: ſi vero me-„retrix, dextera & bona, & multa mercatione plena. -- Vide, „quomodo & heic diabolus dolum abſcondit, vt modeſtam „quidem auerſemur, impudicam vero gratam habeamus &

(z) Chryſoſt. hom. XXI. ad popul. Antiochen. tom. I. p. 274. (p. 244. 245. edit. Francof.) πομπὴ δὲ Σατανική ἐστι θέατρα, καὶ ἱπποδρομίαι, καὶ πᾶσα ἁμαρτία, καὶ παρατήρησις ἡμερῶν, καὶ κληδόνες, καὶ σύμβολα· καὶ τί ποτέ ἐστι σύμβολά φησι; πολλάκις ἐξελθών τις τὴν οἰκίαν τὴν ἑαυτοῦ, εἶδεν ἄνθρωπον ἑτερόφθαλμον, ἢ χωλεύοντα, καὶ οἰωνίσατο· τοῦτο πομπὴ Σατανική· οὐ γὰρ ἡ ἀπάντησις τοῦ ἀνθρώπου πονηρὰν ποιεῖ τὴν ἡμέραν γενέσθαι, ἀλλὰ τὸ ἐν ἁμαρτίαις ζῆν· ὅταν τοίνυν ἐξέλθῃς, ἓν μόνον φύλαξαι, μὴ ἁμαρτία σοι ἀπαντήσῃ· αὕτη γάρ ἐστιν ἡ ἡμᾶς ὑποσκελίζουσα, χωρὶς δὲ ταύτης οὐδὲ ὁ διάβολος ἡμᾶς βλάψαι δυνήσεται· τί λέγεις; ἄνθρωπον ὁρᾷς, καὶ οἰωνίζῃ, καὶ οὐχ ὁρᾷς τὴν πάγην διαβολικὴν, πῶς ἐκπολεμοῖ σε τῷ μηδὲν ἠδικηκότι; πῶς ἐχθρόν σε καθίστησι τῷ ἀδελφῷ ἐξ οὐδεμιᾶς δικαίας προφάσεως; καὶ ὁ μὲν θεὸς καὶ τοὺς ἐχθροὺς φιλεῖν ἐκέλευσε, σὺ δὲ καὶ τὸν οὐδὲν ἠδικηκότα ἀποστρέφῃ, μηδὲν ἔχων ἐγκαλεῖν, καὶ οὐκ ἐννοεῖς, πόσος ὁ γέλως, πόση αἰσχύνη, μᾶλλον δὲ πόσος ὁ κίνδυνος; εἴπω καὶ ἕτερον καταγελαστότερον; αἰσχύνομαι μὲν καὶ ἐρυθριῶ, ἀναγκάζομαι δὲ ὅμως διὰ τὴν ὑμετέραν σωτηρίαν εἰπεῖν· ἂν ἀπαντήσῃ παρθένος, φησὶν, ἄπρακτος ἡ ἡμέρα γίνεται· ἐὰν δὲ ἀπαντήσῃ πόρνη, δεξιὰ καὶ χρηστὴ, καὶ πολλῆς ἐμπορίας γέμουσα -- ὅρα γοῦν καὶ ἐνταῦθα, πῶς τὸν δόλον ἔκρυψεν ὁ διάβολος, ἵνα τὴν μὲν σώφρονα ἀποστρεφώμεθα, τὴν δὲ ἀκόλαστον ἀσπαζώμεθα καὶ φιλῶμεν· --- τί ἄν τις εἴποι περὶ τῶν

ame-

„amemus. --- Quid vero diceret aliquis de his, qui carminibus „& ligaturis vtuntur, & de circumligantibus aurea *Alexandri* „*Macedonis* numiſmata capiti vel pedibus? Dic mihi, hæ ne ſunt „exſpectationes noſtræ, vt poſt crucem & mortem domini- „cam in gentilis regis imagine ſpem ſalutis habeamus? Igno- „ras, quanta crux perfecit? mortem diſſoluit, peccata exſtin- „xit, orcum inanem reddidit, diaboli ſoluit potentiam, & ad „corporis ſanitatem præſtandam non eſt fide digna? Totum „orbem exſuſcitauit, & tu in ipſa non confidis? Et quid pati „dignus non eſſes? Non ligaturas vero tantum, ſed etiam ex- „cantamenta tibi circumducis, vetulas ebrias & titubantes do- „mum ducens. Nec confunderis, nec erubeſcis, poſt tantam „ad hæc trepidans diſciplinam: & quod grauius eſt errore, „quando hæc admonemus & diſſuademus, putantes ſe excuſa- „ri, dicunt, quod chriſtiana eſt mulier hæc excantans, & nihil „aliud loquitur, quam Dei nomen. Propterea namque potiſ- „ſimum ipſam odi & auerſor, quod Dei nomine ad contumeli- „am abutitur: quod ſe dicens eſſe chriſtianam, gentilium opera „facit: Etenim & dæmones Dei nomen fatebantur, ſed tamen „erant dæmones, & ita Chriſto dicebant: *Scimus te, quis ſis,* „*ſanctus Dei:* & tamen ipſos increpauit & eiecit. Propterea „vobis ſupplico, vt ab hac ſitis fallacia puri, & tamquam ba- „culum hoc verbum habeatis. Et ſicut ſine calceamentis, vel

ἐπῳδαῖς καὶ περιάπτοις κεχρημένων, καὶ νομίσματα χαλκᾶ Ἀλεξάνδρου τοῦ Μακεδόνος ταῖς κεφαλαῖς καὶ τοῖς ποσὶ περιδεσμέντων; αὗται αἱ ἐλπίδες ἡμῶν; εἰπέ μοι. Reliqua vid. lib. XI. c. VII. §. XIII. ſub litt. (r) vol. IV. pag. 283. 284. Vid. quoque homil. XXIII. de nouiluniis cit. ſupra cap. IV. §. XVII. ſub litt. (r) pag. 224.

Chryſoſt. commentar. in Galat. I. p. 973 (p. 780. edit. Francof.) *καὶ γὰρ Ἑλλήνων ἤδη πολλὰ παρά τισι τῶν ἡμετέρων φυλάττεται, κληδονισμοὶ, καὶ οἰωνισμοὶ, καὶ σύμβολα, καὶ ἡμερῶν παρατηρήσεις, καὶ ἡ περὶ τὴν γένεσιν σπουδὴ, καὶ τὰ πάσης ἀσεβείας γέμοντα γραμματεῖα, ἃ τικτομένων τῶν παιδίων εὐθέως ἐπὶ κακῷ τῆς ἑαυτῶν συντιθέασι κεφαλῆς, ἐκ προοιμίων παιδεύοντες καταλύειν τοὺς ὑπὲρ ἀρετῆς πόνους, καὶ ὑπὸ τὴν πεπλασμένην τυραννίδα τῆς εἱμαρμένης τόγε αὐτῶν ἄγοντες μέρος. Multa gentium more apud noſtros aliquot ſeruantur, ſortilegia, auguria, omina ac dierum obſeruationes, ſuperſtitioſa ſuper geneſin cura, & omnis impietatis plenæ litteræ, quas puerorum protinus, vt nati ſunt, magno malo capitibus imponunt, ab ipſo protinus exordio docentes illos virtutis adipiſcendæ ſtudium abiicere & ad fallacem fati tyrannidem, quod quidem in ipſis eſt, illos adducentes.*

„vestimentis vestrum nemo in forum descendere eligeret: ita „sine verbo hoc numquam in forum prodeas, sed quum es ia-„nuæ vestibula transgressurus, hoc prius loquere verbum, Ab-„renuntio tibi satana, & pompæ tuæ, & cultui tuo, & con-„iungor tibi, Christe. Ne vmquam absque hac voce exeas, „hæc erit tibi baculus, hæc armatura, hæc turris inexpugna-„bilis. Cum hoc verbo & crucem in fronte imprime: sic e-„nim non tantum homo occurrens, verum nec ipse diabolus „te quidquam lædere poterit, cum his te cernens armis vbi-„que apparentem„. AVGVSTINVS simili modo ab istiusmodi superstitiosis obseruationibus dehortatur. „Ad hoc genus, „inquit [a], pertinent etiam omnes ligaturæ atque remedia, „quæ medicorum quoque disciplina condemnat, siue in præ-„cantationibus, siue in quibusdam notis, quas characteres vo-„cant: siue in quibusdam rebus suspendendis atque illigandis, „vel etiam saltandis quodammodo, non ad temperationem „corporum, sed ad quasdam significationes, aut occultas aut „etiam manifestas: quæ mitiore nomine physicam vocant, vt „non quasi superstitiose implicare, sed natura prodesse vide-„antur: sicut sunt inaures in summo aurium singularum, aut „de struthionum ossibus ansulæ in digitis, aut quum tibi dici-„tur singultienti, vt dextera manu sinistrum pollicem teneas. „His adiunguntur millia inanissimarum obseruationum, si mem-„brum aliquod salierit, si iunctim ambulantibus amicis, lapis „aut canis, aut puer medius interuenerit: atque illud quod „lapidem calcant, tamquam direptorem amicitiæ, minus mole-„stum est, quam quod innocentem puerum colapho percuti-„unt, si pariter ambulantibus intercurrerit. Sed bellum est, „quod aliquando pueri vindicantur a canibus: nam plerum-„que tam superstitiosi sunt quidam, vt etiam canem, qui me-„dius interuenerit, ferire audeant non impune: namque a va-„no remedio cito interdum ille percussorem suum ad verum „medicum mittit. Hinc sunt etiam illa: limen calcare, quum „ante domum suam transit: redire ad lectum, si quis, dum se „calciat, sternutauerit: redire domum, si procedens offenderit:

(a) Augustin. de doctrin. christ. lib. II. c. XX. (tom. III. opp. p. 32. 33. edit. Basil. MDLXIX.)

quum

„quum veſtis a ſoricibus roditur, plus timere ſuſpicionem futuri mali, quam præſens damnum dolere. Vnde illud eleganter dictum eſt *Catonis*, qui quum eſſet conſultus a quodam, „qui ſibi a ſoricibus corroſas caligas diceret, reſpondit, non „eſſe illud monſtrum, ſed vere monſtrum habendum fuiſſet, ſi „ſorices a caligis roderentur„. Hactenus AVGVSTINVS. Qui hoc ſcitum ſapientis ethnici reſponſum memorat, vt chriſtianos de abſurda ac vana omnium iſtiuſmodi ſuperſtitioſarum obſeruationum ratione tanto melius conuincat. Et tandem ſic concludit [*b*]: „Omnes igitur artes huiuſmodi vel nugatoriæ vel noxiæ ſuperſtitiones, ex quadam peſtifera ſocietate „hominum & dæmonum, quaſi pacta infidelis & doloſæ amicitiæ conſtituta, penitus ſunt repudianda & fugienda chriſtiano: *non quod idolum ſit aliquid*, vt ait apoſtolus, *ſed quia quæ* „*immolant, dæmoniis immolant, & non Deo: nolo autem vos ſocios fieri* „*dæmoniorum.* Quod autem de idolis, & de immolationibus, „quæ honori eorum exhibentur, dixit apoſtolus, hoc de omnibus imaginariis ſignis ſentiendum eſt, quæ vel ad cultum idolorum, vel ad creaturam eiuſque partes tamquam Deum colendas trahunt, vel ad remediorum aliarumque obſeruationum curam pertinent: quæ non ſunt diuinitus ad dilectionem Dei & proximi tamquam publice conſtituta, ſed per priuatas appetitiones rerum temporalium, corda diſſipant miſerorum. In omnibus ergo iſtis doctrinis ſocietas dæmonum „formidanda atque vitanda eſt, qui nihil cum principe ſuo diabolo niſi reditum noſtrum claudere atque obſerare conantur. „Sicut autem de ſtellis, quas condidit & ordinauit Deus, humanæ & deceptoriæ coniecturæ ab hominibus inſtitutæ ſunt; „ſic etiam de quibuſdam naſcentibus, vel quomodo diuinæ „prouidentiæ adminiſtratione exſiſtentibus rebus, multi multa „humanis ſuſpicionibus, quaſi regulariter coniecta, litteris „mandauerunt, ſi forte inſolite acciderint, velut ſi mula pariat, „aut fulmine aliquid percutiatur. Quæ omnia tantum valent, „quantum præſumtione animorum quaſi communi quadam lingua cum dæmonibus fœderata ſunt. Quæ tamen omnia ple-

(*b*) Ibid. c. XXIII. (p. 35. edit. cit.) Vid. plura ap. Gratian. cauſſ. XXVI. quæſt. VII. c. XV. XVI. Non obſeruetis dies, qui dicuntur Aegyptiaci &c.

„na ſunt peſtiferæ curioſitatis, cruciantis ſollicitudinis, morti-„feræ ſeruitutis. Non enim quia valebant, animaduerſa ſunt, „ſed animaduertendo atque ſignando factum eſt, vt valerent. „Et ideo diuerſis diuerſa proueniunt, ſecundum cogitationes „& præſumtiones ſuas. Illi enim ſpiritus, qui decipere volunt, „talia procurant cuique, qualibus eum irretitum per ſuſpicio-„nes & conſenſiones eius viderint„. Vt hæc egregie de his ſuperſtitioſis obſeruationibus dicta ſunt, ita videntur innuere, quod diſcrimen aliquod obſeruatum ſit inter eos, qui has artes profeſſi, & inter illos, qui ex ignorantia ab illis deluſi fuerunt. Et idcirco licet priores illi ſeueriſſimæ diſciplinæ eccleſiæ ſubiici debuerint, hi poſteriores tamen admonitionibus potius & reprehenſionibus videntur caſtigati; vt heic ab AVGVSTINO & CHRYSOSTOMO, non grauiſſima excommunicationis cenſura vexati, propter ſimplicitatem ſuam, & fortaſſis propter multitudinem eorum, qui quotidie ad iſtiuſmodi dierum & caſuum fortuitorum obſeruationes propenderant, non conſiderantes vel ſuperſtitionis iſtius originem, vel detrimentum, quod per eam pietati & religioni inferebatur. Paullo longius hiſce rebus immorati ſumus, quia verendum eſt, ne ſemper detur ratio ab iſtiuſmodi ſuperſtitionibus homines dehortandi, quæ imprudentibus mentibus nulla non ætate ſe inſinuare facile poſſunt.

LIBRI DECIMI SEXTI
CAPVT SEXTVM
DE DEFECTIONE A RELIGIONE CHRISTIANA AD IVDAISMVM ET PAGANISMVM; DE HAERESI ET SCHISMATE, SACRILEGIO ET SIMONIA.

§. I.

De iis, qui a religione chriſtiana omnino deſciſcebant ad iudaiſmum.

PRAETER ante memorata crimina contra primum & ſecundum decalogi præceptum, quam plurima alia erant, obſervatione noſtra digna, tamquam quæ hominem ſeueriſſimis eccle-

clesiæ censuris reddebant obnoxium. Inter hæc inclinatio animi, qua multi in antiquatam religionem & cærimonias *Iudæorum* propendebant, veteribus, de disciplina agentibus ecclesiastica, sæpe memoratur. Et horum quidem tres ordines siue gradus obseruáre licebit. Alii, religione christiana prorsus deserta, ad iudæos transibant; alii cærimonias iudaicas & quasdam eorum doctrinas christianæ religioni admiscebant; alii in tantum illis se accommodabant, vt multas eorum illicitas consuetudines sequerentur, quamuis formalem religionis ipsorum professionem haud facerent. E primi ordinis defectoribus *Aquila* fuit, interpres bibliorum, primum quidem christianus, quemadmodum tradit EPIPHANIVS [a], vsque dum propter studium astrologiæ ecclesia eiiceretur, quo facto ad iudæos transiit, nouamque bibliorum versionem in odium

(*a*) Epiphan. de pond. & mensur. n. XV. tom. II. p. 171. *ὁ Ἀκύλας κατανυγεὶς τὴν διάνοιαν τῷ χριστιανισμῷ ἐπίστευσεν· αἰτήσας δὲ μετὰ χρόνον τὴν ἐν χριστῷ σφραγίδα, ἐκομίσατο· ἀπὸ δὲ τῆς πρώτης αὐτοῦ ἕξεως μὴ μεταθέμενος, τοῦ πιστεύειν δηλονότι τῇ ματαίᾳ ἀστρονομίᾳ, ἣν ἀκριβῶς ἐκπεπαίδευτο· ἀλλὰ καθ᾽ ἑκάστην ἡμέραν τὸ θέμα τῆς αὐτοῦ γενέσεως σκεπτόμενος, ἐλεγχόμενός τε ὑπὸ τῶν διδασκάλων, καὶ ἐπιτιμώμενος ἕνεκα τούτου, μὴ διορθούμενος δὲ, ἀλλὰ καὶ φιλονείκως μᾶλλον ἀντιτιθέμενος, καὶ σπεύδων συνιστᾶν τὰ ἀσύστατα, τὴν εἱμαρμένην δηλονότι, καὶ τὰ περὶ αὐτῆς διηγήματα, ἐξεώθη πάλιν τῆς ἐκκλησίας, ὡς ἄχρηστος πρὸς σωτηρίαν· πικρανθεὶς δὲ τὴν διάνοιαν ὡς ἠτιμωμένος, εἰς ζῆλον μάταιον αἴρεται, καὶ τὸν χριστιανισμὸν ἀρνησάμενος, καὶ τὴν αὐτοῦ ζωὴν, προσηλυτεύει καὶ περιτέμνεται Ἰουδαῖος, καὶ ἐπιπόνως φιλοτιμησάμενος ἐξέδωκεν ἑαυτὸν μαθεῖν τὴν Ἑβραίων διάλεκτον, καὶ τὰ αὐτῶν στοιχεῖα· ταύτην δὲ ἀκρότατα παιδευθεὶς, ἡρμήνευσεν, οὐκ ὀρθῷ λογισμῷ χρησάμενος, ἀλλ᾽ ὅπως διαστρέψῃ τινὰ τῶν ῥητῶν, ἐνσκήψας τῇ τῶν ἑβδομήκοντα δύο ἑρμηνείᾳ· ἵνα τὰ περὶ χριστοῦ ἐν ταῖς γραφαῖς μεμαρτυρημένα ἄλλως ἐκδώσει, δι᾽ ἣν εἶχεν αἰδῶ, εἰς ἄλογον αὐτοῦ ἀπολογίαν. Horum* (christianorum miracula patrantium) *consuetudine vehementer animo commotus Aquila christianam religionem amplectitur. Tum aliquanto tempore interiecto, christianæ professionis sigillum, vti petierat, obtinet. Verum quum a priori visu moribusque non discederet, & vanissimis mathematicorum artibus, quas apprime callebat, nimium tribueret, adeoque genesin, atque horoscopium suum obseruaret indies, quum ob id a magistris obiurgatus, ac reprehensus, emendare sese nollet: immo vero pertinaciter obluctans falsa quædam minimeque cohærentia tueri ac defendere vellet: vt puta fatum, & quæ cum eo connexa sunt, rursus ab ecclesia, tamquam ad salutem minime idoneus, eiectus est. Qua ignominia vehementer exacerbatus, & stolido quodam mentis æstu percitus, christianam professionem eiurat; & inter iudæorum proselytos adscriptus ac circumcisus est. Inde totum se tradens Hebræis litteris ediscendis vehementi cum animi conten-*

christianorum adornauit. Istiusmodi multi erant tempore *Barchochabi*, grandis istius impostoris, qui multos christianos *CHRISTVM* abnegare & maledictis incessere compulit, vt auctor est IVSTINVS MARTYR [*b*]. Iam vero licet leges imperiales iudæis religionis suæ libertatem aliaque priuilegia sub imperatoribus christianis per longum temporis spatium indulgerent; seuere tamen christianis omnibus ad eos transire interdicebant, grauissimas omnibus istis defectoribus pœnas infligentes. *Constantinus* [*c*] iudicum arbitrio relinquebat, vtrum istiusmodi defectores morte an aliis meritis pœnis vellent adficere. *Constantius* [*d*] filius ipsius facultates eorum fisco adiudicari iubebat, & *Valentinus* iunior [*e*] intestatos esse eos statuebat, negata illis & omnibus reliquis apostatis licentia de facultatibus suis per testamentum decernendi. Quibus reipublicæ legibus vt ecclesia se conformaret, postquam istiusmodi defectores anathemate percusserat, detestationem eorum declarabat adhuc amplius in hoc, vt illis priuilegium dicendi testimonium in omnibus iudiciis suis denegaret. *Non potest*, inquit concilium *Toletanum* quartum [*f*], *erga homines esse fidelis, qui Deo ex-*

tione tradidit. Quam quum egregie penitusque percepisset, ad interpretandum se contulit, non sincera animi inductione: sed vt quædam scripturæ loca deprauaret, aduersus septuaginta duos interpretes impetum omnem conatumque dirigens: atque vt expressa sacris litteris de Christo testimonia aliter ederet; quo nonnullum pudoris ignominiæque suæ vel absurdum colorem & excusationem quæreret.

(*b*) Iustin. apolog. II. p. 72. καὶ γὰρ ἐν τῷ νῦν γεγενημένῳ ἰουδαϊκῷ πολέμῳ, Βαρχοχέβας, ὁ τῆς Ἰουδαίων ἀποστάσεως ἀρχηγέτης, χριστιανοὺς μόνους εἰς τιμωρίας δεινάς, εἰ μὴ ἀρνοῖντο Ἰησοῦν τὸν χριστὸν καὶ βλασφημοῖεν, ἐκέλευεν ἀπάγεσθαι. *Proximo namque Iudaico bello Barchochebos, defectionis Iudæorum dux & princeps, solos christianos ad grauia supplicia, nisi Christum abnegarent & maledictis incesserent, protrahi iussit.*

(*c*) Cod. Theodos. lib. XVI. tit. VIII. de iudæis leg. I. Si quis ex populo ad eorum nefariam sectam accesserit, & conciliabulis eorum se applicauerit, cum ipsis pœnas meritas sustinebit.

(*d*) Ibid. leg. VII. Si quis ex christiano iudæus effectus -- facultates eius dominio fisci iussimus vindicari.

(*e*) Cod. Theod. lib. XVI. tit. VII. de apostatis leg. III. Christianorum ad aras & templa migrantium, negata testandi licentia, vindicamus admissum. Eorum quoque flagitia puniantur, qui christianæ religionis & nominis dignitate neglecta, iudaicis semet polluere contagiis.

(*f*) Concil. Toletan. IV. c. LXIII.

stite-

ſtiterit infidelis. Iudæi ergo, qui dudum chriſtiani effecti ſunt, & nunc Chriſti fidem præuaricati ſunt, ad teſtimonium dicendum admitti non debent, quamuis eſſe ſe chriſtianos adnuntient. Qui ſicut in fide Chriſti ſuſpecti ſunt, ita in teſtimonio humano dubii habentur. Infirmari ergo oportet eorum teſtimonium, qui in fide falſi docentur, nec eis eſſe credendum, qui veritatis a ſe fidem abiecerunt.

§. II.

De iis, qui religionem iudaicam cum chriſtiana commiſcebant.

ERANT & alii, qui religionem chriſtianam non penitus reiiciebant, ſed nouam religionem conſtituebant, alteram cum altera commiſcentes. Iſtiuſmodi varia & miſcellanea hæreſis erat *Cerinthianorum, Nazaræorum, Ebionæorum, Elceſæorum* & *Samſæorum*, qui circumciſionem aliosque legis iudaicæ ritus obſervabant, vna cum illis, quos ex chriſtiana retinebant religione; quemadmodum ex AVGVSTINO [g] aliiſque ſcriptoribus, qui de illis loquuntur, videre eſt. Et GOTHOFREDVS *Cælicolas*, qui in duabus tribusue legibus *Honorii* in codice *Theodoſiano* memorantur ac damnantur, inter iudæos & chriſtianos putat fuiſſe quaſi medios ſeu herciſcundos. Circumciſionem & baptiſmum coniungebant; conuenientes tam iudæis quam chriſtianis in idolorum reiectione, cælum tantummodo, hoc eſt, Deum cæli colentes, inde dicti *Cælicolæ;* verum in hoc cum ſolis iudæis congruebant, quod doctrinam de trinitate in deitate reiicientes, Deum in vna perſona adorarent. Quo reſpectu *Sabelliani* etiam & *Pauliniani*, *Praxeani*, *Theodotiani*, *Ariani* ac *Photiniani*, qui vel diuinitatem *CHRISTI* negabant, vel tres diui-

(g) Auguſt. de hæreſ. c. VIII. Cerinthiani a Cerintho, iidemque Merinthiani a Merintho, mundum ab angelis factum eſſe dicentes & carne circumcidi oportere atque alia huiuſmodi legis præcepta ſeruari. Cap. IX. Nazaræi quum Dei filium confiteantur eſſe Chriſtum, omnia tamen veteris legis obſeruant, quæ chriſtiani per apoſtolicam traditionem non obſeruare carnaliter, ſed ſpiritualiter intelligere didecerunt. Cap. X. Hebionæi Chriſtum etiam tantummodo hominem dicunt. Mandri carnalia legis obſeruant, circumciſionem ſcilicet carnis & cetera, a quorum oneribus per nouum teſtamentum liberati ſumus. Huic hæreſi Epiphanius Samſæos & Elceſæos ita copulat, vt ſub eodem numero, tamquam vna ſit hæreſis, ponat. Cap. XXXII. Elceſæos & Samſæos heic tamquam ordine ſuo commemorat Epiphanius -- dicit Hebionæis tenere ſimilia.

nas

nas personas confundebant, plerumque a veteribus accusabantur, tamquam resilientes ad iudaismum hac in re, dum veram doctrinam de christiana trinitate heterodoxis suis nouationibus subuerterent. Speciatim a viris doctis [h] de *Paulo Samosateno* obseruatur, veram caussam, quamobrem *CHRISTI* diuinitatem negarit, fuisse eam, vt *Zenobiæ* reginæ in *Oriente* blandiretur, quæ fuerit iudæa proselyta. Credidisse enim *Paulum* illum, si *Christum* merum hominem esse doceret, fieri posse, vt vtramque religionem reconciliaret, & auferret parietem intergerinum, iudæos & christianos separantem, quum nihil magis offenderet animos iudæorum, quam quod Christus a discipulis suis Deus esse crederetur. Alia secta erat eorum, qui ipsi se vocabant *Hypsistarios*, hoc est, cultores superni Dei, quem in vna tantum persona adorabant, vti iudæi: Quorum sabbata obseruabant & a nonnullis cibis tamquam impuris abstinebant, circumcisionem autem adspernabantur, quemadmodum GREGORIVS NAZIANZENVS [i], cuius pater huic sectæ aliquando addictus fuerat, de illis narrat. Iam certum est, ecclesiam de

(h) Maurice's *Answer to* Baxters *Church-Histor.* p. 287.
Baron. ad an. CCLXV. n. II. Erat Odenato coniux, insignis pudicitiæ atque prudentiæ in rebus agendis femina. Hanc fuisse iudæam, sanctus Athanasius testari videtur, quum ait in Arianos: *Zenobia iudæa erat & protextrix Pauli Samosatem; & tamen iudæis in synagogas ecclesias non tradidit.* Hæc quippe scientiis erudita, vsa est in Græcis litteris Longino præceptore; quod tradit Vopiscus: quem & Porphyrius laudibus celebrat. Sed & cupida christianarum litterarum, male consulta adsciuit sibi magistrum Paulum Samosatenum, episcopum Antiochenum, hæreticum, de Christo abiecte nimis & humiliter sentientem, ac penitus iudaizantem, de quo Philastrius: *Hic verbum Dei, id est, Christum Deum, Dei filium substantiuum ac personalem & sempiternum esse cum Patre denegabat: prolatiuum autem, id est, quasi aërem quemdam dicebat, non tamen personam viuam filii sempiternam cum sempiterno patre credendam esse docebat. Hic Christum hominem iustum, non Deum verum prædicabat, iudaizans potius, qui & circumcisionem docebat; vnde & Zenobiam quamdam reginam in Oriente tunc temporis ipse docuit iudaizare.*

(i) Nazianz. orat. XIX. in funere patris tom. I. p. 209 τῆς μὲν γὰρ τὰ εἴδωλα, καὶ τὰς θυσίας ἀποπεμπόμενοι, τιμῶσι τὸ πῦρ καὶ τὰ λύχνα, τῆς δὲ τὸ σάββατον αἰδούμενοι, καὶ τὴν περὶ τὰ βρώματα ἔς τινα μικρολογίαν τὴν περιτομὴν ἀτιμάζουσιν. Ὑψιστάριοι τοῖς ταπεινοῖς ὄνομα, καὶ ὁ παντοκράτωρ δὴ μόνος αὐτοῖς σεβάσμιος. *Illius quidem* (gentilis erroris) *idola & sacrificia reiicientes, ignem & lucernas colunt: huius autem sabbatum & ieiunam quamdam a*

huisce

hisce miscellis & confusaneis doctrinis & sectis hybridis nullam vmquam admisisse; sed omnes ac singulas velut hæreticas damnasse, & communione sua expulisse. Et leges imperiales admodum seueræ erant contra *Cælicolas*, circumcisionem & baptismum coniungentes: siquidem tres leges *Honorii* directe adversus illos factæ leguntur in codice *Theodosiano*. In prima quidem lege in eadem cum *Donatistis*, *Manichæis*, *Priscillianistis* & paganis classe eos collocat; iubens omnia, quæ in hæreticos generalium legum auctoritate decreta sint, aduersos illos in exsecutionem deduci; ita quidem vt ædificia in primis *Cælicolarum*, in quibus nouæ istius sectæ conuentus habeantur, cum reliquis [*k*] ecclesiæ vindicentur. In secunda lege eos vocat [*l*] iudæorum nouam atque inusitatam sectam, quæ catholicæ ecclesiæ sacramenta audeat turbare, vt fecerint *Donatistæ*. In tertia lege [*m*] dicit, *Cælicolarum* nomen inauditum quodammodo nouum crimen superstitionis vindicasse, ipsisque denuntiat, nisi intra anni spatium ad Dei cultum venerationemque christianam conuersi fuerint, fore, vt his legibus, quibus hæreticos adstringi præceperit, ipsi quoque adtineantur. AVGVSTINVS etiam in epistola quadam [*n*] horum *Cælicolarum* mentionem facit, & indicat, quod cum *Donatistis* in rebaptizandis catholicis conspirent. Intelligere autem ipsum sectam, quæ a christi-

nonnullis cibis abstinentiam venerantes, circumcisionem adspernantur. Atque humiles & abiecti homines Hypsistariorum *nomen sibi tribuunt, ac soli Omnipotenti venerationem adhibent.*

(*k*) Cod. Theodos. lib. XVI tit. V. de hæretic. leg. XLIII. Omnia, quæ in Donatistas, Manichæos, siue Priscillianistas, vel in gentiles, a nobis generalium legum auctoritate decreta sunt, non solum manere decernimus, verum in exsecutionem plenissimam effectumque] deduci: ita vt ædificia quoque, vel horum, vel Cælicolarum etiam (quæ nescio cuius dogmatis noui conventus habent ecclesiis vindicentur.

(*l*) Ibid. leg. XLIV. Donatistarum hæreticorum, & Iudæorum noua atque inusitata detexit audacia, quod catholicæ fidei velint sacramenta turbare.

(*m*) Lib. XVI. tit. VIII. de Iudæis, Cælicolis & Samaritanis leg. XIX. Cælicolarum nomen inauditum quodammodo nouum crimen superstitionis vindicauit. Hi nisi infra anni terminos ad Dei cultum venerationemque christianam conuersi fuerint, his legibus, quibus præcepimus hæreticos adstringi, se quoque nouerint adtinendos.

(*n*) Augustin. epist. CLXIII ad Eleusium p. 284. Iam miseramus ad *maiorem Cælicolarum*, quem audieramus noui apud eos baptismi institutorem instituisse & multos illo sacrilegio seduxisse.

ana religione ad iudaicam defecerit, manifestum est ex titulo *maiorum*, quem ministris suis tribuant. Hoc enim nomine magistri iudaici frequenter insigniuntur in codice *Theodosiano* [o]. Vt adeo constet liquido, hanc sectam *Cælicolarum*, christiana & iudaica religione commixtam, & vt talem tam per leges ciuiles punitam, quam per leges ecclesiasticas a communione fidelium reiectam fuisse.

§. III.

De iis, qui cum iudæis in illicitis eorum ritibus ac consuetudininibus faciebant.

PRAETER istos erant quidam christiani, qui neque prorsus ad iudæorum transibant religionem, nec in præcipuo quodam capite cum illis faciebant, qui tamen in remotioribus quibusdam ritibus ac consuetudinibus illis sese accommodare non recusabant; vt in obseruandis diebus festis & ieiuniis, in matrimoniis cum illis contrahendis, in recipiendis eorum eulogiis, in consulendis illis de phylacteriis & amuletis ad curandos morbos: Quæ res omnes proinde prohibentur sub pœna censuræ ecclesiasticæ. Concilium *Laodicenum* [p] christianis interdicit iudaizare, otiando in sabbato, eosque, qui inuenti fuerint sic iudaizantes, anathema esse pronuntiat. Similiter [q] christianos vetat dies festos cum iudæis agere, & munera festiua ab illis accipere, aut azyma, quia id sit eorum impietati communicare. In eamdem sententiam canonem quemdam inter sic dictos apostolicos [r] inuenimus, qui cum iudæis ieiu-

(o) Cod. Theod. lib. XVI. tit. VIII. de Iudæis, Cælicolis & Samaritanis leg. I. Iudæis & *maioribus* eorum & patriarchis volumus intimari &c. It. leg. XXIII. Annati didascalo & *maioribus* iudæorum. It. lib. XVI, tit. IX. leg. III. vbi eadem habetur inscriptio.

(p) Concil. Laodic. c. XXIX. Ὅτι οὐ δεῖ χριστιανοὺς ἰουδαΐζειν, καὶ ἐν τῷ σαββάτῳ σχολάζειν, ἀλλὰ ἐργάζεσθαι αὐτοὺς ἐν τῇ αὐτῇ ἡμέρᾳ· τὴν δὲ κυριακὴν προτιμῶντες, εἴτε δύναιντο, σχολάζειν ὡς χριστιανοί· Εἰ δὲ εὑρεθεῖεν ἰουδαϊσταί, ἔστωσαν ἀνάθεμα παρὰ χριστῷ. *Quod non oportet christianos iudaizare & in sabbato otiari, sed ipsos eo die operari: diem autem dominicum præferentes otiari, si modo possint, vt christianos. Quod si inuenti fuerint iudaizantes, sint anathema apud Christum.*

(q) Ibid. can. XXXVII. Ὅτι οὐ δεῖ παρὰ τῶν Ιουδαίων ἢ αἱρετικῶν τὰ πεμπόμενα ἑορταστικὰ λαμβάνειν, μηδὲ συνεορτάζειν αὐτοῖς. Can. XXXVIII. Ὅτι οὐ δεῖ παρὰ τῶν Ιουδαίων ἄζυμα λαμβάνειν, ἢ κοινωνεῖν ταῖς ἀσεβείαις αὐτῶν.

(r) Can. apost. LXX. Εἴ τις ἐπίσκοπος, ἢ ἄλλος κληρικὸς νηστεύει μετὰ Ιουδαίων, ἢ

nare

nare vetat, vel feſtos dies agere, vel accipere eorum feſti xenia, exempli gratia azyma, vel quid huiuſmodi; clericis quidem denuntians muneris abdicationem, laicis autem ſegregationem. Et per alium ex iiſdem canonibus [s] oleum ad ſynagogam iudæorum deferre, aut in feſtis eorum lucernas accendere idem crimen eſt, atque in gentilium templis aut feſtis hoc facere, & vtrumque excommunicatione puniri iubetur. Ita epiſcopus, presbyter, & diaconus, qui paſcha ante vernum æquinoctium [t] cum iudæis celebraſſe deprehenſus fuerit, officio exui iubetur: tametſi hoc paullo ſeuerius eſt, quam conſtitutio, quæ tempore IRENAEI facta & poſtea a *Conſtantino* [u] & concilio *Nicæno* confirmata eſt. Nam hæc celebrationem quidem paſchatis cum iudæis prohibet, non tamen pœnam abdicationis muneris illis denuntiat, qui iſtum morem ſequerentur, quia quamdam praxis ſuæ excuſationem ex apoſtolica traditione habebant. Concilium *Illiberritanum* [x] chriſtianos iubet admoneri, vt non patiantur fructus ſuos a iudæis benedici, eos autem, qui nihilo minus id faciendum curauerint, penitus ex eccleſia eiici: quia contumelioſum hoc ſit benedictioni in eccleſia vſitatæ, quaſi eam infirmam minuſque efficacem eſſe credant. Idem concilium [y] tam clericis quam laicis cibum cum iudæis ſumere interdicit, eoſque qui id faciant a communione iubet abſtineri. Et huius quidem interdicti ra-

ἑορτάζει μετ᾽ αὐτῶν, ἢ δέχεται αὐτῶν τὰ τῆς ἑορτῆς ξένια, οἷον ἄζυμα, ἤ τι τοιοῦτον, καθαιρείσθω· εἰ δὲ λαϊκὸς ᾖ, ἀφοριζέσθω.

(s) Apoſt. can. LXXII. *Εἴ τις χριστιανὸς ἔλαιον ἀπενέγκοι εἰς ἱερὸν ἐθνῶν, ἢ εἰς συναγωγὴν Ἰουδαίων, ἢ ἐν ταῖς ἑορταῖς αὐτῶν λύχνους ἅψῃ, ἀφοριζέσθω.*

(t) Ibid. can. VIII. *Εἴ τις ἐπίσκοπος, ἢ πρεσβύτερος, ἢ διάκονος, τὴν ἁγίαν τοῦ πάσχα ἡμέραν πρὸ τῆς ἐαρινῆς ἰσημερίας μετὰ Ἰουδαίων ἐπιτελέσῃ, καθαιρείσθω.* Conf. cod. Theod. lib. XVI. tit. V. de hæreticis leg. IX. Quicumque in vnum paſchæ diem non obſequenti religione conuenerint, tales indubitanter, quales hac lege damnauimus, habeantur. Vid. etiam tit. VI. leg. VI. de Protopaſchitis.

(u) Conſtantin. epiſt. ap. Euſeb. de vit. Conſtantin. lib. III. c. XIIX. & XIX. tot.

(x) Concil. Illiberrit. c. XLIX. Admoneri placuit poſſeſſores, vt non patiantur fructus ſuos, quos a Deo percipiunt cum gratiarum actione, a Iudæis benedici, ne noſtram irritam & infirmam faciant benedictionem. Si quis poſt interdictum facere vſurpauerit, penitus ab eccleſia abiiciatur.

(y) Ibid. can. L. Si vero aliquis clericus vel fidelis fuerit, qui cum Iudæis cibum ſumſerit, placuit eum a communione abſtinere, vt debeat emendari.

 tio-

tionem concilium *Agathense* [a] adfert, quando ait: *Quum apud christianos cibis communibus non vtantur (iudæi), indignum est atque sacrilegum, eorum cibos a christianis sumi: quum ea, quæ apostolo permittente nos sumimus, ab illis iudicentur immunda; ac si inferiores incipiant esse christiani, quam iudæi, si nos, quæ ab illis apponuntur, vtamur, illi vero a nobis oblata contemnant.* Qui canon iisdem verbis repetitur in concilio *Venetico* [b]; & in concilio *Epaonensi* [c] regula habetur in eamdem sententiam. Ex concilio etiam *Toletano* quarto apparet, ecclesias *Hispanicas* ab istiusmodi iudaizantibus christianis maxime fuisse infestatas; aliis quidem iudæis in perfidia sua fauentibus; aliis vero recta ad eos deficientibus & circumcisioni se submittentibus; aliis denique indifferenter cum illis in manifestum animæ suæ periculum conuersantibus. Contra quod posteriorum iudaizantium genus canon quadragesimus sextus istius concilii data opera factus est; & præter hunc sex vel septem eodem loco, alius post alium, reperiuntur, ad similes casus respicientes, quos heic nihil attinet interponere. Concilium *Aruernense* [d] christianum, qui matrimonio sibi iungat iudæam, vel christianam, quæ nubat iudæo, a fidelium coetu separari iubet. Et concilium *Aurelianense* tertium talia matrimonia sub eadem poena [e] prohibet, iubens si-

(a) Conc. Agathens. c. XL. Omnes deinceps clerici siue laici Iudæorum conuiuia euitent: nec eos ad conuiuium quisquam excipiat. Quia quum apud christianos &c.

(b) Concil. Venetic. can. XII.

(c) Concil. Epaon. can. XV. A iudæorum conuiuiis etiam laicos constitutio nostra prohibuit; nec cum vllo clerico nostro panem comedat, quisquis iudæorum fuerit conuiuio inquinatus.

Conc. Matiscon. I. c. XV. Vt nullus christianus iudæorum conuiuiis participare præsumat. Quod si facere quicumque, quod nefas est dici, clericus aut sæcularis præsumserit, ab omnium christianorum consortio se nouerit compescendum, quisquis eorum impietatibus fuerit inquinatus.

Conc. Aurel. III. c. XIII. Christianis conuiuia interdicimus iudæorum, in quibus si forte fuisse probantur, annuali excommunicationi pro huiusmodi contumacia subiacebunt.

(d) Conc. Aruernens. c. VI. Si quis iudaicæ prauitati iugali societate coniungitur, & seu christiana iudæo seu iudæus christianæ mulieri carnali consortio misceatur, quicumque horum tantum nefas admisisse dignoscitur, a christianorum coetu atque conuiuio & communione ecclesiæ, cuius sociatur hostibus, segregentur.

(e) Concil. Aurel. III. can. XIII. Christianis omnibus interdicimus, ne iudæo-

mul

mul alterum ab altero ſeparari. CHRYSOSTOMVS in eos invehitur, qui curioſitate ſua ducti ad ſynagogas iudæorum abeant, idemque eſſe dicit, ac ſi ad templa idolorum vadant. „Si „quis, inquit [f], viderit te, qui ſcientiam habes, ad ſynagogam abire, tubas ſpectare, nonne conſcientia eius, quum in- „firmus ſit, exſtruetur ad rerum iudaicarum admirationem? „Etiamſi nullum ibi idolum ſit: tamen dæmones locum inco- „lunt. Quod non de ea ſolum ſynagoga dico, quæ heic eſt; „ſed & illa in *Daphne*, vbi barathrum deterius, quod *Matronæ* vo- „cant. Nam multos fideles illuc adſcendere audiui & iuxta „locum dormire. Sed abſit, illos vmquam vt fideles appellem. „Mihi & *Matronæ* & *Apollinis* templum pari ratione impurum „eſt. Quod ſi me quiſpiam audaciæ condemnet, eum ego vi- „ciſſim extremæ inſaniæ condemnabo. Nam, dic mihi, vbi „dæmones habitent; nonne impietatis ille locus, etiamſi nulla „ibi ſtatua ſit? vbi Chriſti interfectores congrediuntur, vbi „crux exturbatur, vbi Deus blaſphematur, vbi pater ignora- „tur, vbi filius contumeliis adficitur, vbi ſpiritus gratia reiici- „tur„. In primis autem eos luget [g], qui partim ſpectatum prodibant, partim etiam vna celebrabant eorum ieiunia & fe-

rum coniugiis miſceantur: quod ſi fecerint, vſque ad ſequeſtrationem, quiſquis ille eſt, communione pellatur.

Vid. Auguſt. epiſt. CCXXXIV. Quum certiſſime noueris, etiamſi noſtræ abſolutæ ſit poteſtatis, quamlibet puellam in coniugium tradere, tradi a nobis chriſtianam niſi chriſtiano non poſſe.

(f) Chryſoſt. homil. I. contr. iudæos tom. I. p. 442. 443. (p. 392. 393. ed. Francof.) *ἐάν τις ἴδῃ σε τὸν ἔχοντα γνῶσιν εἰς συναγωγὴν ἀπερχόμενον, καὶ σάλπιγγας θεωροῦντα· οὐχὶ ἡ συνείδησις αὐτοῦ ἀσθενοῦς ὄντος οἰκοδομηθήσεται εἰς τὸ θαυμάζειν τὰ ἰουδαϊκὰ πράγματα; --- εἰ γὰρ μὴ εἴδωλον ἕστηκεν ἐκεῖ· ἀλλὰ δαίμονες οἰκοῦσι τὸν τόπον· καὶ τοῦτο οὐ περὶ τῆς ἐνταῦθα λέγω συναγωγῆς μόνον, ἀλλὰ καὶ τῆς ἐν Δάφνῃ· πονηρότερον γὰρ ἐκεῖ τὸ βάραθρον, ὃ δὴ καλοῦσι Ματρώνης· καὶ γὰρ πολλοὺς ἤκουσα τῶν πιστῶν ἀναβαίνειν ἐκεῖ, καὶ παρακαθεύδειν τῷ τόπῳ· ἀλλὰ μὴ γένοιτό ποτε τούτους πιστοὺς προσειπεῖν· ἐμοὶ καὶ τὸ Ματρώνης καὶ τοῦ Ἀπόλλωνος ἱερὸν ὁμοίως ἐστὶ βέβηλον· εἰ δέ τίς μου τόλμαν καταγινώσκει, πάλιν ἐγὼ τὴν ἐσχάτην αὐτοῦ καταγνώσομαι μανίαν· εἰπὲ γάρ μοι, ὅπου δαίμονες οἰκοῦσιν, οὐχὶ ἀσεβείας χωρίον ἐστὶ, κἂν μὴ ξόανον εἱστήκει; ὅπου χριστοκτόνοι συνέρχονται, ὅπου σταυρὸς ἐλαύνεται, ὅπου βλασφημεῖται Θεὸς, ὅπου πατὴρ ἀγνοεῖται, ὅπου υἱὸς ὑβρίζεται, ὅπου πνεύματος ἀθετεῖται χάρις.*

(g) Ibid. pag. 433. (p. 384 edit. cit.) *ἑορταὶ τῶν ἀθλίων καὶ ταλαιπώρων ἰουδαίων μέλλουσι προσελαύνειν συνεχεῖς καὶ ἐπάλληλοι, αἱ σάλπιγγες, αἱ σκηνοπηγίαι, αἱ*

rias,

rias, feſtos dies tubarum, tabernaculorum, & ieiunium magni diei expiationis, quæ ſolemnitates omnes in menſem *Tiſri* ſiue Septembrem incidebant, quando ſermones ſuos aduerſus iudæos habuit. Notat etiam quorumdam [*h*] malitiam, qui alios *Ebræorum* ſynagogam intrare ibique iusiurandum de negotiis ſibi controuerſis dare cogebant, iusiurandum, quod ibi daretur, magis formidandum eſſe, temere falſoque ſibi perſuadentes. Ob hanc aliaſque plures rationes, quas ibi copioſe perſequitur [*i*], iſtiuſmodi omnes vocat χριστιανὸς ἐξ ἡμισείας, *chriſtianos ſemiſſes*. Duos alios integros ſermones [*k*] habet in eos, qui cum iudæis ieiunabant, eorumque frequentabant ſynagogas: In quorum poſteriore his eos verbis compellat: „Non audiſti „in priori tractatu, quam clare fuerit oratione demonſtratum, „ipſas animas iudæorum & loca, in quibus congregantur, a „dæmonibus habitari? Quomodo igitur, quæſo, audes, agita„tis cum dæmonibus choreis, ad apoſtolorum cœtum redire?

αἱ νηστεῖαι· καὶ πολλοὶ τῶν μεθ᾽ ἡμῶν τεταγμένων, καὶ τὰ ἡμέτερα λεγόντων φρονεῖν, οἱ μὲν ἐπὶ τὴν θέαν ἀπαντῶσι τῶν ἑορτῶν, οἱ δὲ καὶ συνεορτάζουσι· καὶ τοῦτο τὸ πονηρὸν ἔθος βούλομαι τῆς ἐκκλησίας ἀπελάσαι νῦν. Feriæ Iudæorum miſerorum atque ærumnoſorum continuæ, aliæ poſt alias inſtant tubæ, ſcenopegiæ, ieiunia: & multi noſtri ordinis, qui ſe nobiſcum ſentire dicunt, partim ſpectatum illas ferias procedunt, partim etiam vna celebrant; vna ieiunant; quam prauam conſuetudinem nunc ab eccleſia volo arcere.

(*h*) Ibid. p. 437. (p. 338. edit. Francof.) *καὶ γὰρ πρὸ τούτων τῶν τριῶν ἡμερῶν, (πιστεύσατε, οὐ ψεύδομαι) γυναῖκα τινα εὐσχήμονα καὶ ἐλευθέραν, κοσμίαν καὶ πιστὴν, εἶδον ἀναγκαζομένην ὑπό τινος μιαροῦ καὶ ἀναισθήτου, δοκοῦντος εἶναι χριστιανοῦ (οὐ γὰρ ἂν εἴποιμι τὸν τὰ τοιαῦτα τολμῶντα, χριστιανὸν εἰλικρινῆ) εἰς τὰ τῶν ἑβραίων εἰσελθεῖν, κἀκεῖ παρασχεῖν ὅρκον περὶ τῶν ἀμφισβητουμένων αὐτῷ πραγμάτων· --- ὁ δὲ πολλοὺς ἔφη πρὸς αὐτὸν εἰρηκέναι, φοβερωτέρους τοὺς ἐκεῖ γενομένους ὅρκους εἶναι. Ante hoc triduum, mihi credite non mentior, matronam quamdam honeſtam, ingenuam, modeſtam & fidelem vidi, quam homo quidam impurus, ſtolidus, opinione chriſtianus, (talia enim audentem, ſincerum chriſtianum non dixerim) Hebræorum ædem intrare, ibique iusiurandum de negotiis ſibi controuerſis dare coëgit. --- At ille, multos ſibi dixiſſe, inquiebat, iusiurandum, quod ibi daretur, magis formidandum eſſe.*

(*i*) Ibid. p. 440. (p. 339.) *ποίαν ἕξεις συγγνώμην, χριστιανὸς ὢν ἐξ ἡμισείας; Quam autem veniam impetrabis chriſtianus ſemiſſis.*

(*k*) Chryſoſt. homil. LII. in eos qui paſcha ieiunant, & homil. LIII. in eos, qui cum iudæis ieiunant, tom. V. p. 721. (homil. LV. LVI. p. 645. b. edit. Francf.) *οὐκ ἤκουσας ἐν τῇ προτέρᾳ διαλέξει σαφῶς διαδείξαντος ἡμῖν τοῦ λόγου, ὅτι καὶ τὰς ψυχὰς αὐτὰς τῶν ἰουδαίων καὶ τοὺς τόπους, ἐν οἷς συλλέγονται, δαίμονες κατοικοῦσι; πῶς οὖν, εἰπέ μοι, τολμᾷς μετὰ δαιμόνων χορεύσας πρὸς τὸν τῶν ἀποστόλων σύλλο-*

Qui

„Qui fieri poteſt, vt, quum abieris, & cum illis communica-„veris, qui *CHRISTI* ſanguinem effuderunt, non horreas ve-„nire, & ſacræ menſæ communicare, ac pretioſi ſanguinis par-„ticeps fieri? Non horres, non times, quum talia ſcelera per-„petres? Non menſam ipſam reuereris? His ego verbis vos „adloquutus ſum, his vos illos, & illi ſuas vxores adloquentur. „Aedificate alter alterum. Ac ſi quidem ſit catechumenus is, „qui eiuſmodi morbo laborat, a veſtibulo templi arceatur: ſin „fidelis ac myſteriis initiatus, a ſacra menſa repellatur. Neque „enim exhortatione ac conſilio indigent cuncta, ſed ſunt, quæ „breui & celerrima ſolent ſectione curari. Et quemadmodum „inter vulnera, quæ tolerabiliora ſunt, lenioribus cedunt me-„dicamentis, quæ vero putrefacta ſunt & incurabilia, quæque „reliquum corpus depaſcuntur, acumine ferri flammaque „indigent: ſic nimirum & inter peccata, erga quædam proli-„xiori cohortatione opus eſt, cetera durioribus ſunt reprehen-„ſionibus caſtiganda. Propterea iuſſit quoque *Paulus* non in „omnibus cohortatione vti, ſed & increpare dure, ſic dicens: „*Quam ob cauſſam increpa illos dure;* vt quum ob priora fuerint „pudore ſuffuſi, ſeque ipſos condemnarint, non amplius detri-„mentum ex iniqui ieiunii obſeruatione patiantur. Quas ob „res ego quoque a cohortatione deinceps abſtinens obteſtor „& clamo, *Si quis non amat dominum Ieſum Chriſtum, ſit anathema:*

γον ἐπανελθεῖν; πῶς δὲ οὐ φρίττεις ἀπελθὼν καὶ κοινωνήσας ἐκείνοις, τοῖς τὸ αἷμα ἐκχέουσι τοῦ χριστοῦ, ἐλθεῖν καὶ κοινωνῆσαι τῆς ἱερᾶς τραπέζης, καὶ τοῦ αἵματος μεταχεῖν τοῦ τιμίου; οὐ φρίττεις, οὐ δέδοικας τοιαῦτα παρανομῶν; τὴν τράπεζαν αὐτὴν οὐκ αἰδῇ; ταῦτα πρὸς ὑμᾶς ἐγὼ διελέχθην, ταῦτα πρὸς ἐκείνους ὑμεῖς, κἀκεῖνοι πρὸς τὰς ἑαυτῶν γυναῖκας· εἷς τὸν ἕνα οἰκοδομεῖτε· κἂν μὲν κατηχούμενος ᾖ ὁ τὰ τοιαῦτα νοσῶν, τῶν προθύρων εἰργέσθω· ἂν δὲ πιστὸς καὶ μεμυημένος, τῆς ἱερᾶς τραπέζης ἀπελαυνέσθω· οὐ γὰρ πάντα τὰ ἁμαρτήματα παραινέσεως δεῖται καὶ συμβουλῆς, ἀλλ' ἔστιν ἃ τομῇ συντόμῳ καὶ ὀξυτάτῃ διορθοῦσθαι πέφυκε· καὶ καθάπερ τῶν τραυμάτων τὰ μὲν ἀνεκτότερα προσηνεστέροις εἴκει φαρμάκοις, τὰ δὲ σεσηπότα καὶ ἀνίατα καὶ τὸ λοιπὸν ἐπινεμόμενα σῶμα, αἰχμῆς σιδήρου δεῖται καὶ φλογός· οὕτω δὴ καὶ ἐπὶ τῶν ἁμαρτημάτων, τὰ μὲν παραινέσεως, μακροτέρας χρείαν ἔχοντα, τὰ δὲ ἐλέγχων ἀποτόμως· διόπερ καὶ ὁ Παῦλος ἐκέλευσε μὴ πάντα παραινεῖν, ἀλλὰ καὶ ἐλέγχειν ἀποτόμως, οὕτω λέγων, Δι' ἣν αἰτίαν ἔλεγχε αὐτοὺς ἀποτόμως· ἐλέγξωμεν οὖν αὐτοὺς ἀποτόμως νῦν, ἵνα ἐπὶ τοῖς φθάσασιν αἰσχυνθέντες καὶ καταγνόντες ἑαυτῶν, μηκέτι τὴν ἀπὸ τῆς παρανόμου νηστείας οἴσωνται λύμην· Διὰ ταῦτα καὶ ἐγὼ τὴν παραίνεσιν λοιπὸν ἀφεὶς, μαρτύρομαι καὶ βοῶ· εἴ τις οὐ φιλεῖ τὸν κύριον Ἰησοῦν χριστὸν, ἔστω ἀνάθεμα, τοῦ δὲ μὴ φιλεῖν τὸν

quo-

„quonam autem maiori argumento, a ſe non amari dominum, „poteſt vllus oſtendere, quam ſi feſtis illorum communicet, a „quibus ille fuit occiſus? Hos non ego percuſſi anathemate, „ſed *Paulus*: immo vero non iam *Paulus*, ſed *Chriſtus*, qui per „illum loquitur, & in præcedentibus dixit, *Quoniam qui in lege* „*iuſtificantur, a gratia exciderunt*„. In commentario in verba *Pauli* ad *Titum* [*l*], *Increpa ipſos dure, vt ſint ſani in fide*, iterum de hac materia ita loquitur: „Quod ſi hi, qui cibos obſeruant, „iam non ſani ſunt, ſed valde infirmi; quid de illis dicemus, „qui cum illis vna ieiunant, ſimul ſabbata celebrant, ad loca „illis dedicata conueniunt, eum ſcilicet, qui in *Daphne* eſt, „atque ad ſpeluncam, quæ *Matronæ* dicitur, & eum locum *Cili*„*ciæ*, qui *Saturni* appellatur„? In homilia ſexta aduerſus iudæos [*m*] vehementiſſime in eos inuehitur, qui ad ſynagogas abibant ob incantationes & amuleta ad curandos morbos, in quibus iudæi peculiarem ſibi artem præ reliquis arrogabant; & hoc ipſum multos viles chriſtianos inducebat, vt eos conſulerent. Verum hac de re loquuti ſumus capite vltimo ex CHRYSOSTOMO, & hoc loco tantum addemus, quod iudæi hanc artem valde iactarint, vt quæ ad ipſos veniſſet e quibuſdam apocryphis *Salomonis* regis ſcriptis, cuiuſmodi eſt *liber incantationum* ad pellendos morbos, & *liber exorciſmorum*, ſiue *coniurationum* ad dæmones fugandos, quorum vterque IOSEPHO [*n*] memoratur, qui artem iſtam magnifice extollit, tamquam inter

---

κύριον τί μεῖζον ἂν γένοιτο τεκμήριον, ἀλλ' ἢ ὅταν τοὺς ἀποκτείναντας αὐτὸν κοινωνὸς ἔχῃ τις τῆς ἑορτῆς; τούτους οὐκ ἐγὼ ἀνεθεμάτισα, ἀλλὰ Παῦλος· μᾶλλον δὲ οὐδὲ Παῦλος, ἀλλ' ὁ Χριστὸς, ὁ δι' ἐκείνου λαλῶν, καὶ ὁ ἐν τοῖς ἔμπροσθεν εἰπών, ὅτι ἐν νόμῳ δικαιούμενοι τῆς χάριτος ἐξέπεσον.

(*l*) Homil. III. in Tit. p. 1709. (p. 640. ed. Francof.) οἱ δὲ οἱ βρώματα παρατηροῦντες οὐχ ὑγιαίνουσιν, ἀλλὰ νοσοῦσι καὶ ἀσθενοῦσι, τί ἂν εἴποι τις περὶ τῶν τὰ αὐτὰ νηστευόντων αὐτοῖς; περὶ τῶν σαββατιζόντων; περὶ τῶν εἰς τόπους ἀπερχομένων ἐκείνοις ἀφιερωμένους; τὸν ἐν Δάφνῃ λέγω, τὸ τῆς Ματρώνης λεγόμενον σπήλαιον, τὸν ἐν Κιλικίᾳ τόπον, τὸν τοῦ Κρόνου λεγόμενον.

(*m*) Chryſoſt. hom. VI. in iudæos tom. I. p. 536. (p. 473. edit. Francof.) vid. ſupra cap. V. §. VI. ſub litt. (s) pag.

(*n*) Ioſeph. antiquit. lib. VIII. c. II. παρέσχε δ' αὐτῷ μαθεῖν ὁ θεὸς καὶ τὴν κατὰ τῶν δαιμόνων τέχνην εἰς ὠφέλειαν καὶ θεραπείαν τοῖς ἀνθρώποις· ἐπῳδάς τε συνταξάμενος, αἷς παρηγορεῖται τὰ νοσήματα, καὶ τρόπους ἐξορκώσεων κατέλειπεν· οἷς ἐνδούμενα τὰ δαιμόνια ὡς μηκέτ' ἐπανελθεῖν ἐκδιώκουσι· καὶ αὕτη μέχρι νῦν παρ' ἡμῖν ἡ θεραπεία πλεῖστον ἰσχύει· ἱστόρησα γάρ τινα Ἐλεάζαρον τῶν ὁμοφύλων,

ipſos

ipsos adhuc residuam, loquens de *Eleazare* quodam, qui secundum præscriptas inibi regulas præsente *Vespasiano* multos arreptitios curauerit. Horum librorum etiam meminit ORIGENES [o], dicitque ex christianis quosdam adiurare dæmonia ad formulas, ex apocryphis & *Hebræis* libris acceptas, & similes eis, quæ a *Salomone* scriptæ sint; quod illicitum & iudaicum esse, nec secundum potestatem a *CHRISTO* discipulis suis datam fieri, declarat. Ex quibus omnibus apparet, quod, vti iudæi hanc potestatem maxime sibi arrogarint, ita multi christiani tam stolidæ ac profanæ mentis fuerint, vt clandestino eos consulerent, (publice enim id facere, narrante CHRYSOSTOMO, erubescebant) rati eorum incantationes plus efficacitatis habere, quam reliquorum. Quod duplex crimen erat, primum incantationibus vti, & deinde eas adsumere ab inimicis *CHRISTI*, cum perniciosissimo religionis christianæ scandalo. Quicumque igitur huius criminis conuicti erant, illos seuerissimam ecclesiæ censuram sentire quam certissime oportebat.

Ουεσπασιανου παρόντος καὶ τῶν υἱῶν αὐτου, καὶ χιλιάρχων καὶ ἄλλου στρατιωτικου πλήθους, τους ὑπὸ τῶν δαιμόνων λαμβανομένους ἀπολύοντα τούτων· ὁ δὲ τῆς θεραπείας τρόπος τοιουτος ἦν· προσφέρων ταῖς ῥισὶ του δαιμονιζομένου τὸν δακτύλιον ἔχοντα ὑπὸ τῇ σφραγίδι ῥίζαν, ἐξ ὧν ὑπέδειξε Σολομών, ἔπειτα ἐξεῖλκεν ὀσφραινομένῳ διὰ τῶν μυκτήρων τὸ δαιμόνιον· καὶ πεσόντος εὐθὺς του ἀνθρώπου μηκέτ' εἰς αὐτὸν ἐπανελθεῖν ὥρκου, Σολομῶνός τε μεμνημένος, καὶ τὰς ἐπῳδὰς, ἃς συνέθηκεν ἐκεῖνος, ἐπιλέγων. *Quin & eam rem diuinitus consequutus est ad vtilitatem & medelam hominum, quæ aduersus dæmonas est efficax. Incantationes etiam composuit, quibus morbi pelluntur: & coniurationum modos scriptos reliquit, quibus cedentes dæmones ita fugantur, vt in posterum nunquam reuerti audeant: atque hoc sanationis genus vsque plurimum apud nostros pollet. Vidi enim ex popularibus meis quemdam Eleazarum, in præsentia Vespasiani & filiorum & tribunorum reliquorumque militum, multos arreptitios percurantem. Modus vero curationis erat hic. Admoto naribus dæmoniaci annulo, sub cuius sigillo inclusa erat radicis species a Salomone indicatæ, ad eius olfactum per nasum extrahebatur dæmonium: & collapso mox homine, adiurabat id, ne amplius rediret, Salomonis interim mentionem faciens, & incantationes ab ipso inuentas recitans.*

(o) Origen. tract. XXXV. in Matth. p. 188. (p. 120. Par MDCIIII.) Non est secundum potestatem, datam a saluatore, adiurare dæmonia: Iudaicum enim est. Hoc etsi aliquando a nostris tale aliquid fiat, simile fit ei, quod a Salomone scriptis adiurationibus solent dæmones adiurari. Sed ipsi, qui vtuntur adiurationibus illis, aliquoties nec idoneis constitutis libris vtuntur: Quibusdam autem & de Hebræo acceptis adiurant dæmonia.

§. IV.

De illis, qui ſponte ſua ad paganiſmum deficiebant.

ALIVD genus apoſtatarum illi erant, qui ſponte ſua ad paganiſmum deficiebant, poſteaquam aliquamdiu fidem chriſtianam erant profeſſi. Hi a vulgo ſic dictis lapſis in hoc diſcrepabant, vt iſti, (vulgo ſic vocitati lapſi) per vim & ex metu atque terrore perſecutionis deficerent; hi autem ex proprio inſtinctu & arbitrio libero, ex faſtidio religionis & amore paganiſmi, quem religioni *CHRISTI*, quum ſine vexatione in ea perſeuerare poſſent, anteferebant. Et quemadmodum iſti ad eccleſiam redire ſolebant, ſimulac opportuna eis oblata eſſet occaſio, ita hi plerumque per omnem vitam eccleſiæ communionem fugiebant. Leges imperiales ad minimum a tempore *Theodoſii* talibus ciuium *Romanorum* priuilegium denegant, priuantes eos poteſtate de facultatibus ſuis per teſtamentum decernendi. Quomodo ex duabus legibus [*p*] *Theodoſii* magni videre eſt in codice *Theodoſiano*, quas inſequuti imperatores confirmarunt. Inprimis *Valentinianus* iunior non tantum poteſtatem condendi teſtamentum eis eripuit, ſed beneficium etiam ab aliis vi teſtamenti accipere interdixit [*q*]. Nemini eos hæredes ſuos ſcribere licebat, nec hi vlli in hæreditate ſuccedere poterant. A conſortio omnium ſegregandi erant; teſtimonium eorum in lege non habebatur ratum; infames erant & nullius exiſtimationis inter homines, inter quos viuere illis permittebatur, vt pœnæ maiori ipſis eſſet, verſari inter homines

(*p*) Cod. Theod. lib. XVI. tit. VII. de apoſtatis leg. I. His, qui ex chriſtianis pagani facti ſunt, eripiatur facultas, iuſque teſtandi. Omne defuncti, ſi quod eſt, teſtamentum, ſubmota conditione reſcindatur. Ibid. leg. II. Chriſtianis ac fidelibus, qui ad paganos ritus cultusque migrarunt, omnem in quamcumque perſonam teſtamenti condendi interdicimus poteſtatem, vt ſint abſque iure Romano. Conf. ibid. leg. III. IV. V. VI. VII.

(*q*) Ibid. leg. IV. Hi, qui ſanctam fidem prodiderint & ſanctum baptiſma profanauerint, a conſortio omnium ſegregati, ſint a teſtimoniis alieni, teſtamenti non habeant factionem: Nulli in hæreditate ſuccedant: a nemine ſcribantur hæredes: Quos etiam præcepiſſemus procul abiici, ac longius amandari, niſi pœnæ viſum fuiſſet eſſe maiori, verſari inter homines & hominum carere ſuffragiis. Sed nec vmquam in ſtatum priſtinum reuertentur: Non flagitium morum obliterabitur pœnitentia, neque vmbra aliqua exquiſitæ defenſionis, aut muniminis obducetur: Quoniam quidem eos, qui fidem, quam Deo dicauerant, polluerunt, & prodentes diuinum my-

et

et communibus hominum carere priuilegiis. Immo vero numquam in ſtatum priſtinum reuerti illis dabatur. Etiamſi pœnitentia ducti redirent, hoc illis non eſſe debebat loco beneficii hoc intuitu; pœnitentia eorum non poterat obliterare eorum crimina, quia fidem Deo datam polluerant. Hæc eorum conditio in temporalibus erat. Quod ad ſtatum eorum ſpiritualem attinet, ſecundum quoſdam eccleſiæ canones non minus ſeuere tractabantur. Concilium *Illiberritanum* [r] omnibus iſtiuſmodi apoſtatis communionem ad finem vſque vitæ denegat, quia crimen duplicarint, non tantum ſe ſeparando ab eccleſia, ſed etiam ſemetipſos idololatria polluendo. E contrario minores iſti apoſtatæ, qui religioſis conuentibus [s] ſolum longo tempore ſe ſubtraxiſſent, non autem idololatriam commiſiſſent, ſi poſtea reuerterentur ad eccleſiam, poſt decem annorum pœnitentiam admitti denuo ad communionem poterant. CYPRIANVS [t] dicit, apud anteceſſores ſuos in *Africa* quoſdam de epiſcopis communionem negaſſe trium magnorum criminum, apoſtaſiæ, adulterii & homicidii reis. Qui rigor licet ipſius ætate paullum eſſet imminutus, ei tamen, qui in idololatriam relapſi erant, per omnem

ſterium in profana migrarunt, cetera. Ibid. leg. V. Si quis ſplendor conlatus eſt in eos -- perdant, vt de loco ſuo ſtatuque deiecti perpetua vrantur infamia &c. Ibid. leg. VI. Eos, qui quum eſſent chriſtiani, idolorum ſe ſuperſtitione impia maculauerint, hæc pœna perſequitur, vt teſtandi in alienos non habeant facultatem, cetera. Ibid. leg. VII. Apoſtatarum ſacrilegum nomen ſingulorum vox continuo accuſationis inceſſet, & nullis finita temporibus huiuſcemodi criminis arceatur indago &c. Cod. Theod. lib. XI. tit. XXXIX. de fide teſtium leg. XI. Hi, qui ſanctam fidem prodiderint & ſacrum baptiſma profanarint, a conſortio omnium ſegregati, ſint a teſtimoniis alieni &c.

(r) Concil. Illiberrit. c. I. Placuit inter eos, qui poſt fidem baptiſmi ſalutaris adulta ætate ad templum idololatraturus acceſſerit, & fecerit, quod eſt crimen principale, quia eſt ſummum ſcelus, placuit nec in fine eum communionem accipere.

(s) Ibid. can. XLVI. Si quis fidelis apoſtata per infinita tempora ad eccleſiam non acceſſerit; ſi tamen aliquando fuerit reuerſus, nec fuerit idololatra, poſt decem annos placuit communionem accipere.

(t) Cyprian. epiſt. LII. al. LV. ad Antonian. p. 110. (p. 247. fin. edit. Fell. Amſtelod. MDCC.) Apud anteceſſores noſtros, quidam de epiſcopis iſtic in prouincia noſtra dandam pacem mœchis non putauerunt, & in totum pœnitentiæ locum contra adulteria clauſerunt, cetera.

vitam pœnitere iubebantur. Quod etiam a SIRICIO [u] episcopo *Romano* obseruatur, qui apostatis, quamdiu viuant, agendam pœnitentiam, nec reconciliationem, nisi in hora mortis, impertiendam esse dicit. Et hæc indulgentia eis eo tantum tribuebatur, vt redirent seque pœnitentiæ submitterent voluntarie, dum viuerent, antequam aliqua necessitate vel infirmitate id facere cogerentur. Si enim in apostasia ad extremum perseuerarent, & tantum reconciliari cuperent, imminentis mortis metu impulsi, tum hoc eis solatium negatum esse, fidem nobis facit CYPRIANVS [x], eo quod non esset pœnitentia, sed ingruentis mortis formido, quæ ipsos reconciliationis cupidos efficeret. Et concilium *Arelatense* [y] primum simile decretum fecit, quod istiusmodi apostatæ ad communionem non sint recipiendi, nisi resipiscant & dignos pœnitentiæ fructus faciant. Cuius seueritatis vera ratio erat, vt homines deterrerentur a fiducia in pœnitentia, quam moribundi præ se ferrent, collocanda. Si enim a martyrio discessferis (quod CYPRIANVS [z] admittit) talibus apostatis non erat tempus & occasio operibus suis demonstrandi, quod criminis se vere pœniteret; adeoque ecclesia pacem eis negabat, in totum eos remittens ad infallibile Dei iudicium.

§. V.

De hæreticis & schismaticis eorumque pœnis tam ecclesiasticis quam ciuilibus.

PROXIMVM præuaricatorum contra primum præceptum

(u) Siric. epist. I. ad Himerium c. III. Apostatis, quamdiu viuunt, agenda pœnitentia est, &c.

(x) Cyprian. ibid. p. 111. (p. 243. cit. edit.) Nec dignus est in morte accipere solatium, qui non cogitauit, se esse moriturum.

(y) Concil. Arelat. I. c. XXIII. citat. supr. c. IV. §. V. sub litt. (u) in ipso textu p. 202.

(z) Cyprian. de lapsis p. 127. (p. 91. edit. Amstel.) Sic hic Casto & Aemilio aliquando dominus ignouit: sic in prima congressione deuictos, victores in secundo prœlio reddidit, vt fortiores ignibus fierent, qui ignibus ante cessissent; & vnde superati essent, inde superarent. Deprecabantur illi non lacrimarum miseratione, sed vulnerum; nec sola lamentabili voce, sed laceratione corporis & dolore. Manabat pro fletibus sanguis, & pro lacrimis cruor semiustulatis visceribus defluebat. &c Vide sis epist. XIV. al. XIX. & epist. LV. ad Anton. p. 102. (p. 242. edit. Amstelod.)

genus

genus erant hæretici & ſchiſmatici, quorum illi in doctrinam fidei ab eccleſia traditam peccabant, hi in diuini cultus & diſciplinæ vnitatem, per quam eccleſia vnum *CHRISTI* corpus myſticum redditur. In vtriſque diuerſi peccatorum gradus erant, qui proinde diuerſis cenſuræ eccleſiaſticæ gradibus caſtigabantur. Quum autem legislatores peculiares rationes & cauſſas, quæ homines in hæreſin vel ſchiſma traherent, ſcire non poſſent, ideo leges verbis generalioribus contra illos ferebantur, & ſi qua ſe offerret occaſio, de earum rigore, habito ad hos illos reſpectu, imminuendi, hoc prudentiæ iudicum, qui ad dandum eas in effectum conſtituti erant, relinquebatur. Nos primum pœnas ciuiles, per leges imperiales eis inflictas, recenſebimus ſtrictim, & deinde pœnas eccleſiaſticas, per leges eccleſiæ de illis ſumtas, conſiderabimus.

§. VI.

De pœnis ciuilibus, per leges imperiales illis inflictis.

LEGES imperiales, contra hæreticos & ſchiſmaticos ab imperatoribus chriſtianis inde a tempore *Conſtantini* factæ, præcipue comprehenduntur ſub titulo *de hæreticis*, in codice *Theodoſiano*, quæ plures ſunt & longiores, quam vt heic recitari poſſint. Vnde epitomen duntaxat earum dabimus, prout a GOTHOFREDO [a] in præmonitis ad iſtum titulum collectæ ſunt. Vndecim pœnarum, generatim illis inflictarum, ſpecies obſeruat, præter leges particulares, contra eorum doctores, epiſcopos & clericos, atque conuenticula, eoſque omnes, qui eis fauebant & patrocinabantur, rogatas.

I. IN commune hæretici infamia notati ſeu infames habiti; legibus eos ſemper infames & famoſos appellantibus. Leg. VII. XIII. LIV. *de hæreticis.* Leg. II. *de fide catholica.*

II. NOMINA famoſa & odioſa particularibus quibuſdam ſectis indita; vt quum *Conſtantinus Arianos* vocari, *Porphyrianos*; & *Theodoſius* iunior *Neſtorianis* nomen *Simonianorum* inuri iuſſerunt. Leg. LXVI. *de hæreticis.*

III. AB omni conuerſatione ſubmoti. Leg. XVII. XVIII. XXXVI. XL. XLVIII. *de hæreticis.*

IV. MILITARE prohibiti, dignitatibuſque omnibus fun-

(a) Gothofred. paratitlon. ad cod. Theodoſ. lib. XVI. tit. V. de hæreticis.

gi in quacumque militia, palatina, administratione prouinciæ. Quod a *Theodosio* primum statutum & a sequentibus imperatoribus confirmatum est Leg. IX. XXV. XXIX. XLII. XLVIII. LVIII. LXI. LXV. Speciatim GOTHOFREDVS tamquam elegans *Honorii* dictum laudat Leg. XLII. *de hæreticis*: *Nullus nobis sit aliqua ratione coniunctus, qui a nobis fide & religione discedat.* Obseruat tamen [*], omnia molesta officia tam in castris quam in curia eis imponi consueuisse. Quod confirmatur nouella quadam *Iustiniani* [*b*], quam lector infra ad marginem videre potest.

V. INTESTABILES fuere, hoc est, testamenti condendi in quamcumque personam criminis societate coniunctam, vel ex testamento capiendi ius iis denegatum. Ita *Manichæi* nominatim puniti Leg. VII. IX. XVIII. LXV. *de hæreticis*, & Leg. III. *de apostatis*. Ita quoque *Eunomiani* Leg. XVII. XXV. XLIX. L. LVIII. *de hæreticis*. Et *Donatistæ* Leg. LIV. *de hæreticis*, & Leg. IV. *Ne sanctum baptisma iteretur*. Secundum quas leges omnia hæreticorum bona vel fisco imperatoris vindicata, vel populo *Romæ* Leg. VII. IX. XVII. XVIII. XLIX. *de hæreticis*.

VI. DONANDI donationesque capiendi ius eis denegatum Leg. VII. IX. XXXVI. XL. XLIX. L. LVIII. LXV. *de hæreticis*, & Leg. IV. *Ne sanctum baptisma iteretur*. Modo per vnam legem pauci quidam excepti, quibus donationes dare potuerunt, Leg. LXV. *de hæreticis*.

VII. CONTRAHENDI, emendi, vendendi etiam ius ademtum *Manichæis*, *Phrygibus*, *Priscillianistis*, *Montanistis*, *Donatistis* rebaptizantibus & rebaptizatis Leg. XL. XLVIII. LIV. *de hæreticis*, & Leg. IV. *Ne sanctum baptisma iteretur*.

VIII. MVLTA etiam eis imposita Leg. XXXIX. LII. LIV.

(*) Gothofred. ibid. p. 109. Et tamen neque a castrensi seu armata militia prohibiti leg. LXV. neque a curia aut cohortali militia, leg. XLVIII. LXI. LXV.

(*b*) Iustin. nouell. XLV. Sunto decuriones, quemadmodum iam cohortalibus ante legibus expressum est; neque vllus religionis cultus tali eos fortuna eximito. --- Indigni tamen omni curiali existunto honore. Et quia multa leges decurionibus priuilegia tribuunt, tum ne ictus fustium illis inferatur &c. nullo horum perfruuntor. --- Implento tam personalia quam patrimonialia munera, neque eos lex ab his eximat: Honore autem nullo perfruuntor, sed fortunam sustinento cum infamia.

de

de hæreticis. Cuius crebra mentio in AVGVSTINO [*c*] habetur, qui eam tamen raro ab illis exactam, ſed deprecantibus catholicis ſæpiſſime illis condonatam eſſe, ſignificat.

IX. Ex ſedibus ſuis, vrbibus & prouinciis quandoque pelli iuſſi Leg. XIII. XIV. XV. XVI. XVIII. XX. XXIX. XL. LII. LIII. LVII. LVIII. *de hæreticis.* Ita *Arium* & omnes, qui concilii *Nicæni* decretis ſeſe oppoſuerint, a *Conſtantino* in exilium actos fuiſſe, auctor eſt SOZOMENVS [*d*]. AVGVSTINVS [*e*] dicit, *Conſtantinum Donatiſtas* exilio multaſſe, & ſequentes imperatores omnes, ſi a *Iuliano* apoſtata diſceſſeris, ſeueras aduerſus illos le-

(*c*) Auguſtin. epiſt. LXVIII. ad Ianuar. p. 124. (p. 326. edit. Baſil. MDLXIX.) Pœna decem librarum auri, quæ in hæreticos ab imperatoribus fuerat conſtituta &c. Id. epiſt. L. ad Poniſac. (p. 219. edit. Baſil.) -- Si legem piiſſimæ memoriæ Theodoſii, quam generaliter in omnes hæreticos promulgauit, vt quiſquis eorum epiſcopus vel clericus vbilibet eſſet inuentus, decem libris auri mulctaretur &c. Vide ſis epiſt. CLXVI. (vid. ſub litt. ſeq. [e].) CLXVII. CLXXIII. Id. contr. Creſcon. lib. III. c. XLVII. Quid aliud, niſi quod pars Donati iam ſciret, ſe ad illam pœnam aurariam cum ceteris hæreticis pertinere &c. Id. contr. epiſt. Parmen. lib. I. c. XII. (tom. VII. p. 22. ed. Baſil.) Aliorum imperatorum iuſtitiam legeſque, quæ vehementes aduerſus eos latæ ſunt, quis ignorat? In quibus vna generalis aduerſus omnes, qui chriſtianos ſe dici volunt, & eccleſiæ catholicæ non communicant, ſed in ſuis ſeparatim conuenticulis congregantur, id continet, vt vel ordinator clerici, vel ipſe ordinatus denis libris auri mulctentur.

(*d*) Sozomen. lib. I. c. XX. ὑπερορίῳ τε φυγῇ ζημιωθήσεσθαι προηγόρευσε τὸν ἐναντίον τῶν δεδογμένων ἐρχόμενον, ὡς διαφθείραντα τοὺς θείους ὅρους. *Quod ſi quis decretis ſynodi refragaretur, eum* exilio damnandum eſſe *pronuntiauit, vtpote Dei iudicium conuellere conantem.*

(*e*) Aug. epiſt. CLII. ad Donatiſtas. Protulerunt litteras Conſtantini, ad vicarium Verinum datas, vbi eos grauiter deteſtatur, & propterea dicit, ſic *exilio* relaxandos & furori ſuo dimittendos, quia iam Deus cœperat in illos vindicare --- quando eos vehementer execratus ideo iuſſit, vt de exilio dimitterentur, vt Deo iudice, ſicut etiam cœperant, punirentur. Epiſt. CLXVI. p. 289. (p. 757. edit. Baſil.) Conſtantinus prior contra partem Donati ſeueriſſimam legem dedit. Hunc imitati filii eius talia præceperunt. Quibus ſuccedens Iulianus, deſertor Chriſti & inimicus, ſupplicantibus veſtris, Rogatiano & Pontio, libertatem perditioni partis Donati permiſit. Denique tunc reddidit baſilicas hæreticis, quando templa dæmoniis, eo modo putans chriſtianum nomen poſſe perire de terris, ſi vnitati eccleſiæ, de qua lapſus fuerat, inuideret, & ſacrilegas diſſenſiones liberas eſſe permitteret. --- Huic ſucceſſit Iouianus, qui quoniam cito mortuus eſt, nihil de rebus talibus iuſſit. Deinde Valentinianus, legite quæ contra vos iuſſerit. Inde Gratia-

ges

ges condidiſſe. Et *Iulianum* quidem diabolico aſtu eos reuocaſſe, quod chriſtianos, in diuerſas ſectas diuiſos, penitus ex mundo deleturum ſe ſperarit. *Honorius Iouinianum* in inſulam *Boam* deduci iuſſit, quemadmodum in lege, nominatim contra illum facta [*f*], in codice legimus. Et *Theodoſius* iunior *Neſtorium* exilio puniuit, vt hiſtorici [*g*] notant, poſtquam ſynodus *Epheſina* munus ei abdicaſſet.

X. MVLTIS in caſibus corporali etiam pœnæ, flagellationi & id genus aliis ſubiecti, antequam in exilium deportarentur Leg. XXI. LIII. LIV. LVII. *de hæreticis*, & Leg. IV. *Ne ſanctum baptiſma iteretur*.

XI. TANDEM in ſpecialioribus quibuſdam caſibus, legibus ſanguinis territi, quæ ſupplicio eos obnoxios fecerunt, quamquam ex ſummorum imperantium conniuentia vel eccleſiæ deprecatione rarius in effectum contra illos deductæ ſint. GOTHOFREDVS primam legem de ſummo ſupplicio hæreticorum a *Theodoſio* an. CCCLXXXII. contra *Encratitas*, *Saccophoros*, *Hydroparaſtatas* & *Manichæos* latam eſſe dicit, & noram eſſe de *hæreticis*. Exinde multas iſtiuſmodi leges alias factas eſſe contra ſacerdotes hæreticorum, qui ſuperſtitionem ſuam contra interdictum legum exercere auſi ſint; Item contra procuratores poſſeſſionum, in quibus prohibiti hæreticorum conuentus eſſent agitati: Nec non contra eos, qui retinuiſſent & occultaſſent noxios eorum libros Leg. XV. XVI. XXXIV. XXXV.

nus & Theodoſius, legite, quando vultis, quæ de vobis conſtituerint. Quid ergo de filiis Theodoſii miramini, quaſi aliud in hac cauſa ſequi debuerint, quam Conſtantini iudicium, per tot chriſtianos imperatores firmiſſime cuſtoditum? cetera.

(*f*) Cod. Theod. lib. XVI. tit. V. de hæreticis leg. LIII. Iouinianum ſacrilegos agere conuentus extra muros vrbis ſacratiſſimæ, epiſcoporum querela deplorat. Quare ſupra memoratum corripi præcipimus, & contuſum plumbo, cum ceteris ſuis participibus & miniſtris exilio coërceri: ipſum autem machinatorem in *inſulam Boam feſtina celeritate deduci.*

(*g*) Socrat. lib. VII c. XXXIV. καὶ ἄχρι νῦν καθῃρημένος εἰς ἐξορίαν πεμφθεὶς εἰς τὴν Ὄασιν κατοικεῖ. *Etiamnum depoſitus* (*Neſtorius*) *& in exilium miſſus Oaſin incolit.*

Euagr. lib. I. c. VII. ὡς καὶ Ἰωάννην τὸν τῆς Ἀντιόχου πρόεδρον ταῦτα μηνῦσαι, ἀειφυγίᾳ τε τὸν Νεστόριον καταδικασθῆναι. *Vt Ioannes epiſcopus Antiochiæ hæc ad imperatorem retulerit*, & Neſtorius perpetuo exilio fuerit condemnatus.

XXXVI.

XXXVI. XXXVIII. XLIII. XLIV. LI. LIII. LIV. LVI. LXIII. *de hæreticis.*

PRAETER hasce leges & pœnas, quæ potissimum eorum adfecerunt personas, GOTHOFREDO diuersæ aliæ obseruantur, ad exstirpandam hæresin factæ. Nempe

I. LEGES, quibus doctores hæreticorum docere seu fidem insinuare vetiti, idque tam priuatis quam publicis locis, palam vel in secreto. Leg. III. V. XIII. XXIV. *de hæreticis*, et leg. II. *ne sanctum baptisma iteretur.*

II. LEGES, quibus hæretici publicas disputationes de religione coram coacta multitudine habere prohibiti. Leg. XLVI. *de hæreticis*, et lege I. II. III. *de his, qui super religione contendunt.*

III. LEGES, quibus episcopi, clerici, sacerdotes ab hæreticis ordinari, institui, & confirmari prohibiti. Leg. XII. XIV. XXI. XXII. XXIV. XXVI. XXVII. LVII. LVIII. LXV. *de hæreticis.*

IV. LEGES, quibus ita creati episcoporum vel clericorum nomina & priuilegia vsurpare vetiti. Leg. I. XXIV. XXVI. XXVIII. *de hæreticis.* Leg. II. & III. *de episcopis.* Leg. I. *ne sanctum baptisma iteretur.*

V. LEGES, quibus conuenticula & congregationes hæreticorum ad ritus suos celebrandos prohibitæ. Leg. IV. V. VI. X. XI. XII. XIV. XV. XIX. XX. XXI. XXVI. XXX. XLV. LII. LIII. LIV. LVI. LXV. *de hæreticis*; et Leg. VII. *ne sanctum baptisma iteretur.*

VI. LEGES, quibus hæretici ecclesias fabricare vel habere prohibiti. Leg. I. II. VI. VII. VIII. XII. XXX. LXV. *de hæreticis*, & leg. III. *de fide catholica.* Iisdemque ecclesiis quid donare vetiti Leg. LXV. *de hæreticis.* Et ecclesiæ eorum domusque & habitacula, in quibus docebant, fisco vindicatæ. Leg. III. IV. VIII. XII. XXI. XXX. *de hæreticis*; vel ecclesiis catholicis addictæ. Leg. XLIII. LII. LIV. LVII. LXV. *de hæreticis*, & leg. II. *ne sanctum baptisma iteretur.* Exceptis solis *Nouatianis*, quibus ecclesias suas suaque cœmiteria reliquit *Constantinus*, quod, licet essent schismatici, fidem tamen catholicam tuebantur. Leg. II. *de hæreticis.* SOCRAT. lib. II. c. XXX. lib. V. c. X. SOZOMEN. lib. VIII. c. I.

VII. LEGES, per quas seruis accusatio dominorum hæreticorum permissa, & fugiendi ad ecclesiam catholicam potestas vna cum præmio libertatis data Leg. XL. *de hæreticis*, & leg. IV. *ne sanctum baptisma iteretur*.

VIII. LEGES, per quas filiis hæreticorum bona paterna ademta, nisi ad ecclesiam catholicam redirent. Leg. VII. IX. XL. *de hæreticis*. Leg. VII. *ne sanctum baptisma iteretur*.

IX. LEGES, quibus libri hæreticorum quæri & comburi iussi. Leg. XXXIV. & LXV. *de hæreticis*.

ITA diuersas istas pœnas breuiter enarrauimus, quas a tempore *Constantini* ad *Theodosii* vsque & *Valentiniani III.* ætatem imperatores in hæreticos constituerunt, quas eruditus lector vberius ac fusius sub suo quamque titulo in codice *Theodosiano* ac *Iustinianeo* legere potest. Satis est, aliquam earum epitomen heic dedisse, quæ non nihil lucis legibus ecclesiæ, adversus eos factis, adfundere poterunt, quas nunc distinctius exponere adgredimur, vtpote ad disciplinam ecclesiæ propius spectantes.

§. VII.

Quemadmodum hæretici per disciplinam ecclesiæ tractati fuerint. Primo, *Anathemate perculsi de ecclesiaque proiecti.*

ET heic quidem primo loco obseruare possumus, quod hæresis semper in maximis posita fuerit criminibus, quorum homo christianus reus esse potuerit, quippe quæ desertio quædam fidei credita, & voluntaria quidem desertio, quæ res offensionem tanto maiorem effecit. Hinc CYPRIANVS comparans crimen hæreticorum & schismaticorum cum crimine eorum, qui per vim persecutionis in idololatriam prolapsi erant, „Peius hoc crimen (hæresis) est, inquit [b], quam quod admisisse lapsi videntur; qui tamen in pœnitentia criminis constituti, Deum plenis satisfactionibus deprecantur. Heic ecclesia quæritur & rogatur; illic ecclesiæ repugnatur. Heic potest necessitas fuisse; illic voluntas tenetur in scelere. Heic qui lapsus est, sibi tantum nocuit; illic qui hæresin vel schisma facere conatus est, multos secum trahendo decepit. Heic

(b) Cyprian. de vnitat. eccles. p. 117. (p. 84. edit. Fell. Amstelod. MDCC.)

„animæ

„animæ vnius eſt damnum; illic periculum plurimorum. Certe peccaſſe ſe hic & intelligit & lamentatur & plangit; ille „tumens in peccato ſuo, & in ipſis ſibi delictis placens, a matre filios ſegregat, oues a paſtore ſollicitat, Dei ſacramenta „diſturbat. Et quum lapſus ſemel peccauerit, ille quotidie „peccat. Poſtremo lapſus, martyrium poſtmodum conſequutus, poteſt regni promiſſa percipere; ille, ſi extra eccleſiam „fuerit occiſus, ad eccleſiæ non poteſt præmia peruenire„. Quod vltimum argumentum CYPRIANVS [i], AVGVSTINVS, & alii ſæpe vrgent, vt homines deterreant atque auocent a ſtudio hæreſis & ſchiſmatis. Et hoc ipſum innuit, hæreticos

(i) Vid. Cypr. ibid. p. 109. (p. 78. edit. cit.) Quiſquis ab eccleſia ſegregatus adulteræ iungitur, a promiſſis eccleſiæ ſeparatur. Nec peruenit ad Chriſti præmia, qui relinquit eccleſiam Chriſti; cetera. Ibid. p. 113 114. (p. 81. edit. cit.) Tales etiamſi occiſi in confeſſione nominis fuerint, macula illa nec ſanguine abluitur. Inexpiabilis & grauis culpa diſcordiæ, nec paſſione purgatur. Eſſe martyr non poteſt, qui in eccleſia non eſt: ad regnum peruenire non poteſt, qui eam, quæ regnatura eſt, derelinquit. (Pag. 82. edit. Amſtel.) Cum Deo manere non poſſunt, qui eſſe in eccleſia Dei vnanimes noluerint; ardeant licet flammis, & ignibus traditi, vel obiecti beſtiis animas ſuas ponant; non erit illa fidei corona, ſed pœna perfidiæ; nec religioſæ virtutis exitus glorioſus, ſed deſperationis interitus. Occidi talis poteſt, coronari non poteſt. Epiſt. LV. ad Antonian. p. 108. (p. 245. ed. Amſtelod.) Vbi (apud hæreticos & ſchiſmaticos) etſi occiſus propter nomen poſtmodum fuerit extra eccleſiam conſtitutus & ab vnitate atque caritate diuiſus, coronari in morte non poterit. Ibid. p. 114. (p. 251. edit. cit.) Chriſti eccleſiam diſſipantes, nec ſi occiſi pro nomine foris fuerint, admitti ſecundum apoſtolum poſſunt ad eccleſiæ pacem, quando nec ſpiritus, nec eccleſiæ tenuerunt vnitatem. Vide ſis etiam epiſt. LVII & LX. ad Cornelium.

Auguſt. contr. litter. Petilian. lib. II. c. XXIII. Si ſchiſma feciſti, impius es: ſi impius es, vt ſacrilegus morieris, quum pro impietate puniris: ſi vt ſacrilegus morieris, quomodo tuo ſanguine baptizaris? De baptiſmo lib. IV. c. XVII. Neque hoc baptiſma (ſanguinis) hæretico prodeſt, inquit (Cyprianus) ſi quamuis Chriſtum confeſſus extra eccleſiam fuerit occiſus, quia caritatem non habuiſſe conuincitur, de qua apoſtolus dicit: *Et ſi tradidero corpus meum &c.* Epiſt. CCIV. Foris ab eccleſia conſtitutus & ſeparatus a compage vnitatis & vinculo caritatis, æterno ſupplicio punireris, etiamſi pro Chriſti nomine viuus incendereris. Hoc eſt enim, quod dicit apoſtolus, *Etſi tradidero &c.*

Chryſoſt. homil. XI. in Epheſ. (p. 917. edit. Francof.) *ἀνὴρ δέ τις ἅγιος εἶπέ τι δοκοῦν εἶναι τολμηρὸν, πλὴν ἀλλ' ὅμως ἐφθέγξατο· τί δὴ τοῦτο ἐστιν; οὐδὲ μαρτυρίου αἷμα ταύτην δύνασθαι ἐξαλείφειν τὴν ἁμαρτίαν ἔφησεν.* *Dixit vir quidam*

voluntario ſeſe auulſiſſe a communione eccleſiæ ſeque ipſos condemnaſſe (vti apoſtolus loquitur, & nonnulli veterum id intelligunt) voluntaria excommunicatione, ſiue ſeparatione ſui ab eccleſia. Verumtamen hoc non impediebat, quo minus, non obſtante iſtiuſmodi voluntaria ſeparatione, eccleſia ſolemne anathema contra illos pronuntiaret. Quomodo concilium *Nicænum* ſymbolum ſuum claudit anathema pronuntiando aduerſus eos omnes, qui doctrinæ in eo traditæ ſeſe oppoſuerint; & concilium *Gangrenſe* ſingulos canones anathemate terminat contra hæreticos *Euſtathianos*; & ſunt innumera exempla in tomis conciliorum, ad quæ fere abſurdum foret lectorem remittere, quum omnibus nota ſint, qui iſtos vmquam inſpexerunt.

§. VIII.

Secundo, ***Excluſi ab ingreſſu in eccleſiam per nonnullos, etſi non per omnes, canones.***

PERGIMVS itaque. Vbi ſemel formaliter erant excommunicati, quoad in animi obſtinatione perſiſterent, per quasdam diſciplinæ regulas ab ipſis infimis communionis eccleſiaſticæ priuilegiis excludebantur, adeo, vt ne ſermonem quidem vel ſcripturarum lectionem in miſſa catechumenorum audiendi haberent poteſtatem. Concilium *Laodicenum* [k] canonem habet huc ſpectantem, *Non debere hæreticos, in hæreſi permanentes, in eccleſiam ingredi.* Et probabile eſt, hanc regulam in ſeuera diſciplina quarumdam eccleſiarum fuiſſe obſeruatam. Neque tamen generalis regula fuit. Nam ſupra [*] ex *Africanis* & *Hiſpanicis* conciliis & diuerſis locis homiliarum CHRYSOSTOMI oſtendimus, libertatem datam fuiſſe hæreticis non minus quam iudæis & gentilibus intrandi eccleſiam & audiendi ſermonem ac ſcripturarum lectionem, quum id ad eorum faceret inſtitutionem. Neque fieri non poſſe credebant, vt hæretici in eccleſia conuerterentur, quemadmodum

ſanctus quiddam, quod magnam præ ſe fert audaciam; ſed tamen eſt eloquutus. Quid hoc eſt autem? Dixit, ne ſanguinem quidem martyrii poſſe delere hoc peccatum

(*k*) Concil. Laod. c. c. VI. *περὶ τȢ, μὴ συγχωρεῖν τοῖς αἱρετικοῖς εἰσιέναι εἰς τὸν οἶκον τȢ ϑεȢ.*

(*) Lib. XIII. c. I. §. II. vol. I. p. 2. ſeq.

Polemo,

Polemo, perditæ luxuriæ adoleſcens, ad frugem bonam perductus fuit in ſchola *Xenocratis*. Vbi enim vino grauis, ſertis capite redimito, huius philoſophi domum intraſſet, præcepta eius (quæ de modeſtia ac temperantia eo ipſo tempore dabat) auditurus, ita grauitate ſermonis eius adfectus eſt, vt non tantum frugi diſcipulus eius, ſed ſucceſſor etiam in ſchola *Platonis* [*l*] euaderet. CHRYSOSTOMVM hoc modo multos ad agnoſcendam *CHRISTI* diuinitatem perduxiſſe, dum ſermones illius audire eis licuerit, narrant hiſtorici [*m*]. Et patres concilii *Valentini* in *Hiſpania* [*n*] hoc tamquam cauſſam adferunt, cur hæreticis & ethnicis epiſcoporum ſermones & ſcripturarum lectionem audire permittant, quia hoc modo nonnullos ad fidem perductos eſſe, euidenter ſciant. Vt adeo eccleſiam, quæ ſemper hominum ædificationi non deſtructioni operam dedit, videamus ita prudenter diſciplinam ſuam inſtituiſſe, vt hæreticos ad frequentandam vnam cultus publici partem adle-

(*l*) Valer. Maxim. lib. VI. c. IX. p. 327. edit. Lugd. Batav. MDCXL. Perditæ luxuriæ Athenis adoleſcens Polemon, neque illecebris tantummodo, ſed etiam ipſa infamia gaudens; quum e conuiuio non poſt occaſum ſolis, ſed poſt ortum ſurrexiſſet, domumque repetens Xenocratis philoſophi patentem ianuam vidiſſet; vino grauis, vnguentis delibutus, ſertis capite redimito, pellucida veſte amictus, refertam turba doctorum hominum ſcholam eius intrauit: Nec contentus tam deformi introitu, conſedit etiam, vt clariſſimum eloquium, & prudentiſſima præcepta temulentiæ laſciuiis eluderet. Orta deinde, vt par erat, omnium indignatione, Xenocrates vultum in eodem habitu continuit, omiſſiſque, de quibus diſſerebat, de modeſtia ac temperantia loqui cœpit. Cuius grauitate ſermonis reſipiſcere coactus Polemo, primum coronam capite detractam proiecit, paullo poſt brachium intra pallium reduxit, procedente tempore oris conuiualis hilaritatem depoſuit; ad vltimum totam luxuriam exuit, vniuſque orationis ſaluberrima medicina ſanatus, ex infami ganeone maximus philoſophus euaſit.

(*m*) Sozom. lib. VIII. c. II. *πλείστους δὲ τῶν αὐτοῦ ἀκούοντων ἐπ' ἐκκλησίας, εἰς ἀρετὴν ὠφέλησε, καὶ ὁμόφρονας αὐτῷ περὶ τὸ θεῖον ἐποίησε. Multos, qui ipſum in eccleſia audirent, ad virtutis ſtudium impulit, & in doctrina fidei, vt idem cum ipſo ſentirent, effecit.*

(*n*) Concil. Valent. c. I. Inter cetera hoc cenſuimus obſeruandum, vt ſacroſancta euangelia ante munerum illationem, in miſſa catechumenorum in ordine lectionum poſt legantur, quatenus ſalutaria præcepta domini noſtri Ieſu Chriſti, vel ſermones ſacerdotis, non ſolum fideles, ſed etiam catechumeni & pœnitentes, & omnes, qui e diuerſo ſunt, audire licitum habeant. Sic enim pontificum prædicatione audita, nonnullos attractos ad fidem euidenter ſcimus.

xerit, quam pœnitentibus ac catechumenis ſuis frequentare conceſſit. Et ſi hæreticis hoc priuilegium aliquando denegatum fuit, peculiaris quædam & extraordinaria ratio id iuſſiſſe intelligitur.

§. IX.

Tertio, *Nemini licitum hæreticos & ſchiſmaticos, conuentus eorum frequentando, confirmare.*

NEQVE vero eadem ratio erat permittendi catholicis hæreticorum & ſchiſmaticorum conuentus frequentare; quia hoc non ad eos conuertendos, ſed potius in erroribus ſuis confirmandos valuiſſet: Et idcirco prohibitio hac in re acrior erat & vniuerſalior, Ne quis cum hæreticis in vllis officiis religioſis, & omnium minime in conuenticulis eorum ſe coniungeret, ſub pœna excommunicationis. Huc ſpectant canones apoſtolici [o]: *Epiſcopus, presbyter & diaconus, qui cum hæreticis orauerit tantummodo, communione priuetur: quod ſi & iis tamquam clericis aliquid operari permiſerit, deponatur.* Et rurſus [p], *Si quis clericus, aut laicus, ingreſſus fuerit in ſynagogam iudæorum vel hæreticorum, ad orandum, deponatur & ſegregetur.* Similem in modum concilium *Laodicenum* [q] ſtatuit: *Non concedendum eſſe, vt in cœmiteria, vel in ea, quæ dicuntur, martyria quorumuis hæreticorum, abeant ii, qui ſunt eccleſiæ, orationis vel venerationis gratia. Sed tales ſi ſint fideles, eſſe aliquantiſper excommunicatos: ſin autem pœnitentia ducantur, & ſe deliquiſſe confiteantur, ſuſcipi.* Et iterum [r]: *Non oportere vna cum hæreticis vel ſchiſmaticis orare.* Concilium quartum *Carthaginenſe* [s], *Hæreticorum cœtus*, inquit, *non eccleſia, ſed conciliabulum eſt.* Et [t], *Cum hæreticis nec orandum nec pſallendum. Catholicus,*

(o) Can. apoſt. XLV. ἐπίσκοπος ἢ πρεσβύτερος, ἢ διάκονος, αἱρετικοῖς συνευξάμενος μόνον, ἀφοριζέσθω· εἰ δὲ καὶ ἐπέτρεψεν αὐτοῖς ὡς κληρικοῖς ἐνεργῆσαί, καθαιρείσθω.

(p) Ibid. c. LXV. Εἴ τις κληρικὸς, ἢ λαϊκὸς, εἰσέλθοι εἰς συναγωγὴν Ἰουδαίων ἢ αἱρετικῶν προσεύξασθαι, καθαιρείσθω καὶ ἀφοριζέσθω.

(q) Concil. Laodic. can. IX. Περὶ τοῦ μὴ συγχωρεῖν εἰς τὰ κοιμητήρια, ἢ εἰς τὰ λεγόμενα μαρτύρια πάντων τῶν αἱρετικῶν ἀπιέναι τοὺς τῆς ἐκκλησίας, εὐχῆς ἢ θεραπείας ἕνεκα· ἀλλὰ τοὺς τοιούτους, ἐὰν ὦσι πιστοὶ, ἀκοινωνήτους γίνεσθαι μέχρι τινός· μετανοοῦντας δὲ, καὶ ἐξομολογουμένους ἐσφάλθαι, παραδέχεσθαι.

(r) Ibid. can. XXXIII. Ὅτι οὐ δεῖ αἱρετικοῖς ἢ σχισματικοῖς συνεύχεσθαι.

(s) Concil. Carth. IV. c. LXXI.

(t) Ibid. can. LXXII.

inquit concilium *Ilerdense* [u], *qui filios suos in hæresi baptizandos obtulerit, oblatio illius in ecclesia nullatenus recipiatur.* Intelligendum autem hoc est, vbi quis baptismum a catholico accipere poterat, & nihilominus ab hæretico eum recipere malebat, sine vlla, quæ ipsum vrgeret, sic faciendi necessitate. Alias enim, vt ex diuersis locis apud AVGVSTINVM [x] ostendimus, vrgente extrema necessitate, ab hæretico baptismus recipi potius poterat, quam vt quis sine illo diem suum obire cogeretur. Hoc pro vnitatis catholicæ violatione non habitum, neque ad hanc rem disciplina ecclesiæ respexit, quando hominibus interdixit, hæreticis, sponte se illis coniungendo baptismumque ab illis recipiendo, animum addere. CYRILLVS HIEROSOLYMITANVS hoc sensu [y] catechumenum suum præcipue odisse iubet omnia perfidorum hæreticorum conventicula. CHRYSOSTOMVS hæreticos comparat cum illis [z], qui monetam regis corrumpunt: etiamsi fidei vel minimam particulam subuertant, in totum tamen eos euangelium corrumpere, adeoque catholicis fugiendos esse, monet. Neminem vllam cum hæreticis amicitiam colere debere dicit. *Si dogmata*, inquit [a], *habent contraria, & propter hoc ipsum non convenit cum illis misceri.* Et addit, non minus crimen esse, ecclesiam discindere in schisma, quam delabi in hæresin, quia id ecclesiam gentilium ludibrio exponat. Vnde etiam celebre il-

(u) Concil. Ilerd. c. XIII. Vid. Hieron. dialog. cum Lucifer. c. V. Sciens ab hæreticis baptizatus, erroris veniam non meretur.

(x) Aug. de bapt. lib. I. c. II. lib. VI. c. V. lib. VII. c. LII. cit. cap. I. §. IV. sub litt. (d) (e) (f) pag. 15. 16.

(y) Cyrill. catech. IV. §. XXIII. ἐξαιρέτως μίσει πάντα τὰ συνέδρια τῶν παρανόμων αἱρετικῶν.

(z) Chrysost. in Galat. I. p. 972. (p. 789. edit. Francof.) καθάπερ ἐν τοῖς βασιλικοῖς νομίσμασιν ὁ μικρὸν τοῦ χαρακτῆρος περικόψας, ὅλον τὸ νόμισμα κίβδηλον εἰργάσατο· οὕτω καὶ τῆς ὑγιοῦς πίστεως καὶ τὸ βραχύτατον ἀνατρέψας, τῷ παντὶ λυμαίνεται, ἐπὶ τὰ χείρονα προϊὼν ἀπὸ τῆς ἀρχῆς. *Quemadmodum in moneta regia, qui paullum aliquid amputarit de impressa imagine, totum numisma reddit adulterinum: ita quisquis sanæ fidei vel minimam particulam subuerterit, in totum corrumpitur, ab hoc initio semper ad deteriora procedens.*

(a) Chrysost. homil. XI. in Ephes. p. 1108. (p. 960. edit. Francof.) εἰ μὲν γὰρ καὶ δόγματα ἔχουσι ἐναντία, καὶ διὰ τοῦτο οὐ προσήκει ἐκείνοις ἀναμίγνυσθαι.

lud

lud dictum CYPRIANI [*b*], quod ne ſanguis quidem martyrii poſſit delere hoc peccatum, vrget ſtatimque ſubiungit: *Dic mihi, quam ob cauſſam es martyr? An non propter CHRISTI gloriam? Qui pro Chriſto animam prodegiſti, quid popularis eccleſiam, pro qua Chriſtus ſuam profudit animam?* Ita veteres impedire adlaborabant, quo minus fideles hæreticis ac ſchiſmaticis, conuentus eorum frequentando, animum adderent eoſque in erroribus confirmarent.

§. X.

Quarto, *Nemini edere vel conuerſari cum hæreticis, vel eorum munera recipere, vel ſcripta retinere, vel contrahere cum illis matrimonium.*

ERANT multæ aliæ turpitudinis ac odii notæ, hæreticis per leges eccleſiaſticas pariter ac imperiales inuſtæ, vt homines tanto magis illos horrerent atque reformidarent. Nemini ne edere quidem cum illis in conuiuio vel familiariter conuerſari licitum. Nemo eorum recipere poterat eulogias aut munera feſtiualia; vel legere ac retinere eorum ſcripta, ſed ea manifeſtare debebat atque comburere. Nemini matrimonium cum illis contrahere, vel neceſſitudinem coniungere permittebatur, niſi ad eccleſiam catholicam ſe redituros promitterent. Quoad in hæreſi perſiſterent, nomina eorum de diptychis eccleſiæ deleta erant. Et ſi in hæreſi morerentur, nulla pſalmodia, nec vlla ſolemnitas alia in exſequiis eorum adhibebatur; nulla pro iis fiebat oblatio, nulla eorum in ſolemni eccleſiæ officio commemoratio. Quando autem de hiſce rebus fuſius diſſeruimus, vbi vſitatam eccleſiæ cum hominibus excommunicatis agendi rationem deſcripſimus generatim [*], ſatis erit, hæc diuerſa momenta hoc loco vel digito indicaſſe, quia iſtæ pœnæ hæreticis non fuerunt peculiares, ſed ad omnes, cenſuræ excommunicationis ſubiacentes, ſpectauerunt.

(*b*) Ibid. p. 1107. (p. 957. edit. cit.) *ὃ δὲ μαρτυρίου αἷμα ταύτην δύνασθαι ἐξαλείφειν τὴν ἁμαρτίαν ἔφησεν· εἰπὲ γάρ μοι, τίνος ἕνεκεν μαρτυρεῖς; οὐ διὰ τὴν δόξαν τοῦ χριστοῦ; ὁ τοίνυν τὴν ψυχὴν προϊέμενος ὑπὲρ τοῦ χριστοῦ, πῶς τὴν ἐκκλησίαν πορθεῖς, ὑπὲρ ἧς τὴν ψυχὴν προήκατο ὁ χριστός;*

(*) Cap. II. §. XI. pag. 95. ſeq.

§. XI.

§. XI.

Quinto, *Hæreticis non permiſſum in cauſſa quadam eccleſiaſtica aduerſus aliquem catholicum teſtari.*

VERVMTAMEN duæ huius generis res ſunt, de quibus paullo diſtinctius heic loqui non inconſultum fuerit. 1. Quod per leges eccleſiaſticas æque ac ciuiles hæretici facti fuerint infames, eorumque teſtimonium in nulla cauſſa eccleſiaſtica admitti debuerit. *Ad teſtimonium dicendum*, inquiunt canones *apoſtolici* [c], *aduerſus epiſcopum, ne recipiatis hæreticum.* Et concilium *Carthaginenſe* [d] ait: *Quærendum in iudicio, cuius ſit conuerſationis & fidei is qui accuſat, & is qui accuſatur.* In codice *Africano* duo habentur canones in rem præſentem, quorum alter omnes excommunicatos [e], (ſub quibus hæretici comprehenduntur,) ad accuſationem admitti vetat, quoad in excommunicatione ſint conſtituti. Et alter diſerte nominat hæreticos [f] inter plures alios, quos ad accuſanda publica crimina leges publicæ non admittant: cuiuſmodi ibi dicuntur eſſe ſervi & liberti aduerſus dominos ſuos; hiſtriones ac turpitudinibus ſubiectæ perſonæ; iudæi & pagani; & omnes, quorum teſtimonium per leges imperii reiiciebatur: niſi forte ad cauſ-

(c) Can. apoſt. c. LXXV. Εἰς μαρτυρίαν τὴν κατὰ ἐπισκόπου αἱρετικὸν μὴ προσδέχεσθε.

(d) Conc. Carth. IV. can. XCVI.

(e) Cod. Afric. can. CXXVIII. Ἤρεσε πᾶσιν, ἐπειδὴ τοῖς ἀνωτέροις τῶν συνόδων ψηφίσμασι περὶ προσώπων κληρικῶν, τῶν μὴ ὀφειλόντων εἰς κατηγορίαν προσδεχθῆναι, ὡρίσθη, καὶ οὐκ ἐπεξειργάσθη, ποῖα πρόσωπα μὴ προσδεχθῶσι· διὰ τοῦτο ὁρίζομεν, τοῦτον ὀρθῶς πρὸς κατηγορίαν μὴ εἰσδέχεσθαι, ὅστις, μετὰ τὸ ἀπὸ κοινωνίας γενέσθαι, ἐν αὐτῷ ἔτι τῷ ἀφορισμῷ ὑπάρχει, εἴτε κληρικὸς εἴη, εἴτε λαϊκός, ὁ κατηγορῆσαι θελόμενος. *Placuit omnibus, quoniam ſuperiorum conciliorum decretis, de perſonis, quæ admittendæ non ſint ad accuſationem clericorum, iam conſtitutum eſt, & quæ perſonæ non admitterentur, non expreſſum eſt: idcirco definimus, eum rite ad accuſationem non admitti, qui, poſteaquam excommunicatus fuerit, in ipſa adhuc excommunicatione conſtitutus, ſiue ſit clericus, ſiue laicus, accuſare voluerit.*

(f) Ibid. can. CXXIX. Ὁμοίως ἤρεσεν, ἵνα πάντες οἱ δοῦλοι, καὶ οἱ ἴδιοι ἀπελεύθεροι, εἰς κατηγορίαν μὴ δεχθῶσι· καὶ πάντες, οὓς πρὸς κατηγορητέα ἐγκλήματα οἱ δημόσιοι νόμοι οὐ προσδέχονται· πάντες ἔτι μήν, οἱ τοῖς τῆς ἀτιμίας σπίλοις ἐρραντισμένοι, τοῦτ᾽ ἔστι μῖμοι, καὶ ὅσα ταῖς αἰσχρότησιν ὑποβέβληνται πρόσωπα, αἱρετικοὶ ἔτι μήν, εἴτε Ἕλληνες, εἴτε Ἰουδαῖοι· πλὴν ὅμως πᾶσιν, οἷς ἡ τοιαύτη κατηγορία ἀρνεῖται, ἐν ταῖς ἰδίαις αἰτίαις τὴν τοῦ κατηγορεῖν ἄδειαν μὴ ὀφείλειν ἀρ-

ſas proprias ſpectaret, in quibus cuilibet ius adminiſtrandum & nemini non alterum accuſare permittendum erat. Eadem iuſta diſtinctio a concilio generali *Conſtantinopolitano* [g] adhibetur. Poterat aliquis priuatam querelam habere aduerſus epiſcopum, vtpote detrimento aliquo, vel iniuria aliqua ab ipſo adfectus. In eiuſmodi accuſatione accuſator audiendus erat, nec eius perſona nec religio examinanda. Oportebat enim epiſcopum omnibus modis liberam cuſtodire conſcientiam, & eum, qui ſibi iniuriam factam eſſe dicebat, cuiuſcumque eſſet religionis, ius ſuum conſequi. Si autem eſſet crimen eccleſiaſticum, quod epiſcopo intendebatur, tunc examinari perſonas accuſatorum oportebat; vt primum quidem hæreticis non liceret orthodoxos epiſcopos pro rebus eccleſiaſticis accuſare; nec vllis aliis, qui ab eccleſia ob aliquas cauſſas prius condemnati & eiecti vel excommunicati erant, ſiue ex clero, ſiue ex laicorum ordine, priuſquam proprium crimen abſterſiſſent. GOTHOFREDVS quidem addubitat, an vlla lex in codice *Theodoſiano* reperiatur, quæ hæreticos a dando teſtimonio ſic alienos eſſe iubeat: Etſi enim in eo lex *Valentiniani* exſtet, bis recitata [h] ſub diſtinctis titulis, qua, quales teſtes eſſe debeant, de-

νεῖσθαι. *Item placuit, vt omnes ſerui, vel proprii liberti ad accuſationem non admittantur; vel omnes, quos ad accuſanda publica crimina leges publicæ non admittunt: omnes etiam infamiæ maculis adſperſi, id eſt hiſtriones, ac turpitudinibus ſubiectæ perſonæ, hæretici etiam, ſiue pagani, ſeu iudæi: ſed tamen omnibus, quibus accuſatio denegatur, in cauſſis propriis accuſandi licentia non neganda.*

(g) Concil. Conſtantinop. can. VI. (tom. II. conc. p. 950.) εἰ μέν τις οἰκείαν τινὰ μέμψιν, τοῦτ' ἔστιν, ἰδιωτικὴν ἐπαγάγοι τῷ ἐπισκόπῳ, ὡς πλεονεκτηθεὶς, ἢ ἄλλο τι παρὰ τὸ δίκαιον παρ' αὐτοῦ πεπονθώς· ἐπὶ τῶν τοιούτων κατηγοριῶν μὴ ἐξετάζεσθαι, μήτε πρόσωπον τοῦ κατηγόρου, μήτε τὴν θρησκείαν· χρὴ γὰρ παντὶ τρόπῳ τό, τε συνειδὸς τοῦ ἐπισκόπου ἐλεύθερον εἶναι, καὶ τὸν ἀδικεῖσθαι λέγοντα, οἵας ἂν ᾖ θρησκείας, τῶν δικαίων τυγχάνειν· εἰ δὲ ἐκκλησιαστικὸν εἴη τὸ ἐπιφερόμενον ἔγκλημα τῷ ἐπισκόπῳ, τότε δοκιμάζεσθαι χρὴ τῶν κατηγορούντων τὰ πρόσωπα· ἵνα πρῶτον μὲν **αἱρετικοῖς μὴ ἐξῇ κατηγορίας κατὰ τῶν ὀρθοδόξων ἐπισκόπων ὑπὲρ ἐκκλησιαστικῶν πραγμάτων ποιεῖσθαι**· -- ἔπειτα δὲ καὶ εἴ τινες ἀπὸ τῆς ἐκκλησίας ἐπὶ αἰτίαις τισὶ προκατεγνωσμένοι εἶεν καὶ ἀποβεβλημένοι, ἢ ἀκοινώνητοι, εἴτε ἀπὸ κλήρου, εἴτε ἀπὸ λαϊκοῦ τάγματος· μηδὲ τούτοις ἐξεῖναι κατηγορεῖν ἐπισκόπου, πρὶν ἂν τὸ οἰκεῖον ἔγκλημα πρότερον ἀποδύσωνται.

(h) Cod. Theod. lib. XI. tit. XXXIX. de fide teſtium leg. XI. Hi qui ſanctam fi-

cla-

claretur; vtrobique tamen de apostatis tantum, non de hæreticis intelligendam eam esse existimat. Certum autem est, in codice *Iustinianeo* [i] hanc ipsam legem hæreticis applicari, eosque a testimonio dicendo reiicere. Et *Iustinianus* ipse duas leges tulit, ad hunc antiquæ illius legis sensum confirmandum. Harum in vna [k] ita sanxit: *Quoniam multi iudices in dirimendis litigiis nos interpellauerunt, nostro indigentes oraculo, vt eis referretur, quid de testibus hæreticis statuendum sit, vtrumne accipiantur eorum testimonia, an respuantur: sancimus, contra orthodoxos quidem litigantes nemini hæretico, vel his etiam, qui iudaicam superstitionem colunt, esse in testimonio communionem; siue vtraque pars orthodoxa sit, siue altera. Inter se autem hæreticis vel iudæis, vbi litigandum existimauerint, concedimus fœdus permixtum, & dignos litigatoribus testes introducere: Exceptis scilicet his, quos vel Manichaicus furor, cuius partem & Borboritas esse manifestum est, vel pagana superstitio detinet: Samaritis nihilo minus, & qui illis non absimiles sunt, Montanistis & Tascodrogitis & Ophitis; quibus pro reatus similitudine omnis legitimus actus interdictus est.* Et huius decreti in nouella quadam [l] mentionem facit illudque confirmat. Vtrum vero *Iustinianus* primus fuerit, qui hanc legem tulit in republica aduersus hæreticos, vti GOTHOFREDVS statuit, an non fuerit, id ipsum non magnopere refert. Certum est, eiusmodi regulam in ecclesia iam pridem obtinuisse. AVGVSTINVS enim in gratiam *Secundini*, presbyteri cuiusdam *Germanicianensis*, diœcesi suæ subiecti, eam adlegat [m], *Hæreticorum*, inquiens, *accusationes contra catholicum presbyterum admittere nec possumus, nec debemus.* Et hoc modo iterum in caussa *Cæciliani* episcopi *Carthaginensis*, quem multorum criminum insimulauerant *Donatistæ*, pronuntiat: *Ipsa pietas* [n],

dem prodiderint & sacrum baptisma profanarint, a consortio omnium segregati, sint a testimoniis alieni &c. Idem repetitur lib. XVI. tit. VII. de apostatis leg. IV.

(i) Cod. Iustin. lib. I. tit. VII. de apostatis leg. III. Hi, qui sanctam fidem prodiderunt & sanctum baptisma *hæretica superstitione* profanarunt, a consortio omnium segregati a testimonis alieni sint.

(k) Cod. Iustin. lib. I. tit. V. de hæreticis leg. XXI.

(l) Nouell. XLV. c. I. Hæreticos perhibere testimonium prohibuimus, quando orthodoxi inter alterutros litigant, cetera.

(m) Aug. epist. CCXII. ad Pancarium.

(n) Aug. epist. L. ad Bonifacium.

veritas, caritas, non permittit contra Cæcilianum eorum hominum admittere testimonia, quos in ecclesia non videmus. Et multo ante ipsum ATHANASIVS [o] pro se eam adlegat. Quum enim de sacro calice per *Macarium* presbyterum suum confracto accusaretur, vrgebat, accusatores suos *Meletianos*, eisque vtpote schismaticis & ecclesiæ inimicis nullam fidem habendam esse. Quamplurimæ istiusmodi regulæ a GRATIANO [p] collectæ sunt ex veterum pontificum *Romanorum* epistolis, quæ licet spuriæ sint, tamen hac cognita praxi ecclesiæ fundantur, Quod testimonium hæretici aduersus catholicum non admittendum sit in caussa ecclesiastica: quam rem in antecedentibus adlegationibus plenissime euictam vidimus.

§. XII.

Sexto, *Hæreticis in paterna hæreditate succedere non permissum.*

ALTERVM, quod heic obseruari meretur, est, Quod per leges ecclesiæ omnes homines, aut certe ecclesiastici, hæresin infirmare debuerint, pertinacibus eius defensoribus negando istiusmodi temporalia beneficia & priuilegia, quæ illis negare in ipsorum esset potestate. Ita exempli gratia concilium III. *Carthaginense* [q] canonem habet: *Vt episcopi vel clerici in eos, qui catholici christiani non sunt, etiamsi consanguinei fuerint, nec per donationes, nec per testamentum, rerum suarum aliquid conferant.* Et lex ciuilis huic decreto robur addit, omnes hæreticos reddendo intestabiles, hoc est testamenti condendi vel ex testamento capiendi ius iis denegando, quemadmodum supra (§. VI.) vidimus, vbi de ciuilibus, contra illos factis, sanctionibus sumus loquuti.

§. XIII.

Septimo, *Nemini hæretico locum inter clericos habere permissum post reditum ad ecclesiam suam.*

ALIA huiusmodi lex erat, quæ eos sacro ecclesiæ ministe-

(o) Athanas. apol. ad Constant. tom. I. p. 731. (p. 133. edit. Paris. MDCXCVIII.) Μελιτιανοὶ μὲν γάρ εἰσιν οἱ κατηγοροῦντες καθόλου πιστεύεσθαι μὴ ὀφείλοντες· σχισματικοὶ γὰρ καὶ ἐχθροὶ τῆς ἐκκλησίας γεγόνασιν.

(p) Gratian. caus. III. quæst. IV. & V.

(q) Concil. Carth. III. c. XIII. Vid. cod. African. c. XXII. Μηδὲν διὰ δωρεᾶς τῶν οἰκείων πραγμάτων, ὡς εἴρηται, τοὺς ἐπισκόπους ἢ κληρικοὺς τούτοις συνεισάγειν.

rio initiari vetabat, qui vel in hæreſi baptizati erant, vel poſt baptiſmum, in eccleſia catholica acceptum, defecerant. Recipi permittebantur tamquam pœnitentes laici, ad nullam autem eccleſiaſticam dignitatem in vllo clericalis functionis ordine eos fas erat admittere. Verum hoc pars diſciplinæ erat, quæ cuſtodiri poterat, vel prætermitti, prout moderatorum eccleſiaſticorum prudentia eccleſiæ vtile ac ſalutare eſſe iudicabat. Adeoque licet concilium *Illiberritanum* [r] & alia quædam huic regulæ inſiſtant, concilio tamen *Nicæno* in cauſſa *Nouatianorum*, & patribus *Africanis* in cauſſa *Donatiſtarum* eam migrare placuit, vt hoſce ſchiſmaticos ad reuertendum ad eccleſiæ vnitatem inuitarent. Sed hanc rem hoc loco tantum attingimus, quia aliis occaſionibus eam plenius ab vtraque parte conſiderauimus in præcedentibus huius operis partibus [*], quo lectorem noſtrum remittimus.

§. XIV.

Octauo, *Nullum ordinari licitum, qui quempiam in familia ſua haberet fidei catholicæ haud addictum.*

ALIAM quoque regulam notauimus, quæ ad rem præſentem attinet, quæ erat; Vt nullus ordinaretur epiſcopus, presbyter vel diaconus, qui non prius omnes, qui in eius domo erant, chriſtianos catholicos feciſſet. Regula hæc eſt, quam in concilio tertio *Carthaginenſi* [s], cui interfuit *Auguſtinus*, invenimus. Neque dubium eſt, eam præcipue contra *Donatiſtas* ſpectaſſe, tametſi æqualiter omnes adfecerit hæreticos, iudæos & paganos, omneſque, qui conniuendo illis occultum incitamentum præberent: quum abſurdum eſſe crederetur, eos ad regimen eccleſiæ euehere, qui non ſatis ſtudii ac operæ adhibuiſſent ad praxin veræ religionis inter priuatos parietes & in domibus ſuis tuendam. Et quum hæc regula ad debilitandam

(r) Concil. Illiberrit. c. LI. Ex omni hæreſi qui ad nos fidelis venerit, minime eſt ad clerum promouendus; vel ſi qui ſunt in præteritum ordinati, ſine dubio deponentur.

(*) Lib. IV. c. III. §. XII. vol. II. p. 137. 138. Et *Scholaſtic. hiſt. of bapt.* part. II. chap. IV.

(s) Concil. Carth. III. c. XVIII. Vt epiſcopi, presbyteri & diaconi non ordinentur, priuſquam omnes, qui ſunt in domo eorum, chriſtianos catholicos fecerint.

hæresin directe spectaret, nos heic eius facimus mentionem tamquam partis antiquæ disciplinæ, dignæ omnino, quæ a nobis obseruetur.

§. XV.

Caussam suam ad iudicem hæreticum deferre, sub pœna excommunicationis interdictum catholicis.

NEC silentio aliam regulam concilii *Carthaginensis* quarti præterire possumus, quæ habet [t]: *Catholicus, qui caussam suam, siue iustam, siue iniustam, ad iudicium alterius fidei iudicis prouocat, excommunicatur.* Hæc quidem regula iudices hæreticos non priuat munere suo, nec eorum decisiones irritas & nullas declarat, quando respublica eis iudicium permittere consultum ducebat, quemadmodum nonnumquam sub *Constantio* & *Valente* aliisque hæreticis imperatoribus factum est. Nam ecclesia nullam potestatem habebat hoc in casu, qui ad ciuilem & non ad ecclesiasticam spectabat potestatem, quemadmodum supra [*] ostendimus. Habebat autem ecclesia potestatem omnibus membris suis iniungendi, vt ne caussas suas ad iudicem hæreticum deferrent, idque ex iusta quadam analogia ad regulam illam apostolicam, quæ christianos, negotium habentes aduersus alios, iudicio experiri sub infidelibus vetat. Et hæc vna ratio erat infirmandi hæresin in summi ordinis hominibus: Et hanc ob rationem, par est credamus, ecclesiam id iniunxisse, vt hæreticos reprimeret, adigendo catholicos controuersias domesticas inter se finire, nec vllum consortium habere cum hæreticis & infidelibus.

§. XVI.

Quantum pœnitentiæ tempus hæreticis resipiscentibus constitutum fuerit.

SPECTAVIMVS hactenus pœnas, hæreticis infligi solitas, in mentis suæ obstinatione & peruersitate pergentibus ac communioni ecclesiæ insultantibus. Nunc ecclesiæ disciplinam erga illos & agendi cum ipsis rationem considerabimus, vbi animum resipiscendi & ad vnitatem fidei reuertendi proderent. Iam quum hæresis in maximis criminibus poneretur, congru-

(t) Concil. Carth. IV. c. LXXXVII.

(*) Cap. II. §. V. pag.

um

um pœnitentiæ tempus hæreticis iniungi ſolebat. Concilium *Illiberritanum* [u] decem annis pœnitentiam agere iubet eos, qui, quum de eccleſia catholica ad aliquam hæreſin tranſierint, rurſus ad eccleſiam redeant, criminis ſui facientes confeſſionem. Tantum de infantibus exceptionem admittit, quia non ſuo, ſed parentum ſuorum vitio peccarint: quam ob cauſſam ſine mora recipi eos iubet. Concilium *Romanum*, ſub *Felice* [x] habitum peculiarem notam apponit epiſcopis, presbyteris ac diaconis, qui per hæreticos rebaptizari ſe paſſi fuerant, quia hoc nihil aliud erat, quam ipſo facto chriſtianiſmum negare, & profiteri ſe fuiſſe paganos. Iſtis communio inter ipſos catechumenos per omnem vitam negabatur, & in ipſa mortis hora non niſi communio laica reddebatur. Aliis [y] eadem pœnitentia iniungitur, quam concilium *Nicænum* lapſis imponit, niſi vel metus vel periculi habeant excuſationem. Si vero pueri [z] eſſent, ignorantia & immatura ætas eorum pœnitentiæ tempus imminuere eoſque citius communioni reſtituere poterat. Concilium *Agathenſe* [a] hunc pœnitentiæ terminum vniuerſaliter in gratiam omnium eorum, qui in hæreſin lapſi fuerint, contrahit & ad tres tantum annos reducit. Quamvis enim antiqui canones longiorem pœnitentiam iniungant, hanc tamen ſeueritatem mitigandam & conditiones reconciliationis paullo faciliores reddendas, cenſebat. Concilium

(u) Concil. Illiberrit. can. XXII. Si quis de catholica eccleſia ad hæreſin tranſitum fecerit, rurſuſque ad eccleſiam recurrerit --- decem annis agat pœnitentiam, cui poſt decem annos præſtari communio debet. Si vero infantes fuerint transducti, quia non ſuo vitio peccauerunt, incunctanter recipi debent.

(x) Concil. Roman. an. CCCCLXXXVII. can. II. Ad exitus ſui diem in pœnitentia (ſi reſipiſcunt) iacere conueniet: nec oratione non modo fidelium, ſed nec catechumenorum omnimodis intereſſe, quibus communio Laica tantum in morte reddenda eſt.

(y) Ibid. can. III.

(z) Ibid. c. IV. Pueris autem, quibus ignorantia ſuffragatur ætatis, aliquamdiu ſub manus impoſitione detentis, reddenda communio eſt: Nec eorum exſpectanda pœnitentia, quos excipit a coërcitione cenſura.

(a) Conc. Agath. c. LX. Lapſis, id eſt, qui in catholica fide baptizati ſunt, ſi præuaricatione damnabili poſt in hæreſin tranſierint, grandem redeundi difficultatem ſanxit antiquitas. Quibus nos, annorum multitudine breuiata, pœnitentiam biennii imponimus, vt præſcripto biennio, tertio ſine relaxatione ieiunent, & eccleſiam ſtudeant frequentare &c.

Epa-

Epaonense [*b*] repetit ac confirmat hoc decretum, cum paullum variante vnius clausulæ lectione, qua tempus pœnitendi ad solum biennium reducitur.

§. XVII.

Quemadmodum hoc variarit pro ætate, statu & conditione diuersorum hæreticorum.

Ex quibusdam ante memoratorum canonum apparet, magnum discrimen in termino pœnitentiæ hæreticis iniungendo adhiberi consueuisse, respectu habito ad ætatem ita peccantium. Pueri mitius tractabantur, ob ignorantiam & maturioris iudicii defectum, quam quidem adulta ætate homines. Idem quoque discrimen in aliis istiusmodi casibus factum obseruari licet. Qui baptizati erant & educati in fide catholica, seuerius tractabantur, si postea ecclesiam desererent & in hæresin delaberentur, maxime vero in istiusmodi hæresin, quæ nouum baptisma recipere ipsos compelleret. Ante memorati canones ad desertores præcipue pertinent; & in primis canon ille *Felicis* in concilio *Romano*, ad eos, qui in hæresi erant rebaptizati. De quibus leges tam ciuiles quam ecclesiasticæ cum maiori indignatione ac seueritate loquuntur; istæ quidem omnium rebaptizantium bona fisco adiudicantes & personas multantes exilio; hæ autem rebaptizatos longum pœnitentiæ cursum absoluere iubentes, si ad ecclesiæ communionem denuo admitti cupiant; qua de re lector plura inuenire potest in libro quodam antecedente [*], vbi de iteratione baptismatis ex instituto disseruimus. Contra ea, qui nati & baptizati inter hæreticos erant, illi propter rerum suarum difficultatem & opinionum præiudicatarum, naturaliter inde exsistentium, magnitudinem, longe indulgentius ac lenius habebantur. Expressis verbis hoc AVGVSTINVS [*c*] in epistola quadam ad *Vincentium*, episcopum inter *Donatistas*, adserit. *Ecclesia*, inquit, *aliter tractat illos, qui eam deserunt, si hoc ipsum pœnitendo corrigant; aliter illos, qui in ea nondum fuerunt, & tunc primum eius pacem accipiunt: Illos amplius humiliando, istos lenius suscipiendo, vtrosque diligendo vtrisque sanandis*

(*b*) Concil. Epaon. c. XXIX. Præscripto biennio tertia die sine dilatione ieiunent &c.

(*) Lib. XII. cap. V. §. VII. vol. IV. p. 408.

(*c*) August. epist. XLVIII. p. 73. (tom. II. opp. p. 191. edit. Basil. MDLXIX.)

ma-

materna caritate seruiendo. Sic iterum in libro *de vnico baptismo* [*d*] contra *Petilianum : Nec illud sine distinctione praeterimus, vt humiliorem agant pœnitentiam, qui iam fideles ecclesiam catholicam deseruerunt, quam qui in illa nondum fuerunt. Nec ad clericatum admittuntur, siue ab haereticis rebaptizati sint, siue prius suscepti ad illos redierint, siue apud illos clerici vel laici fuerint.* Hæc distinctio in primis obseruata est ab synodis *Africanis*, respectu eorum, qui infantes inter *Donatistas* baptizati erant. In concilio *Carthaginensi* an. CCCXCVII. habito, quod in codice *Africano* [*e*] descriptum exstat, de infantibus, qui apud *Donatistas* baptizarentur, consultatio instituebatur, anne placeret, ne, quod suo non fecissent iudicio, quum ad ecclesiam Dei conuerterentur, parentum illos error impediret, quo minus ad sacrum ministerium prouehecerentur. Et in concilio proximo [*f*] hoc approbatum, & decretum adeo in eorum gratiam factum esse legimus. Con-

(*d*) Aug. de vnico baptism. c. XII.

(*e*) Cod. Afric. c. XLVII. Ἤρεσεν, ἵνα ἐρωτήσωμεν τοὺς ἀδελφοὺς καὶ συνιερεῖς ἡμῶν Σιρίκιον καὶ Σιμπλικιανὸν περὶ μόνων τῶν νηπίων, τῶν παρὰ τοῖς Δονατισταῖς βαπτιζομένων, μήπως τοῦτο, ὅπερ οἰκείᾳ προθέσει οὐκ ἐποίησαν, τῇ τῶν γονέων πλάνῃ, ἐμποδίσῃ αὐτοῖς πρὸς τὸ μὴ προκόπτειν εἰς ὑπουργίαν τοῦ ἁγίου θυσιαστηρίου, ὅταν πρὸς τὴν τοῦ θεοῦ ἐκκλησίαν προθέσει ἐπιστρέψωσι. *De Donatistis placuit, vt consulamus fratres & consacerdotes nostros Siricium, & Simplicianum, de solis infantibus, qui baptizantur penes eosdem : ne, quod suo non fecerunt iudicio, quum ad ecclesiam Dei salubri proposito fuerint conuersi, parentum illos error impediat, ne promoueantur sacri altaris ministri.*

(*f*) Ibid. c. LVII ἐπειδὴ ἐν τῇ ἀνωτέρᾳ συνόδῳ ὁρισθὲν μέμνηται ἅμα ἐμοὶ ἡ ὑμετέρα ὁμοψυχία, ὥστε τοὺς παρὰ τοῖς Δονατισταῖς μικροὺς βαπτιζομένους, μηδέπω δυναμένους γινώσκειν τῆς πλάνης αὐτῶν τὸν ὄλεθρον, μετὰ τὸ εἰς χεῖραν λογισμοῦ δεκτικὴν παραγενέσθαι, ἐπιγνωσθείσης τῆς ἀληθείας, τὴν φαυλότητα ἐκείνων βδελυττομένους πρὸς τὴν καθολικὴν τοῦ θεοῦ ἐκκλησίαν τὴν ἀνὰ πάντα τὸν κόσμον διακεχυμένην, τάξει ἀρχαίᾳ διὰ τῆς ἐπιθέσεως τῆς χειρὸς ἀναδεχθῆναι, τοὺς τοιούτους ἐκ τοῦ τῆς πλάνης ὀνόματος μὴ ὀφείλειν ἐμποδίζεσθαι εἰς τάξιν κληρώσεως, ὁπόταν τὴν ἀληθινὴν ἐκκλησίαν ἰδίαν ἑαυτῶν ἐλογίσαντο, τῇ πίστει προσερχόμενοι, καὶ ἐν αὐτῇ τῷ χριστῷ πιστεύσαντες, τῆς τριάδος τὰ ἁγιάσματα ὑπεδέξαντο. *Quoniam superiori concilio statutum esse mecum recognoscit vnanimitas vestra, vt hi, qui apud Donatistas paruuli baptizati sunt, nondum scire valentes erroris eorum interitum: & posteaquam ad ætatem rationis capacem peruenerunt, agnita veritate falsitatem eorum abhorrentes, ad ecclesiam Dei catholicam, per vniuersum mundum diffusam, ordine antiquo, per manus impositionem recepti sunt, debere talibus suscipiendum munus clericatus non impedire nomen erroris, quum veram ecclesiam illorum putauerint, ad fidem accedendo, & ibi Christo crediderint & trinitatis sacramenta perceperint.*

cilium *Nicænum* [g] eamdem indulgentiam clericis *Nouatianis* tribuit. Raro autem eis, qui ecclesiam, in qua baptizati erant, deseruissent, hoc priuilegium datum esse inuenias; quum leges multo acrius ab omni clericali dignitate arceri, & solum vt christianos priuatos ad communionem laicam admitti eos iubeant.

§. XVIII.

Hæresiarchæ seuerius quam sectatores eorum tractati.

VERVMENIMVERO ratio atque prudentia rei christianæ gerendæ ecclesiam hasce etiam leges nonnumquam migrare, & ipsos quoque desertores quibusdam in casibus ad dignitatem clericalem rursus admittere compulit; cuius rei nonnulla exempla libro quodam antecedente [*] dedimus. Tum vero semper notam infamiæ hæresiarchis, siue primis hæresis auctoribus inussit, posito inter eos eorumque sectatores discrimine; hisce quidem nonnumquam in clericali sua functione persistere permissis, illis autem sine spe restitutionis gradu suo communiter deiectis. AVGVSTINVS huius distinctionis meminit in caussa *Donatistarum. Hoc*, inquit [h], *erga istos ab initio seruauit Africa catholica, ex episcoporum sententia, qui in ecclesia Romana inter Cæcilianum & partem Donati iudicauerunt, damnatoque vno quodam Donato, qui auctor schismatis fuisse manifestatus est, ceteros correctos, etiamsi extra ecclesiam ordinati essent, in suis honoribus suscipiendos esse, censuerunt.*

§. XIX.

Voluntarii desertores etiam seuerius, quam qui metu coacti ad errores hæreticos se conformarant, habiti.

ALIA distinctio facta, quemadmodum in caussa lapsorum in idololatriam, inter tales hæreticos, qui sponte sua & dedita opera ecclesiam deseruerant, & eos, qui ad errores hæreticos se

(g) Concil. Nic. can. VIII. Περὶ τῶν ὀνομαζόντων μὲν ἑαυτοὺς καθαροὺς ποτὲ, προσερχομένων δὲ τῇ καθολικῇ ἐκκλησίᾳ, ἔδοξε τῇ ἁγίᾳ καὶ μεγάλῃ συνόδῳ, ὥστε χειροθετουμένους αὐτοὺς μένειν οὕτως ἐν τῷ κλήρῳ. *De his, qui se Catharos, id est puros, quandoque nominant, ad catholicam autem & apostolicam ecclesiam accedunt, sanctæ magnæ synodo visum est, vt impositis eis manibus sic in clero maneant.*

(*) Lib. IV. cap. VII. §. VII. VIII. volum. II. p. 196. seqq.

(h) Aug. epist. L. ad Bonifac. p. 87. (p. 223. edit. Basil. MDLXIX.)

con-

conformarant coacti solum violentia persecutionis. Quo in posteriore casu episcopi pœnæ seueritatem mitigare poterant, prout res requirere videbatur. Quomodo apparet ex præceptis, quæ episcopo *Aquileiensi* de pœnitentia eorum, qui metu compulsi secundum baptismum susceperant, dedit LEO pontifex *Romanus*. *Qui ad iterandum baptismum*, inquit [*i*], *vel metu coacti sunt, vel terrore traducti, & nunc se contra catholicæ fidei sacramentum egisse cognoscunt, his ea custodienda est moderatio, qua in societatem nostram non nisi per pœnitentiæ remedium & per impositionem episcopalis manus, communionis recipiant vnitatem temporis pœnitudinis habita moderatione, tuo constituenda iudicio, prout conuersorum animos perspexeris esse deuotos*, cetera.

§. XX.

Distinctio facta inter eos hæreticos, qui baptismi formam retinerent, & eos, qui eam reiicerent vel corrumperent.

ALIA adhuc distinctio facta est inter eos hæreticos, qui debitam baptismi formam retinerent, & eos, qui eum prorsus reiicerent vel in parte quadam essentiali corrumperent. Isti per impositionem manus tantum recipiendi erant, si errorem suum confiterentur, vtpote vero baptismate, licet extra ecclesiam, iam olim donati; hi autem solum vt pagani recipiendi erant, vtpote numquam rite baptizati, adeoque nouum baptisma recipere debebant, vt ecclesiæ membra efficerentur. Qua de re quum alibi [*] actum sit pluribus, hoc loco nihil adiiciemus.

§. XXI.

Nemo pro formali hæretico habendus, antequam admonitioni ecclesiæ contumaciter restitisset.

DENIQVE distinctio quædam facta inter eos hæreticos, qui admonitioni ecclesiæ contumaciter resisterent, & eos, qui numquam essent admoniti, vel post primam admonitionem quiete se emendassent. Poterant hi illi homines vere noxios fouere errores, ante vero, quam ab ecclesia semel atque iterem, secundum regulam apostolicam, essent admoniti, pro for-

(*i*) Leo epist. LXXIX. ad Nicetam c. VI. (tom. II. conc. p. 1372.)

(*) Lib. XI. cap. II. & III. volum. IV. p. 153. seqq. Et *Schuiast. histor. of bapt.* part. I. chap. I. n. 20. &c.

malibus hæreticis non habendi, nec vt tales tractandi erant, donec erroribus ſuis pertinaciter inhærerent. Ita AVGVSTINVS [*k*] docet, *Conſtituimus*, inquiens, *duos aliquos, vnum eorum, verbi gratia, id ſentire de Chriſto, quod Photinus opinatus eſt, & in eius hæreſi baptizari extra eccleſiæ catholicæ communionem: alium vero hoc idem ſentire, ſed in catholica baptizari, exiſtimantem iſtam eſſe catholicam fidem. Iſtum nondum hæreticum dico, niſi manifeſtata ſibi doctrina catholicæ fidei reſiſtere maluerit, & illud, quod tenebat, elegerit; quod antequam fiat, manifeſtum eſt, illum, qui foris baptizatus eſt, eſſe peiorem. -- Quod ſi quiſquam idem ſentiat quod illi, & eſſe nouerit hæreſin, ab vnitate catholica ſeparatam, vbi hoc docetur & diſcitur, ſed alicuius ſæcularis emolumenti cauſſa in catholica vnitate baptizari voluerit, vel in ea baptizatus propter hoc exire inde noluerit: non ſolum ſeparatus habendus eſt, verum etiam tanto ſceleratius, quanto magis errori hæreſis & diuiſioni vnitatis, fallaciam ſimulationis adiungit.* Alio loco [*l*] ait: *Qui in eccleſia Chriſti morbidum aliquid prauumque ſapiunt, ſi correcti, vt ſanum rectumque ſapiant, reſiſtunt contumaciter, ſuaque peſtifera & mortifera dogmata emendare nolunt, ſed defenſare perſiſtunt, hæretici fiunt, & foras exeuntes habentur in exercentibus inimicis.* Et rurſus [*m*]: *Qui ſententiam ſuam, quamuis falſam atque peruerſam, nulla pertinaci animoſitate defendunt, præſertim quam non audacia præſumtionis ſuæ pepererunt, ſed a ſeductis & in errorem lapſis parentibus acceperunt, quærunt autem cauta ſollicitudine veritatem, corrigi parati, quum inuenerint, nequaquam ſunt inter hæreticos deputandi.* Et iam ſupra [*n*] ipſum audiuimus adſerentem, quod ſi quis ſumma neceſſitate coactus baptiſmum ab hæreticis acceperit, vbi catholicum, per quem acciperet, non inuenerit, hoc ei non ſit fraudi, ſi animo ac voluntate eccleſiæ catholicæ addictus maneat. Ex quibus omnibus facile ad diiudicandum eſt, quantum diſcrimen poſuerint in gradibus hæreſis eiusque culpa, & quod diſciplina eccleſiaſtica magnam partem ſecundum haſce diſtinctiones adminiſtrata fuerit.

(*k*) Aug. de bapt. lib. IV. c. XVI.
(*l*) Aug. de ciuit. Dei lib. XVIII. c. LI.
(*m*) Aug. epiſt. CLXII. p. 277.
(*n*) Aug. de bapt. lib. I. c. II. lib. VI. c. V. lib. VII. c. LII. cit. cap. I. §. IV. ſub (d) (e) (f) pag. 15. 16. in textu.

§. XXII.

§. XXII.

Similis distinctio in censuris ecclesiae schismaticis infligendis, pro diuersa natura variisque gradibus schismatis, obseruata.

IAM supra [*] ostendimus, similem distinctionem inter diversi generis schismaticos factam, censurasque ecclesiae eis inflictas fuisse pro proportione & qualitate criminis, proque diversa natura variisque gradibus separationis eorum. Alii ad breue tantum tempus, nimirum per duos tresue dies dominicos proxime sibi succedentes, sine iusta ac idonea ratione, ab ecclesia aberant: Quibus corrigendis moderata quaedam poena, exempli caussa, separatio ad aliquot hebdomades sufficere credebatur. Alii vni diuini cultus parti, sermoni videlicet & psalmodiae, nec non primae orationi pro catechumenis intererant; tum autem discedebant, quasi essent poenitentes, quum missa fidelium caperet initium, & eucharistia offerretur ac reciperetur ab omnibus, qui non propter aliquam culpam ab ea essent exclusi. Et hi velut grauioris criminis rei priuilegio priuabantur faciendi oblationes, & ad certum tempus ab omnibus sanctis ecclesiae officiis arcebantur. Tertium genus separatistarum, qui magis proprie schismatici vocabantur, illi erant, qui communionem ecclesiae omnino atque in vniuersum deserebant; communionem illius, ob hominum peccatorum permistionem, pollutam ac profanam esse dictitantes; vel aliam istiusmodi fingentes rationem vitiosis nominibus communionis eam onerandi, suamque separationem similibus modis defendendi: cuius rei multa exempla historia *Nouatianorum* ac *Donatistarum* nobis exhibet. Cum his igitur ecclesia plerumque seuerius agebat, grauissima excommunicationis siue anathematis censura vtens, velut contra illustriores ac formales schismaticos & destructores inuiolabilis vnitatis ac pacis, quam sanctissime conseruari in corpore *CHRISTI* oportebat. De quibus schismaticis omnibus eorumque poenis quia distincte loquuti sumus, vbi de vnitate ecclesiae disseruimus, nihil praeterea hoc loco dicere attinet; sed ad aliud pergimus crimen, sacrilegium videlicet, quod iam nobis erit considerandum.

(*) Cap. I. §. V. pag. 18. seqq.

§. XXIII.

De sacrilegio. Speciatim de rerum, sacris vsibus dicatarum, translatione in vsus alienos.

CASVISTAE *Romani* [o] multas res sacrilegii nomine appellant, quas veteres ne quidem criminum loco habuerunt: Exempli caussa, si magistratus ciuilis tributum ecclesiasticis imponit, sine pontificis *Romani* consensione; quam ob rem principes saeculares anathemate feriuntur in celebratissima bulla, quam a primis eius verbis vocant, *In cœna domini.* Item si personae ecclesiasticae propter crimen aliquod in iudicium saeculare adducuntur. Nonnullis rebus aliis odiosum sacrilegii nomen inurunt, quas multi veteres posuerunt in virtutibus: Cuiusmodi est remotio imaginum ex omnibus diuini cultus locis; ob quam patres concilii *Illiberritani* & EPIPHANIVS, multique alii in antiqua historia adeo celebrantur, qui tamen, si horum recentiorum casuistarum stilo loqui deberemus, detestandi sacrilegii rei nobis vocandi essent. Quae quum ita sint, non est, quod vllam poenam in poenitentiali veteris ecclesiae disciplina te inuenturum speres, istiusmodi mere fictitiis criminibus & imaginariis vitiis constitutam. Enimuero contra veri nominis sacrilegium nemo maiori zelo, quam quidem veteres, exardescere poterit; maxime contra rerum, publico ecclesiae ministerio dicatarum, in priuatos vsus translationem. *Si quis clericus aut laicus*, inquiunt canones *apostolici* [p], *abstulerit ex sancta ecclesia ceram vel oleum; segregetur, & quintam partem addat, vna cum eo quod accepit.* Et iterum [q]. *Vas ac instrumentum ex auro, vel argento, vel linteo, Deo consecratum, nemo amplius in vsum suum conuertat: iniquum enim est. Si quis autem deprehensus fuerit, segregatione multetur.* Ita quoque concilium *Carthaginense* quartum [r]: *Qui oblationes defunctorum aut negant ecclesiis, aut cum difficultate red-*

(o) Vid. Lessius de iure & iustit. lib. II. c. XLV. dubitat. III. & IV.

(p) Can. apost. c. LXXII. Εἴ τις κληρικὸς, ἢ λαϊκὸς, ἀπὸ τῆς ἁγίας ἐκκλησίας ἀφέληται κηρὸν, ἢ ἔλαιον, ἀφοριζέσθω, καὶ τὸ ἐπίπεμπτον προστιθέτω, μεθ' οὗ ἔλαβεν.

(q) Can. apost. c. LXXIII. Σκεῦος ἀργυροῦ, ἢ χρυσοῦ, ἢ ὀθόνης, ἁγιασθὲν, μηδεὶς ἔτι εἰς οἰκείαν χρῆσιν σφετεριζέσθω· παράνομον γάρ· εἰ δέ τις φωραθείη, ἐπιτιμάσθω ἀφορισμῷ.

(r) Concil. Carthag. IV. c. XCV.

dunt,

dunt, tamquam egentium necatores, excommunicentur. Et concilium *Vasense* [*s*] secundum: *Qui oblationes defunctorum retinent & ecclesiis tradere demorantur, vt infideles sunt ab ecclesia abiiciendi: quia vsque ad initiationem fidei peruenire certum est hanc pietatis diuinæ exacerbationem: quia & fideles de corpore recedentes fraudantur votorum suorum plenitudine, & necessaria sustentatione fraudantur. Hi enim tales quasi egentium necatores nec credentes iudicium Dei, habendi sunt. Vnde & quidam patrum ait: Amico quidpiam rapere furtum est; ecclesiam vero fraudare sacrilegium.* Quod dictum ex HIERONYMO citatur. AMBROSIVS [*t*] paullo vlterius progreditur, *Sunt*, inquiens, *qui opes suas tumultuario mentis impulsu, non iudicio perpetuo, vbi ecclesiæ contulerunt, postea reuocandas putauerunt. Quibus nec prima merces rata est, nec secunda: quia nec prima iudicium habuit, & secunda sacrilegium.* Proinde siue quis ea reposceret, quæ ecclesiæ ipse donauerat, siue retineret, quæ ab aliis erant donata, siue ei eriperet, quæ ab ipsa possidebantur, id eadem species sacrilegii erat: Et canones eos vniuersos, qui talia fecerint, eadem sententia excommunicationis æqualiter [*u*] puniunt; clericis, si huius criminis rei essent, ad communionem reductis peregrinam, quæ pœna erat ipsis peculiaris & propria, de qua plura postea. Iam libro quodam antecedente [*] ostendimus, quod hanc ob caussam episcopis, quibus facultates & prouentus ecclesiæ concrediti erant, non licuerit vllam eorum partem alienare, nisi magna necessitas sustentandi pauperes, vel capti-

(*s*) Concil. Vasens. II. c. IV.

(*t*) Ambros. de pœnit. lib. II. c. IX.

(*u*) Vid. Conc. Agath. c. IV. Clerici, vel sæculares, qui oblationes parentum, aut donatas, aut testamentis relictas, retinere perstiterint, aut id, quod ipsi donauerunt ecclesiis, vel monasteriis, crediderint auferendum, sicut synodus sancta constituit, velut necatores pauperum, quousque reddant, ab ecclesiis excludantur. Can. V. Si quis clericus furtum ecclesiæ fecerit, peregrina ei communio tribuatur. Can. VI. Pontifices vero, quibus, in summo sacerdotio constitutis, ab extraneis duntaxat aliquid aut cum ecclesia, aut sequestratim, aut dimittitur aut donatur, quia hoc ille, qui donat, pro redemtione animæ suæ, non pro commodo sacerdotis probatur offerre; non quasi suum proprium, sed quasi dimissum ecclesiæ, inter facultates ecclesiæ computabunt: quia iustum est, vt sicut sacerdos habet, quod ecclesiæ dimissum est, ita & ecclesia habeat, quod relinquitur sacerdoti. cetera.

(*) Lib. V. c. VI. §. VI. VII. volum. II. p. 296 - 299.

vos redimendi id exigeret; quo in casu ipse AMBROSIVS multique alii laminam altaris, & vasa ac vtensilia ad ecclesiam spectantia diuendcrunt, satius esse existimantes, inanimata Dei templa carere ornamentis suis, quam viua eius templa fame perire. Hoc nec in ciuili nec in ecclesiastica lege sacrilegium habebatur, sed licitus per vtramque actus misericordiæ erat. Leges enim contra sacrilegium latæ proxime post honorem Dei ad necessitates vitæ pauperum semper respiciunt. Adeoque quum hæc praxis ad eos recreandos tenderet in maximis vitæ necessitatibus, quasi auersa facies erat inhumani illius sacrilegii, quod veteres occisionem pauperum vocant, ad quod abolendum & corrigendum tot seueræ leges rogatæ sunt.

§. XXIV.

De sacrilegio, in sepulchrorum spoliatione commisso.

ALIVD grande crimen priori cognatum, quod nonnumquam damnatum & punitum est nomine sacrilegii, sepulchrorum erat spoliatio, siue demolitio ac direptio monumentorum, in quibus mortui reconditi erant. Hæc semper quædam sacra receptacula & inuiolabilia sanctuaria ab ipsis gentilibus habita, quemadmodum ex edicto apparet IVLIANI [x], & ex iis, quæ ex vetustis legibus & scriptoribus gentilibus de hoc argumento copiosius collegit GOTHOFREDVS [y]. Et violatio eorum semper pro piaculo habita & morte nonnumquam punita fuit. Leges imperiales id capitale crimen faciunt, adeoque quum imperatores christiani in diebus festis paschalibus facinorosis in carcere detentis veniam indulgerent, sepulchrorum tamen violatores [z], inter alios maioris cuiusdam criminis reos, hoc veniæ beneficio semper excludebant; quemadmodum antea [*], vbi de sic dictis *atrocibus criminibus* loquuti sumus, ostendimus.

(x) Cod. Theod. lib. IX. tit. XVII. de sepulchris violatis leg. V. Pergit audacia ad busta die functorum, & aggeres consecratos: quum & lapidem hunc mouere, terram sollicitare, & cespitem vellere, proximum sacrilegio maiores semper habuerint. cetera.

(y) Gothofred. in leg. II. ibid.

(z) Cod. Theod. de indulgentiis criminum lib. IX. tit. XXXVIII. leg. III. IV. VII. VIII. cit. cap. IV. §. II. sub litt. (c) (d) (e) pag. 194. 195. Valent. nouell. V. de sepulchr. ad calcem cod. Theodos. p. 22. b. tot.

(*) Vid. c. IV. §. II. p. 194.

Ad

Ad hoc autem facinus audendum homines inducebantur, quod ſæpius gemmæ aliæque res pretioſæ cum mortuis ſepelirentur, columnis ac ſtatuis marmoreis, ornamentis ac monumentis ſuper ſepulchra eorum erectis; quæ omnia prædæ fiebant illis, qui impiis ac ſacrilegis manibus ea inuadere non erubeſcebant. Iam vero vti leges imperiales in iſtiuſmodi ſacrilegos congruas conſtituerant pœnas, mulctam, quæſtiones, tormenta, tranſportationem & mortem: ita leges eccleſiaſticæ ſpirituales eis decernebant pœnas, ſpirituali regimini ac iuriſdictioni eccleſiæ conuenientes. GREGORIVS NYSSENVS dicit, ſanctos patres docuiſſe, ſepulchorum violationem in illis peccatis eſſe habendam, quæ publica pœnitentia debeant expiari. Duos autem huius criminis gradus ſtatuit, quorum vnum quidem cenſura eccleſiaſtica dignum eſſe, alterum vero veniam mereri, dicit. De primo gradu in hunc modum loquitur: *Si quis [a] honori mortuis debito parcens & intactum relinquens corpus, quod tectum, vt ſoli non oſtendatur turpitudo naturæ, lapidibus aliquot in ſepulcro exſtantibus ad aliquod opus conſtruendum abutatur: ne hoc quidem eſt laudabile* (leges enim ciuiles id abſolute prohibebant [b], vt antea dictum eſt) *ſed vt eſſet dignum venia, effecit conſuetudo, quando ad aliquid melius & reipublicæ vtilius, materia traducta eſt.* Accedit, quod, obſer-

(a) Nyſſen. epiſt. canon. ad Letoium c. VI. & VII. Ἡ δὲ τυμβωρυχία, καὶ αὐτὴ διῄρηται εἰς συγγνωστόν τε καὶ ἀσύγγνωστον· εἰ μὲν γάρ τις τῆς ἐσίας φειδόμενος, καὶ ἄσυλον ἀφεὶς τὸ κεκρυμμένον σῶμα, ὡς μὴ ἀναδειχθῆναι ἡλίῳ τὴν ἀσχημοσύνην τῆς φύσεως, λίθοις τισὶ τῶν ἐν τῷ τάφῳ προβεβλημένων συγχρήσεται εἰς ἔργα τινὸς κατασκευήν· ἐπαίνετον μὲν ἐδὲ τἆτό ἐστιν, ἀλλὰ σύγγνωστον ἐποίησεν ἡ συνήθεια, ὅταν εἰς προτιμότερόν τι καὶ κοινωφελέστερον ἡ τῆς ὕλης μετάθεσις γένηται.

(b) Cod. Theod. lib. IX. tit. XVII. de ſepulchris violatis leg. I. Si quis in demoliendis ſepulchris fuerit adprehenſus, ſi id ſine domini conſcientia faciat, metallo adiudicetur: ſi vero domini auctoritate vel iuſſione vrgetur, relegatione plectatur. cetera. Leg. II. Factum, ſolitum ſanguine vindicari, multæ inflictione corrigimus: Atque ita ſupplicium ſtatuimus in futurum, vt nec ille abſit a pœna, qui ante commiſit. Vniuerſi itaque, qui de monumentis columnas, vel marmora abſtulerunt, vel coquendæ calcis gratia lapides deiecerunt ex conſulatu ſcilicet Dalmatii & Zenophili, ſingulas libras auri per ſingula ſepulchra fiſci rationibus inferant, cetera. Leg. III. Quoſdam comperimus, lucri nimium cupidos, ſepulchra ſubuertere & ſubſtantiam fabricandi ad proprias ædes transferre, hi detecto ſcelere animaduerſionem priſcis legibus definitam ſubire debebunt.

vante GOTHOFREDO [c], christianorum zelus aliquis in demoliendis ethnicorum aris & imaginibus, quæ frequenter in sepulchris gentilium erectæ erant, se se ostenderit. Alterum autem huius criminis gradum magis horribilem esse, ait GREGORIVS, quando statim pergit [*]: *Sed carnis in terram redactæ puluerem perscrutari, & ossa loco mouere, spe lucrifaciendi ornamenti alicuius ex iis, quæ cum corpore sepulta sunt: id eodem iudicio condemnatum est, quo simplex fornicatio, quemadmodum præcedenti capite dictum est:* vnde nouem annos in diuersis pœnitentiæ stationibus huius criminis reis transigendos fuisse intelligitur. Concilium *Toletanum* quartum [d] duplicem pœnam clerico constituit, qui huius criminis reus deprehendatur. *Si quis clericus*, inquit, *in demoliendis sepulchris fuerit deprehensus, quia facinus hoc pro sacrilegio legibus publicis sanguine vindicatur: oportet canonibus in tali scelere proditum, a clericatus ordine submoueri & pœnitentiæ triennio deputari.* Lector, qui volet, elegantes in hoc crimen inuectiones videre potest, in SIDONIO APOLLINARI [e] & CHRYSOSTOMO [f], qui illud repræsentant, tamquam immanissimam, quæ in humanam naturam committi potest, tyrannidem, quia mortui omnes sint immobiles & innocentes, & in tali conditione, vt attrahere possint misericordiam; sæuientibus autem in se resistere nequeant.

(c) Gothofr. in leg. V. ibid. p. 145. Antiocheni christiani non modo ornatum sepulchrorum minuebant, ex porticibus & tricliniis sepulchralibus columnas & marmora ad ædificia sua transferentes, verum etiam sepulchra dissipabant, terra sollicitata, cespite vulso, titulis etiam procul dubio erasis, statuisque & aris detractis. Fuit hæc scilicet christianorum, inualescente christiana religione, vt in templis, ita & sepulchris euertendis, vt Iulianus vocare voluit, audacia, siue potius zelus; qui si remissior fuisset, tituli saltem stetissent, cadauera ipsa non inquietarentur: & hoc fine stetisset superstitionis euersio, bonum factum pronuntiarent omnes: sed ita exigere visa sunt tempora: & nec quicquam, id est, frustra a christianis ante Iulianum imperatoribus, ciuilibus de caussis, a Iuliano vero religionis maiorum amore, vt hoc edicto satis indicat, repressum.

(*) Gregor. Nyssen. l. c. *τὸ δὲ διερευνᾶσθαι τὴν κόνιν ἀπὸ τῆς χωσθείσης σαρκὸς, καὶ ἀνακινεῖν τὰ ὀστᾶ, ἐλπίδι τοῦ κόσμου τινὰ τῶν συγκατορυχθέντων κερδᾶναι, τοῦτο τῷ αὐτῷ κρίματι κατεδικάσθη, ᾧ καὶ ψιλὴ πορνεία.*

(d) Concil. Toletan. IV. c. XLV.

(e) Sidon. lib. II. epist. XII. fere tot.

(f) Chrysost. homil. XXXV. in 1 Cor. VI. p. 6. (p. 396. tot. edit. Francof.)

§. XXV.

§. XXV.

De sacrilegio veterum traditorum, qui biblia sua & sacra vasa gentilibus comburenda tradebant.

Alivd genus hominum, qui olim tamquam sacrilegi accusati damnatique fuerunt, illi sunt, quos communiter traditores vocant, quod biblia sua & sacra ecclesiæ vasa, tempore persecutionis *Diocletianeæ*, gentilibus tradidissent comburenda. Concilium *Arelatense* primum [g], proxime post istam persecutionem habitum, clericos hoc traditionis crimine conuictos munere suo exui iubet, decreto facto in hanc sententiam: *De his, qui scripturas sanctas tradidisse dicuntur, vel vasa domini, vel nomina fratrum suorum, placuit nobis, vt, quicumque eorum in actis publicis fuerit detectus; non verbis nudis, ab ordine cleri amoueatur. Donatistæ* sæpius, etsi falso, hoc crimen obiectabant in *Cæcilianum* episcopum *Carthaginensem*, in eosque, qui ipsum ordinarant, quod scilicet fuerint *traditores:* Ad quod AVGVSTINVS [h] illis respondebat; si vera essent, quæ ab eis obiecta sint *Cæciliano*, & catholicis possent aliquando monstrari, hos ipsum iam mortuum non dubitaturos anathematizare. Verum enim vero hi ipsi, qui talia obiectabant *Cæciliano*, *traditores* erant, quamquam eo impudentiæ delapsi, vt alii alios absoluerent, dum innocentes accusarent, quemadmodum OPTATVS [i] &

(g) Concil. Arelat. I. c. XIII.

(h) Aug. epist. L. ad Bonifac. (p. 208. fin. & 209. edit. Basil. MDLXIX.) Testimoniis diuinis lites suas præferunt, quia in caussa Cæciliani quondam ecclesiæ Carthaginensis episcopi, cui crimina obiecerunt, quæ nec potuerunt probare, nec possunt, se ab ecclesia catholica, hoc est ab vnitate omnium gentium diuiserunt. Quamuis & si vera essent, quæ ab eis obiecta sunt Cæciliano & nobis possent aliquando monstrari, ipsum iam mortuum anathematizaremus. Epist. CLII. ad Donat stas. (p. 696. cit. edit.) Quum ventum fuisset ad caussam etiam Cæciliani, quam nos ab ecclesiæ caussa distinguebamus, vt si forte malus esset inuentus, ipsum anathematizaremus, cetera. Pag. 697. In ipsa caussa Cæciliani, quam licet ad ecclesiæ caussam non pertinentem, tamen defendendam suscepimus, vt etiam ibi calumniæ manifestarentur ipsorum, apertissime victi sunt, nihilque eorum, quæ in Cæcilianum intendebant, probare potuerunt.

(i) Optat. lib. I. p. 39. (p. 30. edit. Paris. MDCI XXIX.) Iam dudum opinionis incertæ & inter caligines, quas liuor & inuidia exhalauerat, latere veritas videbatur. Sed etiam omnis scriptura memorata, & actorum voluminibus, & epistolis commemoratis aut lectis reuelata est. Vides, frater Parmenia-

AVGVSTINVS [*k*] ex actis ipsius concilii *Cirtensis*, demonstrant, in quo ab illis hæc scena, quæ tamquam testis aduersus ipsos loquebatur, acta fuerat.

§. XXVI.

De sacrilegio profanandi sacramentum, ecclesias, altaria & scripturas sacras, cetera.

NEQVE vero hoc vnum solum erat sacrilegium, cuius *Donatistæ* rei erant, sed ipsi ipsorumque soçii multorum aliorum insimulabantur. OPTATVS [*l*] eis obiectat, quod altaria, in ecclesiis catholicis reperta, fregerint & combusserint. Et quod sanctissimum sacramentum sceleratissime profanarint, cuius rei dignum memoratu exemplum adfert. Nonnullos ex episcopis *Donatistis*, insano furore percitos, eucharistiam, quam in catholicis reperissent ecclesiis, iussisse dicit canibus fundi, sed non sine signo diuini iudicii: nam eosdem canes accensos rabie, ipsos dominos suos, quasi latrones, sancti corporis reos, dente vindice, tamquam ignotos & inimicos laniasse. Vnde OPTATVS [*m*] mandata seruatoris nostri ad animum eis reuocat, *Ne dederitis*, inquientis, *sanctum canibus, neque miseritis margaritas ante porcos, ne conculcent pedibus suis eas, & conuersi elidant vos.* Simi-

ne, in catholicos traditorum nomine falso obiecto, frustra esse inuentum, (alii inuectum): mutans videlicet personas & transferens merita: clausisti oculos, ne parentes tuos reos agnosceres: aperuisti eos, vt innocentes & indignos crimini copulares.

(*k*) Aug. contr. Crescon. lib. III. c. XXVII. seqq. It. Epist. CLII. p. 697. Insuper etiam de criminibus traditionis, nos episcopalia gesta protulimus, vnde recitauimus aliquos eorum episcoporum, qui sententias in absentem dixerant Cæcilianum, manifestissimos fuisse traditores. Contra ipsa gesta illi quia non habebant, quod dicerent, falsa esse dixerunt; sed nullo modo probare potuerunt.

(*l*) Optat. lib. VI. p. 94. 95. (p. 110. 111. edit. cit. Paris.) Quid est *tam sacrilegum, quam altaria Dei*, (in quibus & vos aliquando obtulistis) *frangere*, radere, remouere? --- Quid est altare, nisi sedes & corporis & sanguinis *CHRISTI?* Hæc omnia furor vester aut rasit, aut fregit, aut remouit. -- vt remouerentur, ex parte verecundia iussit: vbique tamen nefas est, dum tantæ rei manus *sacrilegas* & impias intulistis. Quid perditorum conductam referam multitudinem, & vinum in mercedem sceleris datum? Quod vt immundo ore *sacrilegis* haustibus biberetur, calidum de fragmentis altarium factum est.

(*m*) Optat. lib. II. p. 55. (p. 49. 50. edit. Paris. cit.)

lis

lis ſacræ euchariſtiæ profanatio erat, quam *Nouatiano* obiectat CORNELIVS [*n*], quando parti ſuæ addictos, loco *Amen*, quod in eius receptione dicere debuerint, iurare ſibi per corpus & ſanguinem *CHRISTI* coëgit, ſe numquam partes ipſius deſerturos, nec ad *Cornelium* eſſe redituros. Species quoque ſacrilegii habebatur, hæreticis tradere eccleſias catholicorum, qua in re AMBROSIVS fortiter ſe opponebat *Valentiniano* iuniori, quum hic ei mandaret, vt vnam de eccleſiis *Mediolanenſibus* traderet *Arianis*. Generoſo animo hoc ei dabat reſponſum: *Ea* [*o*], *quæ diuina, imperatoriæ poteſtati non ſunt ſubiecta. Si patrimonium petitur, inuadite: corpus, occurram. Vultis in vincula rapere? Vultis in mortem? Voluptati eſt mihi. Non ego me vallabo circumfuſione populorum, nec altaria tenebo vitam obſecrans, ſed pro altaribus gratiis immolabor.* Sunt & exempla eorum, qui eccleſias [*p*] in ſtabula conuerterunt. Enimuero vt hi deteſtabiles erant & execrandi, ita non niſi pauci in prodigioſas iſtiuſmodi profanationes inciderunt. Nos etiam omnis generis idololatriam, diuinationem, artem magicam & abuſum ſcripturarum ad forti-

(*n*) Cornel. epiſt. ad Fabium ap. Euſeb. lib. VI. c. XLIII. *ποιήσας τὰς προσφορὰς, καὶ διανέμων ἑκάστῳ τὸ μέρος, καὶ ἐπιδοὺς τοῦτο ὀμνύειν ἀντὶ τοῦ εὐλογεῖν τοὺς ταλαιπώρους ἀνθρώπους ἀναγκάζει, κατέχων ἀμφοτέραις ταῖς χερσὶ τὰς τοῦ λαβόντος, καὶ μὴ ἀφεὶς, ἕως ἂν ὀμνύοντες εἴπωσι ταῦτα· τοῖς δὲ ἐκείνου χρήσομαι λόγοις· ὄμοσόν μοι κατὰ τοῦ σώματος καὶ τοῦ αἵματος τοῦ κυρίου ἡμῶν Ἰησοῦ χριστοῦ, μηδέ ποτέ με καταλιπεῖν, καὶ ἐπιστρέψαι πρὸς Κορνήλιον. Oblatione facta, portionem ſingulis diuidens: dum eam tradit, miſeros homines benedictionis loco iurare cogit, manus eius, qui portionem accepit, ambabus ſuis manibus comprehenſas retinens, nec prius dimittens, quam iurati iſta dixerint; ipſis enim vtar illius verbis: Iura mihi per corpus & ſanguinem domini noſtri Ieſu Chriſti, te numquam meas partes deſerturum, nec ad Cornelium eſſe rediturum.*

(*o*) Ambroſ. epiſt. XXXIII. de tradendis baſilicis. (epiſt. XIV. p. 206. tom. V. opp. edit. Pariſ. MDCXLII.)

(*p*) Vid. Baron. an. DLXXII. p. 575. (p. 587. edit. MDCLVIII.) Charibertus rex, quum exoſis clericis, eccleſias Dei negligeret, deſpectiſque ſacerdotibus, magis in luxuriam declinaſſet: ingeſtum eſt eius auribus, locum quemdam, quem baſilica S. Martini diuturno tempore retinebat, ſibi ſuo iuri reddique debere: loco autem illi Nauicellis nomen priſca vetuſtas indiderat. Qui accepto iniquo conſilio, pueros velociter miſit, qui remiculam illam in ſuo dominio ſubiugarent. Quumque hæc recte poſſidens videretur habere, iuſſit in locum illum *ſtabularios cum equitibus* dirigi, *ibique* ſine æquitatis ordine *praecepit equos ali*.

legia, incantationes & amuleta inter species sacrilegii referre possumus, quemadmodum antiqua quædam concilia [q] faciunt. Verum de his fusius loquuti sumus sub prioribus capitibus, adeoque eas heic repetere necesse non est. Hoc tantum addimus, quod, si quis clericus in officii proprii functione impediatur, auocatus ad aliud negotium, aliisque occupationibus, quæ cum proprii muneris rationibus consistere nequeant, districtus, id in lege ciuili dicatur sacrilegium. Ita *Constantinus* [r] in prima sua religionis constitutione legem sanxit in hanc sententiam: *Qui diuino cultui ministeria religionis impendunt, id est, hi, qui clerici appellantur, ab omnibus omnino muneribus excusentur: Ne sacrilego liuore quorumdam a diuinis obsequiis auocentur.* Et ad huius legis tenorem regulam ecclesiæ inde ab ætate CYPRIANI [s] habemus traditam, quæ præcipit, Vt ne quis frater (id est, christianus) excedens (ex vita) ad tutelam vel curam clericum nominet: ac si quis hoc fecerit, vt ne offeratur pro eo, nec sacrificium pro dormitione eius celebretur.

MVLTAE leges in codice *Theodosiano* præter hanc *Constantinianam* reperiuntur, magna priuilegia, exemtiones & immunitates tribuentes clericis respectu officii ipsorum, iuxta ac ecclesiis, respectu reuerentiæ ac venerationis eis, tamquam domibus Dei & locis diuini cultus, debitæ. Quamobrem sanctuaria esse iubebantur, siue loca refugii pro hominibus certis in casibus, vnde per vim eripi haud poterant sine nota sacrilegii facientibus in eos impetum inusta. Sed de omnibus hisce priuilegiis ac immunitatibus iam occasionem habuimus plura dis-

(q) Concil. Tolet. IV. c. XXVIII. Si episcopus, aut presbyter, siue diaconus, aut quilibet ex ordine clericorum, magos, aut aruspices, aut ariolos, aut certe augures vel sortilegos, vel eos, qui profitentur artem aliquam magicam, aut aliquos eorum similia exercentes consulere fuerit deprehensus, ab honore dignitatis suæ depositus, monasterium ingressus pœnam excipiat, ibique perpetuæ pœnitentiæ deditus scelus admissum *sacrilegii* luat.

(r) Cod. Theod. lib. XVI. tit. II. de episc. & cler. leg. II. Qui diuino cultui &c. Vid. leg. VII. ibid. Rectores diuinorum apicum, & hypodiaconi, ceterique clerici, qui per iniuriam hæreticorum ad curiam deuocati sunt, absoluantur: & de cætero ad similitudinem Orientis minime ad curias deuocentur, sed immunitate plenissima potiantur.

(s) Cyprian. epist. LXVI. al. I. ad cler. Furnit. p. 3. (p. 170. edit. Fellii Amstelod. MDCC.)

seren-

ferendi [*], quando de ecclesiis & clericis verba fecimus, adeoque ea hoc loco repetere supersedemus. Vnius tantum legis *Honorii* [t] facimus mentionem, quæ expressis verbis crimen sacrilegii omnibus illis imputat, qui, sacerdotibus in ecclesia rem diuinam facientibus, vel cultui ipsi, vel loco aliquid iniuriæ importent: iubens omnes istiusmodi nocentes (non exspectata ab episcopo eorum accusatione) per publicos ministros deferri ad prouinciæ moderatorem; qui iniuriam istam capitali in conuictos siue confessos reos pœna vindicare debeat.

§. XXVII.

De sacrilegio priuandi homines vsu sacrarum scripturarum, & verbi Dei, atque sacramentorum, speciatim calicis in cœna dominica.

Adhvc alia species sacrilegii est, cuius casuistæ *Romani* ex cognita ratione nullam vmquam mentionem faciunt. Est hoc grande sacrilegium in propria ipsorum ecclesia obuium, quo homines vsu sacræ scripturæ & calicis in cœna dominica priuantur; Quæ duæ res plus quam magisteriali auctoritate & sacrilega atque iniuriosa manu eis eripiuntur. Veteres id pro sacrilegio habuisse, sacram eucharistiam sine ratione diuidere, hominibusque calicis vsum negare, haud alia probatione iam indiget, quam gelasii, vnius ex propriis ipsorum pontificibus, testimonio, quod hodieque in *lege canonica* [u] in sequentis decreti verbis legitur: *Comperimus, quod quidam sumta tantummodo corporis sacri portione, a calice sacri cruoris abstineant. Qui procul dubio (quoniam nescio, qua superstitione docentur obstringi) aut integra sacramenta percipiant, aut ab integris arceantur. Quia diuisio vnius eiusdemque mysterii sine grandi sacrilegio non potest prouenire.* Istiusmodi sacrilegi eucharistiæ diuisores etiam a leone [x] papa

(*) Lib. V. cap. III. vol. II. p. 226. seqq. Lib. VIII. cap. XI. vol. III. p. 313. seqq.

(t) Cod. Theod. lib. XVI. tit. II. de episcopis leg. XXXI. Si quis in hoc genus sacrilegii proruperit, in ecclesias catholicas irruens, sacerdotibus & ministris, vel ipsi cultui, locoque aliquid importet iniuriæ ---- Prouinciæ moderator, sacerdotum & catholicæ ecclesiæ ministrorum, loci quoque ipsius & diuini cultus iniuriam, capitali in conuictos siue confessos reos sententia nouerit vindicandum. Nec exspectet, vt episcopus iniuriæ propriæ vltionem deposcat, cui sanctitas ignoscendi solam gloriam reliquit &c.

(u) Gelas. ap. Gratian. de consecrat. distinct. II. cap. XII.

(x) Leo serm. IV. de quadragesima. Ore indigno corpus Christi accipiunt, san-

damnan-

damnantur, & excommunicari iubentur. Et qui acceptam eucharistiam in alios vsus præter communionem adhibeant, a concilio *Toletano* primo can. XIV. & concilio *Cæsaraugustano* can. III. tamquam sacrilegi anathemati subiiciuntur. Sed de his libro quodam antecedente [*] fusius disseruimus, loquentes contra communionem sub vna tantum specie.

MVLTI quidem hæretici in veteri fuerunt ecclesia, crimine sacrilegii, ratione alterius sacramenti baptismi, adstricti. Alii id omnino reiiciebant, alii in parte materiali, alii in forma verborum ad administrationem necessaria corrumpebant: De quibus omnibus lector copiosam narrationem superiore quodam libro [**], qui de baptismo præcipue agit, inuenire potest. Nullos autem inueniet, qui christianis proprium ac natiuum ius legendi scripturas sacras eripere sacrilega ratione ausi fuerint. Nonnulli quidem hæretici eas corruperunt; alii eas illarum partes reiecerunt, quas singularibus opinionibus suis maxime omnium contrarias esse iudicarent. Nulli autem, qui eas scripta ac oracula a spiritu sancto inspirata esse faterentur, vmquam populo eas in sui institutionem scrutandi atque examinandi ademerunt libertatem. Illud pars est sacrilegii, hisce vltimis sæculis peculiaris ac proprii, quod veteres omnino ignorarunt, neque adeo occasionem habuerunt canones siue regulas disciplinæ faciendi ad illud corrigendum. Exstant multæ adhortationes ad legendas scripturas, nulla autem regula, quæ eas lingua incognita præcludi iubeat, vel populo eas vlla occasione legere interdicat. Et vna sola ratio, cur nullæ censuræ olim contra hoc sacrilegii genus factæ sint, est, quia peccatum ipsum antiquis temporibus prorsus fuit ignoratum.

ERANT quidem nonnumquam indocti ac incuriosi ecclesiæ doctores, in verbo Dei ad populum prædicando negligentiores. Et in hos per leges quasdam [*y*] in ipso codice ciuili

guinem autem redemtionis nostræ haurire omnino declinant. --- quorum deprehensa fuerit *sacrilega* simulatio, notati & prohibiti a sanctorum societate sacerdotali auctoritate pellantur.

(*) Lib. XV. cap. IV. §. XIII. vol. VI. p. 414. Et cap. V. §. I. ibid. p. 434.

(**) Lib. XI. cap. II. & III. vol. IV. p. 13. seqq.

(*y*) Cod. Theod. lib. XVI. tit. II. de episcopis. leg. XXV. Theodosii M. Qui diuinæ legis sanctitatem aut nesciendo confundunt, aut negligendo violant aut offendunt, sacrilegium committunt.

ani-

animaduertitur, vt qui populo neceſſarium animarum ſuarum pabulum non præbendo ſacrilegium committant. Sed hac de re nihil attinet hoc loco plura dicere, quia leges, quæ epiſcopos ac presbyteros in hac officii ſui parte fidos & induſtrios eſſe iubent, in medium produximus, vbi de concionibus & ritibus, eo ſpectantibus in veteri eccleſia [*], ſumus loquuti.

SVNT & res aliæ, quæ nonnumquam ſacrilegii nomine appellantur; quum autem magis proprie ad alias peccati ſpecies pertineant, vt, exempli gratia, votorum violatio ad periurium; violatio ſacrarum virginum ad fornicationem; diſciplinam & tractationem harum ſimiliumque offenſionum ſub propriis ipſarum capitibus conſiderabimus, iam perrecturi ad vltimum genus peccati, quod irreuerentiam in Deum in ſacrarum rerum vſu prodit, & communiter vocatur *Simonia*, quæ itidem ſpecies ſacrilegii eſt, quia res ſpirituales & ſacras venales facit, quæ tamen ad ſæcularem non pertinent negotiationem.

§. XXVIII.

De Simonia *in emtione ac venditione ſpiritualium donorum.*

HAEC a veteribus communiter triplex eſſe ſtatuitur. 1. Emtio ac venditio ſpiritualium donorum. 2. Emtio & venditio officiorum ſpiritualium. 3. Ambitioſa vſurpatio ac ſacrilega in munera eccleſiaſtica ſe inferendi ac intrudendi ratio, ſine legitima electione ac ordinatione. Prima ſpecies erat, quæ magis proprie nomen *Simoniæ* habebat a *Simone Mago*, qui pecuniis donum ſpiritus ſancti ſibi emere volebat. Et hæc quidem ſemper committi credebatur, ſi quis vel offerret, vel reciperet pecunias pro ordinatione. Quod crimen erat deteſtabile & ſeueriſſimis ſemper eccleſiæ cenſuris puniebatur. Canones apoſtolici [z] duplicem pœnam videntur conſtituere in clericos, qui hoc crimine adſtricti teneantur. *Si quis epiſcopus, aut presbyter, aut diaconus, per pecunias compos huius dignitatis fuerit, deponatur & ipſe, & qui eum ordinauit, atque penitus abſcindatur etiam a communione; vt Simon Magus a Petro.* Concilium *Chalcedonen-*

(*) Lib. XIV. cap. IV. §. II. vol. VI. p. 108. ſeqq.

(z) Can. apoſtol. XXIX. (al. XXII.) Εἴ τις ἐπίσκοπος διὰ χρημάτων τῆς ἀξίας ταύτης ἐγκρατὴς γένηται, ἢ πρεσβύτερος, ἢ διάκονος, καθαιρείσθω καὶ αὐτὸς, καὶ ὁ χειροτονήσας, καὶ ἐκκοπτέσθω παντάπασι καὶ τῆς κοινωνίας, ὡς Σίμων ὁ μάγος ὑπ' ἐμοῦ Πέτρου.

se [a] canonem habet in eamdem sententiam: *Si quis episcopu propter pecunias ordinationem fecerit, & non venalem gratiam in venditionem deduxerit, & propter pecunias ordinauerit episcopum, vel chorepiscopum, vel presbyterum, vel diaconum, vel aliquem eorum, qui in clero adnumerantur; vel propter pecunias promouerit œconomum, vel defensorem, vel paramonarium, vel omnino aliquem ex canone, turpis quæstus gratia: qui hoc tentasse conuictus fuerit, de proprio gradu in periculum veniat: & qui est ordinatus, ex ordinatione vel promotione, quæ instar mercatorum venum datur, nihil iuuetur: sed sit a dignitate, vel curatione alienus, quam pecuniis adeptus est.* Eadem pœna constituitur in concilio secundo *Aurelianensi* [b], secundo *Bracarensi* [c], quarto *Toletano* [d], vndecimo *Toletano* [e], *Constantinopolitano* sub GENNADIO [f], in decretis GELA-

(*a*) Concil. Chalced. c. II. *Εἴ τις ἐπίσκοπος ἐπὶ χρήμασι χειροτονίαν ποιήσαιτο, καὶ εἰς πρᾶσιν καταγάγῃ τὴν ἄπρατον χάριν, καὶ χειροτονήσῃ ἐπὶ χρήμασιν ἐπίσκοπον, ἢ χωρεπίσκοπον, ἢ πρεσβύτερον, ἢ διάκονον, ἢ ἕτερόν τινα τῶν ἐν τῷ κλήρῳ καταριθμουμένων, ἢ προβάλλοιτο ἐπὶ χρήμασιν ἢ οἰκονόμον, ἢ ἔκδικον, ἢ προσμονάριον, ἢ ὅλως τινὰ τοῦ κανόνος, δι' αἰσχροκέρδειαν οἰκείαν· ὁ τοῦτο ἐπιχειρήσας, ἐλεγχθεὶς, περὶ τὸν οἰκεῖον κινδυνευέτω βαθμόν· καὶ ὁ χειροτονούμενος μηδὲν ἐκ τῆς κατ' ἐμπορίαν ὠφελείσθω χειροτονίας ἢ προβολῆς, ἀλλ' ἔστω ἀλλότριος τῆς ἀξίας, ἢ τοῦ φροντίσματος, οὗπερ ἐπὶ χρήμασιν ἔτυχεν.*

(*b*) Conc. Aurel. II. can. III. Ne quis episcopus de quibuslibet caussis, vel episcoporum ordinationibus ceterorumque clericorum aliquid præsumat accipere: quia sacerdotem nefas est cupiditatis venalitate corrumpi. Can. IV. Si quis sacerdotium per pecuniæ nundinum execrabili ambitione quæsierit, abiiciatur vt reprobus: quia apostolica sententia donum Dei esse præcipit, pecuniæ trutina minime comparandum.

(*c*) Concil. Bracar. II. (al. III.) can. III. Placuit, vt de ordinationibus clericorum episcopi munera nulla suscipiant, sed, sicut scriptum est, quod gratis donante Deo accipiunt, gratis dent. Et non aliquo pretio gratia Dei & impositio manuum venundetur: quia antiqua definitio patrum ita de ecclesiasticis ordinationibus statuit, dicens: Anathema sit danti & accipienti &c.

(*d*) Concil. Tolet. IV. c. XVIIII. Perniciosa consuetudo nequaquam est reticenda, quæ maiorum statuta præteriens omnem ecclesiæ ordinem perturbauit; dum alii per ambitum sacerdotium appetunt, alii oblatis muneribus pontificatum assumunt. --- Si quis deinceps contra prædicta vetita canonum ad gradum sacerdotii indignus adspirare contenderit, cum ordinatoribus suis adepti honoris periculo subiacebit.

(*e*) Concil. Toletan. XI. c. VIII. vid. infr. sub litt. (r).

(*f*) Conc. Constantinop. epist. synodic. conc. tom. IV. p. 1025. tot. in primis sub fin. *καὶ τῷ ὄντι, τοῖς κτήσασθαι τὴν τοῦ Θεοῦ δωρεὰν ἢ διδόναι ταύτην διὰ χρημάτων ὑπειληφόσιν· εἰς γὰρ χολὴν πικρίας καὶ σύνδεσμον ἀδικίας οἱ τοιοῦτοι, κατὰ*

SII [g], SYMMACHI [h], HORMISDAE [i], GREGORII MAGNI [k], BASILII [l], concilii ſecundi *Nicæni* [m] & concilii *Trullani* [n]. In primis concilium *Toletanum* octauum [o] clericis ſic ordinatis & abdicationem muneris & excommunicationem denuntiat. Et eos etiam, qui munera *Simoniaca* acceperint, eadem ſeueritate puniri iubet; ſi quidem ſit clericus, honoris ſui amiſſione; ſi laicus, perpetuo anathemate. Lex etiam ciuilis [p] hoc in negotio ad anteuertendum ordinationibus *Simoniacis* ſanxit, vt tam ordinati, quam qui eos elegerint & or-

τὴν ἀπόφασιν τῦ ἁγίυ Πέτρυ, ὑπάρχυσι συλληφθέντες ὑπὸ τῆς ἑαυτῶν φιλαργυρίας. Væ illis reuera, qui Dei donum acquirere, vel illud pro pecunia dare in animum inducunt. In fel enim amaritudinis & vinculum iniquitatis ii (iuxta Petri ſententiam) a ſua malitia comprehenſi ſunt.

(g) Gelaſ. decret. epiſt. IX. ad epiſcop. Lucaniæ c. XXIV. (tom. IV. conc. p. 1194.) Quos conſtiterit indignos meritis, ſacram mercatos eſſe pretio dignitatem, conuictos oportet arceri non ſine periculo facinus tale perpetrantes: quia dantem pariter & accipientem damnatio Simonis, quam ſacra lectio teſtatur, inuoluit.

(h) Symmach. epiſt. V. ad Cæſar. Arelat. c. II. Illud magnopere commonentes, vt hi, qui non Dei gratia, ſed promiſſione rerum eccleſiaſticarum præmiis ad ſacerdotium conantur accedere, deſideriorum talium priuentur effectu. Quo autem ab huiuſmodi ſe intentione cohibeant, aut vindictis canonum ſciant ſe ſine dubitatione ſubdendos.

(i) Hormiſd. epiſt. XXV. ad epiſcop. Hiſpan. c. II. Hoc quoque ad præmiſſa adiungimus, ne benedictionem, quæ diuina eſſe creditur, per impoſitionem manus quis pretio comparet: quoniam ante oculos eſſe conuenit, quod Simon ſpiritum ſanctum volens redemtione mercari, apoſtoli fuerit deteſtatione percuſſus.

(k) Gregor. lib. VII. epiſt. CXI. (tom. IV. concil. p. 1371. 1372.)

(l) Baſil. epiſt. LXXVI. ad epiſcopos tot.

(m) Conc. Nic. II. can. V. tot.

(n) Concil. Trullan. c. XXII. *τὺς ἐπὶ χρήμασι χειροτονυμένυς, εἴτε ἐπισκόπυς, εἴτε οἱυσδήποτε κληρικὺς, καὶ ὐ κατὰ δοκιμασίαν καὶ τῦ βίυ αἵρεσιν, καθαιρεῖσθαι προστάσσομεν, ἀλλὰ καὶ τὺς χειροτονήσαντας. Eos, qui pecuniis ordinantur, ſiue epiſcopos, ſiue qualeſcumque clericos, & non per examinationem ac vitæ electionem, deponi iubemus, ſed & eos etiam, qui ordinauerunt.*

(o) Conc. Tolet. VIII. c. III. Quicumque propter accipiendam ſacerdotii dignitatem quodlibet præmium fuerit detectus obtuliſſe, ex eodem tempore ſe nouerit anathematis opprobrio condemnatum, atque a participatione Chriſti corporis ac ſanguinis alienum. --- Illi vero, qui hac cauſſa munerum acceptores exſtiterint; ſi clerici fuerint, honoris amiſſione mulctentur; ſi laici, anathemate perpetuo condemnentur.

(p) Iuſtin. nouell. CXXIII. c. I. *Θεσπίζομεν, ὁσάκις ἂν χρεία γένηται ἐπίσκοπον*

dina-

dinarint, iureiurando declarent, quod pro tali electione nihil datum vel receptum, immo ne quidem promissum sit. Et si quis episcopus, hac non obseruata regula, aliquem ordinarit, per eamdem legem munere suo tum ille ipse, tum ab ipso sic ordinatus, depelli iubentur.

Ad hanc *Simoniæ* speciem veteres etiam retulerunt exactionem mercedis pro administratione baptismatis, vel eucharistiæ, vel funeris elatione, vel ecclesiarum consecratione & similibus spiritualibus officiis, quæ omnia administranda erant sine vllius mercedis postulatione. Concilium *Trullanum* [q] in specie pro eucharistiæ administratione quidquam exigere vetat, *Nullus*, inquiens, *siue episcopus, siue presbyter, siue diaconus immaculatam præbens communionem, ab eo qui communicat, eius participationis gratia obolos, vel quamuis aliam speciem exigat. Non est enim venalis gratia, nec pro pecuniis spiritus sanctificationem impertimur, sed ea iis, qui digni sunt, absque vlla est calliditate communicanda. Si quis autem eorum, qui sunt in cleri catalogo, ab eo, cui immaculatam impertit communionem, vllam speciem*

χειροτονηθῆναι, τοὺς κληρικοὺς καὶ τοὺς πρώτους τῆς πόλεως, ἧς μέλλει ἐπίσκοπος χειροτονεῖσθαι, ἐπὶ τρισὶ προσώποις ψηφίσματα ποιεῖν, κινδύνῳ τῶν ἰδίων ψυχῶν, καὶ ἕκαστον αὐτῶν ὀμνύναι κατὰ τῶν θείων λογίων, καὶ ἐγγράφειν ἐν αὐτοῖς, λέγοντας ἐν αὐτοῖς τοῖς ψηφίσμασιν, ὅτι οὐ διά τινα δόσιν, οὔτε διὰ ὑπόσχεσιν ἢ φιλίαν, ἢ δι' ἄλλην οἱανδήποτε αἰτίαν, ἀλλ' εἰδότες αὐτοὺς τῆς ὀρθῆς καὶ καθολικῆς πίστεως καὶ σεμνοῦ εἶναι βίου καὶ γράμματα εἰδέναι, τούτους ἐπελέξαντο. ---- Εἰ δέ τις παρὰ τὴν μνημονευθεῖσαν παραφυλακὴν ἐπίσκοπος χειροτονηθῇ, κελεύομεν τοῦτον πάσι τρόποις τῆς ἐπισκοπῆς ἐκβάλλεσθαι· ἀλλὰ καὶ ἐκεῖνον, ὅστις παρὰ ταῦτα ἐτόλμησε χειροτονῆσαι, χωρίζεσθαι ἐπὶ ἕνα ἐνιαυτὸν τῆς ἱερατικῆς λειτουργίας. *Sancimus, quoties opus fuerit episcopum ordinari, clericos & primates ciuitatis, cuius futurus est episcopus ordinari, mox in tribus personis decreta facere, propositis eis sacrosanctis euangeliis, periculo suarum animarum, dicentes in ipsis decretis: quia neque propter aliquam donationem, neque propter aliquam promissionem, aut amicitiam, aut aliam quamlibet caussam, sed scientes eos rectæ & catholicæ fidei & honestæ esse vitæ & litteras nosse hos elegerint. --- Si quis autem citra memoratam obseruationem episcopus ordinetur, iubemus hunc omnibus modis episcopatu depelli. Sed etiam illum, qui præter hoc præsumserit ordinare, segregari vno anno a sacro ministerio.* Confer sis nouell. CXXXVII. c.II. in qua eadem leguntur.

(q) Conc. Trull. c. XXIII. Περὶ τοῦ μηδένα, εἴτε ἐπίσκοπον, εἴτε πρεσβύτερον, ἢ διάκονον, τῆς ἀχράντου μεταδιδόντα κοινωνίας, παρὰ τοῦ μετέχοντος εἰσπράττειν, τῆς τοιαύτης μεταλήψεως χάριν, ὀβολοὺς ἢ εἶδος τὸ οἱονοῦν· οὐδὲ γὰρ πεπραμένη ἡ χάρις, οὐδὲ χρήμασι τὸν ἁγιασμὸν τοῦ πνεύματος μεταδίδομεν· ἀλλὰ τοῖς ἀξίοις τοῦ δώρου ἀπανουργεύτως μεταδοτέον· εἰ δὲ φανείη τις τῶν ἐν κλήρῳ καταλεγομένων ἀπαιτῶν,

exi-

exigere visus fuerit, deponatur, vt Simoniaci erroris & maleficii æmulator. Concilium *Toletanum* vndecimum non tantum pecuniam accipere vetat pro sacrorum ordinum collatione, sed etiam pro administratione baptismatis, & pro confirmatione [r]; & episcopus, qui clericis suis ita facientibus indulgeat, duobus mensibus excommunicari iubetur: & si presbyter ipso non sciente tale quid perpetret, trium mensium excommunicatione, si diaconus, quatuor; si quis inferiorum ordinum clericus, competenti verbere & congrua excommunicatione plectendus dicitur. Sunt & plures alii vetusti canones in eamdem sententiam in conciliis *Illiberritano* [s] & *Bracarensi* [t] ac in decretis GELASII [u], quorum alia occasione mentio facta est, vbi de ratione constituendi reditus pro alendis clericis egimus, neque adeo heic eos repetere necesse est.

§. XXIX.

De Simonia *in emtione ecclesiasticarum dignitatum.*

NEQVE vero id solum *Simoniam* vocabant, quæ consistebat in nundinatione donorum spiritus sancti, sed omnes etiam emtiones spiritualium dignitatum ecclesiæ, omnesque promotiones sine iusto merito, ex mero fauore & respectu amicitiæ

ᾧ μεταδίδωσι τῆς ἀχράντου κοινωνίας, τὸ οἷον ἂν εἶδος, καθαιρείσθω, ὡς τῆς Σίμωνος ζηλωτὴς πλάνης καὶ κακουργίας.

(r) Concil. Tolet. XI. c. VIII. Quidquid inuisibilis gratiæ collatione tribuitur, nummorum quæstu, vel quibuslibet præmiis venundari penitus non debet, dicente domino, Quod gratis accepistis, gratis date. Et ideo quicumque deinceps in ecclesiastico ordine constitutus, aut pro baptizandis consignandisque fidelibus, aut pro collatione chrismatis, vel promotionibus graduum pretia quælibet vel præmia voluntarie oblata pro huiusmodi ambitione susceperit; equidem, si sciente loci episcopo tale quidquam a subditis perpetratur, idem episcopus duobus mensibus excommunicationi subiaceat; pro eo, quia & sciens mala contexit, & correctionem necessariam non adhibuit. Sin autem suorum quispiam, eodem nesciente, quodcumque pro supra dictis capitulis accipiendum esse sibi crediderit; si presbyter est, trium mensium excommunicatione plectatur; si diaconus, quatuor; subdiaconus vero, vel clericus his cupiditatibus seruiens, & competenti verbere, & debita excommunicatione plectendus est.

(s) Concil. Illiberrit. c. XLVIII. Vid. lib. V. cap. IV. §. XIV. sub litt. (c) vol. II. pag. 278.

(t) Conc. Bracar. II. al. III. c. VII. ibid. sub litt. k. p. 280.

(u) Gelas. epist. I. al. IX. ad episc. Lucaniæ c. X. Vid. ibid. sub litt. (m) p. 280.

factas. Concilium *Chalcedonense* [x] non tantum vnicuique episcopo muneris abdicationem minatur, qui gratiam venalem faciens, episcopum, vel chorepiscopum, vel presbyterum, vel diaconum, vel alium quemcumque clericum propter pecunias ordinauerit; sed etiam si quem œconomum, vel ecdicum siue defensorem, vel paramonarium turpis quæstus caussa fecerit. Et clericos sic ordinatos de gradu deiici, & administros, hoc modo aliquem promouentes, loco suo depelli iubet. Et si quis intercessor istis turpibus & nefariis lucris apparuerit, eum quoque, si sit quidem clericus, proprio gradu excidere, si sit autem laicus vel monachus, anathematizari debere, pronuntiat. Per leges *Iustiniani* [y], quicumque aliquem elegerat, iure iurando attestari debebat, se non propter aliquam donationem, neque propter aliquam promissionem, vel amicitiam, vel aliam quamcumque caussam hunc illum elegisse, sed ideo tantum, quod eum rectæ & catholicæ fidei & honestæ esse vitæ & litteras nosse, sciret. GREGORIVS MAGNVS [z] hac de re ita loquitur: *Sunt nonnulli, qui quidem nummorum præmia ex ordinatione non accipiunt, & tantum sacros ordines pro humana gratia largiuntur, atque de largitate eadem laudis solummodo retributionem quærunt. Hi nimirum, quod gratis acceptum est, gratis non tribuunt, quia de impenso officio sanctitatis nummum expetunt fauoris. --- Aliud munus est ab obsequio, aliud munus a manu, aliud munus a lingua. Munus quippe ab obsequio est subiectio indebite impensa; munus a manu pecunia est; munus a lingua fauor.* Num vero hæc *Simoniæ* species hominem censuræ ecclesiasticæ obnoxium reddiderit, id non dicit, sed contra eam duntaxat loquitur, tamquam grandem corruptelam, a qua, qui sanctos ordines conferant, se immunes seruare debeant, secundum illud prophetæ Ies. XXXIII, 15. *Qui excutit manus suas, ne teneat munus.*

(x) Concil. Chalced. c. II. vid. sub litt. anteced. (a pag. 321. & adde heic, quæ sequuntur: *εἰ δέ τις καὶ μεσιτεύων φανείη τοῖς οὕτως αἰσχροῖς καὶ ἀθεμίτοις λήμμασιν, καὶ οὗτος, εἰ μὲν κληρικὸς εἴη, τοῦ οἰκείου ἐκπιπτέτω βαθμοῦ· εἰ δὲ λαϊκὸς, ἢ μονάζων, ἀναθεματιζέσθω.*

(y) Iustin. nouell. CXXIII. c. I. cit. sub litt. antec. (p) pag. 323. seq.

(z) Gregor. homil. II. in euangel.

§. XXX.

§. XXX.

De Simonia *in ambitiosa sacrorum officiorum vsurpatione, & sacrilega ratione se intrudendi in aliorum hominum locum & muneris functionem.*

VLTIMA *Simoniæ* species erat, si qui ambitiosis artibus & illicitis studiis, fauore & potestate personæ cuiusdam magnæ ac opulentæ, ad officium ecclesiasticum, ad quod non essent legitime vocati, nec iustum haberent titulum, ipsi sibi pararent aditum: Vel si in aliorum hominum loca, ab aliis iam legitimo modo occupata, se inferrent atque intruderent. Communis mos hic erat schismaticorum aliorumque ambitiosorum hominum, qui aut ipsi præter regulam ecclesiæ in vacantem sedem se intrudere, aut iam legitime ab alio occupatam vsurpare cupiebant. Ita *Nouatianus* clandestinam & *Simoniacam* ordinationem ad episcopatum *Romanum* sibi acquirebat, ad quem iam ante ipsum legitimo modo ordinatus fuerat *Cornelius*, quemadmodum CYPRIANVS [a] & alii sæpissime conqueruntur. Ita quoque *Maiorinus Carthagine* ordinatus fuit antiepiscopus, in *Cæciliani* legitimi episcopi oppositionem, & quidem *Lucillæ*, potentis ac diuitis feminæ, factionem illam, quæ prima schismatis *Donatistarum* origo fuit, fouentis ope; quemadmodum OPTATVS [b] atque AVGVSTINVS pluribus docent. Iam omnes istæ ordinationes, ambitione & vsurpatione fundatæ, & generatim vel vi, vel gratia, vel fraude, vel largitione acquisitæ, communiter irritæ & nullæ declarabantur, & tam ordinati quam ordinatores velut grandis criminis rei, deiectione de gradu & reductione ad statum & communionem laicorum multaban-

(a) Cyprian. epist. LII. al. LV. ad Antonian. p. 104. (p. 243. tot. edit. Fell. Amst.) Epist. XLI. XLII. (XLIV. XLV. tot. edit. Fellii Amstel.) Et epist. Cornel. ap. Euseb. lib. VI. c. XLIII. pag. 197. 198. edit. Amstel. MDCXCV.

(b) Optat. lib. I. p. 41. 42. (p. 19. 20. 21. edit. Parif. MDCLXXIX.) Tunc suffragio totius populi Cæcilianus eligitur. -- Lucilla - cum omnibus suis potens & factiosa femina communioni misceri noluit. --- Schisma igitur illo tempore confusæ mulieris iracundia peperit. --- Exitum est foras, & altare contra altare erectum est, & ordinatio illicite celebrata est: & Maiorinus, qui lector in diaconio Cæciliani fuerat, domesticus Lucillæ, ipsa suffragante, episcopus ordinatus est.
Augustin. contr. epist. Parmen. lib. I. c. III. -- quos ista factio (Lucillæ) conuocauerat ad perniciem Cæciliani, vt illo deposito alter eis ordinaretur?

tur.

tur. Qua de re, quum libro quodam ante hac edito [*] egerimus fusius, pluribus documentis in medium proferendis hoc loco non immorabimur. Notamus autem tantummodo, æque graui crimini *Simoniæ* datum esse episcopo, siue in sedem vacantem præter regulam ipse se ambitiose intrusisset, siue sinistris artibus de sede quadam minore ad maiorem transiisset, cum contemtu quidem regularum, quas in tali mutatione obseruandas præscripserat ecclesia. Nam, vt supra notauimus loquentes [†] de hoc argumento, multæ seueræ leges contra arbitrarias episcoporum de sede alia in aliam translationes, erant rogatæ. Quamuis translatio episcoporum non absolute & simpliciter vetita esset (quia ecclesia nonnumquam episcopum de sede sua ad aliam prouehere consultum ducebat) cauebatur tamen, ne ambitiosi ingenii homines pro lubitu sese transferrent ipsi; sed omnem translationem de auctoritate, consensu ac approbatione synodi prouincialis fieri oportebat. Secus autem facere pro grauissimo *simoniaco* ambitionis crimine habebatur, vtpote ex auaritia, vel amore prærogatiuæ, & illicitis artibus, largitione videlicet, fauore & factione ad finem obtinendum contra leges ecclesiæ proficiscente. Vnde vetuiti canones *Nicæni* [c], *Antiocheni* & sic dicti *apostolici* non tan-

(*) *Scholast. Hist. of Bapt.* part. II. chap. II. & IV.

(†) Lib. VI. c. IV. §. VI. vol. II. p. 392 -- 395.

(c) Concil. Nicæn. can. XV. *Διὰ τὸν πολὺν τάραχον καὶ τὰς στάσεις τὰς γινομένας, ἔδοξε παντάπασι περιαιρεθῆναι τὴν συνήθειαν τὴν παρὰ τὸν κανόνα εὑρεθεῖσαν ἔν τισι μέρεσιν· ὥστε ἀπὸ πόλεως εἰς πόλιν μὴ μεταβαίνειν, μήτε ἐπίσκοπον, μήτε πρεσβύτερον, μήτε διάκονον· εἰ δέ τις μετὰ τὸν τῆς ἁγίας καὶ μεγάλης συνόδου ὅρον, τοιούτῳ τινὶ ἐπιχειρήσειεν, ἢ ἐπιδοίη ἑαυτὸν πράγματι τοιούτῳ· ἀκυρωθήσεται ἐξ ἅπαντος τὸ κατασκεύασμα, καὶ ἀποκατασταθήσεται τῇ ἐκκλησίᾳ, ᾗ ὁ ἐπίσκοπος ἢ ὁ πρεσβύτερος ἐχειροτονήθη. Propter multum tumultum & seditiones quæ fiunt, omnino visum est vt consuetudo, quæ præter canonem in nonnullis partibus inuenitur, tollatur: vt a ciuitate in ciuitatem, nec episcopus, nec presbyter, nec diaconus transeat. Si quis autem post sanctæ & magnæ synodi definitionem tale quidpiam adgressus fuerit, vel se rei eiusmodi dederit: quod factum erit, omnino infirmabitur, & ecclesiæ restituetur, cui episcopus vel presbyter ordinatus fuerit.*

Concil. Antiochen. c. XXI. *Ἐπίσκοπον ἀπὸ παροικίας ἑτέρας εἰς ἑτέραν μὴ μεθίστασθαι, μήτε αὐθαιρέτως ἐπιῤῥίπτοντα ἑαυτὸν, μήτε ἀπὸ λαῶν ἐκβιαζόμενον, μήτε ὑπὸ ἐπισκόπων ἀναγκαζόμενον· μένειν δὲ εἰς ἣν ἐκληρώθη ὑπὸ τοῦ θεοῦ ἐξ ἀρχῆς ἐκκλησίαν, καὶ μὴ μεθίστασθαι αὐτῆς, κατὰ τὸν ἤδη πρότερον ἐξενεχθέντα ὅρον. Episcopus ab alia parochia in aliam ne transeat, nec se sua sponte ingerens,*

tum

tum ſimpliciter vetant hanc conſuetudinem & improbant: ſed ſynodus etiam *Sardicenſis* [*d*], experientia edocta, ſimplices prohibitiones ad eam reprimendam homineſque ambitioſos ab ea cohibendos non ſatis valere, præceptiones ſuas grauiſſimis ſuffulſit cenſuris, duoſque notatu digniſſimos canones fecit, ita habentes: *Non tam mala conſuetudo, quam pernicioſiſſima rerum corruptela, eſt ex ipſis fundamentis penitus exſtirpanda: ne cui epiſcopo liceat a parua ciuitate in aliam migrare. Eius enim cauſſæ prætextus eſt manifeſtus, propter quem talia tentantur. Nullus enim epiſcopus adhuc inueniri potuit, qui a maiori ciuitate in minorem tranſire ſtuduerit. Vnde conſtat, eos ardenti plura habendi cupiditate ſuccendi, & magis arrogantiæ ſeruire, vt videantur maiorem habere poteſtatem. Placet ergo, vt eiuſmodi improbitas acerbius vindicetur.* Exiſtimo, inquit *Hoſius*, ſynodi præſes, eos ne laicorum quidem debere habere communionem. Proximus canon addit: *Si quis autem adeo inſanus, vel audax inueniatur, vt de iis videatur aliquam adſerre excuſationem, adſerens ſibi a populo adlatas eſſe litteras; clarum eſt, potuiſſe paucos a-*

nec a populis vi adactus, nec ab epiſcopis coactus: maneat autem in ea, quam a Deo ſortitus, eſt eccleſia, & ab ea non recedat, ſecundum decretum prius de ea re editum.

Can. apoſt. XIV. Ἐπίσκοπον μὴ ἐξεῖναι καταλείψαντα τὴν ἑαυτοῦ παροικίαν ἑτέρᾳ ἐπιπηδᾷν, κἂν ὑπὸ πλειόνων ἀναγκάζηται· εἰ μή τις εὔλογος αἰτία ᾖ, ἡ τοῦτο βιαζομένη αὐτὸν ποιῆσαι, ὡς πλεῖόν τι κέρδος δυναμένου αὐτοῦ τοῖς ἐκεῖσε λόγῳ εὐσεβείας συμβάλλεσθαι· καὶ τοῦτο δὲ, οὐκ ἀφ᾽ ἑαυτοῦ, ἀλλὰ κρίσει πολλῶν ἐπισκόπων, καὶ παρακλήσει μεγίστῃ. *Epiſcopo non licet, derelicta parœcia ſua, aliam inuadere, quamuis a pluribus cogatur: niſi quædam ſit cauſſa probabilis, quæ illum hoc facere compellat; quod ipſe maiorem vtilitatem illis, qui ibi habitant, poſſit per doctrinam pietatis conferre: & vero id non a ſe ipſo, ſed iudicio multorum epiſcoporum, atque cohortatione maxima.*

(*d*) Concil. Sardic. c. I. Οὐ τοσοῦτον ἡ φαύλη συνήθεια, ὅσον ἡ βλαβερωτάτη τῶν πραγμάτων διαφθορὰ ἐξ αὐτῶν τῶν θεμελίων ἐστὶν ἐκριζωτέα· ἵνα μηδενὶ τῶν ἐπισκόπων ἐξῇ ἀπὸ πόλεως μικρᾶς εἰς ἑτέραν πόλιν μεθίστασθαι· ἡ γὰρ τῆς αἰτίας ταύτης πρόφασις φανερά ἐστι, δι᾽ ἣν τὰ τοιαῦτα ἐπιχειρεῖται· οὐδεὶς γὰρ πώποτε εὑρεθῆναι ἐπισκόπων δεδύνηται, ὃς ἀπὸ μείζονος πόλεως ἐλαχιστοτέραν πόλιν ἐσπούδασε μεταστῆναι· ὅθεν συνέστηκε, διαπύρῳ πλεονεξίας τρόπῳ ὑπεκκαίεσθαι τοὺς τοιούτους, καὶ μᾶλλον τῇ ἀλαζονείᾳ δουλεύειν, ὅπως ἐξουσίαν δοκοῖεν μείζονα κεκτῆσθαι· εἰ πᾶσι τοίνυν τοῦτο ἀρέσκει, ὥστε τὴν τοιαύτην σκαιότητα αὐστηρότερον ἐκδικηθῆναι; ἡγοῦμαι γὰρ μηδὲ λαϊκῶν ἔχειν τοὺς τοιούτους χρῆναι κοινωνίαν· πάντες οἱ ἐπίσκοποι εἶπον· ἀρέσκει πᾶσιν.

Ibid. can. II. Εἰ δέ τις τοιοῦτος εὑρίσκοιτο μανιώδης ἢ τολμηρὸς, ὡς περὶ τῶν τοιούτων δόξαι τινὰ φέρειν παραίτησιν, διαβεβαιούμενον ἀπὸ τοῦ πλήθους ἑαυτὸν

liquos mercede & pretio corruptos in ecclesia seditionem mouere, vt eumdem vtique postulent habere episcopum. Omnino, inquit *Hosius*, has fraudes & artes puniendas esse existimo; vt nemo possit, qui est eiusmodi, ne in fine quidem laica communione dignus haberi. Cui synodus facile adsensit. Quod ipsum ostendit, quam de hac *Simoniæ* specie habuerint sententiam, nimirum quod eam maxime noxiam atque perniciosissimam ecclesiæ iudicauerint. Atque id præterea obseruatu dignum est, quod, quum fieri posset, vt talis ambitiosus episcopus factionis cuiusdam potentioris ope, cum omnium censurarum ecclesiasticarum contemtu, in sua se tueretur vsurpatione; concilium *Carthaginense* decreuerit [*e*], vt necessitate cogente liberum esset aduersus istiusmodi refractarium & contumacem episcopum, qui miti admonitioni acquiescere nollet, secundum statuta legum imperialium, sæcularem adire magistratum eumque rogare, vt auctoritate iudiciaria illum de ecclesia, quam per vim occupasset, protinus eiiceret. Num qua lex imperialis facta sit cum respectu ad hunc casum particularem, dicere nequeo: Certum tamen est, generales leges a *Gratiano* & *Honorio* [*f*] factas exstare, quæ omnes episcopos, a synodo quadam censu-

κινεῖσθαι γράμματα· δῆλόν ἐστιν, ὀλίγους τινὰς δεδυνῆσθαι μισθῷ καὶ τιμήματι διαφθαρέντας ἐν τῇ ἐκκλησίᾳ στασιάζειν, ὡς δῆθεν ἀξιοῦντας τὸν αὐτὸν ἔχειν ἐπίσκοπον· καθάπαξ οὖν τὰς ῥᾳδιουργίας τὰς τοιαύτας καὶ τέχνας κολαστέας εἶναι νομίζω, ὥστε μηδένα τοιοῦτον μηδὲ ἐν τῷ τέλει λαϊκῆς γοῦν ἀξιοῦσθαι κοινωνίας· εἰ τοίνυν ἀρέσκει ἡ γνώμη αὕτη, ἀποκρίνασθε· ἀπεκρίναντο· τὰ λεχθέντα ἤρεσκεν.

(*e*) Concil. Carth. III. c. XXXVIII. Necessitate ipsa cogente liberum sit nobis, rectorem prouinciæ, secundum statuta gloriosissimorum principum, aduersus illum adire, vt, qui miti admonitioni acquiescere noluit, & emendare illicitum, auctoritate iudiciaria protinus excludatur. Vid. fis can. XLIII. ibid. Cod. Afric. c. XLVIII. *αἰτοῦμεν κατὰ τὸ ἐνταλὲν ἡμῖν, ἵνα καταξιώσητε δοῦναι παῤῥησίαν ἐπ' ἀδείας ἡμῖν γενέσθαι· ὅτι, αὕτη ἡ ἀνάγκη παρασκευάζει, τῷ ἄρχοντι τῆς χώρας κατ' ἐκείνου προσελθεῖν, κατὰ διατάξεις τῶν ἐνδοξοτάτων βασιλέων, ἵνα ὁ τῇ πρᾴῳ ὑπομνήσει τῆς ὑμετέρας ἁγιωσύνης πειθαρχῆσαι μὴ θελήσας, καὶ διορθώσασθαι τὸ ἀσυγχώρητον, αὐθεντίᾳ ἀρχοντικῇ παραχρῆμα κωλυθῇ. Petimus secundum quod nobis mandatum est, vt dignemini dare fiduciam, quo iam necessitate ipsa cogente*, cetera.

(*f*) Cod. Theod. lib. XVI. tit. II. de episcopis leg. XXXV. Honorii. Quicumque residentibus sacerdotibus fuerit episcopali loco detrusus & nomine, si aliquid vel contra custodiam, vel contra quietem publicam moliri fuerit deprehensus, rursusque sacerdotium petere, a quo videtur expulsus, procul ab ea

ræ

ræ ſubiectos & munere detruſos, iubent ſynodi ſententiæ ſe ſubmittere, nec vllas turbas excitare ad ſedem, ex qua per ſynodum pulſi ſint, recuperandam: pœnamque contumacibus ſtatuunt deportationis ad locum, centum milliaribus ab ea vrbe, in qua quietem publicam turbaſſe deprehenſi ſint, diſtantem. Hæc erat lex *Honorii*, quæ ad priorem legem, a *Gratiano* de eodem argumento latam, reſpicit; cuius etiam SVLPICIVS SEVERVS [g] in *hiſtoria* meminit, tamquam factæ contra *Priſcillianiſtas*, tametſi hodie in codice *Theodoſiano* non reperiatur. Atque ad has leges patres *Africani* forte reſpiciunt, quando omnes iſtiuſmodi contumaces epiſcopos ciuilis magiſtratus auctoritate expelli iubent, ſecundum ſtatuta imperatorum in hunc finem facta, ad quæ etiam in aliis canonibus [h], ad rem eamdem pertinentibus, reſpiciunt. Tantum de diuerſis grandibus criminibus contra primum & ſecundum præceptum, quæ homines diſciplinæ pœnitentiali & cenſuris eccleſiæ obnoxios reddiderunt.

LIBRI DECIMI SEXTI

CAPVT SEPTIMVM

DE PECCATIS CONTRA PRAECEPTVM TERTIVM, BLASPHEMIA, PROFANA IVRANDI ADSIDVITATE, PERIVRIO, ET VOTORVM VIOLATIONE.

§. I.

De blaſphemia apoſtatarum.

MAIORA peccata contra præceptum tertium, quæ præcipue homines publicis eccleſiæ cenſuris ſubiiciebant, erant blaſphemia, profana iurandi adſiduitas, periurium, & votorum Deo ſolemniter factorum violatio. Hæc enim omnia

vrbe, quam infecit, ſecundum legem diuæ memoriæ Gratiani, centum millibus vitam agat &c.

(g) Seuer. hiſtor. lib. II. p. 116. (cap. XLVII. p. 282. edit. Lipſ. MDCCIII.) Poſt multa & fœda, Idacio ſupplicante, dicitur a Gratiano tum imperatore reſcriptum, quo vniuerſi hæretici excedere non eccleſiis tantum aut vrbibus, ſed extra omnes terras propelli iubebantur.

(h) Cod. Afric. can. XCIII. al. XCV. (concil. tom. II. p. 1110. tot.)

nomen Dei præcipua quadam adficiunt ignominia. Blasphemiam triplicis generis esse statuebant. 1. Blasphemiam apostatarum & lapsorum, quos persecutores ethnici non tantum negare Christum cogebant, sed etiam ei maledicere. 2. Blasphemiam hæreticorum aliorumque profanorum christianorum. 3. Blasphemiam in spiritum sanctum. Primi generis blasphemiam PLINIO memoratam inuenimus, qui scribens ad *Traianum* imperatorem de quibusdam christianis, qui in suæ ætatis persecutione defecerant, omnes & imaginem ipsius & deorum simulachra veneratos esse, eosque & Christo maledixisse [a], adfirmat. Et hanc communem renuntiandi religioni christianæ fuisse rationem, ex verbis proconsulis ad *Polycarpum* & huius responso apparet. Iubebat ille hunc conuicia aduersus Christum dicere [b], λοιδόρησον τὸν χριστόν. Cui *Polycarpus* respondebat: *Sex & octoginta continuos annos ei ministraui, nec vlla me vmquam adfecit iniuria: Et quomodo possum impie loqui aduersus regem meum auctoremque salutis meæ?* In epistola DIONYSII, episcopi ecclesiæ *Alexandrinæ*, qua persecutionem, quæ ibi acciderit, narrat, inuenimus, fuisse hanc vsitatam gentilibus rationem, qua christianos religionem suam eiurare coëgerint. *Senem quemdam*, inquit ille, *Metram* [c] *nomine correptum impia verba proferre iubent, quod quum ille abnueret, fustibus hominem verberantes & acutis arundinibus vultum eius oculosque pungentes, deductum in suburbium lapidibus obruerunt.* Ita quoque eos *Apolloniam* [d] impia verba pronuntiare iussisse, & maxillas quidem verberantes, cunctos ei dentes excussisse, minatosque esse dicit, viuam se illam com-

(a) Plin. lib. X. epist. XCVII. Omnes & imaginem tuam deorumque simulachra venerati sunt, iique & Christo maledixerunt.

(b) Euseb. lib. IV. c. XV. τοῦ ἡγουμένου λέγοντος· λοιδόρησον τὸν χριστόν· ἔφη ὁ Πολύκαρπος· ὀγδοήκοντα καὶ ἓξ ἔτη δουλεύω αὐτῷ, καὶ οὐδέν με ἠδίκησε· καὶ πῶς δύναμαι βλασφημῆσαι τὸν βασιλέα μου, τὸν σώσαντά με.

(c) Ap. Euseb. lib. VI. c. XLI. πρεσβύτην Μητρᾶν ὀνόματι συναρπάσαντες, καὶ κελεύσαντες ἄθεα λέγειν ῥήματα· μὴ πειθόμενον, ξύλοις τε παίοντες τὸ σῶμα, καὶ καλάμοις ὀξέσι τὸ πρόσωπον καὶ τοὺς ὀφθαλμοὺς κεντοῦντες, ἀγαγόντες εἰς τὸ προάστειον, κατελιθοβόλησαν.

(d) Ibid. ἀλλὰ καὶ τὴν θαυμασιωτάτην τότε παρθένον πρεσβῦτιν Ἀπολλωνίαν διαλαβόντες, τοὺς μὲν ὀδόντας ἅπαντας, κόπτοντες τὰς σιαγόνας, ἐξήλασαν· πυρὰν δὲ νήσαντες πρὸ τῆς πόλεως, ζῶσαν ἠπείλουν κατακαῦσαι, εἰ μὴ συνεκφωνήσειεν αὐ-

bustu-

busturos, nisi imperata faceret: immo omnes vbique clamitasse, quicumque impia illa verba proferre abnuisset, eum illico trahendum esse & flammis vltricibus absumendum. Iam licet VALESIVS existimet, difficile esse dicere, quænam fuerint illa verba impia, siue voces blasphemæ & atheæ, satis tamen liquet, blasphemiam *CHRISTI* intelligi; quæ res erat, quam vrgebant ethnici, vtpote ex qua satis colligere se posse putabant, christianos religioni suæ renuntiasse. Atque ita IVSTINVS MARTYR [*e*] narrat, quod *Barchochebas*, defectionis iudæorum sub *Adriano* dux & princeps, christianos vexans, ad grauia supplicia, nisi *CHRISTVM* abnegarent & maledictis incesserent, protrahi eos iusserit. Quæ quum eo tempore tantummodo solemnior esset renuntiandi religioni ratio, addens apostasiæ blasphemiam, omnes hoc modo lapsi apostatis suo iure adnumerati, & consequenter horum quoque pœna, ad summum censuræ ecclesiasticæ gradum, adfecti sunt.

§. II.

De blasphemia hæreticorum & profanorum christianorum.

ALIVD genus blasphemantium illi erant, qui christianam profitentes religionem, per impias doctrinas vel profanos sermones, contumeliosas in Deum voces emittebant, de maiestate ipsius ac honore derogantes. Hoc sensu hæretici communiter blasphemiæ insimulabantur, & maxime ii, quorum dogmata ad detrahendum de excellentiis, proprietatibus, & actionibus diuinæ naturæ propius spectabant. Ita CHRYSOSTOMVS [*f*] illos Deo maledicere, ait, qui fati confusionem & necessitatem rerum in diuinæ prouidentiæ derogationem in-

τοῖς τῆς ἀσεβείας κηρύγματα· --- ἀεὶ καὶ πανταχοῦ πάντων κεκραγότων, εἰ μὴ τὰ δύσφημα τις ἀνυμνοίη ῥήματα, τοῦτον εὐθέως δεῖν σύρεσθαί τε καὶ πίμπρασθαι.

(*e*) Iustin. apol. II. p. 72. Ἐν τῷ νῦν γεγενημένῳ Ἰουδαϊκῷ πολέμῳ Βαρχοχέβας, ὁ τῆς Ἰουδαίων ἀποστάσεως ἀρχηγέτης, χριστιανοὺς μόνους εἰς τιμωρίας δεινὰς, εἰ μὴ ἀρνοῖντο Ἰησοῦν τὸν χριστὸν καὶ βλασφημοῖεν, ἐκέλευεν ἀπάγεσθαι.

(*f*) Chrysost. homil. II. de fato & prouid. tom I. p. 811. (p. 717. edit. Francof.) τίνες εἰσὶν, οἱ τὸν Θεὸν κακῶς λέγοντες; οἱ τῇ σοφίᾳ τῆς προνοίας αὐτοῦ τὴν ἐκ τῆς εἱμαρμένης ἀταξίαν καὶ ἀνάγκην ἐπιτειχίζοντες. *Qui sunt autem, qui Deo male dicunt? qui ex sapientia prouidentiæ eius fati confusionem & necessitatem rerum veluti munitionem opponunt.*

troducant. Et IRENAEVS [g] eos blaſphemos vocat, qui Deum mundi creatorem eſſe negent. *Arianis* & *Neſtorianis* generatim blaſphemia, impietas & ſacrilegium imputatur [h], eo quod diuinitatem ſeruatoris noſtri & incarnationem diuinæ naturæ negent. Vt adeo eadem pœna, quæ hæreticis & ſacrilegis perſonis inflicta eſt, huiuſmodi etiam blaſphemis inflicta ſit. CHRYSOSTOMVS blaſphemantes [i] & fornicantes coniungit, vtpote qui ſacræ menſæ participes fieri non poſſint. Et loco ante citato [k] ait: *In veteri teſtamento ſancitum eſt: Qui maledicit patri, aut matri, morte multetur. --- Quid igitur dicemus de his, qui nunc in gratia & rerum ipſarum veritate & tanta in cognitione ſunt, non patri aut matri maledicentibus, ſed ipſi vniuerſitatis rerum Deo? Quo enim ſupplicio accipientur? qualis animaduerſio, quis igneus amnis, quis vermis ſempiternus, quæ tenebræ exteriores, quæ vincula, quis ſtridor, quis ploratus ſcelerum magnitudini ſatis eſſe poſſit? Omnes cruciatus, qui nunc ſunt, iuſto minores ſunt animo ita adſecto, ac eo vſque improbitatis prolapſo. Non eſt enim, non eſt hoc peccatum vllum deterius, ſed neque par. Nam in eo & acceſſio omnium malorum eſt omniſque confuſio, inexpiabile ſupplicium & intolerabilis pœna.*

(g) Iren. præfat. in lib. IV. Nunc autem, quoniam nouiſſima ſunt tempora, extenditur malum in homines, non ſolum apoſtatas eos faciens, ſed & blaſphemos in plaſmatorem inſtituit.

(h) Cod. Theod. lib. XVI. tit. V. de hæreticis. leg. VI. Theodoſii. Ariani ſacrilegii venenum &c. It. leg. VIII. Sacrilegum dogma Arianorum. Hilarii fragment. p. 144. Arii blaſphemiæ &c.
Euagr. lib. I. c. II. Νεστόριος, ἡ θεομάχος γλῶσσα --- τὸ τῆς βλασφημίας ἐργαστήριον. *Neſtorius, lingua illa Deo inimica --- officina blaſphemiæ.*

(i) Chryſoſt. hom. XXII. de ira tom. I. p. 277. (p. 245. edit. Francof.) ὡς τὸν πορνεύοντα καὶ τὸν βλασφημοῦντα ἀμήχανον μετασχεῖν τῆς ἱερᾶς τραπέζης κ. τ. λ. *Et fornicantem blaſphemantemque impoſſibile eſt ſacræ menſæ participem fieri, &c.*

(k) Chryſoſt. homil. II. de fato tom. I. p. 811. (p. 717. edit. Frf.) ὁ κακολογῶν πατέρα ἢ μητέρα, θανάτῳ τελευτάτω, φησὶν, ἐπὶ τῆς παλαιᾶς ὁ νόμος ἔκειτο --- τί οὖν ἂν εἴποιμεν περὶ τῶν νῦν ἐν τῇ χάριτι, καὶ τῇ τῶν πραγμάτων ἀληθείᾳ, καὶ τῇ τοσαύτῃ γνώσει, οὐχὶ πατέρα καὶ μητέρα κακολογούντων, ἀλλὰ αὐτὸν τὸν τῶν ὅλων θεόν; τίς τοὺς τοιούτους δέξεται τιμωρία; ποία τῷ μέτρῳ τῆς κακίας διαρκέσει κόλασις; ποῖος δὲ πυρὸς ποταμὸς, ποῖος σκώληξ ἀτελεύτητος, ποῖον σκότος ἐξώτερον, ποῖα δεσμὰ, ποῖος βρυγμὸς, ποῖος κλαυθμός; πάντα ἐλάττω τὰ βασανιστήρια, καὶ τὰ ὄντα καὶ τὰ μέλλοντα, τῆς οὕτω διακειμένης ψυχῆς, τῆς πρὸς τοσοῦτον κακίας κατενεχθείσης --- οὐ γάρ ἐστιν, οὐκ ἔστιν ταύτης ἁμαρτία χείρων, ἀλλ᾽ οὐδὲ ἴση, ἀλλὰ καὶ προσθήκη κακῶν τοῦτό ἐστιν, καὶ ὃ ἅπαντα συγχεῖ, καὶ ἀσύγγνωστον ἔχει κόλασιν, καὶ ἀφόρητον τιμωρίαν.

NE-

NEQVE vero in hanc ſolam doctrinalem hæreticorum blaſphemiam, ex corruptis ac vitioſis principiis oriundam, cenſuris ſuis ac inuectiuis ita animaduertebant; ſed in quaslibet etiam alias profanorum chriſtianorum blaſphemias, ſiue per malas opiniones, hominum mentibus infixas, ſiue per alias ſubitas vitioſi animi adfectiones, productas. Hoc ex ea agendi ratione diſcimus, quam contra *Andronicum*, tyrannicum *Ptolemaidis* præſidem, iniit SYNESIVS. De aliis criminibus ſuis ipſum admonebat, quoad aliquod momentum apud animum illius ſe habiturum ſperabat. Quum autem reliquis omnibus blaſphemiam adderet, nec dicere erubeſceret, neminem e manibus ſuis ereptum iri, ſi vel ipſum *CHRISTI* pedem manibus amplecteretur; SYNESIVS non longius eum admonendum eſſe exiſtimabat, ſed tamquam putridum membrum reſecandum; adeoque decantatam illam excommunicationem in eum pronuntiabat [*l*], quam adlegandi iam crebram habuimus occaſionem, vtpote quæ ſolemniſſima, quæ in antiqua hiſtoria occurrit, formula eſt. Nos id tantum addimus, quod lex ciuilis peculiarem huic crimini notam apponat. Nam per leges IVSTINIANI [*m*] blaſphemia pro noxa capitali & ſupplicio digna habetur. Et quum per leges priores hæreſis blaſphemia in Deum declarata ſit, omnes pœnæ hæreticis inflictæ (quarum vna quibuſdam in caſibus mors erat) pro pœnis, per leges in huiuſmodi blaſphemos conſtitutis, habendæ ſunt.

§. III.

De blaſphemia in ſpiritum ſanctum. Quam eius notionem habuerint veteres: Et quas ei pœnas inflixerint.

ALIVD blaſphemiæ genus, erat blaſphemia in ſpiritum ſanctum, de qua paullo diſtinctius agendum nobis eſt, quia veterum de ea ſententia non adeo ab omnibus recte intelligitur. Non nulli eam ad grande peccatum lapſus in idololatriam, apoſtaſiam & abnegationem *CHRISTI*, tempore perſecuti-

(*l*) Syneſ. epiſt. LVIII. p. 198. vid. cap. I. §. VIII. pag. 84. ſeq.

(*m*) Iuſtin. nouell. LXXVII. *εἰ αἱ κατ' ἀνθρώπων γινόμεναι βλασφημίαι ἀνεκδίκητοι ἐ καταλιμπάνονται· πολλῷ μᾶλλον ὁ εἰς αὐτὸ τὸ θεῖον βλασφημῶν ἄξιός ἐστι τιμωρίας ὑποστῆναι. Si contra homines factæ blaſphemiæ impunitæ non relinquuntur: multo magis, qui ipſum Deum blaſphemant, digni ſunt ſupplicia ſuſtinere.*

onis

onis, referunt. Ita CYPRIANVS eam intelligit, quando ait [n]: *Summum delictum esse, quod persecutio committi coegit, sciunt ipsi etiam, qui commiserunt; quum dixerit dominus & iudex noster: Qui me confessus fuerit coram hominibus, & ego illum confitebor coram patre meo, qui est in caelis. Qui autem negauerit, & ego illum negabo. Et iterum dixerit: Omnia peccata remittentur filiis hominum & blasphemiae. Qui autem blasphemauerit spiritum sanctum, non habebit remissam, sed reus est aeterni peccati.* HILARIVS [o] idem de hac blasphemia sentit, eamque in eo consistere putat, vt quis Christum Deum esse neget. Et idcirco *Arianis* & reliquis illiusmodi haereticis omnibus hanc blasphemiam [p] imputat, quod doctrina eorum *CHRISTO* diuinitatem eripiat, cumque eiusdem cum patre essentiae esse neget, quantumlibet ipsum, propter illustria & gloriosa eius facta & admirabiles operationes, tamquam Deum venerentur, Deique nomen ei tribuant. ATHANASIVS & auctor *quaestionum* ad *Antiochum* sub eius nomine in eadem sunt sententia. ATHANASIVS peculiarem de hoc argumento dissertationem habet, in qua errores ORIGENIS & THEOGNOSTI de eo notat, suamque contra illos dicit sententiam. Dicebant illi [q], omnes, qui in baptismo spiritus sancti participes facti sint, si postea peccent, peccatum in spiritum sanctum incurrere, quod veniam non consequatur. Quam eorum opinionem ille confutat tum ex praxi *Pauli* apostoli, qui incestuosum *Corinthium* aliosque grandes peccatores recepit; tum ex praxi ecclesiae *Nouatianis* opposita. *Cur vero* [*] *Nouatum*, inquit, *culpamus paenitentiam tollentem ac dicentem, nullam iis superesse veniam, qui post*

(n) Cypr. epist. X. al. XVI. p. 36. (p. 195. edit. Amstelod. MDCC.)

(o) Hilar. in Matth. can. XXXI. p. 284. Sciebat exterrendos, fugandos negaturos: sed quia spiritus blasphemia nec heic nec in aeternum remittitur, metuebant, ne Deum abnegarent, quem caesum & consputum & crucifixum essent contemplaturi. Quae ratio seruata in Petro est, qui quum negaturus esset, ita negauit, Non noui hominem.

(p) Hilar. ibid. can. XII. p. 164. Christo aliqua deferre, negare, quae maxima sunt: Venerari tamquam Deum, Dei communione spoliare, haec blasphemia spiritus est: Vt quum per admirationem operum tantorum Dei nomen detrahere non audeas, generositatem eius, quam confiteri es coactus in nomine, abnegata paternae substantiae communione decerpas.

(q) Athan. in illud, Quicumque dixerit verbum. tom. I. p. 971. (702. 703.)

(*) Ibid. (p. 704.) *τί δὲ καὶ Νουάτῳ μεμφόμεθα ἀναιροῦντι μετάνοιαν, καὶ φάσκοντι*

laua-

lauacrum peccauerint, si hæc verba de illis, qui post lauacrum peccauerint, dicta fuere. Suam ipsius autem opinionem his verbis declarat [r]: *Posteaquam vtrique (Pharisæi & Ariani) in insaniam versi fuerunt, & quod in corpore est Verbum omnino negauerunt, aut diuinitatis opera diabolo eiusque dæmonibus attribuerunt, merito pro tali impietate indeprecabili sunt supplicio obnoxii. Nam & diabolum pro Deo habuerunt: cumque qui vere & reipsa Deus est, existimarunt nihilo plus in operibus posse quam dæmones. --- Perinde enim erat illud, ac si, dum cernerent mundi ordinem & prouidentiam hæc gubernantem, ausi essent dicere, rerum naturam a Beelzebule fuisse conditam: aut solem, vt diabolo obsequeretur, oriri: & eius caussa astra in cælo circumagi. Nam quemadmodum hæc Dei sunt, ita & illa patris erant opera: & si illa Beelzebulis, necessario & ista Beelzebulis fuerunt. Vnde iure merito saluator declarauit, blasphemiam proferre istos, quæ nec veniam nec remissionem haberet.* Alio loco [s] ait: *Alii in carnem CHRISTI impingunt, hoc est, in filium hominis, eum prophetam non Deum existimantes: quibus veniam dedit, id enim initium erat prædicationis, quum nondum capax erat mundus, vt Deum illum esse crederet, qui homo apparebat. Atque hinc est, quod Christus ait: Qui dixerit verbum contra filium hominis; (hoc est in corpus eius) remittetur ei. --- Sunt alii, qui in spiritum sanctum impingunt, qui scilicet in Christi deitatem blasphe-*

μηδεμίαν συγγνώμην ἔχειν τὰς μετὰ τὸ λȣτρὸν ἁμαρτάνοντας, εἰ διὰ τὰς μετὰ τὸ λȣτρὸν ἁμαρτάνοντας εἴρηται τὸ ῥητόν.

(r) Ibid. p. 975. (p. 706 d. edit. Parif. MDCXCVIII.) Ἐπειδὰν --- εἰς μανίαν τραπῶσι, καὶ αὐτὸν τὸν ἐν τῷ σώματι ὄντα λόγον τέλεον ἀρνήσωνται, ἢ καὶ τὰ τῆς θεότητος ἔργα τῷ διαβόλῳ καὶ τοῖς τȣτȣ δαίμοσιν ἀναφέρωσιν, εἰκότως ἀσύγγνωστον ἔχȣσι τὴν ἐκ τῆς τοιαύτης ἀσεβείας ἐπιτιμίαν· τόν τε γὰρ διάβολον εἰς θεὸν ἐλογίσαντο, καὶ τὸν ἀληθινὸν καὶ ὄντως ὄντα θεὸν ȣδὲν πλέον ἐν τοῖς ἔργοις ἔχειν τῶν δαιμόνων ἡγήσαντο. -- Pag. 707. ἶσον γὰρ ἦν, αὐτȣς τολμᾷν καὶ εἰπεῖν, ὁρῶντας τὴν τȣ κόσμȣ τάξιν, καὶ τὴν εἰς αὐτὸν πρόνοιαν, ὅτι καὶ ἡ κτίσις ὑπὸ τȣ Βεελζεβȣλ γέγονε· καὶ ὁ ἥλιος ὑπακȣων τῷ διαβόλῳ ἀνατέλλει, καὶ δι' αὐτὸν περιπολεῖ τὰ ἄστρα ἐν τῷ ȣρανῷ· καὶ γὰρ ὥσπερ ταῦτα τȣ θεȣ, ȣτω κἀκεῖνα τȣ πατρὸς ἦν ἔργα. -- ὅθεν ἀκολȣθως ὁ σωτὴρ ἀσύγγνωστα καὶ ἄφυκτα βλασφημεῖν αὐτȣς ἀπεφήνατο.

(s) Athan. de communi effentia trium perfonarum tom. I. p. 237. (tom. II. p. 26. edit. Parif. MDCXCVIII.) οἱ μὲν τῇ σαρκὶ αὐτȣ, ἤγȣν τῷ υἱῷ τȣ ἀνθρώπȣ, προσκόπτοντες, προφήτην αὐτὸν, ἀλλ' ȣ θεὸν εἶναι ἐνόμιζον· οἷς καὶ συγγνώμην ἔδωκεν· ἀρχὴ γὰρ ἦν τȣ κηρύγματος, καὶ ȣτω ἦν χωρῶν [al. ȣπω ἐχώρει] ὁ κόσμος, θεὸν πιστεύειν φαινόμενον ἄνθρωπον· διὸ καὶ φησὶν ὁ χριστὸς· ὅτι ὃς ἐὰν εἴπῃ λόγον κατὰ τȣ υἱȣ τȣ ἀνθρώπȣ, εἴτ' ȣν τȣ σώματος αὐτȣ, ἀφεθήσεται αὐτῷ. --- οἱ δὲ εἰς τὸ πνεῦμα τὸ ἅγιον, εἴτ' ȣν εἰς τὴν τȣ χριστȣ θεότητα, βλασφη-

mias dicunt, aiuntque: In Beelzebule, principe dæmoniorum, eiicit dæmonia. De istis intelligendum est, quod ait: Non remittetur, neque in præsenti sæculo, neque in futuro. Quia & hoc obseruandum est, non dixisse Christum: blasphemanti & pœnitentiam agenti remissionem dandam non esse; sed blasphemanti, id est, in blasphemia perseueranti. Quandoquidem nullum est peccatum irremissibile apud Deum illis, qui vere ex animo, & vt par est, pœnitentiam agunt. Eadem prorsus habet auctor *quæstionum* ad *Antiochum* [t], qui sub illius nomine scripsit. AMBROSIVS [u] quoque hoc peccatum definit, quod sit negatio diuinitatis *CHRISTI*; *Quicumque*, inquiens, *non confitetur in Christo Deum, atque ex Deo & in Deo Christum, veniam non meretur.*

ALII contra consistere illud putant in negatione diuinitatis spiritus sancti. Hoc nomine EPIPHANIVS [x] *Pneumatomachos* siue *Macedonianos* hæreticos accusat, quorum error præcipue in oppugnatione diuinitatis spiritus sancti consistebat, faciens eum rem mere creatam. Omnes hæreticos, siue in exigua aliqua re, siue in maiori, veritatem blasphemare & abnegare dicit. Et hoc quidem & istos *Pneumatomachos* facere, qui dominum & spiritum sanctum contumeliis onerent, neque aut in hoc aut in futuro sæculo peccatorum relaxationem, ob suam illam in spiritum sanctum blasphemiam, obtinere posse. Ostendit, quomodo hoc in mundo veniam haud consequantur, quia ipsorum doctrina ab ecclesia in concilio *Nicæno* damnata sit, ipsique anathemate perculsi & de ecclesiæ communione

μήσαντες, καὶ λέγοντες· ὅτι ἐν Βεελζεβοὺλ, τῷ ἄρχοντι τῶν δαιμονίων, ἐκβάλλει τὰ δαιμόνια· τούτοις, φησὶν, οὐκ ἀφεθήσεται, οὐδὲ ἐν τῷ νῦν αἰῶνι, οὐδὲ ἐν τῷ μέλλοντι· καὶ πάλιν σημειώσασθαι χρὴ, ὅτι οὐκ εἶπεν ὁ χριστὸς, τῷ βλασφημήσαντι καὶ μετανοήσαντι, οὐκ ἀφεθήσεται· ἀλλὰ τῷ βλασφημοῦντι, εἴτ' οὖν, τῷ ἐν τῇ βλασφημίᾳ ἐπιμένοντι· ἐπειδήπερ οὐκ ἔστιν ἁμαρτία ἀσυγχώρητος παρὰ τῷ θεῷ, τοῖς γνησίως, καὶ κατ' ἀξίαν μετανοοῦσιν.

(t) Quæst. & respons. ad Antioch. quæst. LXXI. tom. II. p. 358. (p. 285. edit. Par. MDCXCVIII.)

(u) Ambros. comment. in Luc. lib. VII. c. XII. tom. V. p. 108.

(x) Epiphan. hæres. LXXIV. Pneumatom. n. XIV. *ἀπεδείξαμεν ἀλλοτρίας οὔσας τῆς ἀληθείας, καὶ ἑκάστην αὐτῶν βλασφημοῦσαν, καὶ ἀρνουμένην τὴν ἀλήθειαν, κἄντε ἐν βραχεῖ, κἄντε ἐν πολλῷ· ὡς καὶ οὗτοι [πνευματομάχοι] μάτην εἰς τὸν κύριον βλασφημοῦντες, καὶ εἰς τὸ ἅγιον πνεῦμα, καὶ μὴ ἔχοντες μήτε ἐνταῦθα, μήτε ἐν τῷ μέλλοντι αἰῶνι, κατὰ τὰ ὑπὸ Κυρίου εἰρημένα, ἄφεσιν ἁμαρτιῶν, διὰ τὴν εἰς τὸ ἅγιον πνεῦμα βλασφημίαν, καταπληχθέντες ὑπ' αὐτῆς τῆς ἀληθείας δίκην κεράστου δεινοῦ μονοκέρωτος.*

pro-

proiecti. Vt autem acta pœnitentia ad communionem denuo admitti posse dicit, ita fas est credamus, ipsum statuere, peccatum eorum veniam habere posse in futuro sæculo, sub eadem conditione, & tantum esse irremissibile, si in eo obstinati perseuerent sine vlla resipiscentia. AMBROSIVS [y] etiam in libro *de spiritu sancto*, scribens contra eosdem hæreticos, blasphemiæ aduersus sanctum spiritum eos insimulat, eo quod diuinitatem personæ eius negent. Eadem culpa a PHILASTRIO [z] eis adsignatur, quando ait: *Omnis scriptura & dominus, concedi omnia peccata hominibus præter blasphemiam de diuini & adorandi spiritus cælesti essentia, pronuntiauit.*

PHILASTRIVS [a] generatim omnes hæreticos blasphemiæ in spiritum sanctum insimulat. Et idem facit AMBROSIVS [b], sed ita peccatum non adserit absolute esse irremissibile, verum eos ad reditum ad ecclesiam adhortatur, veniamque pollicetur conuersis.

ALII hoc peccatum committi existimant, quando opera spiritus sancti potestati diaboli malitiose attribuantur. Et horum quidam malignitatem eius in eo putant consistere, vt quis

(y) Ambros. de spirit. sancto lib. I. c. III. *Qui blasphemauerit in filium hominis, remittetur ei: Qui autem blasphemauerit in spiritum sanctum, nec in futurum remittetur ei;* diligenter aduerte. Numquid alia est offensa filii, alia spiritus sancti? Sicut enim vna dignitas; sic vna iniuria. Sed si quis, corporis specie deceptus humani, remissius aliquid sentit de Christi carne, quam dignum est (neque enim vilis nobis debet videri, quæ aula virtutis, fructus est virginis) habet culpam, non est tamen exclusus a venia, quam fide possit adsciscere. Si quis vero sancti spiritus dignitatem, maiestatem & potestatem abneget sempiternam, & putet, non in spiritu Dei eiici dæmonia, sed in Beelzebub: non potest ibi exoratio esse veniæ, vbi sacrilegii plenitudo est; quia qui spiritum negauit, & Deum patrem negauit & filium: quoniam idem est spiritus Dei, quia spiritus Christi est. cetera.

(z) Philastr. de hæresibus c. XX. bibl. patr. tom. IV. p. 17. (tom. V. p. 708. edit. Lugdun. MDCLXXVII.)

(a) Philastr. ibid. c. XLIII. (p. 711.) Photinus ergo laudandus est hæreticus, qui Christum dominum negat esse ante sæcula cum patre, et omnis hæresis, quæ blaphemat aut in patrem, aut in filium, aut in spiritum.

(b) Ambros. de pœnitent. lib. II. c. IV. Eos quoque adserit diabolico vti spiritu, qui separent ecclesiam Dei: Vt omnium temporum hæreticos & schismaticos comprehenderet, quibus indulgentiam negat. Ibid. paullo post: Reuertimini ad ecclesiam, si qui vos separastis impie: Omnibus enim conuersis pollicetur veniam &c.

hoc faciat contra cognitionem & manifestam conscientiæ conuictionem, quod peccantem αὐτοκατάκριτον reddat peccatumque simpliciter & absolute irremissibile. Auctor *quæstionum in vetus & nouum testamentum*, qui sub nomine scripsit AVGVSTINI [*c*], & HILARIVS diaconus *Romanus* esse creditur, opinionem suam diserte hunc in modum declarat: *Non errore peccauerunt iudæi in spiritum sanctum, sed maleuolentia, scientes enim prudentesque opera, quæ viderunt in gestis saluatoris Dei esse, vt populum a fide eius auerterent, hæc simulabant esse principis dæmoniorum. Hinc est, vnde dicit eis dominus: Vos habetis clauem scientiæ, & nec vos intratis, nec alios sinitis intrare: Hæc ergo sententia contra maleuolos prolata est, quibus remedium inueniri non potest vt saluentur. Nihil est enim hoc crimine grauius: fingit enim falsum esse, quod sinit esse verum. -- Non ergo dignum est, istis peccatum hoc vmquam debere remitti, qui conscientia sua teste, Deo, cui se deuotos dicebant, ausi sunt repugnare.*

VERVM in duabus rebus hic auctor peculiarem & minime communem fouet opinionem. 1. In eo, quod iudæos scientes prudentesque contra conscientiam egisse, dicit. AVGVSTINVS [*d*] enim expressis verbis per ignorantiam eos hoc fecisse statuit. *Quæri potest*, inquit, *vtrum scirent iudæi, per spiritum sanctum operari dominum, quando eum in principe dæmoniorum dæmonia excludere blasphemabant? Miror autem, quomodo possent in illo spiritum sanctum cognoscere, quum ipsum dominum filium Dei esse nescirent: in illa scilicet cæcitate, quæ ex parte in Israël facta est, donec plenitudo gentium intraret.* Atque hoc ipsum manifestum esse videtur ex verbis *S. Petri* apostoli in sermone eius ad illos habito Act. III, 19. *Scio, fratres, quia per ignorantiam fecistis, sicut & principes vestri.* 2. In eo, quod peccatum eorum simpliciter & absolute pronuntiat irremissibile, quod generatim veteres non faciunt, nisi cum insuperabili contumacia & finali resipiscentiæ fuga sit coniunctum, quod per rei naturam veniam habere nequit. Nam reliqui omnes inter veteres fieri posse credunt, vt homines de hoc peccato pœnitentiam agant, & hoc ipso venia digni, etsi magna cum difficultate, euadant; Irremissibili-

(*c*) Aug. quæst. in vet. & nouum test. quæst. CII. tom. IV. p. 412. (p. 786. edit. Basil. MDLXIX.)

(*d*) Augustin. exposit. in Roman. tom. IV. p. 365. (p. 1187. edit. Basil. cit.)

tatis

tatis autem rationem exſiſtere dicunt ex ſola humanæ mentis pertinacia in continuando hoc peccato ad finem vſque vitæ, quæ eos pœnis tam in hoc quam in futuro ſæculo reddat obnoxios. CHRYSOSTOMVS [e] mentem ſuam in *commentario* in hæc ipſa ſeruatoris verba ita declarat: *Spiritusne*, inquiens, *blaſphemia non dimittetur pœnitentibus? quod omnino falſum eſſe patet. Nam & hoc peccatum dimiſſum ſcimus, quum multis eorum, qui talia in ſpiritum dixerant, quia poſtea eius rei pertæſum fuit, ignotum fuiſſe conſtet. Quid igitur eſt, quod dicit? Significare voluit, multo minus ceteris hoc eſſe ignoſcibile ac veniale. Quamnam ob rem? Quia videlicet, quiſnam eſſet Chriſtus, ignorabant. Spiritus autem ſancti gratia multis & magnis ſignis ſe ipſam manifeſtauerat. Nam & prophetæ per ſpiritum omnia loquuti ſunt, & omnes illi veteres multa de ipſo acceperant documenta. Tale igitur eſt, quod dicitur: Sedulo in me offenditis propter hanc mihi adſumtam carnem. An igitur etiam de ſpiritu poteſtis dicere, quoniam ipſum quoque ignoretis? Minime. Ideo quum veniale vobis non ſit hoc peccatum, tam in præſenti vita quam in futura pœnas luetis ingentes.* Et aliquanto poſt: *Si me ignoratis, ignorare tamen non poteſtis expulſionem dæmonum, curationeſque hominum mirificas ſpiritus ſancti eſſe operationes. Non ergo tantum mihi, ſed ſpiritui ſancto quoque contumelias exaggerare conamini: quapropter niſi pœnitentiam agatis* (ita vertit ARIANVS) *nec in hac nec in futura vita punitionem effugietis.* Quod diſcrimen inter huiuſmodi peccatores & multos alios eſſe obſeruat, quando ſtatim pergit: *Vniuerſorum hominum alii & heic & ibi ſupplicia dabunt, alii in præſenti ſolummodo*

(e) Chryſoſtom. hom. XLII. in Matth. XII. p. 391. (p. 745. edit. Francof.) ἡ τοῦ πνεύματος βλασφημία οὐκ ἀφεθήσεται, οὐδὲ μετανοοῦσι; καὶ πῶς ἂν ἔχοι τοῦτο λόγον; καὶ γὰρ καὶ αὕτη ἀφέθη μετανοήσασι· πολλοὶ γοῦν τῶν ταῦτα εἰρηκότων ἐπίστευσαν ὕστερον, καὶ πάντα αὐτοῖς ἀφέθη· τί οὖν ἐστιν ὅ φησιν, ὅτι ὑπὲρ πάντα αὕτη ἡ ἁμαρτία ἀσύγγνωστος· τί δήποτε; ὅτι αὐτὸν μὲν ἠγνόουν, ὅστις ποτὲ ἦν· τοῦ δὲ πνεύματος ἱκανὴν εἰλήφασι πεῖραν· καὶ γὰρ καὶ οἱ προφῆται δι' αὐτοῦ ἐφθέγξαντο, ἅπερ ἐφθέγξαντο, καὶ πάντες δὲ οἱ ἐν τῇ παλαιᾷ μεγίστην περὶ αὐτοῦ εἶχεν ἔννοιαν· ὃ τοίνυν λέγει, τοῦτό ἐστιν. ἔστω, ἐμοὶ προσπταίετε διὰ τὴν σάρκα τὴν περικειμένην· μὴ καὶ περὶ τοῦ πνεύματος ἔχετε εἰπεῖν, ὅτι ἀγνοοῦμεν αὐτό; διὰ δὴ τοῦτο ἀσύγγνωστος ὑμῖν ἔσται ἡ βλασφημία, καὶ ἐνταῦθα καὶ ἐκεῖ δώσετε δίκην· --- εἰ γὰρ καὶ ἐμὲ λέγετε ἀγνοεῖν· οὐ δήπου κἀκεῖνο ἀγνοεῖτε, καὶ ὅτι τὸ δαίμονας ἐκβάλλειν καὶ ἰάσεις ἐπιτελεῖν τοῦ ἁγίου πνεύματός ἐστιν ἔργον· οὐκ ἄρα ἐμὲ ὑβρίζετε μόνον, ἀλλὰ καὶ τὸ πνεῦμα τὸ ἅγιον· διὸ καὶ ἀπαραίτητος ὑμῖν ἡ δίκη καὶ ἐνταῦθα καὶ ἐκεῖ. Καὶ γὰρ τῶν ἀνθρώπων, οἱ μὲν καὶ ἐνταῦθα κολάζονται καὶ ἐκεῖ· οἱ δὲ ἐνταῦθα

vita, alii in futura tantum: alii nec in præsenti, nec in futura: hic quidem & illic, vt illi ipsi, de quibus nunc agitur. Nam & heic ipsos vltus est, quoniam intolerabilia passi sunt, vrbe ipsorum vi a Romanis expugnata: ibi autem acerbissima eos exspectant tormenta, vt Gomorrhæ ac Sodomorum ciues aliosque complures. Ibi vero solummodo, vt diues ille, qui in flamma cruciatus, nec guttæ vnius aquæ dominus est. Heic autem tantum, vt qui apud Corinthios fornicabatur: neque heic vero, neque ibi, sicut apostoli, prophetæ: sic beatus ille Iob ceterique huiusmodi. Non enim ad punitionem aliquas passiones heic susceperunt, sed vt clarius in luctamine vicisse cognoscerentur. Iam vero credit ille, blasphemiam in spiritum sanctum esse peccatum primi generis, hoc est tale, pro quo homines, nisi in tempore resipiscant, pœnas daturi sint heic & in futuro sæculo, veluti ciues *Sodomorum*; quo respectu id dicitur non habere veniam neque in hac neque in futura vita, quia vtrobique punitur. Vid. CHRYSOSTOMI homil. III. in *Lazarum*, vbi eamdem distinctionem peccatorum adhibet, quod vel in hoc tantum mundo, vel in futuro tantum, vel, vt peccata *Sodomitarum*, in vtroque puniantur.

VICTOR ANTIOCHENVS, cum CHRYSOSTOMO ætate coniunctus, de irremissibili huius peccati ratione eadem habet: *Quum de blasphemiæ peccato*, inquit [f], *saluator noster disserit, neque conuicium in filium absolute remissibile, neque blasphemiam rursus in spiritum sanctum irremissibilem simpliciter desinire vult: Quasi nullus prorsus eiusmodi blasphemis, dummodo ad sanam mentem redire animum induxerint, pœnitentiæ locus relictus sit; verum comparatione quadam inter hanc & illam facta, indicat eam, quæ cadit in filium, tamquam quæ in hominem proxime ferri videatur, multo minorem censeri illa, quæ temerario nefarioque ausu effunditur in spiritum sanctum.*

Ex hactenus dictis facile ad intelligendum est, quemad-

μόνον· οἱ δὲ ἐκεῖ μόνον· οἱ δὲ οὐδὲ ἐνταῦθα, οὐδὲ ἐκεῖ· ἐνταῦθα μὲν καὶ ἐκεῖ, ὡς οὗτοι αὐτοί· καὶ γὰρ καὶ ἐνταῦθα ἔδοσαν δίκην, ἡνίκα ἔπαθον τὰ ἀνήκεστα ἐκεῖνα τῆς ὧδε πόλεως ἁλούσης· καὶ ἐκεῖ χαλεπωτάτην ὑπομενοῦσιν, ὡς οἱ Σοδόμων πολῖται, ὡς ἕτεροι πολλοί· ἐκεῖ δὲ μόνον, ὡς ὁ πλούσιος ὁ ἀποτηγανιζόμενος καὶ οὐδὲ σταγόνος κύριος ὤν· ἐνταῦθα δέ, ὡς ὁ πεπορνευκὼς παρὰ Κορινθίοις· οὔτε δὲ ἐνταῦθα, οὔτε ἐκεῖ, ὡς οἱ ἀπόστολοι, ὡς οἱ προφῆται, ὡς ὁ μακάριος Ἰώβ· οὐ γὰρ δὴ κολάσεως ἦν, ἅπερ ἔπασχον, ἀλλ' ἀγώνων καὶ παλαισμάτων.

(f) Victor. commentar. in Marc. III. biblioth. patr. tom. I. p. 411. (tom. IV. p. 377. h. edit. Lugdun. MDCLXXVII.)

mo-

modum disciplina ecclesiæ in istiusmodi blasphemos exerceri solita sit. Nam 1. si omnes apostatæ, idololatræ, & qui *CHRISTO* renuntiabant, vel dicebant in eum conuicium, vel diuinitatem eius vel spiritus sancti negabant, & qui in hæresin vel schisma prolabebantur, spiritum sanctum quodam modo blasphemare crediti sunt: easdem pœnas, quæ istiusmodi peccatoribus infligi consueuerunt, pœnas quoque blasphemantium spiritum sanctum fuisse, statuendum est. Quas pœnas quum sub suo quamque capite spectauerimus supra, hoc loco eas pluribus persequi nihil attinet; sed tantum obseruamus, 2. Quod veteres, ii certe, qui blasphemiam in spiritum sanctum in diuersis hisce criminibus committi senserunt, credere non potuerint, peccatum illud esse simpliciter & absolute irremissibile: Quia fores pœnitentiæ nullis istiusmodi peccatoribus occluserunt, nec eos omnes ac singulos pro reprobatis ac desperatis habuerunt, sed ad pœnitentiam inuitarunt, pro eorum conuersione precati sunt, & ad pacem atque communionem ecclesiæ, post submisse factam confessionem & edita veræ pœnitentiæ signa, ipsos denuo admiserunt. Quæ res arguit, quod peccantibus in spiritum sanctum non omnem omnino veniam abiudicarint, sed tantum pertinaciter sine pœnitentia in isto crimine perseuerantibus; siquidem pœnitentibus in hoc mundo veniam indulserunt spemque veniæ, a Deo in futuro mundo consequendæ, dederunt.

AVGVSTINVS quidem & nonnulli alii scriptores in ecclesia *Latina* dicere videntur, quod hoc peccatum omnem omnino veniam tam in hoc quam in futuro mundo excludat. Si autem eorum opinionem recte capiamus, nihil prorsus a ceteris discrepant. Statuunt enim, neminem perfecte committere peccatum in spiritum sanctum, nisi qui ad finem vitæ omnibus salutaribus motibus ac operationibus spiritus sancti pertinaciter resistat. Quo in casu pronum est ex ipsa rei natura colligere, istiusmodi homines peccati sui veniam nec in hoc nec in futuro mundo habere posse: Non, quia vllum facinus, quod in vita sua fecerint, peccatum id faciat irremissibile in se; sed quia in mentis peruersitate ad finem vsque vitæ voluntario persistant, atque ita efficiant, vt fieri non possit, vt ex principiis euangelii veniam vel a Deo vel ab ecclesia ipsius

in hoc vel illo mundo consequantur. Siquidem fœdus gratiæ ad eos tantum spectat, qui illud in vita sua amplectuntur, non ad eos, qui pœnitentiam in alterum mundum differunt, vbi sine remedio in varum agent pœnitentiam, hoc est, secundum verba *Pauli* apostoli, *non reperient pœnitentiæ locum*, siue mutationem diuinæ sententiæ, *quamuis cum lacrimis illam sint exquisituri.*

Hoc sensu FVLGENTIVS seruatoris verba intelligit, vt quæ pœnam minentur eis, qui vsque in finem vitæ præsentis in suorum criminum peruersitate permaneant. Omni homini dicit in hac vita posse esse vtilem pœnitentiam, quocumque tempore eam egerit, quamlibet iniquus, quamlibet annosus: si vero obduratus viuat, nec conuertatur ante obitum, non esse vllam ei spem misericordiæ. *Sicut enim*, inquit [g], *misericordia suscipit absoluitque conuersos, ita iustitia repellet punietque obduratos. Ii sunt, qui peccantes in spiritum sanctum, neque in hoc sæculo, neque in futuro remissionem accipient peccatorum.* Personatus AVGVSTINVS de *vera & falsa pœnitentia* [h] eadem dicit: *Soli peccant in spiritum sanctum, qui impœnitentes exsistunt vsque ad mortem. Spiritus enim sanctus caritas est deitatis, amor est genitoris & genitæ veritatis, qui suam gratiam nobis tribuit sui ipsius arrham. Qui igitur peccat & gratiam suam recuperare non amat, & numquam curat ab eo diligi, qui totus est amor & caritas, nec ad eum tendit, vnde sumsit arrham, in spiritum sanctum peccat, & numquam post mortem, sicut nec viuens consequetur veniam; sicque nullus peccat in spiritum sanctum, qui fugit ad ipsum.* Atque hinc seruatoris nostri verba ad iudæos potius esse dicit dehortationem, vt ne in peccato perseuerent, quia si pergant, vti inceperint, blasphemiæ eos suæ ducturæ sint ad mortem. BACCHIARIVS [i], scriptor *Africanus*, qui circa ætatem vixit AVGVSTINI, eodem modo mentem suam declarat. *Ego dico*, inquit, *hoc ipsum, desperare de domino, in spiritum sanctum esse peccare, quia dominus est spiritus, & ideo non remittitur ei, quia non crediderit, dominum reddere sibi posse, quod perdidit.*

(g) Fulgent. de fide ad Petrum c. III. ap. Augustin. tom. III. p. 224. edit. Basil. MDLXIX.)

(h) Augustin. de vera & falsa pœnitent. c. IV.

(i) Bacchiar. epist. de recipiendis lapsis. biblioth. patr. tom. III. p. 133. (tom. VI. p. 1150. g. edit. Lugdunens. MDCLXXVII.)

AV-

AVGVSTINVS ſæpe de hoc crimine loquitur, illudque eis adſignat, qui gratiæ ac operationi ſpiritus ſancti, per inexſuperabilem cordis duritiem, & finalem impœnitentiam ſemper reſiſtunt. „Nonnullis, inquit [k], videtur, eos tantummo„do peccare in ſpiritum ſanctum, qui lauacro regenerationis „abluti in eccleſia, & accepto ſpiritu ſancto, velut tanto poſt„ea dono ſaluatoris ingrati mortifero aliquo peccato ſe im„merſerint: qualia ſunt, adulteria, vel homicidia, vel ipſa diſ„ceſſio, ſiue omnimoda a nomine chriſtiano, ſiue a catholi„ca eccleſia. Sed iſte ſenſus vnde probari poſſit, ignoro: „quum & pœnitentiæ quorumque criminum locus in eccleſia non „negetur, & ipſos hæreticos ad hoc vtique corripiendos di„cat apoſtolus: *An forte det illis Deus pœnitentiam ad cognoſcen„dam veritatem, & reſipiſcant de diaboli laqueis, a quo capti tenentur ſecundum ipſius voluntatem*„. Et in antecedentibus non conſiſtere hoc peccatum docet in eo, vt quis diuinitatem vel perſonam neget ſpiritus ſancti, vel credat, eum eſſe rem creatam, niſi in hoc errore per omnem vitam perſeueret. „Qui„dam [l] hæretici, inquit, ipſum omnino ſpiritum ſanctum vel „non creatorem, ſed creaturam eſſe contendunt: ſicut *Ariani* „& *Eunomiani* & *Macedoniani*: vel eum prorſus ita negant, vt i„pſum Deum negent eſſe trinitatem, ſed tantummodo eſſe „Deum patrem adſeuerant, & ipſum aliquando vocari filium, „aliquando vocari ſpiritum ſanctum: ſicut *Sabelliani*, quos qui„dam *Patripaſſianos* vocant, ideo quia patrem perhibent eſſe „paſſum: cuius negant aliquem eſſe filium, ſine dubio negant „eſſe ſpiritum ſanctum. *Photiniani* quoque patrem ſolum eſſe „Deum, filium vero non niſi hominem eſſe dicunt: negantes „omnino tertiam perſonam ſpiritum ſanctum. Manifeſtum eſt „igitur, & a paganis, & a iudæis, & ab hæreticis blaſphemari „ſpiritum ſanctum. Numquid nam ergo deſerendi ſunt, & ſi„ne vlla ſpe deputandi, quoniam fixa ſententia eſt: *Qui verbum „dixerit contra ſpiritum ſanctum, non ei dimittetur neque in hoc ſæculo neque „in futuro.* & illi ſoli exiſtimandi ſunt ab huius grauiſſimi peccati re„atu liberi, qui ex infantia ſunt catholici. Nam quicumque ver-

(*k*) Auguſtin. ſerm. XI. de verbis domini cap. III. (tom. X. pag. 39. edit. Baſil. MDLXIX.)

(*l*) Ibid. c. III. (p. 38. 39. cit. edit.)

„bo crediderunt, vt catholici fierent, vtique aut ex paganis „aut ex iudæis, aut ex hæreticis in gratiam Christi pacemque „venerunt: quibus si non est dimissum, quod dixerunt, ver- „bum contra spiritum sanctum, inane promittitur & prædi- „catur hominibus, vt conuertantur ad Deum, & siue in bapti- „smo siue in ecclesia, pacem remissionemque accipiant pecca- „torum„. Vnde tandem infert, non omnem blasphemiam & omne verbum, quod dicitur contra spiritum sanctum, sed certam duntaxat speciem blasphemiæ esse, quæ nullam vmquam remissionem veniamque habitura sit, & hanc esse finalem impœnitentiam siue repugnantiam contra oblatam a spiritu sancto peccatorum remissionem. „Hæc omnino impœnitentia „[m] non habet remissionem, neque in hoc sæculo neque in fu- „turo: quia pœnitentia impetrat remissionem in hoc sæculo, „quæ valeat in futuro. Sed ista impœnitentia vel cor impœ- „nitens, quamdiu quisque in hac carne viuit, non potest iudi- „cari. De nullo enim desperandum est, quamdiu patientia „Dei ad pœnitentiam adducit: nec de hac vita rapit impium, „qui non mortem vult impii, quantum vt reuertatur & viuat. „Paganus est hodie, vnde scis, vtrum sit futurus crastino chri- „stianus? Iudæus infidelis est hodie; quid, si cras credat in „Christo? Hæreticus est hodie: quid si cras sequatur catholi- „cam veritatem? Schismaticus est hodie, quid si cras ample- „ctatur catholicam pacem? Quid si isti, quos in quocumque „genere erroris notas, & tamquam desperatissimos damnas, an- „tequam finiant istam vitam, agant pœnitentiam, & inueniant „veram vitam in futuro? Proinde, fratres, etiam ad hoc vos „admoneat, quod ait apostolus: *Nolite ante tempus quidquam iu- „dicare.* Hæc enim blasphemia spiritus, cui numquam est vlla „remissio: quoniam non omnem, sed quamdam intelleximus, „eamque perseuerantem duritiem cordis impœnitentis, vel di- „ximus, vel inuenimus, vel etiam quantum existimauimus, o- „stendimus, non potest in quoquam, vt diximus, dum in hac „adhuc vita est, deprehendi„. Denique [n] concludit: „Vnum „suffragium est, ne sit irremissibilis blasphemia, vt cor impœ-

(m) Ibid. c. XIII. (p. 46. cit. edit.)
(n) Ibid. c. XXIV. (p. 55. cit. edit.)

ni-

„nitens caueatur, nec aliter pœnitentia prodeſſe credatur, niſi „vt teneatur eccleſia, vbi remiſſio peccatorum datur, & ſocie„tas ſpiritus in pacis vinculo cuſtoditur„. Sæpius hanc huius peccati notionem repetit AVGVSTINVS [o], & idem illud facit cum peccato, quod *Ioannes* apoſtolus *peccatum ad mortem* vocat, pro quo orari vetat. Per hoc duritiam illam & impœnitentiam cordis intelligi dicit, qua homo fidem, caritatem & remiſſionem peccatorum ad extremam vſque horam reiiciat. Et quum alicubi [p] dixiſſe videretur, quod hæc blaſphemia committatur, ſi quis accepto ſpiritu ſancto fraternitati inuideat & gratiam, quam acceperit, oppugnet: Ipſe hoc explanat in *retractationibus* [q]: „Addendum fuit, ſi in hac ſcelerata mentis „peruerſitate finierit hanc vitam: Quoniam de quocumque „peſſimo in hac vita conſtituto non eſt vbique deſperandum, „nec pro illo imprudenter oratur, de quo non deſperatur„. Fuſe iterum hanc notionem confirmat in commentario in epiſtolam ad *Romanos*. Vbi primum illud peccatum ita [r] deſcribit: „Ille peccat in ſpiritum ſanctum, qui deſperans vel ir„ridens, atque contemnens prædicationem gratiæ, per quam „peccata diluuntur, & pacis, per quam reconciliamur Deo, „detractat agere pœnitentiam de peccatis ſuis, & in eorum „impia atque mortifera quadam ſuauitate perdurandum ſibi „eſſe decernit, & in finem vſque perdurat„. Deinde per multa exempla demonſtrat, quamcumque aliam blaſphemiam in

(o) Auguſt. de corrept. & gratia c. XII. Ego dico, id eſſe peccatum ad mortem, fidem, quæ per dilectionem operatur, deſerere vſque ad mortem. It. epiſt. L. p. 88. Hoc eſt autem duritia cordis vſque ad finem huius vitæ, qua homo recuſat in vnitate corporis Chriſti, quod viuificat ſpiritus ſanctus, remiſſionem accipere peccatorum. Enchirid. cap. LXXXIII. Qui in eccleſia remitti peccata non credens, contemnit tantam diuini muneris largitatem, & in hac obſtinatione mentis diem claudit extremum, reus eſt irremiſſibili peccato in ſpiritum ſanctum, in quo Chriſtus peccata dimittit.

(p) Auguſt. de ſerm. domini in monte lib. I. c. XXII. (tom. IV. opp. p. 1135. edit. Baſil. MDLXIX.) Nunc enim in filium hominis dixerunt verbum nequam, & poteſt eis dimitti, ſi conuerſi fuerint & ei crediderint, & ſpiritum ſanctum acceperint: quo accepto ſi fraternitati inuidere, & gratiam quam acceperant, oppugnare voluerint, non eis dimitti, neque in hoc ſæculo neque in futuro.

(q) Retract. lib. I. c. XIX.

(r) Aug. Expoſit. in Rom. I. tom. IV. p. 363. (p. 1182. edit. Baſil.)

ſpiritum ſanctum veniam habere poſſe, præter hanc, quæ mentis obſtinationem ad finem vſque vitæ includit: „Pagani qui „appellantur, etiam nunc totam noſtram religionem, quia iam „ferro & cædibus prohibentur, maledictis contumeliiſque in„ſectantur: & quidquid de ipſa trinitate dicimus, negando & „blaſphemando contemnunt. Non enim excipiunt ſibi ſpiri„tum ſanctum, quem venerentur, vt in cetera ſæuiant: ſed ſi„mul aduerſus omnia, quæcumque ſollicite de trina Dei maie„ſtate loquimur, quanto poſſunt furore impietatis, oblatrant. „Nam neque de ipſo Deo patre digna ſentiunt, quæ partim pe„nitus negant, partim ſic fatentur, vt de iſto falſa fingendo, „non vtique filium, ſed ſua figmenta venerentur. Multo ma„gis ergo, quod de filio Dei, vel de ſpiritu ſancto dicimus, ſuo „impio more deridere, quam noſtra pia ſocietate colere ma„luerunt. Quos tamen quantum poſſumus, adhortamur ad „Chriſtum cognoſcendum, & per ipſum patrem Deum: ſum„moque & vero imperatori militandum eſſe ſuademus: eoſque, „promiſſa impunitate præteritorum omnium peccatorum, in„vitamus ad fidem. Qua in re ſatis iudicamus, etiam ſi quid „aduerſus ſpiritum ſanctum in ſua ſacrilega ſuperſtitione dixe„runt, qui chriſtiani facti fuerint, ſine vlla caligine dubitati„onis ignoſci. Iudæi vero quales aduerſus ſpiritum ſanctum „fuerint, teſtis eſt *Stephanus*, quem ipſo ſpiritu ſancto plenum „lapidauerunt, quum illa omnia, quæ in eos dixit, ipſe ſpiri„tus dixerit. In quibus verbis apertiſſime dictum eſt iudæis, „*Vos ſemper reſtitiſtis ſpiritui ſancto.* In illo tamen numero iudæ„orum reſiſtentium ſpiritui ſancto, & non ob aliud *Stephanum* „vas eius, niſi quod eo plenus erat, lapidantium, etiam *Paulus* „apoſtolus erat, in manibus omnium quorum veſtimenta ſer„vabat; quod ſibi poſtea etiam pœnitendo increpitat, eo ipſo „ſpiritu iam pleniſſimus, cui primo inaniſſimus reſiſtebat, & „paratus iam lapidari pro talibus dictis, qualium prædicato„rem ipſe lapidauerat. Quid *Samaritani?* Nonne ita ſpiritui „ſancto aduerſantur, vt ipſam prophetiam penitus conentur „exſtinguere, quæ per ſpiritum ſanctum miniſtrata eſt? Quo„rum tamen ſaluti & ipſe dominus atteſtatur, in eo, qui decem „leproſis mundatis ſolus reuerſus eſt, vt ageret gratias, quum „eſſet *Samaritanus.* Et in illa muliere, cum qua ad puteum ſex-

ta

„ta hora loquutus eſt, & eis, qui per illam crediderunt. Poſt „domini autem adſcenſionem, ſicuti in actis apoſtolorum ſcri„ptum eſt, quanta gratulatione ſanctorum recipit *Samaria* ver„bum Dei? *Simonem* quoque *magum* arguens *Petrus* apoſtolus, „quod tam male de ſpiritu ſancto ſenſerit, vt eum venalem pu„tans pecunia ſibi emendum popoſcerit, non tamen de illo „deſperauit, vt veniæ nullum locum relinqueret. Nam beni„gne etiam, vt eum pœniteret, admonuit. Ipſa denique ec„cleſiæ catholicæ tam inſignis auctoritas, quæ in eodem dono „ſpiritus ſancti omnium ſanctorum mater toto fœcunda orbe „diffunditur, cui vnquam hæretico vel ſchiſmatico ſpem libe„rationis, ſi ſe corrigat, amputauit, cui placandi Dei aditum „clauſit? Nonne omnes ad vbera ſua, qui eam ſuperbo faſti„dio reliquerunt, cum lacrimis reuocat? Quis vero de princi„pibus, vel de regibus hæreticorum inuenitur, qui non aduer„ſetur ſpiritui ſancto? Niſi forte quiſquam tam peruerſe ſentit, „vt arbitretur, eum teneri reum, qui aduerſus ſpiritum ſanctum „aliquid dixerit: eum vero, qui aduerſus ſpiritum ſanctum mul„ta fecerit, non teneri. Qui autem tanta euidentia contra „ſpiritum ſanctum pugnant, quam illi, qui aduerſus eccleſiæ „pacem ſuperbiſſimis contentionibus ſæuiunt? ſed ſi de verbis „quæſtio eſt, quæro, vtrum nihil dicant aduerſus ſpiritum ſan„ctum, quum alii eum, quod ad ipſum proprie pertinet, omni„no non eſſe adſeuerent: ſed ita eſſe vnum Deum, vt idem i„pſe pater, idem ipſe filius, idem ipſe ſpiritus ſanctus appelle„tur. Alii fateantur quidem, eſſe ſpiritum ſanctum, ſed æqua„lem filio, vel omnino eſſe Deum negent. Alii vnam quidem „& eamdem trinitatis ſubſtantiam eſſe fateantur, ſed de ipſa di„vina ſubſtantia tam impie ſentiant, vt eam commutabilem & „corruptibilem putent: ipſumque ſpiritum ſanctum, quem do„minus diſcipulis ſe miſſurum eſſe promiſit, non quinquageſi„mo die poſt eius reſurrectionem, ſicut apoſtolorum acta te„ſtantur, ſed poſt trecentos fere annos per hominem veniſſe „confingant. Alii ſimiliter aduentum eius, quem tenemus, ne„gent: & eum prophetas in *Phrygia* per quos tanto poſt loque„retur, elegiſſe contendant. Alii ſacramenta eius exſufflent, & „baptizatos in nomine patris & filii & ſpiritus ſancti denuo ba„ptizare non dubitent. Sed ne pergam per ſingula, quæ ſunt

 in-

„innumerabilia, his certe, omnibus, quos pro tempore breuiter „attigi, ad sponsam *CHRISTI* redeuntibus, & errorem atque „impietatem pœnitendo damnantibus, nulla catholica disci-„plina negandam ecclesiæ pacem, & claudenda viscera miseri-„cordiæ iudicauit„. Et aliquanto post [s]: „Si ex eo quoque „hominum numero, quibus dominus illud crimen obiicit, ve-„niens ad fidem Christi, & pœnitendi cruciatibus edomita in-„uidia salutem cum lacrimis poscens: sicut etiam nonnulli eo-„rum fortasse fecerunt: quæro, vtrum quisquam tanto errore „crudescat, vt aut neget eos ad Christi baptismum admitti o-„portuisse, aut frustra admissos esse contendat? Nam si quis „per inuidiam opera diuina blasphemat, quoniam bonis Dei, „hoc est donis Dei malitia sua resistit, in spiritum sanctum pec-„care, & propterea spem veniæ non habere existimandus est. „Attendamus, vtrum ex eo numero fuerit idem apostolus *Pau-„lus*? Dicit enim, *Qui prius fui blasphemus & persequutor & iniurio-„sus, sed misericordiam consequutus sum, quia ignorans feci in incredu-„litate.* An forte ideo non pertinuit ad hoc genus criminis, „quia non erat inuidus? Audiamus, quid alibi dicat, *Fuimus e-„nim*, inquit, *& nos stulti aliquando & increduli, errantes, seruientes „voluptatibus & desideriis variis, in malitia & inuidia agentes, abomi-„nabiles, inuicem odio habentes.* Si ergo nec paganis, nec hebræ-„is, nec hæreticis aut schismaticis nondum baptizatis ad bapti-„smum Christi aditus clauditur, vbi condemnata vita priore in „melius commutentur, quamuis christianitati & ecclesiæ Dei „aduersantes, antequam christianis sacramentis abluerentur, et-„iam spiritui sancto, quanta potuerunt infestatione restite-„runt: si etiam hominibus, qui vsque ad sacramentorum per-„ceptionem veritatis scientiam perceperunt, & post hæc lapsi „spiritui sancto restiterunt, ad sanitatem redeuntibus & pacem „Dei pœnitendo quærentibus, auxilium misericordiæ non ne-„gatur: Si denique de illis ipsis, quibus blasphemiam in spiri-„tum sanctum ab eis prolatam dominus obiecit, si qui resipis-„centes ad Dei gratiam confugerunt, sine vlla dubitatione sa-„nati sunt; quid aliud restat, nisi vt peccatum in spiritum san-„ctum, quod neque in hoc sæculo, neque in futuro dimitti do-

(s) Aug. Expos. in Rom. I. tom. IV. pag. 1188. seqq. edit. Basil.

minus

„minus [s] dicit, nullum intelligatur, nisi perseuerantia in nequi-
„tia, & malignitate cum desperatione indulgentiæ Dei? Hoc
„est enim gratiæ illius & paci resistere, de quibus nobis sermo
„nunc ortus est. Nam hinc licet aduertere, etiam ipsis iudæis,
„quorum blasphemiam dominus arguit, non fuisse clausum cor-
„rigendi se & pœnitendi locum, quod idem dominus in ea ipsa
„reprehensione ait illis, *Aut facite arborem bonam & fructum eius
„bonum. Aut facite arborem malam & fructum eius malum.* Quod
„vtique nulla ratione diceretur eis, si propter illam blasphe-
„miam iam commutare animum in melius & recte factorum
„fructus generare non possent, aut frustra etiam sine peccati
„sui dimissione generarent„. Et paucis interiectis: „Quum
„dixissent iudæi, quod in *Beelzebul* eiiceret dæmonia, misericor-
„diter eos voluit admonere, ne verbum dicerent, & blasphemi-
„am in spiritum sanctum: hoc est, ne gratiæ Dei pacique resi-
„sterent, quam per spiritum sanctum donare dominus venerat.
„Non quia iam hoc fecerant, quod sibi neque in hoc sæculo
„neque in futuro dimitteretur, sed ne desperando de venia, aut
„quasi de sua iustitia præsumendo, & pœnitentiam non agendo,
„aut perseuerando in peccatis, hoc facerent: hoc modo enim
„dicerent verbum, hoc est blasphemiam in spiritum sanctum,
„in quo dominus signa illa propter largiendam gratiam pacem-
„que faciebant: si perseuerantia peccatorum ipsi gratiæ paci-
„que resisterent. Verbum enim dicere, non ita videtur heic
„positum, vt tantummodo illud intelligatur, quod per linguam
„fabricamus, sed quod corde conceptum, etiam opere expri-
„mimus. Sicut enim non confitentur Deum, qui tantum oris
„sono confitentur, non etiam bonis operibus. Nam de his
„dictum est, *Confitentur se nosse Deum, factis autem negant.* Ex quo
„manifestum est, dici aliquid factis, sicut manifestum est, ne-
„gari aliquid factis. Et sicut illud, quod ait apostolus, *Nemo
„dicit, dominus Iesus, nisi in spiritu sancto:* non potest recte intel-
„ligi, nisi in factis dicere intelligatur. Non enim hoc in spiritu
„sancto dicere putandi sunt, quibus ipse dominus dicit: *Vt quid
„mihi dicitis, domine, domine, & non facitis quæ dico vobis.* Et illud,
„*Non omnis, qui mihi dicit, domine, domine, intrabit in regnum cælo-
„rum.* Sic etiam qui hoc verbum, quod sine venia vult intel-
„ligi dominus, in spiritum sanctum dicit, hoc est, quod despe-

rans

„rans de gratia & pace, quam donat, in peccatis ſuis perſeue-„randum ſibi eſſe dicit, ne dicere intelligendus eſt, ſi non fa-„cit. Vt quomodo illis factis dominum negant, ſic iſti in fa-„ctis dicant, ſe in mala vita ſua & perditis moribus perſeuera-„turos, vt etiam ita faciant, hoc eſt perſeuerent. Quod ſi fa-„ciunt, quis iam miretur, aut quis non intelligat, & dominum „Ieſum Chriſtum per illam comminationem ad pœnitentiam „vocaſſe iudæos, vt eis in ſe credentibus gratiam pacemque „donaret: & huic gratiæ pacique reſiſtentibus & hoc modo „verbum atque blaſphemiam in ſpiritum ſanctum dicentibus, „hoc eſt, in peccatis ſuis deſperata atque impia mentis obſtina-„tione perſeuerantibus, & aduerſus Deum ſine humilitate con-„feſſionis atque pœnitentiæ ſuperbientibus, neque in hoc ſæcu-„lo neque in futuro veniam poſſe concedere?„

HAEC conſtans & firma AVGVSTINI ſententia fuit de hac materia, vnde ſcholaſtici, neſcio quomodo, ſex diuerſas blaſphemiæ in ſpiritum ſanctum ſpecies conſtituerunt, nimium deſperationem, præſumtionem, finalem impœnitentiam, mentis obſtinationem in peccato, impugnationem veritatis cognitæ, & inuidioſam malitiam in gratiam fraternitatis, quum tamen nihil poſſit eſſe manifeſtius, quam quod AVGVSTINVS materiam omnem reducat ad obſtinationem mentis in opponendo ſe diuinæ gratiæ mediis, & in perſeuerando in hac obduratione ad finem ſine reſipiſcentia. Alia peccata ad hanc blaſphemiam verbo vel opere committendam deducere hominem poſſunt, vt ἀπιςία, vel conuicium in ſpiritum in iudæis vel gentilibus; vel hæreſis vel ſchiſma, vel vita improba in chriſtianis poſt baptiſmum. Verum quidquid huius eſt, inchoatam tantum blaſphemiam facit, nec venia abſolute excludit. Nam multi ex his omnibus reſipuerunt veniamque conſequuti ſunt. Si quis vero pertinaciter in vllo horum peccatorum perſeueret, & moriatur tandem in eo impœnitens, tum peccatum in vtroque mundo pœnæ obnoxium eſt, in neutro autem veniæ locum habet; non quaſi in Deo vel ipſius eccleſia deſideretur miſericordia; ſed quia deficit in homine pœnitentia, & recipiendæ Dei gratiæ apta animi conditio.

ATQVE ex hac narratione facile ad determinandum eſt, cuiuſmodi pœnæ & cenſuræ eccleſiaſticæ huic delicto tam in

primo

primo ortu & principio, quam in progreſſu & conſummatione eius inflictæ fuerint. Eadem videlicet pœna, quæ idololatriæ & apoſtaſiæ, vel negationi diuinitatis *CHRISTI*, aut ſpiritus ſancti, vel lapſui in maiorem aliquam vitæ improbitatem, vel alii blaſphemiæ poſt baptiſmum conſtitui conſueuit, etiam peccato blaſphemandi ſpiritum ſanctum fuit conſtituta: quia plerumque in vno horum grauiorum criminum cœpit; de quo ſi homines veram agerent pœnitentiam, ianua gratiæ eis aperta, & eccleſia in communionem illos recipere parata erat. Quod ſi autem per omnem vitam ſuam obdurati manerent & in impœnitentia morerentur; vt hoc grandis peccati in ſpiritum ſanctum credebatur eſſe conſummatio & proprie dictum peccatum ad mortem; ita veniam nec in hoc nec in futuro ſæculo habere poterat. Excommunicati moriebantur, neque adeo chriſtianis efferebantur ritibus, nec eccleſiæ habebant ſuffragia poſt mortem; quippe quorum nomina de diptychis deleta erant, nec vlla eorum fiebat commemoratio, quod in deſperatione deceſſiſſent, diuinæ gratiæ omnino expertes. Paullo longior fui in explananda veterum de hoc argumento ſententia, non tantum quia non adeo perſpecta & cognita eſt, ſed etiam quia hominibus improbis cautio eſſe poteſt, vt ne finalis impœnitentiæ, quæ blaſphemiæ in ſpiritum ſanctum conſummatio eſt, incurrant periculum: & ſimiliter ad ſolandos pios valet, quos non eſt quod excruciet huius culpa, quoad de omnibus peccatis vere dolent, & eo connituntur, vt Deo in conſtanti ſanctæ vitæ tenore placeant. Hoc enim peccatum cum vera pœnitentia conſiſtere non poteſt. Et licet homines in aliquo gradu id committere cœperint, tamen ex generali veterum ſententia veniam conſequi poſſunt, niſi obſtinatione mentis & voluntaria impœnitentia ad horam vſque mortis peccatum illud irremiſſibile reddant: quo facto nec in hoc nec in futuro mundo veniam habere poteſt.

§. IV.

De temere iurandi cacoëthe. Non omne iuriſiurandi genus interdictum.

PROXIMA tertii præcepti tranſgreſſio, quam cenſura multabant eccleſiaſtica, erat temere iurandi, ſiue nomen Dei in

vanum ac ignominiose per iuramenta & exsecrationes vsurpandi cacoëthes. Per quam rem non generatim omne iusiurandum nec singularem aliquem temere & inconsiderate iurandi actum, (nisi forte cum grauiore crimine vel apostasiæ, idololatriæ, periurii similisue delicti noxa coniunctum) sed habitum tantum & adsiduitatem iurandi intelligebant. CHRYSOSTOMVS quidem, & alii nonnulli, in vulgarem iurandi consuetudinem [t] inuehentes, nonnumquam rem eatenus videntur extendere, vt christianis in quacumque caussa iurandi libertatem abiudicent. Sed vero quascumque opiniones priuatas pauci quidam hac de re fouerunt, (in quibus ipsi sibi non constiterunt [u], vti viris doctis obseruatum est:) Certum est, nullam publicam ecclesiæ regulam datam fuisse, quæ hoc prohibuerit, multo minus quæ id censura ecclesiastica puniri iusserit. Plerique omnes christiani iusiurandum in caussa necessaria ad confirmandam veritatem exigere vel præstare, in rebus licitis posuerunt, vt tum ex ipsis legibus & ecclesiasticis & ciuilibus, tum ex generali consuetudine apparet. Lex quædam *Constantini* solemni iureiurando statim subiuncto confirmatur, quando imperator ille omnibus ac singulis, qui veraciter ac manifeste probauerint, quod ministri ipsius non integre & iuste aliquid gessisse videantur, præmia promittit & securitatem cum hac ipsa adseueratione [x]: *Ita mihi summa diuinitas semper propitia sit, vt me incolumem præstet, vt cupio, felicissima & florente republica.* Nihil vsitatius erat & tritius, quam iureiurando confirmare transactiones, quomodo ex notissima illa *Arcadii* [y] lege apparet, quæ diuersas easque graues pœnas eis omnibus

(t) Vid. Sixt. Senens. bibliothec. lib. VI. adnotat. XXVI. tot. vbi istiusmodi loca omnia collecta habentur.

(u) Caue. prim. christ. part. III. cap. I. pag. 213. (pag. 455. edit. German. Lips. MDCCXXIII.) *Einige von den altvätern haben zwar -- dafür gehalten, daß aller und ieder eidschwur schlechter dings unrecht sey. Allein zu geschweigen, daß die wenigen, die solches bejahet, mit sich selbst nicht eins gewesen, indem* (legend. *so hat*) *der grösseste theil andere gedancken gehabt,* cetera.

(x) Cod. Theod. lib. IX. tit I. de accusation. leg. IV.

(y) Cod. Theod. lib. II. tit. IX. de pactis leg. VIII. Si quis -- aduersus pacta vel transactiones -- putauerit esse veniendum -- non implendo promissa ea, quæ inuocato nomine Dei omnipotentis, eo auctore solidauerit, inuratur

con-

constituit, qui pactiones in nomine Dei omnipotentis factas & confirmatas non impleuerint, nec non eis, qui pactiones violauerint, quas initas confirmarint, iurantes per salutem imperatoris. Quæ iurandi formula erat, inter christianos vsurpata a temporibus inde TERTVLLIANI, qui eius mentionem facit, respondens obiectioni gentilium, quasi christiani essent inimici reipublicæ, & rei criminis læsæ maiestatis, eo quod per genium Cæsaris iurare detrectent. *Sed & iuramus*, inquit [z], *sicut non per genios Cæsarum, ita per salutem eorum, quæ est augustior omnibus geniis. Nescitis genios dæmonas dici, & inde diminutiua voce dæmonia? Nos iudicium Dei suspicimus in imperatoribus, qui gentibus illos præfecit. Id in eis scimus esse, quod Deus voluit: ideoque & saluum volumus esse, quod Deus voluit, & pro magno id iuramento habemus. Ceterum dæmonas, id est, genios adiurare consueuimus, vt illos de hominibus exigamus, non deierare, vt illis honorem diuinitatis conferamus.* ATHANASIVS eiusdem formulæ meminit, tamquam ætate sua a catholicis pariter & *Syriano* præfecto *Aegypti* vsurpatæ, narrans *Constantio*, quod heic per salutem [a] ipsius iurarit. Similia exempla a SOZOMENO [b] dantur &

infamia &c. Eos etiam huius litis vel iactura dignos iubemus esse, vel munere, qui nomina nostra placitis inserentes *salutem principum* confirmationem initarum esse iurauerint pactionum.

(z) Tertull. apol. c. XXXII.

(a) Athan. epist. ad monach. tom. I. p. 866. (NB. In edit. Paris. MDCXCVIII. p. 394. inuenio quæ sequuntur, quæ vero non satis probare mihi videntur, catholicos *per salutem imperatoris* iurasse.) *Ὁρκίζομεν κατὰ τοῦ παντοκράτορος θεοῦ, ὑπὲρ τῆς σωτηρίας τοῦ εὐσεβεστάτου Αὐγούστου Κωνσταντίου τὸν ἔπαρχον τῆς Αἰγύπτου* Μάξιμον *κ.τ.λ.* *Adiuramus per omnipotentem Deum* pro salute piissimi Augusti Constantii *præfectum Aegypti Maximum*, cetera.

Athan. apol. ad Constant. tom. I. p. 689. (p. 710. cit. edit.) *συνιδὼν Συριανὸς τὸ εὔλογον, διεβεβαιώσατο* μαρτυρόμενος τὴν σὴν σωτηρίαν, *καὶ ἐπὶ τούτῳ παρῆν τότε καὶ* Ἰλάριος, *μηκέτι μὲν διοχλεῖν, ἀναφέρειν δὲ ἐπὶ τὴν σὴν θεοσέβειαν.* *Perspectum habens Syrianus, quam æqua esset postulatio*, tuam salutem contestatus *pollicitus est, præsente tunc Hilario, se nihil amplius conturbaturum, sed rem ad tuam religionem perlaturum.*

(b) Sozom. lib. IX. c. VII. πρὸς τῆς σωτηρίας τοῦ βασιλέως *αὐτὸς* ὤμοσε, *καὶ τοὺς ἄλλους ἄρχοντας παρεσκεύασε, μή ποτε εἰρήνην θέσθαι πρὸς* Ἀλάριχον. Per salutem principis *& ipse* iurauit *& alios proceres iurare compulit, numquam se cum Alarico pacem facturos.*

ZOSIMO [c], ſcriptore ethnico. In collatione *Carthaginenſi* [d] *Marcellinus* miniſter imperatoris, cui negotium datum erat audiendi litem catholicos inter & *Donatiſtas* tempore *Honorii*, ſub diſquiſitionis initia vtrique parti per admirabile myſterium trinitatis, per incarnationis dominicæ ſacramentum, & *per ſalutem principum*, quod veri inuenerit fides, iudicaturum ſe eſſe promittebat. Eamdem quoque formulam iuris iurandi obſeruatam eſſe a militibus, quum matriculis inſcriberentur, auctor eſt VEGETIVS, qui *Valentiniani* iunioris vixit temporibus. *Iurant*, inquit [e], *per Deum & per Chriſtum & per ſpiritum ſanctum, & per maieſtatem imperatoris, quæ ſecundum Deum generi humano diligenda eſt & colenda.* In multis aliis caſibus leges iurare iubent homines de rebus grauioris alicuius momenti. Ita *Conſtantinus* [f] a teſtibus iusiurandum interponi præcipiebat, antequam in cauſſa aliqua dicerent teſtimonium. Et *Iuſtinianus* [g] non ſolum hoc confirmauit in codice ſuo, ſed diuerſas alias cauſſas addidit, in quibus non teſtes ſolum, ſed actores etiam & rei nec non vtriuſque partis aduocati iuramentum, ſanctis euangeliis ante iudicem poſitis, præſtare iubentur. Et hoc vocabatur *iuramentum de calumnia* [*], vbi actor quidem, antequam actionem contra aduerſarium ſuum proſequi poſſet, iurare debebat, non calumniandi animo litem ſe mouiſſe, ſed

(c) Zoſim. lib. V. c. XLIX. p. 643. edit. Ciz. MDCLXXIX. ὤμνυ δὲ καὶ αὐτὸς ὅρκον, τῆς βασιλείας ἁψάμενος κεφαλῆς, καὶ τοὺς ἄλλους, οἳ τὰς ἀρχὰς εἶχον, ταὐτὸν ποιῆσαι παρασκευάσας. *Simul & ipſe* principis tacto capite iusiurandum præſtat; *& a ceteris, quotquot erant cum poteſtate, conſimile quiddam exigit.*

(d) Collat. Carthag. die I. cap. V.

(e) Veget. de re militari lib. II. c. V.

(f) Cod. Theodoſ. lib. XI. tit. XXXIX. leg. III. Iurisiurandi religione teſtes, priusquam perhibeant teſtimonium, iam dudum artari præcipimus.

(g) Iuſtin. cod. lib. IV. tit. XX. de teſtibus leg. IX.

(*) Cod. Iuſtin. lib. II. c. LIX. de iure iurando propter calumniam, leg. I. In omnibus cauſſis, ſiue propter litteras fuerit apud te certatum, ſiue propter inſtrumenta, ſiue propter quidquam aliud, in quo neceſſitas probationis incumbit: ſancimus non aliter eaſdem probationes præſtare compelli, niſi prius, qui eas expoſcit, iuramentum de calumnia præſtiterit &c. Leg. II. Quum & iudices non aliter cauſſas dirimere conceſſerimus, niſi ſacroſanctis euangeliis propoſitis & patronos cauſſarum in omni orbe terrarum prius iurare, & ita perferre cauſſas diſpoſuerimus: neceſſarium duximus, præ-

existimando bonam caussam habere. Reus autem & ipse iurare debebat, antequam adlegationibus suis vteretur, quod putans, se bona instantia vti, ad reluctandum peruenerit. Similiter per aliam legem [*h*] in præsentia iudicum tangentes sancta euangelia iurare eos oportebat, quod nihil penitus iudicibus aut patrocinii caussa ipsis vel alii cuicumque personæ pro hac caussa quolibet modo dederint, aut promiserint, aut postea daturi sint vel per se vel per aliam quamcumque personam mediam. Iam supra [†] obseruatum nobis est, quod ad reprimendam *Simoniam* in eligendis ad munera ecclesiastica hominibus illi, qui aliquem elegerint, per easdem leges *Iustinianeas* [*i*] propositis sanctis euangeliis iurare debuerint, quod neque per aliquam donationem, neque propter aliquam promissionem, aut amicitiam, aut aliam quamcumque caussam, sed scientes eum rectæ & catholicæ fidei & honestæ esse vitæ & litteras nosse, hunc elegerint. Et eum [*k*], qui ordinabatur, itidem iusiurandum suscipere oportebat per diuinas scripturas, quod neque per se ipsum, neque per aliam personam aliquid dederit aut promiserit, neque postea daturus sit, vel ordinanti ipsum,

sentem legem ponere, per quam sancimus in omnibus litibus, quæ fuerint post præsentem legem inchoatæ, non aliter neque actorem neque fugientem in primordio litis exercere certamina, nisi post narrationem & responsionem, antequam vtriusque partis aduocati sacramentum legitimum præstent, ipsæ principales personæ subeant ius iurandum: Et actor quidem iuret, Non calumniandi animo litem se mouisse, sed existimando bonam caussam habere: Reus autem non aliter suis allegationibus vtatur, nisi prius & ipse iurauerit, Quod putans se bona instantia vti, ad reluctandum peruenerit: & postea vtriusque partis viros disertissimos aduocatos secundum quod iam dispositum est a nobis, iuramentum præstare, sacrosanctis videlicet euangeliis ante iudicem positis.

(*h*) Iustin. nouell. CXXIV. cap. I. *ἐν παρουσίᾳ τῶν δικαστῶν, ἁπτομένους τῶν ἁγίων εὐαγγελίων, ὀμνύναι, ὅτι οὐδὲν παντελῶς τοῖς δικασταῖς προστασίας χάριν, ἢ ἄλλῳ οἱῳδήποτε προσώπῳ ὑπὲρ ταύτης τῆς αἰτίας καθ᾽ οἱονδήποτε τρόπον δεδώκασιν, ἢ ὑπέσχοντο, ἢ μετὰ ταῦτα δώσουσιν, ἢ δι᾽ ἑαυτῶν, ἢ δι᾽ ἄλλου οἱουδήποτε μέσου προσώπου.*

(†) Cap. VI. §. XXVIII. sub litt. (p) pag. 323. 324.

(*i*) Iustin. nouell. CXXIII. c. I. vid. ibid.

(*k*) Iustin. nouell. CXXXVII. c. II. *ὅρκον δὲ ὑπέχειν καὶ αὐτὸν τὸν χειροτονούμενον κατὰ τῶν θείων γραφῶν, ὡς οὔτε δι᾽ ἑαυτοῦ οὔτε δι᾽ ἑτέρου προσώπου δέδωκέ τι ἢ ὑπέσχετο, οὔτε μετὰ ταῦτα δώσει, ἢ αὐτῷ τῷ χειροτονοῦντι αὐτὸν, ἢ τοῖς τὰ ψηφίσματα εἰς αὐτὸν ποιησαμένοις, ἢ ἑτέρῳ τῷ πάντων τινὶ, ὑπὲρ τῆς εἰς αὐτὸν γι-*

vel his, qui ſacra pro eo ſuffragia fecerint, vel alii cuiquam ordinationis de ſe ipſo faciendæ nomine. Et epiſcopus, qui præter hanc regulam ab alio epiſcopo ordinatus fuerat, per eamdem legem epiſcopatu deiici iubetur vna cum eo, qui ipſum ordinauerat. Quod etiam oſtendit, adactionem iuris iurandi non in ſæcularibus tantum & ciuilibus, ſed in eccleſiaſticis etiam & ſacris cauſſis locum habuiſſe. Et vt hoc loco ne immoremur iis omnibus, quæ in priuatis ſcriptoribus dicuntur; exempli gratia, de *Athanaſio* [*l*] *Conſtantium* rogante, vt accuſatores ſui ad iusiurandum adigantur; & de *Euagrio* archidiacono *Conſtantinopolitano* [*m*], tactis euangeliis iurante; & quæ ab AVGVSTINO [*n*] multiſque aliis ad defendendam hanc praxin in caſibus neceſſariis adferuntur: Obſeruamus tantum, a quibuſdam generalibus & prouincialibus conciliis iusiurandum multis in caſibus requiri. Iuramentum fidelitatis in reges a concilio *Toletano* quinto [*o*] tam a clericis quam laicis præſtari iubetur. Et adlegatur antegreſſum aliquod concilium totius *Hiſpaniæ*, in quo idem iusiurandum præſcriptum ſit. Hoc eſt concilium *Toletanum* [*p*] quartum, in quo patres illic congregati de multis gentibus queruntur, quod tanta earum exſtet perfidia, vt fidem ſacramento promiſſam regibus ſuis ſeruare contemnant. Et ſcite addunt: *Quæ ſpes talibus populis contra hoſtes laborantibus erit? quæ fides vltra cum aliis gentibus in pace creden-*

νομένης χειροτονίας. Εἴ τις δὲ παρὰ τὴν μνημονευθεῖσαν παραφυλακὴν ἐπίσκοπος χειροτονηθῇ, κελεύομεν καὶ αὐτὸν πᾶσι τρόποις τῆς ἐπισκοπῆς ἐκβάλλεσθαι, καὶ τὸν παρὰ ταῦτα τολμήσαντα χειροτονῆσαι.

(*l*) Athan. apol. ad Conſtant. tom. I. p. 678. (pag. 300. edit. Pariſ. MDCXCVIII.) ἐβουλόμην δὲ αὐτὸν, ὅστις ἐστὶν, ἐνταῦθα παρεῖναι, καὶ ἐπ' αὐτῆς τῆς ἀληθείας ἐρωτῆσαι· ἃ γὰρ ὡς θεοῦ παρόντος λαλοῦμεν, τοῦτο ὅρκον ἔχομεν ἡμεῖς οἱ χριστιανοί. κ. τ. λ. *Peroptatam ſane, vt ille homo, quiſquis tandem ſit, heic coram adeſſet, vt eum per ipſammet veritatem interrogarem: quæcumque enim quaſi Deo præſente loquimur, hoc nobis chriſtianis iuramenti loco eſt.*

(*m*) Sozom. lib. VI. c. XXX. ὁ δὲ τῆς βίβλου ἐφαψάμενος, ἦ μὴν ὧδε πράξειν ἐπωμόσατο. *Ille tactis euangeliis, ita ſe facturum iurauit.*

(*n*) Auguſtin. epiſt. CLIV. ad Publicolam. (tom. III. opp. p. 702. 703. edit. Baſil. MDLXIX.) Id. lib. I. de ſerm. dom. c. XXX. (tom. IV. p. 1124. 1125. cit. edit.) Baſil. in pſalm. XIV. tom. I. p. 133. b. c. d. e.
Gregor. Nazianz. epiſt. CCXIX. ad Theodorum tot. (tom. I. opp. p. 908.)
Hieron. in Matth. V. Vid. infr. ſub litt. (*z*).

(*o*) Conc. Tolet. V. can. II. Hoc, quod cum diuinis ſacramentis ſpopondimus &c.

(*p*) Concil. Tolet. IV. c. LXXIV.

da?

da? quod fœdus non violandum? quæ in hostibus iurata sponsio permanebit, quando nec ipsis propriis regibus iuratam fidem conseruant? Sacrilegium quippe est, si violetur a gentibus regum suorum promissa fides; quia non solum in eos fit pacti transgressio, sed & in Deum quidem, in cuius nomine pollicetur ipsa promissio? Iam concilium [q] iurisiurandi meminit, quo reges certis in casibus supplicii indulgentiam reis promittant. Et concilio *Toletano* octauo multi casus memorantur, in quibus soleant res solemni iuramento confirmari [r]; e. gr. in sanctione fœderis, in conciliatione animorum & in firmæ ac sempiternæ amicitiæ institutione; in examinatione testium coram iudicio; & si testes deficiant, in manifestatione propriæ innocentiæ per iuramentum, vt vocant purgatorium. Et in concilio generali sexto *Constantinopoli* celebrato, *Georgius* diaconus [s] & chartophylax semel atque iterum per sanctas scripturas & Deum, qui per eas loquutus est, iurare iubetur de certis rebus, quas hoc vel illo modo se habere attestari coram concilio isto debebat. Ex quibus omnibus manifestum est, antiquos omnino licitum esse credidisse, fidem datam iureiurando confirmare, si qua iusta necessitas id exigeret: neque adeo regulam potuisse exsistere, quæ id prohiberet, multo minus, quæ id crimen faceret dignum censura ecclesiastica.

§. V.

Sed tantum in vanum & temere iurandi adsiduitas.

NEQVE singularis quisque in vanum ac temere iurandi

(q) Ibid. c. XXX. Iureiurando supplicii indulgentia promittitur.

(r) Concil. Tolet. VIII. c. II. Omne, quod in pacis fœdere venit, tunc solidius subsistit, quum iuramenti hoc interpositio roborat. Sed & omne, quod animos amicorum conciliat, tunc fidelibus durat, quum eos sacramenti vincula ligant. Omne etiam, quod testis adstipulat, tunc verius constat, quum id adiectio iurationis adsirmat. Quod si & testis deficiat, innocentis fidem sola iurisiurandi taxatio manifestat.

(s) Concil. VI. Constantinop. act. XIII. p. 378. edit. Crab. (ap. Labb. tom. VI. p. 996. d.) καὶ ἁψάμενος τῶν προκειμένων ἀχράντων τῦ Θεῦ λογίων Γεώργιος, ὁ θεοσεβέστατος διάκονος καὶ χαρτοφύλαξ, ὤμοσεν οὕτως· μὰ τὰς ἁγίας γραφὰς ταύτας, καὶ τὸν Θεὸν τὸν λαλήσαντα δι' αὐτῶν κ. τ. λ. *Et tactis propositis sacrosanctis Dei euangeliis Georgius, Deo amabilis diaconus & chartophylax, iurauit hoc modo: Per sanctas scripturas & Deum, qui per eas loquutus est &c.* Act. XIV. p. 382. (p. 978. d. edit. Labb.) μὰ τὰς ἁγίας δυνάμεις ταύτας, καὶ τὸν Θεὸν, τὸν λαλήσαντα δι' αὐτῶν κ. τ. λ. *Per istas sanctas virtutes & Deum, qui loquutus est per eas, &c.*

actus

actus homines publicæ disciplinæ subiecit. Quamuis enim quilibet istiusmodi actus in vitiis poneretur, non tamen singulari actui apostasiæ, vel idololatriæ, vel cædis, vel adulterii æquiparabatur, sed adsuetudo & habitus huius vitii erat, qui homines seueritati excommunicationis reddebat obnoxios. TERTVLLIANVS [t] quodlibet iuramentum, temere & inconsiderate factum, homines disciplinæ publicæ pœnitentiæ subiicere diserte negat, illudque peccatis quotidianæ incursionis accenset, quibus priuata pœnitentia constituta sit. Et CHRYSOSTOMVS, qui vnus omnium acerrime in hoc vitium declamat, auditoribus suis non propter singularem quemlibet eius actum excommunicationem minatur, sed propter pertinacem perseuerantiam in consuetudine & exercitio eius, post factam iterum iterumque admonitionem. Posteaquam per integram quadragesimam de vitandis iuramentis ad populum *Antiochenum* esset concionatus, vltimum sermonem ita concludit: *Quadraginta dies [u] iam præterierunt; si pascha quoque sacrum præterierit, nulli iam deinde veniam dabo, non admonitionem, sed vim imperii, & seueritatem non contemnendam adhibebo. Non enim hæc valida est consuetudinis excusatio. Cur non prætendit fur consuetudinem, & a supplicio liberatur? Cur non idem facit homicida & adulter? Iam igitur denuntio & protestor, si conueniam singulos, & capiam (nam haud dubie capiam) quod si deprehendam aliquos hæc vitia non correxisse, pœnam irrogabo, edicam, vt foris extra sacra mysteria consistant.* Ita quoque in alia homilia [x] ad populum *Antiochenum: Propter hoc peccatum nos quoque lamentamur & plangimus, & si viderimus vos in eisdem ma-*

(t) Tertull. de pudicit. c. XIX. vid. cap. III. §. XIV. sub litt. (p) pag. 179.

(u) Chrysost. homil. XXII. ad popul. Antioch. tom. I. p. 294. (p. 261. edit. Frf.) *τεσσαράκοντα λοιπὸν ἡμέραι παρῆλθον· ἂν τοίνυν τὸ πάσχα παρέλθῃ τὸ ἱερὸν, οὐδενὶ συγγνώσομαι λοιπὸν, οὐδὲ παραίνεσιν προσάξω, ἀλλ' ἐπιταγὴν, καὶ ἀποτομίαν ἀκαταφρόνητον· οὐδὲ γὰρ ἰσχυρὰ αὕτη ἡ ἀπολογία, ἡ διὰ τῆς συνηθείας· διὰ τί ὁ κλέπτων οὐ προβάλλεται συνήθειαν, καὶ ἀπαλλάττεται κολάσεως; διὰ τί ὁ φονεύων καὶ μοιχεύων; πᾶσι τοίνυν προλέγω καὶ διαμαρτύρομαι, ὅτι ἂν συγγενόμενος ὑμῖν κατ' ἰδίαν, καὶ λαβὼν ἀπόπειραν, λήψομαι δὲ πάντως, καὶ εὕρω τινὰς μὴ διορθώσαντας τὸ ἐλάττωμα, ἀπαιτήσω δίκην, κελεύσας ἔξω μένειν τῶν μυστηρίων τῶν ἱερῶν.*

(x) Chrysost. homil. XVII. in Matth. p. 182. (p. 222. c sub fin. edit. Francof.) *διὸ καὶ ἡμεῖς θρηνοῦμεν καὶ ὀδυρόμεθα· κἂν ἐπιμένοντας ἴδω, ἀπαγορεύσω λοιπὸν ὑμῖν*

nen-

nentes, etiam interdicemus omnino vobis sacri istius ingressionem vestibuli, & cælestis participationem mysterii --- Nullus aduersum me hoc loco potens, nullus diues infletur, nec superbum attrahat supercilium: cuncta enim apud me ista vel fabula videntur, vel vmbra, vel somnium. Nemo quippe qui ex his, qui locupletes habentur, ibi, quum accusatus fuero, patrocinabitur: quum mihi pro crimine fuerit Dei a me lex non cum omni vehementia constantiaque defensa.

§. VI.

Et iurare per res creatas.

ALIA huius præcepti transgressio erat, per res creatas iurare. Concilium *Carthaginense* quartum [y] canonem habet huc spectantem: *Clericum per creaturas iurantem, acerrime obiurgandum. Si perstiterit in vitio, excommunicandum.* Et HIERONYMVS [z] ait: *Considera, quod heic (* Matth. V. *) saluator non per Deum iurare prohibuerit, sed per cælum & terram & Hierosolymam & per caput tuum.* Circumfertur etiam decretum sub nomine *Pii* primi [a], episcopi *Romani*, quod ita habet: *Si quis per capillum Dei vel caput iurauerit, vel alio modo blasphemia contra Deum vsus fuerit; si in ecclesiastico ordine est, deponatur; si laicus, anathematizetur. Et si quis per creaturam iurauerit, acerrime castigetur.*

VERVM quum hæc pugnare videantur cum iis, quæ antea dixerunt patres, Quod quis saluo officio christiano per salutem imperatoris iurare possit; considerare debemus, quod in istiusmodi iuramentis non proprie per res creatas iurarint, inuocantes eas tamquam testes veritatis eorum, quæ dixerint, sed tantum nominantes eas cum relatione quadam ad Deum per quem iurarint. Quod duplici ratione fieri posse vir quidam doctus [b] obseruat, quando hunc in modum scribit: „Est species iuramenti, in qua agnoscimus creaturæ nomen posse ad-

τῶν ἱερῶν τούτων ἐπιβῆναι προθύρων, καὶ τῶν ἀθανάτων μετασχεῖν μυστηρίων· -- μή μοί τις πλούσιος, μή μοί τις δυνάστης ἐνταῦθα φυσάτω, καὶ τὰς ὀφρῦς ἀνασπάτω· πάντα μοι ταῦτα μῦθος, καὶ σκιὰ, καὶ ὄναρ· οὐδεὶς γὰρ τῶν νῦν πλουτούντων ἐκεῖ μου προστήσεται, ὅταν ἐγκαλῶμαι καὶ κατηγορῶμαι ὡς μὴ κατὰ τῆς προσηκούσης σφοδρότητος τοὺς τοῦ Θεοῦ ἐκδικήσας νόμους.

(y) Concil. Carth. IV. c. LXI.

(z) Hieron. in Matth. V.

(a) Ap. Gratian. cauſ. XXII. quæſt. I. c. X.

(b) Rivet. in decalog. tom. I. opp. p. 1287. 1288. edit. Roterod. MDCLI.

„hiberi ſenſu commodo, ſine vlla Dei contumelia, & ſine ido-„lolatriæ ſuſpicione, idque duobus modis 1. In iuramento ex-„ſecratorio, quum quis creaturam ad ſe pertinentem quaſi de-„vouet, Deique iudicis ſeueræ vltioni velut oppignorat, niſi „verum dicat. Sic poteſt aliquis in re ſeria, caput, animam, „filios & reliqua ad ſe pertinentia, quantum in ipſo eſt, deuo-„vere, ſi ſciens fallat. In talibus enim non iurat per eas res; „ſed tantum agnoſcit coram Deo, ſe dignum eſſe, qui in illis „puniatur, ſi peieret. Talia in ſcripturis habemus iuramenti „exempla, quæ Deum ſemper directe tamquam teſtem & iudi-„cem reſpiciunt; creaturam autem tamquam rem nobis caram, „quam non dubitamus oppignorare, vt ex eo proximus certus „ſit, nos in perniciem propriam, aut rerum, quæ nobis ſint „in pretio, nolle fallere. Sic iurat *Dauid* Pſalm. VII, 16. *Si feci „iſtud, & ſi eſt iniquitas in manibus meis, perſequatur inimicus ani-„mam meam.* Et *Paulus* 2 ad Corinth. I, 23. *Teſtem Deum inuoco in „animam meam.* Sic iurabant *per caput ſuum*, id eſt, illud deuo-„vebant. Vnde illud apud *Græcos*, νὴ τὴν κεφαλήν. Et apud „VIRGILIVM *Aeneid. IX. Per caput hoc iuro.* Hoc eſt, immineat ca-„piti meo periculum, ſi ſciens fallam. Hic modus vſurpandæ „creaturæ in re ſeria & vera licitus eſt, quia in eo non proprie „conſiſtit iuramentum, ſed eius quædam appendix. II. Alter „modus eſt, quum quis earum rerum meminit in iureiurando, „quæ quidem non ſunt in eius poteſtate conſtitutæ, ac proin-„de nec eas poteſt deuouere; ſed tales ſunt, quarum apud „eum ratio haberi in primis debet, inter res humanas, & qua-„rum meminit, non vt eas teſtes veritatis aduocet, aut illis de-„ferat honorem iuramenti; vel aliqua ex parte; ſed vt per „comparationem ſui in eas res adfectus, & debitæ ciuilis re-„verentiæ, teſtetur hominibus coram Deo, quam ſerio agat, „quum loquitur. Sic iurabant veteres chriſtiani, TERTVLLI-„ANO teſte apol. c.XXXII. *per ſalutem imperatoris*, qui per eiuſdem „genium iurare renuebant. Vel per ſalutem imperatoris intelli-„gentes ipſum Deum, ſalutis auctorem, & qui ſalus imperatoris „dici poterat effectiue; vel vt eſſet potius obteſtatio, quam iura-„mentum proprie dictum, per comparationem, hoc ſenſu, „Teſtor coram Deo, non mihi minus cordi eſſe in ea re veri-

tatem,

„tatem, quam mihi cordi eſt imperatoris ſalus: aut ſimile hu-„iuſmodi. Talia iuramenta potius ſunt obteſtationes, de qui-„bus BASILIVS [c] ad pſalm. XIV. *Sunt quidam ſermones, ſpeciem „quidem iuramenti habentes, qui tamen non ſunt, ſed obteſtatio ad eos „qui audiunt.* Huc referri poteſt iuramentum *Ioſephi* Gen. XLII, „15. *Viuit Pharao.* Vbi vetus interpres habet, *per ſalutem Pharaonis,* „LXX. autem νὴ τὴν ὑγίειαν Φαραὼ, *per ſalutem, aut ſanitatem Pha-„raonis.* Id eſt, quam mihi cordi eſt ſalus *Pharaonis,*„ &c.

§. VII.

Et per genium imperatoris, & per ſanctos & angelos.

ALITER autem res ſe habebat, ſi quis directe iuraret per creaturas, tamquam iudices & vindices cogitationum ſuarum, ſi falſe & perfide teſtaretur. Hinc licet chriſtiani mentionem ſalutis imperatoris in iuramentis ſuis admitterent, per genium tamen imperatoris iurare numquam non recuſabant, quia hoc idololatria erat, & reapſe defectio ad paganiſmum, & religionis chriſtianæ abnegatio. Perſecutores nihil amplius ab eis requirebant quam hoc, vtpote teſtimonium renuntiationis eorum. In paſſione *Polycarpi* EVSEBIO [d] memorata, proconſul ſæpius eum vrgebat, dicens: *Iura per genium Cæſaris,* cui ille conſtanter reſpondebat: *Chriſtianus ſum.* Ita in actis proconſularibus *martyrum Scyllitanorum* [e] in *Africa* proconſul *Sperato* dixiſſe legitur: *Tantum iura per genium regis noſtri;* Cui ille reſpondit: *Ego imperatoris mundi genium neſcio, ſed cæleſti Deo meo ſeruio.* Idem dicit ORIGENES [f]: *Per fortunam,* inquiens, (ſiue genium) *regis non iuramus, ſicut nec per alia numina ficttitia: nam ſiue (vt quidam putant) curſus tantum rerum fortuna eſt, non iuramus per id quod nihil eſt, tamquam per Deum, aut rem aliquam pollentem viribus, ne iureiurando abutamur: ſiue (vt aliis videtur) qui per fortunam regis iurant,*

(c) Baſil. in pſalm. XIV. tom. I. p. 133. εἰσὶ δέ τινες λόγοι, σχήματα μὲν ὅρκων ἔχοντες, ἐχ ὅρκοι δὲ ὄντες, ἀλλὰ θεραπεία πρὸς τὰς ἀκέοντας.

(d) Euſeb. lib. IV. c. XV. p. 131. (p. 107. edit. Amſtelod. MDCXCV.) ὄμοσον τὴν καίσαρος τύχην.

(e) Acta mart. Scyllitan. ap. Baron. an. CCII. n. II.

(f) Orig. contr. Celſum lib. VII. p. 421. τύχην μὲν τοι βασιλέως ἐκ ὄμνυμεν, ὡς ἐδ᾽ ἄλλον νομιζόμενον θεόν· εἴτε γὰρ [ὡς ὠνόμασάν τινες] ἐκφορὰ μόνον ἐςὶν ἡ τύχη· ἐκ ὄμνυμεν τὸ μηδαμῶς ὂν ὡς θεὸν, ἢ ὅλως ὑφεςηκὸς καὶ δυνάμενόν τι ποιῆσαι, ἵνα μὴ τὴν ὀμοτικὴν δύναμιν εἰς ἃ μὴ δεῖ παραλαμβάνωμεν· εἴτε καὶ

iurant per Romani principis genium, vt eo nomine vnum e dæmonibus intelligamus; sic quoque moriendum est nobis potius, quam iurandum per malum & perfidum dæmonem, peccantem persæpe cum eo, quem sortitus est, homine, immo quam homo sæpius. Similiter MINVCIVS FELIX [g] morem gentilibus peculiarem esse adfirmat, per genium imperatoris iurare; & esse eis tutius per *Iouis* genium peierare, quam regis. TERTVLLIANVS [h] christianos absolute recusare dicit per genium Cæsarum iurare, etsi non dubitent iurare per salutem eorum, Cæsarum autem hostes [i] inter gentiles solere iurare per eorum genium, eo ipso tempore, quo seditionem contra eos moliantur; quod crimen sæpius in eos retorquet, quia christianos [k] vt hostes imperii criminari solebant, eo quod per imperatoris genium iurare nollent. Huius ergo criminis natura manifesta erat idololatria & apostasia, dum diuinus honor dæmoni loco Dei præbebatur, & hoc ipso christiana religio omnino abnegabatur. Quæ igitur pœnæ idololatris & apostatis constitutæ fuerunt, easdem & illis infligi consueuisse facile ad colligendum est, qui tempore persecutionis gentilibus obsequentes per genium imperatoris iurarunt; quod erat diuinum honorem rebus creatis, & pessimis quidem omnium, angelis apostatis & manifesto contra Deum rebellantibus, deferre.

IVRARE per bonos angelos, vel sanctos, vel *Mariam* vir-

[ὥς τισιν ἔδοξεν, εἴπωσι τοῦ Ῥωμαίων βασιλέως τὸν δαίμονα ὀμνῦσιν οἱ τὴν τύχην αὐτοῦ ὀμνύοντες] δαιμόνων ἐστὶ ἡ ὀνομαζομένη τύχη βασιλέως· καὶ οὕτως ἀποθανατέον ἐστὶ μᾶλλον ἡμῖν ὑπὸ τοῦ μὴ ὀμόσαι μοχθηρὸν δαίμονα καὶ ἄπιστον, πολλάκις συνεξαμαρτάνοντα ᾧ ἔλαχεν ἀνθρώπῳ, ἢ καὶ πλέον αὐτοῦ ἁμαρτάνοντα.

(g) Minuc. Fel. p. 88. c. XXIX. n. 7. pag. 112. edit. Halens. MDCCXXIX.)

(h) Tertull. apol. c. XXXII. cit. §. IV. sub litt. (z) in textu pag. 3[illegible].

(i) Ibid. cap. XXXV. Vnde Cassii & Nigri, & Albini? --- omnes illi sub ipsa vsque impietatis eruptione & sacra faciebant pro salute imperatoris & genium eius deierabant. Id. lib. ad Scapulam c. II. Sic & circa maiestatem imperatoris infamamur, tamen numquam Albiniani, nec Nigriani, vel Cassiani inueniri potuerunt christiani: sed iidem ipsi, qui per genios eorum in pridie vsque iurauerant, qui pro salute eorum hostias & fecerant & vouerant, qui christianos sæpe damnauerant, hostes eorum sunt reperti.

(k) Tertull. ad nationes lib. I. c. XVII. Prima obstinatio est, quæ secunda ab eis religio constituitur Cæsarianæ maiestatis, quod irreligiosi dicamur in Cæsares, neque imagines eorum repropitiando, neque genios deierando hostes populi nuncupamur &c.

ginem,

ginem, vel eorum imagines & reliquias, etsi maiorem recti speciem præ se ferebat, a priore illo vitio non multum abeiat. Nam quum omnis diuinus cultus Deo per veterum doctrinam vindicaretur; iurisiurandi autem interpositio solemnis quidam istius cultus actus esset: nihilo paratiores erant ad iurandum per angelum vel sanctum, quam per genium imperatoris, vel aliam quamcumque rem, vt ne honorem diuinum in rem creatam conferre merito crederentur. Hinc OPTATVS vt grandem insolentiam ac impietatem obiectat *Donatistis*, quod, quum [*l*] per solum Deum soleant homines iurare, *Donatus* passus sit per se sic iurare tamquam per Deum. Et successores eius hunc honorem auide sunt amplexi. OPTATVS enim hanc impietatem in vniuersum omnibus adscribit: *Vestri*, inquit [*m*], *per vos iurant, & personas vestras iam pro Deo habere noscuntur. Solet Deus ad probandam fidem in iuratione ab hominibus nominari. Sed quum per vos iuratur, iam apud vestros de Deo & Christo silentium est. Si ad vos diuina migrauit de cælo religio, quia per vos iuratur, nemo vestrum aut vestrorum langueat: nolite mori: imperate nubibus: pluite, si potestis: vt per vos plenius iuretur; & de Deo sileatur. --- O sacrilegium impietate commixtum, dum homines per vos iurantes libenter auditis, & vocem Dei auribus non admittitis vestris.* Praeterea per martyres suos [*n*], quos venditent, eos iurare dicit, quum tamen pro criminibus suis, non pro caussa religionis, occisi sint. Ex quibus planum perspectumque est, quod OPTATI æuo iurare per nomen hominis, siue viui, siue mortui, pro non minore crimine quam sacrilegium & impietas habitum fuerit, vtpote quo honos Dei rei creatæ deferretur. Adeoque eamdem pœnam, quæ sacrilegio & impietati debebatur, huius criminis pœnam fuisse in omnibus, qui eo tenerentur, par est statuamus: quamquam præter istos hæreticos de paucis quibusdam istius æui nobis constet, qui in illud propenderint, vsque dum cultus sanctorum, & angelorum & *Mariæ* virginis in ecclesiam irreperet; atque tum cum ista corruptela inuehebatur alia, vt

(*l*) Optat. lib. III. p. 65. (p. 68. edit. Paris. MDCLXXIX.)

(*m*) Optat. lib. II. p. 58. (p. 53. cit. edit.)

(*n*) Optat. lib. III. p. 69. (p. 75. edit. cit.) Nolo hominum facere mentionem, quos vos inter martyres ponitis: per quos tamquam per vnicam religionem, vestræ communionis homines iurant, cetera.

nimirum *Maria* virgo, & *Michael* ac *Gabriel* archangeli cum Deo in eodem iureiurando coniungerentur. Formulam iſtiuſmodi iuramentorum habemus in quadam IVSTINIANI nouella [o], quæ ab his, qui adminiſtrationes prouinciarum accipiunt, iusiurandum fidelitatis, & iusiurandum contra largitionem, præſtari iubet his verbis: *Iuro ego per Deum omnipotentem, & filium eius vnigenitum, dominum noſtrum Ieſum Chriſtum, & ſpiritum ſanctum, & per ſanctam glorioſam Dei genitricem & ſemper virginem Mariam, & per quatuor euangelia, quæ in manibus meis teneo, & per ſanctos archangelos Michaelem & Gabrielem, puram conſcientiam germanumque ſeruitium me ſeruaturum ſacratiſſimis noſtris dominis Iuſtiniano & Theodoræ coniugi eius, occaſione traditæ mihi ab eorum pietate adminiſtrationis: & omnem laborem ac ſudorem cum fauore ſine dolo, & ſine arte quacumque ſuſcipio in commiſſa mihi ab eis adminiſtratione de eorum imperio atque republica. Iuro quoque idem iusiurandum, quod nulli penitus neque dedi neque dabo occaſione dati mihi cinguli, neque occaſione patrocinii, neque promiſi, neque profeſſus ſum de prouincia mittere, neque mittam, neque occaſione dominici ſuffragii, neque famoſiſſimis præfectis adminiſtrationem habentibus, neque iis, qui circa eos ſunt, neque alii hominum vlli, ſed ſicut ſine ſuffragio percepi cingulum, ſic etiam pure me exhibebo circa ſubiectos piiſſimorum noſtrorum dominorum; contentus iis, quæ ſtatutæ ſunt mihi de fiſco, annonis.* Materia huius iurisiurandi perquam bona eſt, fatendum autem eſt, formulam eius a puritate & ſimplicitate recedere priorum ſæculorum,

(o) Iuſtin. nouell. IX. Ὄμνυμι ἐγὼ τὸν θεὸν τὸν παντοκράτορα, καὶ τὸν υἱὸν αὐτοῦ τὸν μονογενῆ Ἰησοῦν Χριστὸν τὸν θεὸν ἡμῶν, καὶ τὸ ἅγιον πνεῦμα, καὶ τὴν ἁγίαν ἔνδοξον θεοτόκον καὶ ἀειπάρθενον Μαρίαν, καὶ τὰ τέσσαρα εὐαγγέλια, ἃ ἐν ταῖς χερσί μου κρατῶ, καὶ τοὺς ἁγίους ἀρχαγγέλους Μιχαὴλ καὶ Γαβριὴλ, ὡς καθαρὸν συνειδὸς καὶ γνησίαν δουλείαν φυλάξω τοῖς θειοτάτοις καὶ εὐσεβεστάτοις ἡμῶν δεσπόταις, Ἰουστινιανῷ καὶ Θεοδώρᾳ τῇ ὁμοζύγῳ τοῦ αὐτοῦ κράτους, προφάσει τῆς παραδεδομένης μοι παρὰ τῆς αὐτῶν εὐσεβείας ἀρχῆς· καὶ πάντα πόνον καὶ κάματον μετ᾽ εὐνοίας ἀδόλως καὶ δίχα τέχνης τινὸς ἀναδέξομαι ἐπὶ τῇ δοθείσῃ μοι παρ᾽ αὐτῶν ἀρχῇ, ὑπὲρ τῆς αὐτῶν βασιλείας καὶ πολιτείας· -- ὄμνυμι δὲ τοὺς αὐτοὺς ὅρκους, ὡς οὐδενὶ παντῶς οὔτε δέδωκα οὔτε δώσω, προφάσει τῆς δεδομένης μοι ἀρχῆς· οὔτε προφάσει προστασίας, οὐδὲ ἐπηγγειλάμην, οὔτε ὡμολόγησα ἐκ τῆς ἐπαρχίας πέμπειν, οὔτε πέμψω, οὔτε προφάσει δεσποτικοῦ ſuffragiu, οὔτε τοῖς ἐνδοξοτάτοις ὑπάρχοις, οὔτε τοῖς ἄλλοις πανευφήμοις ἀνδράσι τοῖς τὰς ἀρχὰς ἔχουσιν, οὔτε τοῖς περὶ αὐτοὺς καθεστῶσιν, οὐδὲ ἄλλῳ τῶν πάντων οὐδενί· ἀλλ᾽ ὥσπερ ἄμισθον παρέλαβον τὴν ἀρχὴν, οὕτω καὶ καθαρὸς φανοῦμαι περὶ τοὺς ὑποτελεῖς τῶν εὐσεβεστάτων ἡμῶν δεσποτῶν, ἀρκούμενος ταῖς ἀφωρισμέναις μοι ἐκ τοῦ δημοσίου σιτήσεσι.

vbi

vbi iuramentorum interpolitio in folius Dei nomine facta eft, tamquam fpecialis diuini cultus pars ipfi peculiaris & propria. Primum hoc, quod memini, talis iurisiurandi exemplum eft, quod in ecclefia admiffum eft: Facitque eo, vt videamus, quam breui temporis fpatio corruptelæ per auctoritatem poffint invalefcere. Quod enim tempore OPTATI pro facrilegio habebatur, id iam fingularis venerationis exemplum erga archangelos & *Mariam* virginem euaferat. Plura quidem de iuramentis notari poterant; nos autem hoc loco de iftiufmodi tantum rebus loquimur, quæ ad difciplinam ecclefiæ fpectant.

§. VIII.

De periurio eiusque pœnis.

PROXIMVM grande crimen, quod in nomen & maieftatem Dei poterat committi, periurium erat; quod committere quis poterat vel tempore iurisiurandi, fi nimirum iuraret in rem falfam, aut fi iuraret, fe rem quamdam malam & illicitam facturum; vel etiam poftea, fi quis non faceret, quod facere ei licebat, & ad quod faciendum folemni iureiurando iuductus fuerat. Qui facramento fe obligauerat ad rem faciendam illicitam, exempli cauffa, ad gerendum fempiternas cum altero inimicitias & ad numquam redeundum cum eo in gratiam, is per decretum concilii *Ilerdenfis* [p] ad integrum annum de ecclefia propter periurium fuum proiiciendus, & ad pœnitendum de illicito iureiurando & ad reconciliandum fibi fratrem adigendus erat. In tali enim cafu, vt patres & canones [q] definiunt, illegitimum iusiurandum feruandum non erat, ne ipfum vti *Herodem* regem duplici vel triplici peccato implicaret, fed refcindere iusiurandum debebat deque periurio fuo pœnitentiam agere, quod fatius erat, quam fub fpecie pietatis ac religionis peccatum peccato addere. Ita autem pœnitentiæ tanto breuius tempus conftitui folebat, quia homines ex celeri

(*p*) Concil. Ilerdenf. c. VII. Qui facramento fe obligauerit, vt litigans cum quolibet ad pacem nullo modo redeat, pro periurio vno anno a communione fanguinis & corporis dominici fegregatus, reatum fuum fletibus, eleemofynis & quantis potuerit ieiuniis, abfoluat.

(*q*) Vid. concil. Tolet. VIII. c. II. *Vbi teftimonia ex* Ambrofio, Auguftino, Gregorio *&* Ifidoro *copiofe citantur. Nec non* in Gratiano *cauff. XXII. qu. IV.*

quo-

quodam animi adfectu in hanc culpam abrepti, non consulto eam incurrisse, credebantur.

ALIAS autem periurium in attestando rem falsam, aut non implendo legitimum iuramentum, multo tractabatur seuerius. Nam CHRYSOSTOMVS [r] periurium in eadem classe ponit cum homicidio, fornicatione ac adulterio. Et BASILIVS vndecim annorum pœnitentiam ei iniungit, qui hoc scelere se adstrinxisset. *Periurus*, inquiens [s], *vndecim annis non erit communionis particeps, duobus annis deflens, tribus audiens, quatuor substratus, anno vnico consistens, & tunc communione dignus habebitur.* Concilium *Matisconense* primum [t] de isto crimine hunc habet canonem: *Si quis conuictus fuerit alios ad falsum testimonium vel periurium attraxisse, ipse quidem vsque ad exitum non communicet: Hi vero, qui ei in periurio consensisse probantur, post ab omni sunt testimonio prohibendi, & secundum legem infamia notabuntur.* Vbi per legem probabiliter & ciuilem & ecclesiasticam legem intelligit. Nam, vti fuse demonstrat GOTHOFREDVS, lex ciuilis apud veteres *Romanos* omnibus istiusmodi periuris infamiæ notam apposuit; & *Honorius* diuersas alias pœnas [u] addidit, vt nouum antiquis legibus vigorem daret maioremque efficacitatem. Non possum heic silentio præterire relationem, quam EVSEBIVS de diuina vindicta habet, persequuta tres periuros nebulones, qui accusationem, contra *Narcissum* episcopum *Hierosolymitanum* fal-

(r) Chrysost. homil. XVII. in Matth. p. 182. (pag. 222. c. sub fin. edit. Francof.) cit. §. V. sub litt. (x) pag. 360. sequ. It. homil. XXII. ad popul. Antiochen. tom. I. p. 294. p. 261. edit. Francof.) cit. ibid. sub litt. (u) p. 360.

(s) Basil can. LXIV. *Επίορκος, ἐν δέκα ἔτεσιν ἀκοινώνητος ἔσται· δυσὶν ἔτεσι προσκλαίων, τρισὶν ἀκροώμενος, τέσσαρσιν ὑποπίπτων, ἐνιαυτὸν συνεστὼς μόνον, καὶ τότε τῆς κοινωνίας ἀξιούμενος.*

(t) Concil. Matiscon. I. c. XVII.

(u) Cod. Theod lib. II. tit. IX. de pactis leg. VIII. Si quis maior annis aduersus pacta vel transactiones, nullo cogentis imperio, sed libero arbitrio & voluntate confecta, putauerit esse veniendum, vel interpellando iudicem, vel supplicando principibus: vel non implendo promissa ea, quæ inuocato nomine Dei omnipotentis eo auctore solidauerit, non solum inuratur infamia, verum etiam actione priuatus, restituta pœna, quæ pactis probatur inserta, earum rerum & proprietate careat & emolumento, quod ex pacto vel transactione illa fuerit consequutus. Quæ omnia mox eorum commodo deputabuntur, qui intemerati pacti iura seruauerint. Vid. Gothofred. in loc. p. 134 -- 137.

so

ſo a ſe confictam, iurciurando confirmare non erubuerant; quia oſtendit, quod, quum diſciplina eccleſiæ, deficientibus documentis, in effectum deduci contra ſontes non poſſit, prouidentia nonnumquam intercedere & hoc crimen diuino iudicio ipſa per ſe vindicare ſoleat. „Mali quidam homunciones, „inquit [*x*], qui vigorem & conſtantiam vitæ *Narciſſi* ferre non „poterant, veriti, ne tandem deprehenſi pœnas darent, vtpote „ſexcentorum ſibi ſcelerum conſcii: præuenire eum decreue„runt, ſtructiſque inſidiis grauiſſimam ei calumniam adſperſe„runt. Atque vt audientibus perſuaderent, ſacramenti religi„one accuſationem firmabant. Vnus inter iurandum impreca„batur ſibi, vt incendio periret, ſi ſciens falleret. Alter vt „ſæuo ac peſtilenti morbo corpus abſumeretur. Tertius, vt „luminibus orbaretur. Sed quantumuis iurantibus, nemo ex „fidelium numero fidem adhibebat: quippe quum *Narciſſi* con„tinentia & ſanctitas vitæ omnibus virtutum numeris abſolutæ „cunctis ſemper ſpectata compertaque eſſet. At ille quum di„ctorum infamiam ſuſtinere non poſſet, & alioqui philoſophi„cæ vitæ iam dudum amore teneretur, relicta eccleſiæ plebe, „in ſolitudine ac deuiis agris plurimos annos delituit. Verum „magnus ille iuſtitiæ oculus his peractis minime quieſcendum „putauit. Sed confeſtim impios illos iis ipſis vltus eſt diris, „quibus ſemetipſos peierantes deuouerant. Primus igitur, „quum modica quædam ſcintilla in domo, qua manebat, citra „vllam cauſſam ſubito exſiliiſſet, noctu incenſis ædibus cum „vniuerſa familia conflagrauit. Alteri corpus ab imis pedibus

(*x*) Euſeb. lib. VI. c. IX. τὸ εὔτονον αὐτȣ̃ καὶ σεμνὸν τȣ̃ βίȣ φαῦλοί τινες ἀνθρωπίσκοι μὴ οἷοί τε φέρειν, δέει τȣ̃ μὴ δίκην ὑποσχεῖν ἁλόντας, διὰ τὸ μυρία κακὰ ἑαυτοῖς συνειδέναι, συσκευὴν κατ᾽ αὐτȣ̃ προλαβόντες συῤῥάπτȣσι, καί τινα δεινὴν καταχέȣσιν αὐτȣ̃ διαβολήν· εἶτα πειθόμενοι τȣ̀ς ἀκροωμένȣς, ὅρκοις ἐβεβαίȣν τὰς κατηγορίας· καὶ ὁ μὲν ἦ μὴν ἀπόλοιτο πυρὶ ὤμνυεν· ὁ δὲ ἦ μὴν σκαιᾷ νόσῳ δαπανηθείη τὸ σῶμα· ὁ δὲ τρίτος ἦ μὴν τὰς ὁράσεις πηρωθείη· ἀλλ᾽ ȣ̓δ᾽ ȣ̔́τως αὐτοῖς καίπερ ὀμνύȣσι τῶν πιστῶν τις προσεῖχε τὸν νȣ̃ν, διὰ τὴν εἰς πάντας λάμπȣσαν ἐκ τȣ̃ παντὸς σωφροσύνην τε καὶ πανάρετον ἀγωγὴν τȣ̃ Ναρκίσσȣ· αὐτός γε μὴν τὴν τῶν εἰρημένων μηδαμῶς ὑπομένων μοχθηρίαν, καὶ ἄλλως ἐκ μακρȣ̃ τὸν φιλόσοφον ἀσπαζόμενος βίον· διαδρὰς πᾶν τὸ τῆς ἐκκλησίας πλῆθος, ἐν ἐρημίαις καὶ ἀφανέσιν ἀγροῖς λανθάνων, πλείστοις ἔτεσι διέτριβεν· ἀλλ᾽ ȣ̓ καὶ ὁ τῆς δίκης μέγας ὀφθαλμὸς ἐπὶ τοῖς πεπραγμένοις ἠρέμει· μετῄει δὲ ὡς τάχιστα τȣ̀ς ἀσεβεῖς, αἷς καθ᾽ ἑαυτῶν ἐπιορκȣ̃ντες κατεδήσαντο ἀραῖς· ὁ μὲν ȣ̃ν πρῶτος, ἐκ μηδεμιᾶς προφάσεως ἁπλῶς ȣ̔́τω σμικρȣ̃ διαπεσόντος, ἐφ᾽ ἧς κατέμενεν οἰκίας, σπινθῆρος, νύκτωρ ὑφαφθείσης ἁπάσης πανγενῇ καταφλέγεται· ὁ δὲ ἀθρόως τὸ σῶμα ἐξ

„ad ſummum vſque capitis verticem, eo morbi genere, quo ſe „ipſe mulctauerat, correptus eſt. Tertius priorum caſum con-„tuitus, omniumque inſpectoris Dei ineuitabilem veritus vin-„dictam, concinnatæ ab ipſis ex compacto calumniæ ordinem „eſt confeſſus. Tantis porro lamentis ob pœnitentiam facti ſe „ſe confecit, & in tantum lacrimas effundere perſeuerauit, vt „ex eo oculorum lumen amitteret„. Eiuſmodi pœnas periurii ſui perditiſſimi illi & amentiſſimi homines vindici Dei dextræ dederunt, vbi diſciplina eccleſiaſtica, deficientibus documentis, tangere eos non potuit.

§. IX.

De violatione votorum.

VLTIMA huius præcepti tranſgreſſio, quæ cenſura eccleſiaſtica puniebatur, votorum ſiue promiſſorum Deo factorum violatio erat. Et hæc quidem tam in rebus quam perſonis. Si quis bona ſua vel aliquam eorum partem miniſterio Dei ſe daturum voueret, deinde autem promiſſum reuocaret vel irritum faceret, voti erat violatio, includens ſacrilegium. *Ananias* ob hoc ipſum ſeueram incurrit cenſuram, & eiuſmodi aduerſum ſe indignationem Dei prouocauit, cuius *Petrus* miniſter fuit, vt, ex BASILII ſententia [y], ad pœnitentiam aditum inuenire non potuerit. Eccleſia in ſequentibus ſæculis iſtiuſmodi ſon-

ἄκρων ποδῶν ἐπὶ κεφαλήν, ἧς αὐτὸς προσετίμησεν ἑαυτῷ νόσῳ πίμπλαται· ὁ δὲ τρίτος τὰς τῶν προτέρων συνιδὼν ἐκβάσεις, καὶ τοῦ πάντων ἐφόρου θεοῦ τρέσας τὴν ἀδιάδραστον δίκην, ὡμολόγει μὲν τοῖς πᾶσι τὰ κοινῇ σφίσιν αὐτοῖς ἐσκαιωρημένα· τοσαύταις δὲ κατετρύχετο μεταμελόμενος οἰμωγαῖς, δακρύων τε ἐς τοσοῦτον οὐκ ἀπέλιπεν, ἕως ἄμφω διεφθάρη τὰς ὄψεις.

(y) Baſil. hom. de inſtitut. monach. (tom. II. opp. p. 509.) ἐξῆν γὰρ τῷ Ἀνανίᾳ τὴν ἀρχὴν μὴ ἐπαγγείλασθαι τῷ θεῷ τὴν κτῆσιν· ἀλλ' ἐπειδὰν πρὸς τὴν ἀνθρωπίνην ἀπιδὼν δόξαν, τὸ μὲν κτῆμα διὰ τῆς ἐπαγγελίας τῷ θεῷ ἀφιέρωσεν, ὡς ἂν θαυμασθείη παρὰ τῶν ἀνθρώπων ἐπὶ τῇ φιλοτιμίᾳ, τοῦ τιμήματος δὲ ἐνοσφίσατο· τοιαύτην ἐκίνησε καθ' ἑαυτοῦ τοῦ κυρίου τὴν ἀγανάκτησιν [ἧς ὑπηρέτης ὁ Πέτρος ἦν] ὡς μηδὲ μετανοίας θύραν εὑρεῖν. *Licebat initio Ananiæ poſſeſſiunculam ſuam Deo non polliceri ac vouere: ſed poſtquam humanæ gloriæ cupiditate inductus, quicquid in bonis habebat, per profeſſionem Deo conſecrauit, quo videlicet egregio iſtiuſmodi facto hominum de ſe admirationem excitaret: de pretio autem callide poſtea neſcio quid interuertit, eiuſmodi aduerſum ſe indignationem Dei prouocauit, cuius Petrus miniſter fuit, vt ne ad pœnitentiam aditum inuenire potuerit.*

tes extraordinaria ratione punire non poterat. Vti autem quælibet eiuſmodi voti violatio pars ſacrilegii, æque ac perfidiæ & periurii erat, ita certo colligere poſſumus, communes pœnas, his duobus criminibus ſigillatim ſpectatis conſtitutas, non minus ſollicite huic crimini, in quo duo iſta coniunctim reperiebantur, infligi conſueuiſſe. Clerici peculiaris Dei hæreditas eſſe credebantur, vt qui per ſolemnem liberi arbitrii actum eccleſiæ ſeſe miniſterio dicauerant: adeoque nemini iſtius ordinis ſtationem ſuam deſerere & ad ſæcularem vitam redire, ſub ſeueriſſima excommunicationis pœna, permittebatur. Quomodo ex regulis concilii generalis *Chalcedonenſis* [z] & concilii *Turonici* [a] apparet. Quod leges imperiales peculiaribus ſanctionibus ciuilibus [b] confirmant, iubentes iſtiuſmodi deſertores curiæ ciuitatis ſuæ vindicari, in eaque per omnem vitam ſeruire, bona autem, quæ poſſideant, eccleſiæ, vel monaſterio, ad quod ſpectent, adiudicari. Eædem enim pœnæ infligebantur monachis & virginibus ſacris ac viduis, qui per ſolemne votum ſæculo renuntiarant, & ad vitam ſe dederant aſceticam. Si poſtea matrimonio darent operam & ad vitam reuerterentur ſæcularem; licet eccleſia eorum matrimonium non iuberet eſſe irritum, quaſi eſſet adulterium (quod hodie in eccleſia *Romanenſi* fieri adſolet) certam tamen pœnitentiam ipſis, tamquam perfidiæ & violati voti reis, imponebat. Concilium *Chalcedonenſe* [c] & virgines & monachos excommunicari

(z) Concil. Chalcedon. can. VII. *τὰς ἅπαξ ἐν κλήρῳ κατειλεγμένους, ἢ καὶ μονάζοντας, ὡρίσαμεν, μήτε ἐπὶ στρατείαν, μήτε ἀξίαν κοσμικὴν ἔρχεσθαι· ἢ τοῦτο τολμῶντας, καὶ μὴ μεταμελομένους, ὥστε ἐπιστρέψαι ἐπὶ τοῦτο, ὃ διὰ Θεὸν πρότερον εἵλοντο, ἀναθεματίζεσθαι. Eos qui in clero ſemel ordinati ſunt & itidem monachos, ſtatuimus nec ad militarem expeditionem, nec ad ſæcularem dignitatem poſſe venire. Qui autem hoc audent & non pœnitentia ducti ad id reuertuntur, quod propter Deum prius elegerant, anathematizari.*

(a) Concil. Turon. c. V. Si quis clericus, relicto officii ſui ordine, laicam voluerit agere vitam, vel ſe militiæ tradiderit, excommunicationis pœna feriatur.

(b) Cod. Theod. lib. VI. tit. II. de epiſcopis leg. XXXIX. Cod. Iuſtin. lib. I. tit. III. de epiſc. leg. LV. Vid. lib. VI. c. IV. §. I. vol. II. pag. 381.

(c) Conc. Chalcedon. c. XVI. *Παρθένον ἑαυτὴν ἀναθεῖσαν τῷ δεσπότῃ Θεῷ, ὡσαύτως δὲ καὶ μονάζοντα, μὴ ἐξεῖναι γάμῳ προσομιλεῖν· εἰ δέ γε εὑρεθεῖεν τοῦτο ποιοῦντες, ἔστωσαν ἀκοινώνητοι. Virginem, quæ ſe domino dedicauit, ſimiliter & monachos non licere matrimonio coniungi. Sin autem hoc feciſſe inuenti fuerint, ſint excommunicati.*

iubet, ſi poſt ſolemnem conſecrationem & profeſſionem matrimonio iungantur. Ex BASILII [*d*] iudicio pœnitentiam adulterorum agere eos oportet. Non ac ſi iſtiuſmodi matrimonium pro adulterio habeat, ſed tantum vt tempus pœnitentiæ eis adſignet. Nam vti alibi [*] ex AVGVSTINO [*e*] oſtendimus, iſtiuſmodi matrimonia non pro adulteriis, ſed pro veris matrimoniis habita, neque adeo per vllam eccleſiæ veteris regulam irrita declarata ſunt: tametſi hodie ex auctoritate concilii *Tridentini* contraria praxis in eccleſia *Romanenſi* obtineat, in qua omnia iſtiuſmodi matrimonia reſcinduntur, & coniuges alter ab altero ſe ſeparare coguntur.

Concil. Tolet. IV. c. LII. Nonnulli monachorvm, egredientes a monaſterio, non ſolum ad ſæculum reuertuntur, ſed etiam vxores accipiunt. Hi igitur reuocati, in eodem monaſterio, a quo exierunt, pœnitentiæ deputentur, ibique defleant crimina ſua, vnde deceſſerunt.

Leo epiſt. XCII. ad Ruſtic. c. XII. Contrarium eſt omnino eccleſiaſticis regulis, poſt pœnitentiæ actionem redire ad militiam ſæcularem, quum apoſtolus dicat: *Nemo militans Deo implicet ſe negotiis ſæcularibus.* Vnde non eſt liber a laqueis diaboli, qui ſe militia mundana voluerit implicare.

Concil. Ancyran. c. XIX. *ὅσοι παρθενίαν ἐπαγγελλόμενοι, ἀθετοῦσι τὴν ἐπαγγελίαν, τὸν τῶν διγάμων ὅρον ἐκπληρούτωσαν. Quicumque virginitatem profitentes profeſſionem ſuam irritam reddunt, ii bigamorum definitionem impleant.*

(*d*) Baſil. can. LX. *Παρθένος ὁμολογήσασα, καὶ ἐκπεσοῦσα τῆς ἐπαγγελίας, τὸν χρόνον τοῦ ἐπὶ τῆς μοιχείας ἁμαρτήματος ἐν τῇ οἰκονομίᾳ τῆς καθ' ἑαυτὴν ζωῆς πληρώσει· τὸ αὐτὸ καὶ ἐπὶ τῶν βίον μονάζοντα ἐπαγγελλομένων, καὶ ἐκπιπτόντων. Quæ virginitatem profeſſa, a voto ſuo ac profeſſione lapſa eſt, peccati adulterii tempus in ſuæ vitæ diſpenſatione complebit. Idem & in iis, qui vitam monaſticam profitentur & labuntur.*

(*) Lib. VII. cap. III. §. XXIII. volum. III. p. 92.

(*e*) Auguſtin. de bono viduit. c. X. Qui dicunt talium nuptias, ſed potius adulteria, non mihi videntur ſatis acute ac diligenter conſiderare, quid dicant. Fallit eos quippe ſimilitudo veritatis &c.

LIBRI

LIBRI DECIMI SEXTI CAPVT OCTAVVM

DE PECCATIS CONTRA PRAECEPTVM QVARTVM, SIVE DE TRANSGRESSIONIBVS LEGIS, RELIGIOSAM DIEI DOMINICAE OBSERVATIONEM INIVNGENTIS.

§. I.

Fuga religiosorum conuentuum die dominica quomodo per leges ecclesiæ punita sit.

DE religiosa diei dominici obseruatione iam in antecedente quodam libro [†] nonnulla diximus, & plura dicemus posthac, vbi de diebus festis, ex quibus hic semper principalis in ecclesia christiana creditus est, agemus. Heic igitur instituti nostri ratio solum postulat, vt istiusmodi transgressiones legis, religiosam diei dominicæ obseruationem iniungentis, adnotemus, quæ homines ecclesiasticæ censuræ subiecerunt. Et *primum* quidem, quum regula præscripta vellet, vt homines ad celebranda publice omnia diuina officia die dominico conuenirent: neglectio huius officii siue ex toto siue ex parte pro crimine semper habebatur digno censura ecclesiastica. Congregationem ecclesiæ in vniuersum voluntaria separatione deserere, vti hæretici faciebant & schismatici, etiamsi priuata inter se instituerent conuenticula, eiusmodi legis violatio esse existimabatur, quam ecclesia seuerissima anathematis censura puniendam duceret: vti ex diuersis concilii *Gangrensis* [a] apparet canonibus, quos quum supra [*] fusius recitauimus, hoc loco repetere nihil attinet. *Secundo*, Si quis alioquin orthodoxus per notabile temporis interuallum ecclesiam die dominico frequentare negligeret, delictum hoc erat, quod iudicialem communionis interdictionem merebatur. Videre id est e canonibus *Illiberritanis* [b], *Sardicensibus* [c] & *Trullanis* [d], quos ob eamdem rationem heic interponere supersedemus.

(†) Lib. XIII. c. IX. §. I. vol. VI. p. 560. seqq.

(a) Concil. Gangrens. c. V. VI. VII. &c.

(*) Supra c. I. §. V. pag. 21.

(b) Concil. Illiberrit. c. XXI. ibid. sub sign. (†)

(c) Concil. Sardic. c. XI. sub litt. (l)

(d) Concil. Trull. c. LXXX. sub litt. (m)

§. II.

De frequentatione cuiusdam partis diuini cultus die dominica & neglectione partis reliquae.

Tertio, FREQVENTARE aliquam diuini cultus partem die dominica, & negligere partem reliquam, hisce temporibus magnum crimen erat, excommunicatione puniendum. Hoc manifesto patet e sic dictis canonibus apostolicis, quorum aliquis [e] hunc in modum statuit: *Cunctos fideles, qui in sanctam Dei ecclesiam ingrediuntur & sacras scripturas audiunt, non autem perseuerant in oratione & sancta communione, velut in ecclesiam inducentes confusionem, segregari oportet.* Idem iisdem verbis & sub eiusdem poenae denuntiatione decretum legitur in concilio *Antiocheno* [f]. Concilium *Illiberritanum* [g] episcopum ab eo, qui non communicet, munera vetat accipere. Quod re ipsa erat eos excludere a communione ecclesiae. Et concilium *Toletanum* primum [h] eos, qui ingrediantur ecclesiam, communionem autem negligant, admoneri, & si admoniti non communicent, ad agendam publicam poenitentiam, vti grandes peccatores, adigi iubet. Et alius eiusdem concilii canon [i] addit, quod si quis accesserit ad communionem & eucharistiam de manibus sacerdotis acceptam non sumserit, velut sacrilegus propelli debeat. Omnes hi canones supponunt, quod libro quodam antegresso [*] plenissime euictum dedimus, Quod eucharistiae celebratio visitata diuini cultus, die dominico fieri soliti, pars fuerit; & quod quilibet christianus, in ecclesiae viuens communione, eam participare debuerit, ad officium hoc die summo numini debitum explendum. Adeoque in omnes hanc diuini cultus partem negligentes, tamquam fraudis in legem ecclesia-

(e) Canon. apost. c. VII. vid. Graec. ibid. sub litt. (h) p. 20.

(f) Conc. Antioch c. II. ibid. sub litt. (i)

(g) Concil. Illiberrit. c. XXVIII. Episcopum, placuit, ab eo qui non communicat, munera non accipere debere.

(h) Concil. Toletan. I. c. XIII. De his, qui intrant in ecclesiam, & deprehenduntur numquam communicare, admoneantur. Quod si non communicant, ad poenitentiam accedant.

(i) Ibid. c. XIV Si quis autem acceptam a sacerdote eucharistiam non sumserit, velut sacrilegus propellatur.

(*) Lib. XV. cap. IX. vol. VI. p. 560 seqq.

sticam

ſticam admiſſæ reos, animaduertebatur, quod principalem religioſæ obſeruationis diei dominicæ partem contemnerent. Scribere hæc non poſſum, quin multorum piorum hominum hac ætate fatalem calamitatem lamenter, quorum animus inclinat, vt ſingulis diebus dominicis euchariſtiam ſumant, ſed, quæ hodierna rerum facies eſt, opportunitate carent optatum impetrandi. Tales in illo apoſtoli acquieſcant, oportet, *Si prius adſit promtus animus, aliquis acceptus eſt pro eo, quod habet, non pro eo, quod non habet*; interea autem orent Deum, vt pro bona prouidentia ſua aliquam inueniat methodum diſciplinam & priſcum feruorem inſtaurandi. Sed pergimus.

§. III.

Ieiunium diei dominici ſub pœna excommunicationis prohibitum.

ANTIQVVS & generalis in eccleſia veteri mos erat, diem dominicum in memoriam reſurrectionis ſeruatoris noſtri feſtum & lætum agere; nec vmquam iſto die ieiunare, ne ipſo quidem ieiunii quadrageſimalis interuallo. Et idcirco hoc die peruerſe ieiunare, pro crimine habebatur, cenſuram eccleſiaſticam commerente. TERTVLLIANVS [k] chriſtianos die dominico ieiunare nefas duxiſſe auctor eſt. Notat etiam, quod ipſi *Montaniſtæ*, qui in obſeruandis ſuis ieiuniorum temporibus longe erant rigidiſſimi, ſabbato [l] & die dominico per integrum annum non ieiunarint. Etſi enim ternas quadrageſimas & præterea duas hebdomadas xerophagiarum, ſiue ſiccorum ciborum, obſeruarint, ſabbatum tamen & diem dominicam ab his ieiunii legibus excepiſſe eos adfirmat. Similiter AMBROSIVS [m] catholicos hoſce duos dies in ieiunio quadrageſimali excipere conſueuiſſe narrat. *Dominica*, inquit idem AMBROSIVS alio loco [n], *ieiunare non poſſum, quia Manichæos etiam ob iſtius diei ieiunia iure damnamus. Hoc enim eſt in reſurrectionem Chriſti non credere, ſi quis legem ieiunii die reſurrectionis*

(k) Tertull. de coron. milit. c. III. Die dominico ieiunare nefas ducimus.

(l) Id. de ieiun. aduerſ. Pſychicos c. XV. Duas in anno hebdomadas xerophagiarum, nec totas, exceptis ſcilicet ſabbatis & dominicis, Deo offerimus.

(m) Ambroſ. de Elia & ieiunio c. X. Quadrageſimæ totis, præter ſabbatum & dominicam, ieiunatur diebus.

(n) Ambroſ. epiſt. LXXXIII.

indi-

indicat. Diuerſi alii hæretici ob hanc praxin damnantur in concilio *Bracarenſi* primo [*o*]: Speciatim *Cerdoniani*, *Marcionitæ* & *Priſcillianiſtæ* nominantur & feriuntur anathemate, vtpote die natali & dominico ieiunantes, quia hoc faciant in veræ humanæ naturæ Chriſti derogationem. LEO epiſcopus *Romanus* [*p*] *Priſcillianiſtas* eodem nomine reprehendit. Et concilium *Carthaginenſe* quartum [*q*] eos, qui die dominico ſtudioſe ieiunent, pro catholicis haberi vetat. AVGVSTINVS [*r*] non tantum dicit, quod ſit totius eccleſiæ conſuetudo ieiunium hoc die relaxare, ſed quod nemo aliter facere queat ſine magno ſcandalo eccleſiæ, quia *Manichæorum* hæreſis [*s*] fidei catholicæ contraria iſtam diem ieiunio conſtituerit. Ex his rationibus canones ſeueras cenſuras decernunt aduerſus iſtiuſmodi offenſores.

(*o*) Concil. Bracar. I. c. IV. Si quis natale Chriſti ſecundum carnem non vere honoret, ſed honorare ſe ſimulet, ieiunans in eodem die & in dominico; quia Chriſtum in vera hominis natura non credit, ſicut Cerdon, Marcion, Manichæus & Priſcillianus, anathema ſit.

(*p*) Leo epiſt. XCIII. ad Turibium c. IV. Quarto capitulo continetur, quod natalem Chriſti, quem ſecundum conceptionem veri hominis catholica eccleſia veneratur, quia verbum caro factum eſt & habitauit in nobis, non vere iſti honorent, ſed honorare ſe ſimulent, *ieiunantes eodem die, ſicut & die dominico*, qui eſt dies reſurrectionis Chriſti. Quod vtique ideo faciunt, quia Chriſtum dominum in vera hominis natura natum eſſe non credunt, ſed per quamdam illuſionem oſtentata videri volunt, quæ vera non fuerint; ſequentes dogma Cerdonis atque Marcionis & cognatis ſuis Manichæis per omnia concordantes. Qui, ſicut in noſtro examine detecti atque conuicti ſunt, dominicum diem, quem nobis ſaluatoris noſtri reſurrectio conſecrauit, exigunt in mœrore ieiunii; Solis, (vt proditum eſt) reuerentiæ hanc continentiam deuouentes, vt per omnia ſint a noſtræ fidei vnitate diſcordes, & dies, qui a nobis in lætitia habetur, ab illis in adflictione ducatur. Vnde dignum eſt, vt inimici crucis Chriſti & reſurrectionis talem excipiant ſententiam, qualem elegerint doctrinam.

(*q*) Concil. Cathag. IV. c. LXIV. Qui dominico die ſtudioſe ieiunat, non credatur catholicus.

(*r*) Auguſtin. epiſt. CXIX. ad Ian. c. XV. Propter hoc & *ieiunia relaxantur* & ſtantes oramus, quod eſt ſignum reſurrectionis. Vnde etiam omnibus diebus id ad altare obſeruatur & halleluia canitur &c.

(*s*) Auguſtin. epiſt. LXXXVI. ad Caſulan. (p. 390. edit. Baſil.) Die dominico ieiunare ſcandalum eſt magnum, maxime poſteaquam innotuit deteſtabilis multumque fidei catholicæ ſcripturiſque diuinis apertiſſime contraria hæreſis Manichæorum, qui ſuis auditoribus ad ieiunandum iſtum tamquam conſtiterunt legitimum diem, per quod factum eſt, vt ieiunium diei dominici horribilius haberetur.

Si

Si quis, inquit concilium *Gangrenſe* [*t*], *propter eam*, *quæ exiſtimatur*, *exercitationem in dominico ieiunet*, *ſit anathema.* Similiter *canones apoſtolici* [*u*]: *Si quis clericus inuentus fuerit die dominica ieiunans*, *vel ſabbato*, *præter vnum ſolum* (hoc eſt, paſcha proxime antecedens) *deponatur* : *ſi vero laicus ſit*, *ſegregetur.* Et hoc in concilio *Trullano* [*x*] aliiſque veteris eccleſiæ regulis repetitur.

§. IV.

Frequentatio theatri aliorumque ludorum & delectamentorum in hoc die quomodo punita.

DANTVR regulæ aliæ, a veteribus pro decenti huius diei obſeruatione datæ: Exempli gratia, Quod homines ab omni minus neceſſaria corporis functione ſe abſtinere; Quod omnes actiones forenſes, cauſſarum dictiones & exactiones ceſſare debeant; Quod diuinus cultus in reſurrectionis ſeruatoris noſtri memoriam a ſtantibus peragendus ſit: Verum vt harum regularum tranſgreſſiones communiter non cum eadem pœnarum eccleſiaſticarum comminatione memorari ſolent, earum conſideratio ad hoc caput non ſpectat, ſed ad locum ſuum reſeruabitur, ſub titulo *dierum feſtorum*, vbi de diei dominici obſeruatione ſpecialius rurſus agendum erit. Vnum autem reliquum eſt, hoc loco non prætermittendum: Nimirum, quod ſi homines publicum Dei cultum neglexiſſent, vt inanibus ſpectaculis & delectamentis hoc ipſo die operam darent, hoc pro crimine, ſeueriſſimis eccleſiæ cenſuris corrigendo, habitum fuerit. Leges imperiales omnes publicos ludus & ſpecta-

(*t*) Conc. Gangrenſ. c. XVIII. *Εἴ τις διὰ νομιζομένην ἄσκησιν ἐν τῇ κυριακῇ νηστεύοι, ἀνάθεμα ἔστω.*

(*u*) Can. apoſt. LXIV. *Εἴ τις κληρικὸς εὑρεθῇ τὴν κυριακὴν ἡμέραν ἢ τὸ σάββατον, πλὴν τοῦ ἑνὸς μόνου, νηστεύων, καθαιρείσθω· ἐὰν δὲ λαϊκὸς ᾖ, ἀφοριζέσθω.*

(*x*) Concil. Trull. c. LV. *Ἐπειδὴ μεμαθήκαμεν ἐν τῇ Ῥωμαίων πόλει ἐν ταῖς ἁγίαις τῆς τεσσαρακοστῆς νηστείαις τοῖς ταύτης σάββασι νηστεύειν παρὰ τὴν παραδοθεῖσαν ἐκκλησιαστικὴν ἀκολουθίαν, ἔδοξε τῇ ἁγίᾳ συνόδῳ, ὥστε κρατεῖν καὶ ἐπὶ τῇ Ῥωμαίων ἐκκλησίᾳ ἀπαρασαλεύτως τὸν κανόνα τὸν λέγοντα· εἴ τις κληρικὸς κ. τ. λ.* *Quoniam intelleximus in Romanorum ciuitate*, *in ſanctis quadrageſimæ ieiuniis*, *in eius ſabbatis ieiunare*, *præter eccleſiaſticam traditam obſeruationem* : *ſanctæ ſynodo viſum eſt*, *vt in Romanorum quoque eccleſia inconcuſſe vires habeat canon*, *qui dicit* : *Si quis clericus &c.*

Concil. Cæſar-auguſt. c. II. Ne quis ieiunet die dominica, cauſſa temporis (al. timoris) aut perſuaſionis, aut ſuperſtitionis &c.

cula hoc die interdicunt, *Theodosius magnus* de duabus legibus [*y*] loquitur, ab se ipso hunc in finem promulgatis. Et *Theodosius iunior* aliam [*z*] rogauit, qua non solum die dominico, sed aliis etiam maioribus festiuitatibus, nominatim die natali, atque epiphaniorum Christi, paschæ etiam & quinquagesimæ diebus ludos exhiberi interdixit. Quum autem hisce legibus nullæ pœnæ subiunctæ essent, legibus ecclesiæ semper erat occasio homines censuris coërcendi ecclesiasticis. Et idcirco canones hoc crimen vt nefarium scelus notabant, eosque, qui se eo adstrinxerant, plectebant excommunicatione. *Qui die solemni*, inquit concilium *Carthaginense* quartum [*a*], *prætermisso solemni ecclesiæ conuentu, ad spectacula vadit, excommunicetur.* Et alius canon [*b*]: *Sacerdote verbum faciente in ecclesia, qui de auditorio egressus fuerit, excommunicetur.* Concilium *Carthaginense* quintum,

(*y*) Cod. Theod. lib. XV. tit. V. de spectaculis leg. II. Illud etiam præmonemus, ne quis in legem nostram, quam dudum tulimus, committat: Nullus solis die populo spectacula præbeat, nec diuinam venerationem confecta solemnitate confundat.

(*z*) Ibid. leg. V. Dominico, qui septimanæ totius primus est dies, & natale, atque epiphaniorum Christi, paschæ etiam & quinquagesimæ diebus --- omni theatorum atque circensium voluptate populis denegata, totæ christianorum ac fidelium mentes Dei cultibus occupantur, &c.

Iustin. lib. III. tit. XII. de feriis leg. XI. Leonis & Anthemii. Dies festos maiestati altissimæ dedicatos, nullis volumus voluptatibus occupari, nec vllis exactionum vexationibus profanari. Dominicum itaque diem ita semper honorabilem decernimus & venerandum, vt a cunctis exsequutionibus excusetur: nulla quemquam vrgeat admonitio: nulla fideiussionis flagitetur exactio: taceat apparitio: aduocatio delitescat: sit ille dies a cognitionibus alienus: præconis horrida vox silescat: respirent a controuersiis litigantes & habeant fœderis interuallum: ad sese simul veniant aduersarii non timentes, subeat animos vicaria pœnitudo: pacta conferant, transactiones loquantur. Nec huius tamen religiosi diei otia relaxantes, obscœnis quemquam patimur voluptatibus detineri. Nihil eodem die sibi vindicet scena theatralis, aut circense certamen, aut ferarum lacrimosa spectacula: & si in nostrum ortum, aut natalem celebranda solemnitas inciderit, differatur. Amissionem militiæ, præscriptionemque patrimonii sustinebit, si quis vnquam hoc die festo spectaculis interesse, vel cuiuscumque iudicis apparitor prætextu negotii publici, seu priuati, hæc, quæ hac lege statuta sunt, crediderit temeranda.

(*a*) Concil. Carth. IV. can. LXXXVIII.

(*b*) Ibid. c. XXIV.

vti

vti in codice *Africano* [*c*] interpoſitum legitur, *Honorium* imperatorem rogabat, vt ſpectacula theatrorum ceterorumque ludorum die dominica, ceteriſque diebus celeberrimis amouerentur. CHRYSOSTOMVS [*d*] vocat ea *σατανικὰ συνέδρια*, *diabolica concilia*, edicitque auditoribus ſuis, ſe non amplius pharmaca leuia adhibiturum, ſed quum vlcus curationi reſiſtat, ſtyptica & mordacia admoturum, quo morbo occurratur citius. Scire igitur debere omnes his criminibus obnoxios, ſi poſt hanc ſuam admonitionem in ea negligentia manſerint, non toleraturum ſe, ſed legibus eccleſiaſticis vſurum, & magna auſteritate docturum, ne talia poſthac negligant, neue tanto contemtu diuina audiant eloquia. Ex quibus planum perſpectumque eſt, quod, licet ſpectacula & ludi circenſes & theatrales ſub imperatoribus chriſtianis permiſſi, die tamen dominica ſeuere prohibiti fuerint: Et quod homines, qui per iſtud tempus eos frequentare non dubitauerint, grauiſſimum crimen commiſiſſe crediti ob illudque ſeueriſſimæ eccleſiæ animaduerſioni ſubiecti fuerint.

(*c*) Cod. Afric. c. LXI. *κἀκεῖνο ἔτι μὴν δεῖ αἰτῆσαι, ἵνα τὰ θεώρια τῶν θεατρικῶν παιγνίων ἐν τῇ κυριακῇ καὶ ἐν ταῖς λοιπαῖς φαιδραῖς τῆς τῶν χριστιανῶν πίστεως κωλύωνται.*

(*d*) Chryſoſt. homil. VI. in geneſ. tom. II. p. 53. (p. 45. edit. Francof.) *ἀλλ' ὅπως μὴ πάλιν τοῖς αὐτοῖς περιπέσητε, μηδὲ μετὰ τὴν τοσαύτην ἡμῶν παραίνεσιν, πάλιν ἐπὶ* τὰ σατανικὰ συνέδρια *ἐκεῖνα δράμητε, ἀναγκαῖον διαμαρτύρασθαι· οὐδὲ γὰρ πάντοτε καλὸν, προσηνῆ φάρμακα ἐπιτιθέναι, ἀλλ' ὅταν ᾖ τὸ ἕλκος δυσένδοτον, δεῖ καὶ τὰ στύφοντα καὶ τὰ δάκνειν δυνάμενα προσάγειν, ἵνα ταχεῖα γένηται ἡ διόρθωσις· μαθέτωσαν τοίνυν ἅπαντες, οἱ τοῖς ἐγκλήμασιν ὑπεύθυνοι, ὅτι εἰ καὶ μετὰ ταύτην ἡμῶν παραίνεσιν πάλιν τῇ αὐτῇ ῥαθυμίᾳ ἐπιμένωσιν, οὐκ ἀνεξόμεθα, ἀλλὰ τοῖς νόμοις τῆς ἐκκλησίας χρησάμενοι μετὰ πολλῆς αὐτοὺς τῆς σφοδρότητος διδάξομεν, μὴ τοιαῦτα πλημμελεῖν, μηδὲ τοσαύτης καταφρονήσεως τῶν θείων ἀκούειν λογίων.*

LIBRI DECIMI SEXTI
CAPVT NONVM
DE GRANDIBVS PECCATIS CONTRA PRAECEPTVM QVARTVM, INOBEDIENTIA IN PARENTES ET DOMINOS, CONIVRATIONE AC REBELLIONE ADVERSVS PRINCIPES; ET CONTEMTV LEGVM ECCLESIAE.

§. I.

Liberis parentes suos specioso religionis titulo deserere non permissum. Pœna eorum, qui aliter statuerent.

PARENTVM nomine communiter intelliguntur non solum parentes naturales, sed politici etiam siue ciuiles, hoc est magistratus & gubernatores; & parentes spirituales, hoc est moderatores ecclesiæ; nec non parentes œconomici, hoc est, patres familias; quorum auctoritas quum in suos vel liberos, vel ciues, vel populum, vel seruos admodum magna esset, non tantum per leges imperiales, sed per leges etiam & animaduersiones ecclesiasticas, tuenda videbatur.

LIBERI per antiquas *Romanorum* leges adeo ad parentum suorum dominium & possessionem pertinere crediti, vt hi ius vitæ ac necis [a] in illos haberent, eosque summa vrgente egestate possent in seruitium vendere sine redemtione [b], quemadmodum e diuersis vtriusque codicis legibus apparet, & ex que-

(a) Cod. Iustin. lib. VIII. tit. XLVII. de patria potest. leg. X. Patribus ius vitæ in liberos necisque potestas olim erat permissa.

(b) Cod. Theod. lib. III. tit. III. de patribus, qui filios distraxerunt. leg. I. Omnes, quos parentum miseranda fortuna in seruitium, dum victum requirunt, addixit, ingenuitati pristinæ reformentur &c. Lib. V. tit. VIII. de his, qui sanguinolentos emtos vel nutriendos acceperint. Secundum statuta priorum principum, si quis a sanguine quoquo modo legitime comparauerit, vel nutriendum putauerit, obtinendi eius seruitii habeat potestatem: vt si quis post seriem annorum ad libertatem eum repetat, vel seruum defendat, eiusdem modi alium præstet, aut pretium, quod potest valere, exsoluat. cetera. Lib. XI. tit. XXVII. de alimentis, quæ inopes parentes de publico petere debent. leg. I. Aereis tabulis, vel cerussatis, aut linteis mappis, scripta per omnes ciuitates Italiæ proponatur lex, quæ parentum manus a parricidio arceat, votumque vertat in melius: officiumque tuum (vicarium Italiæ intelligit) hæc cura perstringat, Vt si quis parens adferat sobolem,

relis

relis veterum [c] de hac duritia; nec non ex allusione, quam seruator noster ad similem consuetudinem inter iudæos facit in parabola Matth. XVIII, vbi dominus debitorem suum iussit venundari, & vxorem eius, & liberos, & omnia quæ habebat, & reddi debitum. Et quamquam imperatorum christianorum leges hanc enormem parentum potestatem paullum coërcuerunt, adimendo [d] illis potestatem vitæ ac necis, & permittendo liberos ex publico ærario sustentari, vt impedirent, quo minus venderentur, vel si venditi essent, vt redimerentur: insignem tamen potestatem parentibus reliquerunt, vt de liberis suis, dum essent impuberes, pro arbitrio possent statuere, excepto tantum in seruitutis & mortis negotio. Nam ad tempora vsque *Iustiniani* liberis non permissum erat præter vel contra parentum suorum voluntatem vitam amplecti monasticam. Id

quam pro paupertate educare non possit, nec in alimentis, nec in veste impertienda tardetur, quum educatio nascentis infantiæ moras ferre non possit: Ad quam rem, & fiscum nostrum, & rem priuatam indiscreta iussimus præbere obsequia. Leg. II. Prouinciales, egestate victus atque alimoniæ inopia laborantes, liberos suos vendere, vel oppignorare cognouimus: Quisquis igitur huiusmodi reperietur, qui nulla rei familiaris substantiæ fultus est, quique liberos suos ægre ac difficile sustentat, per fiscum nostrum, antequam fiat calamitati obnoxius, adiuuetur: ita vt proconsules, præsidesque & rationales per vniuersam Africam habeant potestatem, & vniuersis, quos aduerterint in egestate miserabili constitutos, stipem necessariam largiantur: atque ex horreis substantiam protinus tribuant competentem: Abhorret enim nostris moribus, vt quemquam fame confici, vel ad indignum facinus prorumpere, concedamus.

(c) Basil. homil. in psalm. XIV. tom. I. p. 141. *εἶδον ἐγὼ ἐλεεινὸν θέαμα, παῖδας ἐλευθέρους ὑπὲρ χρεῶν πατρικῶν ἑλκομένους εἰς τὸ πρατήριον· οὐκ ἔχεις καταλιπεῖν χρήματα τοῖς παισί; μὴ προσαφέλῃ καὶ τὴν εὐγένειαν. Vidi ego miserabile spectaculum, pueros ingenuos ob debita patris in forum, pertrahi venum exponendos. Non habes pecuniam, quam relinquas filiis? ne saltem generositatem eis auferas.*

(d) Cod. Theod. lib. IX. tit. XV. de his, qui parentes vel liberos occiderunt. leg. vnica. Si quis in parentis aut filii, aut omnino adfectionis eius, quæ nuncupatione parricidii continetur, fata properauerit, siue clam siue palam id fuerit ausus, neque gladio, neque ignibus, neque vlla alia solemni poena subiugetur, sed insutus culleo, & inter eius ferales angustias comprehensus, serpentum contuberniis misceatur: & vt regionis qualitas tulerit, vel in vicinum mare, vel amnem proiiciatur: vt omni elementorum vsu viuus carere incipiat, vt ei cælum superstiti, terra mortuo auferatur. Lib. XI. tit. XXVII. leg. 1. & 2. cit. sub litt. (b).

quod e regula BASILII [e] liquet, quæ liberos in monasteria recipi prohibet, nisi a parentibus suis, si in viuis sint, adductos. Et concilium *Gangrense* grauem pœnam [f] eis constituit, in hunc modum decernendo: *Si qui filii a parentibus, maxime fidelibus, prætextu pietatis recesserint, & parentibus, quem par est, honorem non tribuerint, apud eos scilicet præposita in Deum pietate, sint anathema.* Hæc doctrina tradita & propagata fuit ab *Eustathianis* hæredicis, qui mulierem maritum, parentes liberos suos eodem vitæ monasticæ prætextu relinquere posse & negligere docuerunt. Contra quos [g] idem concilium diuersos alios canones sanxit, eamdem eis pœnam decernentes.

§. II.

Liberis sine parentum suorum consensione haud licitum connubia inire.

ALIA potestatis paternæ species, ius erat, quod parentes habebant statuendi de liberorum suorum matrimoniis. Quod ius per leges imperiales ita sartum tectumque seruatur, vt vix vllum crimen tam seuere punitum inuenias, quam eius violationem, vbi liberi, qui sub parentum suorum erant potestate, præter vel contra parentum suorum, vel tutorum, qui eorum loco erant, consensionem inierant connubia. Testatur hoc celebris *Constantini* lex in codice *Theodosiano* [h], quæ ita habet: *Si quis nihil cum parentibus puellæ ante depectus, inuitam eam rapuerit, vel volentem abduxerit, patrocinium ex eius responsione sperans, nihil ei secun-*

(e) Basil. regul. maior. quæst. XV. τὰ δὲ ὑπὸ γονεῦς ὄντα, παρ᾽ αὐτῶν ἐκείνων προσαγόμενα, ἐπὶ πολλῶν μαρτύρων δεχόμενοι, ὥστε μὴ δοῦναι ἀφορμὴν τοῖς θέλουσιν ἀφορμήν. *Qui sub parentibus sunt, eos ab ipsis adductos, multis adhibitis testibus recipiamus, vt non demus occasionem iis, qui volunt occasionem.*

(f) Concil. Gangrens. c. XVI. Εἴ τινα τέκνα γονέων, μάλιστα πιστῶν, ἀναχωροίη προφάσει θεοσεβείας, καὶ μὴ τὴν καθήκουσαν τιμὴν τοῖς γονεῦσιν ἀπονέμοι, προτιμωμένης δηλονότι παρ᾽ αὐτοῖς τῆς θεοσεβείας, ἀνάθεμα ἔστω.

(g) Ibid. can. XIV. Εἴ τις γυνὴ καταλιμπάνη τὸν ἄνδρα, καὶ ἀναχωρεῖν ἐθέλοι, βδελυττομένη τὸν γάμον, ἀνάθεμα ἔστω. *Si qua mulier relinquit maritum & vult recedere, matrimonium abhorrens, sit anathema.* Can. XV. Εἴ τις καταλιμπάνη τὰ ἑαυτῆς τέκνα, καὶ μὴ τεκνοτροφῇ, καὶ ὅσον ἐν ἑαυτῷ πρὸς θεοσέβειαν τὴν προσήκουσαν ἀνάγῃ, ἀλλὰ προφάσει τῆς ἀσκήσεως ἀμελοίη, ἀνάθεμα ἔστω. *Si quis suos liberos relinquit, nec eos alit, nec, quantum in se est, ad conuenientem pietatem religionemque adducit, sed exercitationis prætextu negligit, sit anathema.*

(h) Cod. Theod. lib. IX. tit. XXIV. de raptu virginum & viduarum leg. I.

dum

dum ius vetus prosit puellæ responsio ; sed ipsa puella potius societate criminis obligetur. Et quoniam parentum sæpe custodiæ nutricum fabulis & prauis suasionibus deluduntur, his primum, quarum detestabile ministerium fuisse arguetur, redemtique discursus, pœna immineat, vt eis meatus oris & faucium, qui nefaria hortamenta protulerit, liquentis plumbi ingestione claudatur. Et si voluntatis adsensio detegitur in virgine, eadem qua raptor seueritate plectatur : quum neque his immunitas præstanda sit, quæ rapiuntur inuitæ ; quum & domi se vsque ad coniunctionis diem seruare potuerint ; Et si fores raptoris frangerentur audacia, vicinorum opem clamoribus quærere, seque omnibus tueri conatibus. Sed his pœnam leuiorem imponimus, solamque eis parentum negari successionem præcipimus. Raptor autem indubitate conuictus, si appellare voluerit, minime audiatur. Si quis vero seruus, raptus facinus dissimulatione præteritum, aut pactione transmissum, detulerit in publicum, Latinitate donetur : aut si ciuis Latinus sit, ciuis fiat Romanus : parentibus, quorum maxime vindicta intererat, si patientiam præbuerint, deportatione plectendis. Participes etiam & ministros raptoris citra discretionem sexus eadem pœna præcipimus subiugari : Et si quis inter hæc ministeria seruilis conditionis fuerit deprehensus, citra sexus discretionem eum concremari iubemus. Lex ista *Constantini* per aliam legem *Constantii* filii ipsius confirmatur, cum aliquo tamen discrimine : *Quamuis* [*i*] *legis prioris exstet auctoritas, qua inclytus pater noster contra raptores atrocissime iusserat vindicari* (nimirum igne & bestiarum supplicio, vti GOTHOFREDVS interpretatur) *tamen non tantummodo capitalem pœnam constituimus ; videlicet, ne sub specie atrocioris iudicii aliqua in vlciscendo crimine dilatio nasceretur. In audaciam vero seruilem dispari supplicio, mensura legum impendenda est, vt perurendi subiiciantur ignibus, nisi a tanto facinore saltem pœnarum acerbitate reuocentur.* Et alia *Valentiniani* ac *Gratiani* lex [*k*] de viduis ita statuit : *Viduæ intra XXV annum degentes, etiamsi emancipationis libertate gaudeant, tamen in secundas nuptias non sine patris consensu conueniant.* Sunt & multæ aliæ leges, in vtroque codice [*l*] in eamdem sententiam. Leges ecclesia-

(*i*) Cod. Theod. ibid. leg. II.

(*k*) Cod. Theod. lib. III tit. VII. de nuptiis leg. I.

(*l*) Cod. Theod. ibid. leg. III. Si donationes ante nuptias, vel dotis instrumenta, defuerint, pompa etiam, aliaque nuptiarum celebritas omittatur, nullus æstimet, ob id deesse, recte alias inito matrimonio, firmitatem, vel ex eo

sticæ

sticæ hac in re cum ciuilibus conspirant. AVGVSTINVS [m] disertis verbis dicit, matres æque ac patres in liberos suos ius habere, vt de eorum nuptiis possint pro arbitratu statuere. *Matris voluntatem*, inquit, *in tradenda filia omnibus, vt arbitror, natura præponit, nisi eadem puella in ea iam ætate fuerit, vt iure licentiori sibi ipsi eligat, quid velit.* Idem TERTVLLIANVS [n] ait: *Nec in terris filii sine consensu patris rite & iure nubent.* BASILIVS [o] canone quodam decernit, vt ii, qui virgines rapuerint, fornicationis pœnas subeant, hoc est, quatuor annis pœnitentiam agant; & si virgines agnatis suis restitutæ sint, vt illorum sententiæ permittatur, vtrum raptoribus in matrimonium dare ve-

natis liberis iura posse legitimorum auferri, si inter pares honestate personis, nulla lege impediente, fiat consortium, quod *ipsorum consensu atque amicorum fide*, firmatur.

Cod. Iustin. lib. V. tit. IV. de nuptiis. leg. I. Quum de nuptiis puellæ quæritur, nec inter tutorem & matrem & propinquos de eligendo futuro marito conuenit: arbitrium præsidis prouinciæ necessarium est. Leg. II. Si nuptiis pater tuus consensit: nihil oberit tibi, quod instrumento ad matrimonium pertinenti non subscripsit. Leg. VII. Si post querelam de marito a filia tua ad te delatam, dissolutum est matrimonium, nec te consentiente ad eumdem regressa est: minus legitima coniunctio est, cessante patris voluntate, in cuius est potestate: atque ideo non petente filia, petitionem dotis repetere non prohiberis. Leg. XX. In coniunctione filiarum in sacris positarum, patris exspectetur arbitrium. Sed si sui iuris puella sit, intra quintum & vicesimum annum constituta: ipsius quoque adsensus exploretur. Si patris auxilio destituta, matris & propinquorum, & ipsius quoque requiratur adultæ iudicium. Si vtroque orba parente sub curatoris defensione constituta sit. &c. Iust. instit. lib. I. tit. X. de nuptiis. Si filii familiarum sint, consensum habeant parentum, quorum in potestate sunt. Nam hoc fieri debere & ciuilis & naturalis ratio suadet: in tantum, vt iussus parentis præcedere debeat.

(*m*) Augustin. epist. CCXXXIII. ad Benenatum.

(*n*) Tertull. ad vxor. lib. II. c. IX.

(*o*) Basil. can. XXII. *εἰ δὲ σχολάζουσάν τις λάβῃ, ἀφαιρεῖσθαι μὲν δεῖ, καὶ τοῖς οἰκείοις ἀποκαθιστᾷν· ἐπιτρέπειν δὲ τῇ γνώμῃ τῶν οἰκείων, εἴτε γονεῖς εἶεν, εἴτε ἀδελφοὶ, εἴτε οἵτινεσοῦν προεστῶτες τῆς κόρης· κᾂν μὲν ἕλωνται αὐτῷ παραδοῦναι, ἵστασθαι τὸ συνοικέσιον· ἐὰν δὲ ἀνανεύσωσι, μὴ βιάζεσθαι· τὸν μέν τοι ἐκ διαφθορᾶς, εἴτε λαθραίας, εἴτε βιαιοτέρας, γυναῖκα ἔχοντα, ἀνάγκη τὰ τῆς πορνείας ἐπιγνῶναι ἐπιτίμια· ἔστι δὲ ἐν τέσσαρσιν ἔτεσιν ὡρισμένη τοῖς πορνεύουσιν ἐπιτίμησις. Si quis vacantem, (i. e. virginem) acceperit: auferre quidem oportet & suis restituere; illorum autem sententiæ permittere; siue sint parentes, siue fratres, siue quicumque alii virgini præsint: & si ei quidem tradere* lint,

lint, an non. Alio canone [p] ait: *Quæ ſine iis, qui habent poteſtatem, fiunt matrimonia, ſunt fornicationes. Nec ergo viuente patre, nec domino ii, qui conueniunt, ſunt ab accuſatione liberi, donec coniugio domini annuerint: tunc enim accipit firmitatem coniugium.* Et alio [q]: *Puellæ, quæ præter patris ſententiam fornicatores ſecutæ ſunt, fornicantur. Reconciliatis vero parentibus, videtur res remedium accipere: at non protinus ad communionem reſtituantur, ſed triennio puniuntur.* Et rurſus alio [r]: *Quæ præter domini ſententiam ſe viro tradiderit, fornicata eſt: - Eorum enim, qui ſunt in alterius poteſtate, pacta conuenta firmi nihil habent. Quare* [†] *licet dominus poſtea conſenſerit ratumque habuerit matrimonium, prius tamen vitium tamquam fornicatio puniri debet.*

§. III.

Nec ſeruis ſine dominorum ſuorum conſenſu.

Ex duobus de modo memoratis canonibus apparet, quod ſerui non minus ſub poteſtate dominorum ſuorum fuerint, quam liberi ſub parentibus ſuis. Et idcirco æque ſeruo crimini dabatur, ſine domini conſenſu coniugium inire, atque liberis ſine conſenſu parentum ſuorum. Et ex eadem ratione ſervo non licebat ſine domini ſui conſenſu vel vitam monaſticam amplecti, vel ordines accipere clericales, quemadmodum aliis in locis [*] oſtendimus; quia hoc erat dominum priuare legitimo iure ſeruitii, quod ex naturali ſtatu ac conditione ſeruorum ei debebatur. Neque eccleſia iſtiuſmodi fraudes & iniuſtitiam

voluerint, matrimonium conſtituere: ſin autem renuerint, non cogi. Ei autem, qui mulierem vel vi vel clam a ſe vitiatam habet, neceſſe eſt fornicationis pœnas imponere: eſt autem in quatuor annis præfinitum fornicatoribus ſupplicium.

(p) Baſil. can. XLII. Οἱ ἄνευ τῶν κρατούντων γάμοι, πορνεῖαί εἰσιν· οὔτε οὖν πατέρος ζῶντος οὔτε δεσπότου, οἱ συνιόντες ἀνεύθυνοί εἰσιν, ἕως ἂν ἐπινεύσωσιν οἱ κύριοι τὴν συνοίκησιν· τότε γὰρ λαμβάνει τὸ τοῦ γάμου βέβαιον.

(q) Ibid. c. XXXVIII. αἱ κόραι, αἱ παρὰ γνώμην τοῦ πατέρος ἀκολουθήσασαι, πορνεύουσι· διαλλαγέντων δὲ τῶν γονέων δοκεῖ θεραπείαν λαμβάνειν τὸ πρᾶγμα· οὐκ εὐθὺς δὲ εἰς τὴν κοινωνίαν ἀποκαθίστανται, ἀλλ᾽ ἐπιτιμηθήσονται τρία ἔτη. Videſis etiam ap. Matthæum monach. reſponſ. matrim. in iure Gr. Rom. Leunclavii p. 500. 501.

(r) Baſil. can. XL. Ἡ παρὰ γνώμην τοῦ δεσπότου ἀνδρὶ ἑαυτὴν ἐκδοῦσα, ἐπόρνευσεν· --- αἱ γὰρ συνθῆκαι τῶν ὑπεξουσίων οὐδὲν ἔχουσι βέβαιον.

(†) Not. Hæc apud Baſilium non exſtant.

(*) Lib. IV. c. IV. §. II. vol. II. p. 145. Lib. VII. c. III. §. II. vol. III. p. 43.

iuuare ſed potius interdictis & accommodatis pœnis reprimere adlaborabat.

§. IV.

De pœna criminis læſæ maieſtatis.

Alivd genus parentum, quorum honori hoc præceptum volebat conſultum, erant parentes politici, hoc eſt, patres patriæ, reges ac imperatores, quorum auctoritas & maieſtas ſacra & ſuprema ſecundum Deum habebatur. Et idcirco omnis in eos perfidia & iniuria ſiue verbis, ſiue opere illata, ſeuere ſemper per leges eccleſiæ caſtigabatur. Superſedeo heic commemorare, quæ pœnæ ciuiles per leges imperiales talibus huius præcepti quinti violatoribus inflictæ ſint, quia antiqui codices ciuiles pleni earum ſunt ſub diuerſis titulis, quos lector eruditus, ſi lubet, poteſt conſulere. Huiuſmodi crimina ſunt, Maledicta in ſummos imperantes [s] coniecta; Doloſa litterarum eorum [t] imitatio; Monetæ adulteratio [u]; Augurum ſiue aſtrologo-

(s) Cod. Theod. lib. IX. tit. IV. Si quis imperatori maledixerit. leg. I. Si quis modeſtiæ neſcius & pudoris ignarus, improbo petulantique maledicto nomina noſtra crediderit laceſſenda ac temulentia turbulentus obtrectator temporum fuerit, eum pœnæ nolumus ſubiugari, neque durum aliquod nec aſperum ſuſtinere: quoniam, ſi id ex leuitate proceſſerit, contemnendum eſt: ſi ex inſania, miſeratione digniſſimum: ſi ab iniuria, remittendum. Vnde integris omnibus ad noſtram ſcientiam referatur, vt ex perſonis hominum dicta penſemus, & vtrum prætermitti, an exquiri debeat, cenſeamus.

(t) Cod. Theod. lib. IX. titul. XIX. ad legem Corneliam de falſo leg. III. Serenitas noſtra proſpexit, inde cæleſtium (i. e. imperatoriarum) litterarum cœpiſſe imitationem, quod his apicibus tuum grauitatis officium conſultationes, relationeſque complectitur, quibus ſcrinia noſtræ perennitatis vtuntur: Quamobrem iſtius ſanctionis auctoritate præcipimus, vt poſthac magiſtra falſorum conſuetudo tollatur, & communibus litteris vniuerſa mandentur, quæ vel de prouincia fuerint ſcribenda, vel a iudice; vt nemo ſtili huius exemplum aut priuatim ſumat, aut publice.

(u) Ibid. titul. XXI. de falſa moneta tit. XXII. leg. I. Quicumque adulterina fecerit nomiſmata, pœnam pro diſcretione ſexus & conditionis ſuæ diuerſitate ſuſtineat: hoc eſt, vt ſi decurio, vel decurionis ſit filius, exterminatus genitali ſolo, ad quamcumque in longinquo poſitam ciuitatem ſub perpetui exilii conditione mittatur, ac ſuper facultatibus eius ad noſtram ſcientiam referatur: Si plebeius, vt rebus amiſſis perpetuæ damnationi dedatur: ſi ſeruilis conditionis, vltimo ſupplicio ſubiugetur. Vid. & leg. ſeqq. It. titul. XXII. Si quis ſolidi circulum exteriorem inciderit, vel adulteratum in vendendo ſubiecit. Tit. XXIII. Si quis pecunias conflauerit &c.

rum

rum consultatio de termino vitæ eorum [x], vel instituta per curiosas artes inuestigatio de futuro eorum successore; Excitatio tumultuum [y] ad turbandam disciplinam publicam; Conspiratio contra [z] eorum vitas vel imperium; Vsus armorum [a] sine eorum auctoritate; & similia, quæ generalibus nominibus seditionis, proditionis, conspirationis & rebellionis veniunt; & quæ ab vniuersalibus indulgentiis [b], quas die paschatis reis dare solebant imperatores, semper excipiebantur. Neque dicere necessum habeo, contemtum legum imperialium pro sacrilegio [c] per ipsas leges habitum & hoc nomine punitum fuisse. Quod hoc loco potissimum notandum mihi est, pœna

(x) Cod. Theod. lib. IX. tit. XVI. de malefic. & mathemat. leg. VIII. Cesset mathematicorum tractatus: Nam si qui publice aut priuatim in die noctuque, deprehensus fuerit in cohibito errore versari, capitali sententia feriatur vterque.

(y) Cod. Theod. lib. IX. tit. XXXIII. de iis, qui plebem audet contra publicam colligere disciplinam. Si quis contra euidentissimam iussionem suscipere plebem & aduersus publicam disciplinam defendere fortasse tentauerit, multam grauissimam sustinebit.

(z) Cod. Theod. lib. IX. tit. V. ad legem Iuliam maiestatis. Si quis alicui maiestatis crimen intenderit, quum in huiuscemodi re conuictus minime quisquam, priuilegio dignitatis alicuius astrictiore inquisitione defendatur, sciat, se quoque tormentis esse subdendum, (si aliis manifestis indiciis accusationem suam non poterit comprobare) cum eo, qui huius esse temeritatis deprehenditur. Illum quoque tormentis subdi oportet, cuius consilio atque instinctu ad accusationem accessisse videbitur, vt ab omnibus commissi consciis statuta vindicta possit reportari, cetera. Tit. VI. Ne præter crimen maiestatis seruus dominum, vel patronum libertus seu familiaris accuset. tot. Ibid. tit. XIV. ad legem Corneliam de sicariis, tot. Tit. XI. de pœnis. leg. XV. XVI. XVII. Lib. XV. tit. XIV. de infirmandis his, quæ sub tyrannis gesta sunt. tot.

(a) Cod. Theod. lib. XV. tit. XV. De armorum vsu interdicto. leg. vnic. Nulli prorsus, nobis insciis atque inconsultis, quorumlibet armorum mouendorum copia tribuatur.

(b) Cod. Theod. lib. IX. tit. XXXVIII. de indulgentiis criminum. tot.

(c) Cod. Theodos. lib. VI. tit. V. leg. II. Sit plane sacrilegii reus, qui diuina præcepta neglexerit. It. tit. XXIV. de domesticis leg. IV. *Pœna sacrilegii similis* erit, si his honorificentia non deferatur, qui contingere nostram purpuram digni sunt æstimatis. Tit. XXXV. de priuilegiis militum palatinorum leg. XIII. Omnes, qui in palatio militando diuersis artibus paruerunt, secundum legem domini Germani nostri, in tantum eius dignitatis, cuius meruerint missionem, obtinere norunt insignia, vt his omnibus præferantur in ordine atque consessu, qui posteriore tempore regendas prouincias digni-

ecclesiastica est, quæ perfidiæ & proditioni omnique publico ciuilis regiminis contemtui infligi consueuit; cuiusmodi in crimina, siue verbo siue ipso facto admissa, veteres magna cum seueritate animaduerterunt. Per tria priora sæcula contra gentiles magnopere in hoc gloriati sunt, quod, licet imperatores gentilitatis superstitioni addicti & nonnulli eorum crudeles christianorum vexatores essent, nulli tamen perfidi & seditiosi inter vexatos christianos vmquam reperti sint. *Circa maiestatem imperatoris infamamur*, inquit TERTVLLIANVS [d], *tamen numquam Albiniani, nec Nigriani, vel Cassiani* (homines, qui insidias struxerunt imperatoribus) *inueniri potuerunt christiani: Sed iidem ipsi, qui per genios eorum in pridie vsque iurauerant, qui pro salute eorum hostias & fecerant & vouerant, qui christianos sæpe damnaverant, hostes eorum sunt reperti. Christianus nullius est hostis, nedum imperatoris: quem sciens a Deo suo constitui, necesse est, vt & ipsum diligat, & reuereatur, & honoret, & saluum velit, cum toto Romano imperio, quousque sæculum stabit: tam diu enim stabit. Colimus ergo & imperatorem sic, quomodo & nobis licet, & ipsi expedit, vt hominem a Deo secundum, & quidquid est, a Deo consequutum, & solo Deo minorem. -- Sacrificamus pro salute imperatoris, sed Deo nostro & ipsius; sed quomodo præcepit Deus, pura prece. Non enim eget Deus conditor vniuersitatis odoris aut sanguinis alicuius. Hæc enim dæmoniorum pabula sunt. Dæmones autem non tantum respuimus, verum & reuincimus & cotidie traducimus & de hominibus expellimus.* Hanc igitur ob caussam, durante hoc interuallo, nihil opus erat pœnis ecclesiasticis ad corrigendos perfidos in regimen ciuile, quia nulli huius criminis rei erant inter christianos. Quando autem plerique omnes christianam religionem erant amplexi, tum istiusmodi leges contra seditionem aliaque criminum maiestatis genera ferendi subnata est occasio. Atque ex eo tempore diuersos canones ad præueniendam & corrigendam istam transgressionem factos inuenimus. Concilium *Carthaginense* quartum [e] seditiosos vmquam clericos ordinari vetat, vtpote sacro muneri

tatesque susceperint palatinas. Hoc autem generale decretum si quisquam temeraria vsurpatione violare tentauerit, *sacrilegii reus* legibus censeatur.

(*d*) Tertull. ad Scapul. c. II.

(*e*) Concil. Carth. IV. c. LXVII. Seditionarios numquam ordinandos clericos, sicut nec vsurarios, nec iniuriarum suarum vltores.

scan-

ſcandalo futuros. Et hoc iiſdem verbis repetitur in concilio *Agathenſi* [*f*]. Concilium *Toletanum* quartum [*g*] clericos, qui in quacumque ſeditione arma ſumſerint, amiſſo ordinis ſui gradu in monaſterium, ad agendam inibi per omnem vitam ſuam pœnitentiam, tradi iubet. Concilium *Toletanum* [*h*] quintum iuramenti fidelitatis meminit, quod in antegreſſo quodam generali totius *Hiſpaniæ* concilio ab omnibus ſubiectis regi eiuſque hæredibus præſtari iuſſum ſit: & ſeueriſſimum anathema contra omnes, qui vllam eius particulam violarint, pronuntiatur. Speciatim excommunicant & anathemate feriunt patres ibi congregati omnes eos, qui ad regiæ maieſtatis faſtigium [*i*] ſine nobilitatis & totius gentis *Gothicæ* conſenſu peruenire contendant; qui curioſe vitam & caſus principis exquirant [*k*]; qui maledicta in principem congerant, quum ſcriptum ſit: *Principi in populo tuo non*

(*f*) Concil. Agath. c. LXIX.

(*g*) Concil. Tolet. IV. c. XLIV. Clerici, qui in quemcumque ſeditione arma volentes ſumſerint, aut ſumſerunt, reperti, amiſſo ordinis ſui gradu in monaſterium contradantur pœnitentiæ.

(*h*) Concil. Tolet. V. c. II. Ne ſuccedentes præcedentibus, ac deinde ſequentes inuideant anterioribus, & vt cuncta quieta & pacata permaneant, hæc noſtri concilii communiter conſiderata defertur ſententia, vt ſeruetis, quæcumque in vniuerſali & magna ſynodo prouiſa conſcriptaque circa principum ſalutem & vtilitatem ſunt. --- Quo circa ne hæc prouiſa temerentur, & vt cupiditas radix omnium malorum auferatur, conteſtamur omnes præſentes & abſentes, vel etiam futuris temporibus ſubſequentes, coram Deo & angelis eius: Quod ſi quiſquam noſtræ conteſtationi temerator exſtiterit, & quacumque argumentatione odioſe eos moleſtare, aut in aliquo fuerit conatus lædere, ſit anathema in chriſtianorum omnium cœtu, atque ſupremo condemnetur iudicio; ſit exprobabilis omnibus catholicis, & abominabilis ſanctis angelis in miniſterio Dei conſtitutis; ſit in hoc ſæculo perditus, & in futuro damnatus, qui tam rectæ prouiſioni noluit præbere conſenſum.

(*i*) Ibid. can. III. Quoniam inconſideratæ quorumdam mentes & ſe minime capientes, quas nec origo ornat, nec virtus decorat, paſſim putant licenterque ad regiæ maieſtatis peruenire faſtigia; huius rei cauſſa noſtra omnium, cum inuocatione diuina, profertur ſententia, vt qui talia meditatus fuerit, quem nec electio omnium probat, nec Gothicæ gentis nobilitas ad hunc honoris apicem trahit, ſit a conſortio catholicorum priuatus, & diuino anathemate condemnatus.

(*k*) Ibid. can. IV. Ergo, quia & religioni inimicum & hominibus conſtat eſſe perniciosum, futura illicite cogitare, & caſus principum exquirere, ac ſibi in poſterum prouidere, quum ſcriptum ſit: *Non eſt veſtrum noſſe tempora, vel momenta, quæ pater poſuit in ſua poteſtate*, hoc decreto cenſemus, vt

maledices. Si enim maledici [l] regnum Dei non sint possessuri, multo magis ab ecclesia eum pelli, qui diuinæ violator sententiæ inueniatur. Tandem definiunt, [m] in omni concilio episcoporum *Hispaniæ* hoc decretum, propter principum salutem constitutum, publice legi debere, vt nemo officii sui supremo magistratui debiti ignarus sit. Quod ipsum decretum in diuersis aliis huius nationis conciliis [n] repetitum ac confirmatum inuenimus.

§. V.

De contemtoribus legum ecclesiæ.

VLTIMVM genus parentum, quibus honor & obedientia debetur, spirituales sunt parentes, siue rectores ecclesiæ, quorum legum ac regularum, ad bonum regimen, ordinem ac ædificationem factarum, contemtus semper res esse credebatur digna censura ecclesiastica. Innumera huius rei exempla in veterum conciliorum actis & canonibus occurrunt. Satis habebo, si duo vel tria retulero, quæ ad materias pure ecclesiasticæ obseruationis spectant. Concilium *Antiochenum* [o] omnes eos excommunicat, qui decreto de festo paschatis, in synodo

quisquis inuentus fuerit talia perquisisse, &, viuente principe, in alium attendisse pro futura regni spe, aut alios in se propter id attraxisse, a conuentu catholicorum excommunicationis sententia repellatur.

(l) Ibid. can. V. Sed & hoc pro pestilentiosis hominum moribus salubri ordinatione censemus, ne quis in principem maledicta congerat. Scriptum est enim a legislatore: *Principem populi tui non maledices.* Quod si quis fecerit, excommunicatione ecclesiastica plectatur. Nam si *maledici regnum Dei non possidebunt*, quanto magis talis ab ecclesia necessario pellitur, qui diuinæ violator sententiæ inuenitur.

(m) Ibid. can. VII. Propter malarum mentium facilitatem & memoriæ obliuionem hoc sacratissima statuit synodus, vt in omni concilio episcoporum Hispaniæ, vniuersalis concilii decretum, quod propter principum nostrorum est salutem constitutum, peractis omnibus in synodo, publica voce debeat pronuntiari; quatenus sæpe supplicatum auribus vel adsiduitate iniquorum mens territa corrigatur, quæ ad præuaricandum & obliuione, & facilitate, producitur.

(n) Concil. Tolet. VI. c. XVII. XVIII. tot. Tolet. XII. c. I. Tolet. X. c. II.

(o) Concil. Antioch. c. I. *πάντας τὲς τολμῶντας παραλύειν τὸν ὅρον τῆς ἁγίας καὶ μεγάλης συνόδε, τῆς ἐν Νικαίᾳ συγκροτηθείσης ἐπὶ παρεσίᾳ τῆς εὐσεβείας τε θεοφιλεστάτε βασιλέως Κωνσαντίνε, περὶ τῆς ἁγίας ἑορτῆς τε σωτηριώδες πάσχα, ἀκοινωνήτες καὶ ἀποβλήτες εἶναι τῆς ἐκκλησίας, εἰ ἐπιμένοιεν φιλονεικότερον ἐνισάμενοι πρὸς τὰ καλῶς δεδογμένα· καὶ ταῦτα εἰρήσθω περὶ τῶν λαϊκῶν· εἰ δέ τις τῶν*

Nicæna facto, pertinaciter se opposuerint. Concilium *Carthaginense* primum [*p*] magis generatim omnes eos sub censuram vocat, qui decreta ecclesiastica susque deque habuerint: *Si quis statuta supergressus corruperit, vel pro nihilo habenda putauerit: si laicus est, communione, si clericus est, honore priuetur.* Concilium *Epaonense* [*q*] similem in modum decreta sua hac sanctione concludit: *Si quis sanctorum antistitum, qui statuta præsentia subscriptionibus propriis firmauerunt, relicta integritate, obseruationes excesserit: reum se diuinitatis pariter & fraternitatis iudicio futurum esse cognoscat.* Concilium *Toletanum* quartum [*r*] hymnorum ac precum ab ecclesia præscriptarum contemtores excommunicari iubet. *Sicut orationes, ita & hymnos, in laudem Dei compositos, nullus nostrum vlterius improbet, sed pari modo in Gallicia Hispaniaque celebrent; excommunicatione plectendi, qui hymnos reiicere fuerint ausi.* Et *Reccaredus* rex in concilio *Toletano* tertio [*s*] præter excommunicationem ciuili etiam pœna, scilicet amissione rerum suarum & exi-

---

προεστότων τῆς ἐκκλησίας, ἐπίσκοπος, ἢ πρεσβύτερος, ἢ διάκονος, μετὰ τὸν ὅρον τοῦτον τολμήσειεν ἐπὶ διαστροφῇ τῶν λαῶν, καὶ ταραχῇ τῶν ἐκκλησιῶν, ἰδιάζειν καὶ μετὰ τῶν Ἰουδαίων ἐπιτελεῖν τὸ πάσχα· τοῦτον ἡ ἁγία σύνοδος ἐντεῦθεν ἤδη ἀλλότριον ἔκρινεν τῆς ἐκκλησίας· ὡς οὐ μόνον ἑαυτῷ ἁμαρτίας, ἀλλὰ πολλοῖς διαφθορᾶς καὶ διαστροφῆς γινόμενον αἴτιον· καὶ οὐ μόνον τοὺς τοιούτους καθαιρεῖ τῆς λειτουργίας, ἀλλὰ καὶ τοὺς τολμῶντας τούτοις κοινωνεῖν μετὰ τὴν καθαίρεσιν. τοὺς δὲ καθαιρεθέντας ἀποστερεῖσθαι καὶ τῆς ἔξωθεν τιμῆς, ἧς ὁ ἅγιος κανὼν καὶ τὸ τοῦ θεοῦ ἱερατεῖον μετείληφεν. Omnes, qui audent dissoluere decretum sanctæ & magnæ synodi, quæ Nicææ coacta est in præsentia pietatis religiosissimi imperatoris Constantini, de sancto festo salutiferi paschalis, esse excommunicatos & ecclesia eiectos statuimus, si aduersus ea, quæ recte decreta sunt, contentiosius insistere perrexerint. Et hæc quidem de laicis dicta sint. Si quis autem eorum, qui præsunt ecclesiæ, episcopus, vel presbyter, vel diaconus, audebit post hoc decretum ad populorum subuersionem & ecclesiarum perturbationem seorsum agere, & pascha cum iudæis peragere, sancta synodus eum abhinc alienum esse ab ecclesia iudicauit, vt qui non sibi solum peccati, sed & multis exitii & subuersionis caussa fuerit: & non solum eos a ministerio deponit, sed & eos, qui audent iis communicare post depositionem. Depositos autem etiam externo honore priuari, cuius sanctus canon & Dei sacerdotium fecit participes.

(*p*) Concil. Carth. I. c. XIV.

(*q*) Concil. Epaonens. c. XL.

(*r*) Concil. Tolet. IV. c. XII.

(*s*) Edict. Reccarredi ad calcem concil. III. Toletani (tom. V. concil. p. 1012.) Si quis clericus aut clericis hanc sanctionem obediens obseruator esse noluerit, superba fronte maiorum statutis repugnans; si episcopus, presbyter,

lio,

lio, eos multari iubet, qui superba fronte statuta in eo concilio facta contemserint eisque noluerint obedire. Et leges eiusdem argumenti passim in ciuilibus & ecclesiasticis codicibus occurrunt, vt adeo lectorem pluribus demorari necesse haud habeam, posteaquam hæc pauca tamquam specimen obedientiæ, legibus ac auctoritati ecclesiæ sub poena excommunicationis præstari iussæ, suppeditaui.

LIBRI DECIMI SEXTI
CAPVT DECIMVM
DE GRANDIBVS PECCATIS CONTRA PRAECEPTVM SEXTVM, HOMICIDIO, PARRICIDIO, ΑΥΤΟΧΕΙΡΙΑ, MEMBRORVM CORPORIS LACERATIONE, VSV POCVLI ABORTIONIS, CETERIS.

§. I.
Homicidium semper pro capitali & indigno venia crimine per leges ciuiles habitum.

DEVENIMVS iam ad grande peccatum homicidii, quod leges ciuiles semper inter sic dicta atrocia delicta & atrocissima crimina retulerunt, quorum reis numquam indulserunt veniam vel appellationis beneficium, si in illis essent conuicti. Hoc crimen semper excipiebatur ab vniuersali indulgentia [a], quam in natalitiis filiorum suorum diebus, vel in anniuersaria paschatis celebritate aliisque occasionibus faciebant principes.

diaconus, aut clericus fuerit, ab omni concilio excommunicationi subiaceat: si vero laicus fuerit, & honestioris loci persona est: medietatem facultatum suarum amittat, fisci iuribus profuturam: si vero inferioris loci persona est, amissione rerum suarum mulctatus in exilium deportetur.

(a) Cod Theodos. lib.IX. tit.XXXVIII. de indulgentiis criminum leg. I. III. IV. Vid. supr. cap. V. §. V. sub litt. (d) pag. 249. Leg. VI. Paschalis lætitiæ dies ne illa quidem tenere sinit ingenia, quæ flagitia fecerint: pateat insuetis horridus carcer aliquando luminibus. Alienum autem censemus ab indulgentia, qui nefariorum criminum conscientiam 1. in maiestatem superbe animaduertit, 2. qui parricidali furore raptus sanguine proprio manum tinxit, 3. qui cuiusque præterea hominis cæde maculatus est: 4. qui genialis tori ac lectuli fuit inuasor alieni: 5. qui verecundiæ virginalis raptor exstitit: 6. qui venerandum cognati sanguinis vinculum profano cæcus viola-

Et

Et quamuis multis aliorum criminum reis beneficium appellandi esset indultum, homicidis tamen id prorsus negabatur [b]; neque vllis istiusmodi nefariis hominibus ac sceleratis priscis temporibus ad sanctuarium in ecclesia confugere ibique tutis esse licebat; quod a *Iustiniano* lege quadam [c] præcautum & pro-

vit incestu: 7. vel qui noxiis quæsita graminibus & diris immurmurata secretis, mentis & corporis venena composuit: aut qui sacri oris imitator & diuinorum vultuum adpetitor, venerabiles formas sacrilegio eruditus impressit. &c. Leg. VII. Religio anniuersariæ obsecrationis hortatur, vt omnes omnino periculo carceris metuque pœnarum eximi iuberemus, qui leniore crimine rei sunt postulati. Vnde apparet, eos excipi, quos atrox cupiditas in scelera compulit sæuiora: in quibus est primum crimen, 1. & maximum maiestatis, 2. deinde homicidii, 3. veneficiique, ac 4. maleficiorum, 5. stupri, atque 6. adulterii, parique immanitate sacrilegii, 7. sepulchrique violatio, 8. raptus, 9. monetæque adultera figuratio. Leg. VIII. -- Vbi primum dies paschalis extiterit, nullum teneat carcer inclusum, omnium vincula soluantur. Sed ab his secernimus eos, quibus contaminari potius gaudia lætitiamque communem, si dimittantur, aduertimus. Quis enim 1. sacrilego diebus sanctis indulgeat? quis 2. adultero, 3. vel incesti reo tempore castitatis ignoscat? quis non 4. raptorem in summa quiete & gaudio communi persequatur instantius? 5. Nullam accipiat requiem vinculorum, qui quiescere sepultos quadam sceleris immanitate non sinit: patiatur tormenta 6. veneficus, 7. maleficus, 8. adulteratorque monetæ: 9. homicida, quod fecit, semper exspectet: 10. reus etiam maiestatis, de domino, aduersum quem talia molitus est, veniam sperare non debet.

(b) Cod. Theod. lib. XI. tit. XXXVI. Quorum appellationes non recipiendæ leg. I. Quum homicidam vel maleficum, vel veneficum (quæ atrocissima crimina sunt) confessio propria -- detexit, prouocatione suscipi non oportet. Leg. VII. Obseruare curabis, ne quis homicidarum, veneficorum, maleficorum, adulterorum, itemque raptorum, argumento conuictus, teste superatus voce etiam propria, scelusque confessus, audiatur appellans.

(c) Iustin. nouell. XVII c. VII. Οὔτε δὲ ἀνδροφόνοις, οὔτε μοιχοῖς, οὔτε παρθένων ἅρπαξιν ἁμαρτάνουσι τὴν ἐκ τῶν ὅρων φυλάξεις ἀσφάλειαν· ἀλλὰ κἀκεῖθεν ἐξελκύσεις, καὶ τιμωρίαν αὐτοῖς ἐπάξεις· οὐ γὰρ τῶν τὰ τοιαῦτα ἁμαρτανόντων φείδεσθαι προσήκει, ἀλλὰ τῶν πασχόντων, ἵνα μὴ τοιαῦτα ὑπὸ τῶν τολμηροτέρων πάσχοιεν· ἄλλως τε ἡ ἐκ τῶν ἱερῶν ἀσφάλεια οὐ τοῖς ἀδικοῦσιν, ἀλλὰ τοῖς ἀδικουμένοις δίδοται παρὰ τοῦ νόμου· καὶ οὐκ ἂν εἴη δυνατὸν ἑκάτερον ἰσχυρίζεσθαι τῇ παρὰ τῶν ἀσύλων τόπων ἀσφαλείᾳ, καὶ τὸν ἀδικοῦντα καὶ τὸν ἀδικούμενον. *Neque autem homicidis, neque adulteris, neque virginum raptoribus delinquentibus terminorum custodies cautelam, sed etiam inde extrahes, & supplicium ei inferes. Non enim talia delinquentibus parcere competit, sed hoc patientibus: vt non talia a præsumtoribus patiantur. Deinde templorum cautela non nocentibus, sed læsis datur a lege: & non erit possibile vtrumque tueri cautela sacrorum locorum, & lædentem & læsum.*

viſum eſt, qua ille definiuit, quibus perfugium in eccleſia dandum, & quibus non dandum ſit; vbi inter alios, quibus hoc priuilegium negatur, homicidæ, adulteri, & virginum raptores diſerte nominantur.

§. II.

Quomodo punitum per leges eccleſiaſticas.

Per vetuſtiſſimas quarumdam eccleſiarum leges homicidæ perpetuæ pœnitentiæ ad finem vſque vitæ ſubiecti, & in ipſa mortis hora communione alieni fuiſſe videntur. TERTVLLIANVS [*d*] expreſſis verbis nec idololatris, nec homicidis pacem eccleſiæ reddi dicit. Per eccleſiam autem hoc loco ipſum non intelligere ſectam *Montaniſtarum*, cui alioquin addictus erat, ſed eccleſias catholicas, inde colligunt viri docti [*e*], quod contra catholicos argumentetur, quod adulteris pacem eccleſiæ debeant negare, ex eadem ratione & regula, qua idololatris & homicidis negent. Quod ad minimum arguit, quaſdam eccleſias catholicas in *Africa* homicidas ad communionem admittere noluiſſe. Quod ex eo tanto probabilius eſt, quod de quibuſdam anteceſſoribus ſuis dicit CYPRIANVS, quod dandam pacem [*f*] mœchis non putarint, & in totum pœnitentiæ locum contra

(*d*) Tertull. de pudicit. c. XII. Neque idololatriæ neque ſanguini pax ab eccleſiis redditur.

(*e*) Vid. Albaſpin. obſeruat. lib. II. c. XV. p. 123. (p. 136. ed. Helmſt. MDCLXXII.) Verba illa libri de pudicitia: *Hinc eſt, quod neque idololatriæ &c.* liquido demonſtrant, ſolitos fuiſſe orthodoxos homicidis non communicare abſolutionem, ſed ſolam pœnitentiam, eoſque æterno quaſi exilio condemnatos ab eccleſia abigere. Quid enim roboris, virium ac ponderis argumenta, quæ ab eo ſuggeruntur, in orthodoxos habuiſſent, niſi opinionis eorum & diſciplinæ fuiſſet, homicidas perpetuæ pœnitentiæ, intercluſa omni ſpe maioris gratiæ, cenſura inurere? Id veri ſpeciem non habet, nec aliter de Tertulliano cuiquam ſentiendum erit, qui præſertim eius viri ingenium acre & tetricum cognouerit, qui quidem crimini non vertiſſet orthodoxis, quod homicidas perpetuo ab eccleſia relegarent, adulteris autem ad miſericordiam ſperandam quaſi ſignum præferrent: niſi vtrumque tum temporis verum & vſitatum fuiſſet. Quare quum eiuſmodi argumenta contra orthodoxos excogitet & proferat, omni adſeueratione confirmare poſſumus, eorum fuiſſe hanc & docendi & viuendi rationem. cetera.

(*f*) Cyprian. epiſt. LII. al. LV. ad Antonian. p. 110. (p. 247. edit. Fell. Amſtelod.) Apud anteceſſores noſtros quidam de epiſcopis iſtic in prouincia noſtra dandam pacem mœchis non putauerunt, & in totum pœnitentiæ locum contra adulteria clauſerunt, non tamen a coëpiſcoporum ſuorum collegio receſſerunt,

adul-

adulteria clauserint, tametsi propterea communionis ecclesiasticæ vinculum cum aliis, qui eos admitterent, non ruperint. Iam vero quum homicidium æque grande crimen sit atque adulterium, probabile est, homicidas non minus quam adulteros de communione eorum prorsus fuisse reiectos. Sequentibus ætatibus terminus pœnitentiæ paullum imminutus est. Concilium enim *Ancyranum* [g] illos tantum per omnem vitam pœnitere, in fine autem vitæ recipi iubet. Alii canones pœnitentiam eorum ad certum annorum terminum reducunt. BASILIVS [h] voluntario homicidæ viginti annorum pœnitentiam iniungit; quatuor annis eum iubet flere; quinque annis audire; septem annis substerni; & quatuor annis solum stare cum fidelibus, ad audiendas preces sine participatione sacramentorum.

---

aut catholicæ ecclesiæ vnitatem vel duritiæ vel censuræ suæ obstinatione ruperunt; vt, quia apud alios adulteris pax dabatur, qui non dabat, de ecclesia separaretur.

(g) Conc. Ancyr. c. XXII. *περὶ ἑκουσίων φόνων, ὑποπιπτέτωσαν μέν, τοῦ δὲ τελείου ἐν τῷ τέλει τοῦ βίου καταξιούσθωσαν. De voluntariis cædibus, supplices quidem substernantur: eo autem, quod perfectum est, in vitæ fine digni habeantur.*

It. concil. Epaunens. c. XXXI. De pœnitentia homicidarum, qui sæculi leges euaserint, hoc summa reuerentia de eis inter nos placuit obseruari, quod Ancyritani canones decreuerunt.

(h) Basil. can. LVI. *ὁ ἑκουσίως φονεύσας, καὶ μετὰ τοῦτο μεταμεληθείς, εἴκοσιν ἔτη ἀκοινώνητος ἔσται τοῦ ἁγιάσματος· τὰ δὲ εἴκοσιν ἔτη οὕτως οἰκονομηθήσεται ἐπ' αὐτῷ· ἐν δʹ ἔτεσι προσκλαίειν ὀφείλει ἔξω τῆς θύρας ἑστὼς τοῦ εὐκτηρίου οἴκου, καὶ τῶν εἰσιόντων πιστῶν δεόμενος, εὐχὴν ὑπὲρ αὐτοῦ ποιεῖσθαι, ἐξαγορεύων τὴν ἰδίαν παρανομίαν· μετὰ δὲ δʹ ἔτη εἰς τοὺς ἀκροωμένους δεχθήσεται, καὶ ἐν εʹ ἔτεσι μετ' αὐτῶν ἐξελεύσεται· ἐν δὲ ζʹ ἔτεσι μετὰ τῶν ἐν ὑποπτώσει προσευχόμενος ἐξελεύσεται· ἐν δʹ συστήσεται μόνον τοῖς πιστοῖς, προσφορᾶς δὲ οὐ μεταλήψεται· πληρωθέντων δὲ τούτων, μεθέξει τῶν ἁγιασμάτων. Qui sua sponte interfecit & postea pœnitentia ductus est, viginti annis sacramento non communicabit. Viginti autem anni in eo ita dispensabuntur: debet quatuor annis flere, stans extra fores oratorii, & fideles ingredientes rogans, vt pro eo precentur, suam iniquitatem enuntians: post quatuor autem annos inter auditores recipietur, & quinque annis cum ipsis egredietur: septem autem annis cum iis, qui in substratione sunt, orans egredietur. In quatuor annis solum stabit cum fidelibus, sed non erit oblationis particeps. Iis autem expletis erit sacramentorum particeps.*

§. III.

Atrocitas homicidii, cum aliis criminibus, idololatria, adulterio & artibus magicis coniuncti.

VERVMTAMEN quibusdam in casibus disciplina seuerior manebat contra homicidium, si cum aliis magnis criminibus, idololatria, adulterio & magicarum ac diabolicarum artium contra vitam hominum exercitio esset coniunctum: quia hæc crimina rationem homicidii valde augebant. Ita concilium *Illiberritanum* [i]: *Flamines, qui post fidem lauacri & regenerationis sacrificauerunt: Eo quod geminauerint scelera, accedente homicidio, vel triplicauerint facinus*, (quod fieri poterat vel directe, dum ipsi hæc crimina perpetrarent; vel indirecte, dum ludos & spectacula exhiberent, in quibus adulteria & homicidia per eorum auctoritatem & consensionem committebantur) *placuit, eos nec in fine accipere communionem.* Sic iterum: *Si quis* [k] *maleficio interficiat alterum, eo quod sine idololatria perficere scelus non potuit, nec in fine impertiendam esse illi communionem.* Similiter alius canon eiusdem concilii: *Si qua* [l] *per adulterum, absente marito, conceperit, idque post facinus occiderit, placuit neque in fine dandam esse communionem, eo quod geminauerit scelus.* Concilium autem *Ancyranum* in caussa simplicis fornicationis, cum homicidio coniunctæ, paullo mitius statuit in hunc modum: *De mulieribus* [m], *quæ fornicantur & partus suos in vtero perimunt, & fœtuum necatoriis medicamentis faciendis dant operam, prior quidem definitio vsque ad vitæ exitum probibebat, & ei quidam assentiuntur. Sed humanitate tamen vtentes, decreuimus, vt decennium per gradus præfinitos impleant.* Concilium *Ilerdense* [n] simplici homicidio septem annorum pœnitentiam

(i) Concil. Illiberrit. c. II.

(k) Concil. Illiberrit. c. VI.

(l) Ibid. c. LXIII.

(m) Concil. Ancyr. c. XXI. *περὶ τῶν γυναικῶν τῶν ἐκπορνευουσῶν καὶ ἀναιρουσῶν τὰ γεννώμενα, καὶ σπουδαζουσῶν φθόρια ποιεῖν, ὁ μὲν πρότερος ὅρος μέχρις ἐξόδου ἐκώλυσεν· καὶ τούτῳ συντίθενται· φιλανθρωπότερον δέ τι εὑρόντες, ὡρίσαμεν δεκαετῆ χρόνον κατὰ τοὺς βαθμοὺς τοὺς ὡρισμένους.*

(n) Concil. Ilerd. c. II. Hi, qui male conceptos ex adulterio fœtus, vel editos necare studuerint, vel in vteris matrum potionibus aliquibus colliserint, in vtroque sexu adulteris, post septem annorum curricula, communio tribuatur: ita tamen, vt omni tempore vitæ suæ, fletibus & humilitati insistant.

tiam conſtituit, ſi autem per veneficium factum ſit, per omne vitæ tempus id defleri iubet.

§. IV.

Vſus poculi abortionis condemnatus ac punitus vti homicidium.

OBSERVARE heic licet, vſum medicamentorum ad abigendum fœtum pro ſpecie cædis habitum, adeoque vt talem punitum eſſe. Ita non ſolum in ante memorato canone *Ancyrano* definitum eſt, ſed in canonibus etiam BASILII [o], quorum vnus ſic habet: *Quæ de induſtria fœtum corrupit, cædis pœnas luat. Formati autem vel informis ſubtilitas a nobis non attenditur: hic enim non ſolum quod naſciturum fuit, vindicatur, ſed etiam ipſa quæ ſibi inſidias parauit: quoniam vt plurimum eiuſmodi inceptis vna quoque mulieres intereunt. Ei autem accedit fœtus quoque interitus, alia cædes, eorum quidem certe, qui hæc audent, exiſtimatione.* Alter autem canon ita: *Quæ abortum cientia præbent medicamenta, ſunt & ipſæ homicidæ, ſicut & quæ fœtus necantia venena accipiunt.* Sic quoque concilium *Trullanum* [p]: *Eas, quæ dant abortionem facientia medicamenta, & quæ fœtus necantia venena accipiunt, homicidæ pœnis ſubiicimus.* Concilium *Ilerdenſe* eos, qui conceptos ex adulterio fœtus certis potionibus deſtruunt [q], in eadem claſſe cum eis collocat, qui infantes iam editos in lucem necant; ſeptemque annorum pœnitentiam vtriſque conſtituit, vtpote adulterio iungentibus homicidium. Priuati ſcriptores inter veteres vno ore cædem hoc eſſe declarant. *Nobis*, inquit TERTVLLIANVS [r], *homicidio ſemel interdicto, etiam conceptum vtero, dum adhuc ſanguis in hominem delibatur, diſſoluere non licet. Homicidii feſtina-*

--- Ipſis veneficis in exitu tantum, ſi facinora ſua omni tempore vitæ ſuæ defleuerint, communio tribuatur.

(o) Baſil. can. II. φθείρασα κατ᾽ ἐπιτήδευσιν, φόνου δίκην ὑπέχει· ἀκριβολογία δὲ ἐκμεμορφωμένου καὶ ἀνεξεικονίστου παρ᾽ ἡμῖν οὐκ ἔστιν· ἐνταῦθα γὰρ ἐκδικεῖται οὐ μόνον τὸ γεννηθησόμενον, ἀλλὰ καὶ αὐτὴ ἡ ἑαυτῇ ἐπιβουλεύσασα· πρόσεστι δὲ τούτῳ καὶ ἡ φθορὰ τοῦ ἐμβρύου, ἕτερος φόνος, κατά γε τὴν ἐπίνοιαν τῶν ταῦτα τολμώντων. Can. VIII. καὶ αἱ τοίνυν τὰ ἀμβλωθρίδια διδοῦσαι φάρμακα, φονεύτριαί εἰσι καὶ αὗται, καὶ αἱ δεχόμεναι τὰ ἐμβρυοκτόνα δηλητήρια.

(p) Concil. Trull. c. XCI. τὰς τὰ ἀμβλωθρίδια διδούσας φάρμακα, καὶ τὰς δεχομένας τὰ ἐμβρυοκτόνα δηλητήρια, τῷ τοῦ φονέως ἐπιτιμίῳ καθυποβάλλομεν.

(q) Concil. Ilerdenſ. c. II. Vid. ſub litt. anteced. (n).

(r) Tertull. apologet. c. IX.

ſtina-

ſtinatio eſt, prohibere naſci: Nec refert, natam quis eripiat animam, an naſcentem diſturbet: Homo eſt, & qui eſt futurus, & fructus omnis iam in ſemine eſt. Dicit hoc obiectioni reſpondens ethnicorum, qui chriſtianos ſanguinem infantis in ſacris ſuis myſteriis bibere calumniabantur. MINVCIVS [s] incuſationem retorquet in paganos, quando ait: *Vos video procreatos filios nunc feris & canibus exponere, nunc adſtrangulatos miſero mortis genere elidere. Sunt, quæ in ipſis viſceribus medicaminibus epotis originem futuri hominis extinguant & parricidium faciant, antequam pariant. Quomodo,* inquit ATHENAGORAS [t], ſcribens pro chriſtianis, *qui ne ab aliis quidem fieri, ne quid inde ſceleris & piaculi in nos redundet, videre ſuſtinemus, homicidium committemus ipſi? Et qui mulieres medicamentis abortiuis vtentes, homines occidere, & rationem reddituras Deo dicimus: qua ratione iam natos & perfectos homines nos iugulabimus?* HIERONYMVS de hoc crimine in mulieribus loquens, ita illud deſcribit: *Aliæ* [u] *prabibunt ſterilitatem & nec dum ſati homicidium faciunt.* Crimen id erat, quod vetus lex *Romana* [x] exilio & non numquam ſupplicio [y] multabat: quemadmodum ex TVLLIO obſeruauit TRYPHONIVS iureconſultus, quamquam TERTVLLIANVS has leges magnopere negligi & contemni queratur. Vtcumque autem eſt, hoc genus homicidii pro atroci crimine ab omnibus ſcriptoribus habitum, & ſeueriſſime per canones contra voluntariam cædem punitum eſſe, videmus.

(s) Minuc. p. 91. (cap. XXX. n. 2. p. 114. edit. Hall. MDCXCIX.)
Vid. Cyprian. epiſt. XLIX. al. LII. ad Cornel. p. 97. (p. 238. edit. Amſtelod.) de parricidio Nouati: Vterus vxoris calce percuſſus, & abortione properante in parricidium partus expreſſus. cetera.

(t) Athenag. legat. p. 38. *πῶς ἂν, μηδὲ ὁρῶντες, ἵνα μὴ ἑαυτοῖς ἄγος καὶ μίασμα προστρίψαιμεθα, φονεύειν δυναίμεθα; καὶ οἱ τὰς τοῖς ἀμβλωθριδίοις χρωμένας, ἀνδροφονεῖν τε καὶ λόγον ὑφέξειν τῆς ἐξαμβλώσεως τῷ θεῷ φαμὲν, κατὰ ποῖον ἀνθρωποφονοῦμεν λόγον;*

(u) Hieron. epiſt. XXII. ad Euſtoch. de virginit. cap. V.

(x) Digeſt. lib. XLVIII. tit. VIII. ad legem Corneliam de ſicariis leg. VIII. Si mulierem viſceribus ſuis vim intuliſſe, quo partum abigeret, conſtiterit: eam in exilium præſes prouinciæ exiget. It. lib. XLVII. tit. XI. de extraordinariis criminibus leg. IV. Diuus Seuerus & Antoninus reſcripſerunt, eam, quæ data opera partum abegit, a præſide in temporale exilium dandam.

(y) Digeſt. lib. XLIII. tit. XIX. leg. XXXIX. Cicero in oratione pro Cluentio Auito ſcripſit, Mileſiam quandam mulierem, quum eſſet in Aſia, quod ab heredibus ſecundis accepta pecunia partum ſibi medicamentis ipſa abegiſſet, rei capitalis eſſe damnatam.

§. V.

§. V.

Pœna parricidii.

SANE hoc homicidii genus ſpecies erat parricidii, quod non ſolum cædem parentum, ſed liberorum etiam aliorumque propinquorum, quibus homines naturali adfectione deuincti erant, includit. Et hoc crimen notam & peculiarem pœnam inter veteres *Romanos* habebat. Nimirum parricidæ in culeum inſuebantur cum ſerpente, ſimia, gallo gallinaceo & cane, atque omnes vna viui in mare vel flumen deiiciebantur; cuius rei varia exempla e vetuſtis legibus ac ſcriptoribus *Romanis* exhibet GOTHOFREDVS. Lex *Pompeia* hanc pœnam cum gladii vel ignis vel beſtiarum ſupplicio commutauit. *Conſtantinus* autem antiquam pœnam reſtituit, ipſiuſque ex lege [z], quam huc tranſcribemus, deſcriptionem eius ſumere poſſumus. *Si quis in parentis, aut filii, aut omnino adfectionis eius, quæ nuncupatione parricidii continetur, fata properauerit, ſiue clam, ſiue palam id fuerit eniſus, neque gladio, neque ignibus neque vlla alia pœna ſolemni ſubiugetur, ſed inſutus culeo, & inter eius ferales anguſtias comprehenſus, ſerpentum contuberniis miſceatur: Et vt regionis qualitas tulerit, vel in vicinum mare, vel in amnem proiiciatur: Vt omni elementorum vſu viuus carere incipiat; vt ei cælum ſuperſtiti, terra mortuo auferatur.* Hæc pœna eorum erat, qui patrem vel matrem, vel filium, vel filiam, vel vllum iſtiuſmodi conſanguineum in recta linea occidiſſet. Si quis vero alius quiſpiam propinquus occiſus eſſet, commune homicidarum ſupplicium de interfectore ſumebatur, vti ex *inſtitutionibus* IVSTINIANI [a] eiuſque *codice*, vbi hæc materia determinata eſt, condiſcimus. Iam vero eccleſia non habens poteſtatem gladii, iſtiuſmodi diſtinctionem adhibere non poterat; ſed vtroſque ſontes vna eademque ratione, ſpirituali videlicet excommunicationis cenſura, puniebat.

(z) Cod. Theod. lib. IX. tit. XV. de parricidio leg. I. Vid. Gothofred. in locum p. 112. 113.

(a) Iuſtin. inſtitut. lib. IV. tit. XVIII. de publicis iudiciis. Si quis autem alias cognatione vel adfinitate perſonas coniunctas necauerit, pœnam legis Corneliæ de ſicariis ſuſtinebit. Vid. cod. Iuſtin. lib. IX. tit. XVII. de his, qui parentes vel liberos occiderunt, leg. I. Si quis in parentis &c. vid. (z) in textu.

§. VI.

§. VI.

De αὐτοχειρίᾳ.

ATQVE hoc modo omnes eos tractabat, qui ſibi ipſi violentas intulerant manus, communi nomine vocitati *biothanati.* Quum hoc crimen eſſet, cui pœna infligi non poterat, iuſtum dolorem ſuum de facto teſtabatur, negando reis honorem ac ſolemnes ritus chriſtianæ ſepulturæ, eoſque ſinendo iacere excommunicatos & omni commemoratione in precibus ſuis poſt mortem priuatos. *Placuit*, inquit concilium primum *Bracarenſe* [*b*], *vt hi, qui aut per ferrum, aut per venenum, aut per præcipitium, aut ſuſpendium, aut quolibet modo violentam ſibi ipſis inferunt mortem, nulla pro illis in oblatione commemoratio fiat, neque cum pſalmis ad ſepulturam eorum corpora deducantur. --- Similiter & de his placuit fieri, qui pro ſuis ſceleribus puniuntur.* Ratio, cur huius vtriuſque generis homines in hunc modum tractarentur, hæc erat, quod ipſi ſibi mortem acceleraſſent; vel directe, dum vim vitæ ſuæ ipſi intulerant; vel indirecte, dum eiuſmodi admiſerant capitalia crimina, quæ vindicatiuæ eos iuſtitiæ ad præmaturum vitæ finem obiecerant. *Græcis* pariter & *Latinis* ſcriptoribus *biothanati* vel *biathanati* vocantur. Et CASSIANVS ſpeciatim diſciplinam eccleſiæ [*c*], tum vſurpatam contra eos poſt mortem, notat, loquens de *Herone* quodam monacho *Aegyptio*, quem diabolus ſub angeli lucis ſpecie induxerat, vt ipſe ſe in profundum puteum præcipitem daret, falſo perſuaſus, pro merito virtutum ac laborum ſuorum nulli diſcrimini ſe fore obnoxium: Propter quod factum vix a *Paſnutio* abbate potuiſſe obtineri, dicit, vt non inter *biothanatos* reputatus, etiam memoria & oblatione pauſantium iudicaretur indignus. Quod ſatis ſuperque oſtendit, qua ratione tales in antiqua eccleſiæ diſciplina tractati ſint.

§. VII.

De membrorum corporis laceratione.

SPECIES aliqua huius criminis & inferior quidam gradus eſſe credebatur, ſi quis proprium corpus deformaret, abſcindendo quoddam eius membrum aut partem ſine iuſta ratione,

(*b*) Concil. Bracar. I. c. XXXIV.

(*c*) Caſſian. collat. II. c. V.

ne, quæ ipſum ad hoc faciendum induxiſſet. Canones iſtiuſmodi homines ordinari vetant, tamquam ſui ipſorum interfectores [d] & diuini opificii hoſtes, quemadmodum alio iam loco [*] pluribus oſtendimus. Quod heic præterea notandum eſt, hoc eſt, quod hæc diſciplina tam ad laicos quam ad clericos ſpectauerit. Nam vnus ex *apoſtolicis canonibus* [e] laicum ſemetipſum abſcindentem annis tribus communione priuari iubet, eo quod vitæ ſuæ inſidiator exſtiterit. Si quis autem cum aliquo vitio corporis natus, vel a perſecutorum crudelitate, vel in periculoſiore morbo, ad partem ſinceram conſeruandam, membro aliquo orbatus eſſet; tum iſta corporis laceratio in criminibus non ponebatur, quia res inuoluntaria erat; in quibus caſibus lex ipſa facit exceptionem, homineſque a cenſura [f] eccleſiæ tutos præſtat; quomodo in canonibus *Nicænis* videre eſt, qui iſtiuſmodi caſuum vt exceptorum faciunt mentionem. Vnum tantummodo adhuc obſeruamus ex legibus *Conſtantini*, ipſum tantam faciei, velut imaginis diuinæ maieſtatis, in omnibus omnino humanis corporibus, habuiſſe rationem, vt nullam infamiæ notam ei, vel in grauiſſimorum criminum reis, apponi ſiuerit. Nam quum per vetuſtas leges *Romanas* grauioris culpæ reis nota infamiæ in fronte inuri poſſet, vt ſceleris turpitudo tanto magis innoteſceret: CONSTANTINVS per vnam de primis ſuis legibus hanc conſuetudinem abrogauit [g], lege noua facta in hanc ſententiam: *Si quis in ludum fuerit, vel in metallum, pro criminum deprehenſorum qualitate, damnatus, minime in eius facie ſcribatur: dum & in manibus & in ſuris poſſit pœna damnationis vna ſubſcriptione comprehendi: Quo facies,*

(d) Can. apoſt. c. XXII. ὁ ἑαυτὸν ἀκρωτηριάσας, μὴ γινέσθω κληρικός· αὐτοφονευτὴς γάρ ἐστι, καὶ τῆς τοῦ Θεοῦ δημιουργίας ἐχθρός. *Qui ſe ipſum exſecuit, non fiat clericus: eſt enim ſui homicida, & hoſtis diuini opifici.*
Conc. Nicen. c. I. εἴ τις ὑγιαίνων ἑαυτὸν ἐξέτεμε, τοῦτον καὶ ἐν τῷ κλήρῳ ἐξεταζόμενον πεπαῦσθαι προσήκει· καὶ ἐκ τοῦ δεῦρο μηδένα τῶν τοιούτων χρῆναι προάγεσθαι. *Si quis, quum eſſet ſanus, ſe ipſum exſecuit, eum etiam in clero examinatum ceſſare conuenit, & deinceps nullum talem oportet promoueri.*

(*) Lib. IV. c. III §. IX. volum. II. p. 131 - 135.

(e) Can. apoſt. XXIII. al. XXIV. λαϊκὸς ἑαυτὸν ἀκρωτηριάσας, ἀφοριζέσθω ἔτη τρία· ἐπίβουλος γάρ ἐστι τῆς ἑαυτοῦ ζωῆς.

(f) Concil. Nicæn. can. I. cit. lib. IV. c. III. §. IX. vol. II. p. 132. ſub lit. (f).

(g) Cod. Theod. lib. IX. tit. XL. de pœnis leg. II.

quæ ad ſimilitudinem pulchritudinis cæleſtis eſt figurata, minime maculetur. Per quam legem certe CONSTANTINVS homines pie coërcere voluit, ne propriis ſuis corporibus vim inferrent, quæ ad ſimilitudinem & imaginem Dei quodammodo eſſent condita, etſi ſimilitudo iſta in primitiuis animæ perfectionibus magis eſſet conſpicua.

§. VIII.

De inuoluntario & fortuito homicidio.

OMNES iſti caſus ad actiones pertinent, quæ ad cædem voluntariam quodammodo referri poſſunt. Eccleſia autem nonnumquam iuſtam pœnam etiam fortuito & inuoluntario homicidio conſtituebat, etſi lex ciuilis exiguam vel nullam eius faciat mentionem. Nam per vetuſtas *Romanas* & chriſtianas leges domino licebat ſeruum ſuum ſeueriſſime punire & caſtigare, & ſi in iſta caſtigatione ſeruus moreretur, nulla cædis actio domino intendi poterat [*b*], niſi cum aliquo armorum genere, vel fraude in caſtigatione vſum eſſe, animumque occidendi habuiſſe, conſtaret. Verum, hoc non obſtante, lex eccleſiæ teneriore in vitam etiam ſeruorum adfectu, de iſtiuſmodi crudelitate cognoſcebat, reoque certum tempus conſtituebat pœnitendi, licet homicidium tantum fortuitum eſſet

(*b*) Cod. Theod. lib. IX. tit. XII. de emendatione ſeruorum leg. I. Si virgis aut loris ſeruum dominus adflixerit, aut cuſtodiæ cauſſa in vincula coniecerit, dierum diſtinctione ſiue interpretatione depulſa, nullum criminis metum mortuo ſeruo ſuſtineat. Nec vero immoderate ſuo iure vtatur, ſed tunc reus homicidii ſit, ſi volutante eum vel ictu fuſtis, aut lapidis occiderit, vel certe telo vſus letale vulnus inflixerit; aut ſuſpendi laqueo præceperit; vel iuſſione tetra præcipitandum eſſe mandauerit: aut veneni virus inſuderit: vel dilaniauerit pœnis publicis corpus, ferarum veſtigiis latera perſecando, vel exurendo admotis ignibus membra: aut tabeſcentes artus, atro ſanguine permixti ſanie defluentes, prope in ipſis adegerit cruciatibus vitam linquere, ſæuitia immanium barbarorum. Leg. II. Quotiens verbera dominorum talis caſus ſeruorum comitabitur, vt moriantur, culpa nudi ſunt, quædam peſſima corrigunt, meliora ſuis adquirere vernaculis voluerunt. Nam requiri in huiuſmodi facto volumus, in quo intereſt domini, incolume iuris proprii habere mancipium, vtrum voluntate occidendi hominis, an vero ſimpliciter facta caſtigatio videatur: totiens etenim dominum non placet morte ſerui reum homicidii pronuntiari, quotiens ſimplicibus quæſtionibus domeſticam exerceat poteſtatem. Si quando igitur ſervi plagarum correctione, imminenti fatali neceſſitate rebus humanis excedunt, nullam metuunt domini quæſtionem.

nec ante meditatum. Hunc in finem in concilio *Illiberritano* [i] decretum legimus factum huiusmodi: *Si qua domina furore zeli accensa, flagris verberauerit ancillam suam, ita vt intra tertium diem animam cum cruciatu effundat, eo quod incertum sit, voluntate an casu occiderit; si voluntate, post septem annos; si casu, post quinquennii tempora, acta legitima pœnitentia, ad communionem placuit admitti.* Quidquid indulgentiæ hoc in casu permissum erat, hoc erat, vt si in morbum incideret, citius ad communionem posset admitti. Simile decretum in disciplina ecclesiæ *Gallicanæ* inuenimus, factum in concilio *Epaonensi* [k] an. DXVII: *Si quis seruum proprium sine conscientia iudicis occiderit, excommunicatione biennii effusionem sanguinis expiabit.* Et de *Cæsario Arelatensi* a vitæ eius scriptore [l] obseruatur, quod solitus sit contestari ecclesiæ præfectos, potestatem tum habentes infligendi pœnam corporalem, si quis iuberet quempiam diutius flagellari, & illa verbera illi mortem adferrent, vt is homicidii reum se sciret. Immo vero ecclesia in hoc effundendi sanguinem humanum negotio tam caute & prudenter versabatur, vt militem sacro officio presbyteri vel diaconi initiari communiter non sineret; nec permitteret episcopos suos sedere vt iudices caussarum capitalium, vbi in casibus sanguinis dicenda eis esset sententia; quemadmodum loco suo [*] ostendimus pluribus, quo lectorem amandamus. Inter sic dictos canones apostolicos vnus est, qui decernit, vt, si quis clericus aliquem in altercatione pulsauerit, & vel vno ictu occiderit, deponatur propter suam præcipitationem. Si vero laicus fuerit, segregetur. Et BASILII canones [m] generatim omnibus, qui non voluntarie aliquem interfecerint, decem annis [n] communione interdicunt.

(i) Concil. Illiberrit. can. V. Si qua domina &c. -- Quod si intra tempora constituta fuerit infirmata, accipiat communionem.

(k) Concil. Epaon. c. XXXIV.

(l) Cyprian. vit. Cæsar. Arelat.

(*) Lib. IV. cap. IV. §. I. volum. II. pag. 121. Et lib. II. cap. VII. §. IV. volum. I. pag. 128.

(m) Can. apost. LXVI. *Εἴ τις κληρικὸς ἐν μάχῃ τινὰ κρούσας καὶ ἀπὸ τοῦ ἑνὸς κρούσματος ἀποκτείνῃ, καθαιρείσθω, διὰ τὴν προπέτειαν αὐτοῦ· ἐὰν δὲ λαϊκὸς ᾖ, ἀφοριζέσθω.*

(n) Basil. can. LVII. *ὁ ἀκουσίως φονεύσας ἐν δέκα ἔτεσιν ἀκοινώνητος ἔσται τῶν ἁγιασμάτων· οἰκονομηθήσεται δὲ ἐπ' αὐτῷ τὰ δέκα ἔτη οὕτω· δύο μὲν ἔτη προσκλαύσει,*

§. IX.

Falsi testes contra hominis alicuius vitam in homicidis habiti.

NEQVE vero illa tantum cædes, quæ ipso actu patrabatur, istiusmodi censuræ obnoxia erat, sed omnes etiam actiones, quæ directe & proxime ad eam tendebant; vt falsum testimonium contra hominis alicuius vitam. Nam, vt LACTANTIVS [o] rem scite exprimit, *Nihil distat, vtrum ferro, an verbo potius occidas:* Occisio enim est in vtraque specie, & diuinæ legis, hominum vitam inuadere prohibentis nec vllam exceptionem admittentis, violatio. Et propterea lex ciuilis [p] pœnam talionis falsis accusatoribus constituit; *Qui alterius famam*, inquit, *fortunas, caput denique & sanguinem in iudicium deuocauerit, sciat, sibi impendere congruam pœnam, si, quod intenderit, non probauerit.* Et iterum: *Quisquis ille est, qui crimen intendit, in iudicium veniat --- nec impunitam fore nouerit licentiam mentiendi, quum calumniantes ad vindictam poscat similitudo supplicii.* Neque quispiam alteri crimen intendere poterat prius, quam ipse se adstrinxisset ea conditione, quam lex vocat [q] *vinculum inscriptionis.* Iam licet lex ecclesiastica pœnam talionis dicentibus contra alicuius vitam

---

τρία δὲ ἔτη ἐν ἀκροωμένοις διατελέσει· ἐν δ' ὑποπίπτων· καὶ ἐνιαυτῷ συστήσεται μόνον· καὶ τὰ ἑξῆς εἰς τὰ ἅγια δεχθήσεται. *Qui non voluntarie interfecit, decem annis sacramentis non communicabit. Decem autem anni sic in eo dispensabuntur: duos quidem annos deflebit, tres autem annos inter auditores perseuerabit, in quatuor substratus, & anno solum consistet: & deinceps ad sacra admittetur.*

(o) Lactant. lib. VI. c. XX. Neque vero accusare quemquam crimine capitali (instat licebit) quia nihil distat, vtrum ferro an verbo potius occidas, quoniam occisio ipsa prohibetur. Itaque in hoc Dei præcepto nullam prorsus exceptionem fieri oportet, quin occidere hominem sit semper nefas, quem Deus sanctum animal esse voluit.

(p) Cod. Theod. lib. IX. tit. I. de accusationibus leg. XI. Item leg. XIX.

(q) Ibid. l. leg. XIV. Non prius cuiuscumque caput accusatore pulset, quam vinculo legis adstrictus pari cœperit pœnæ conditione iurgare &c. Et leg. XIX. Vinculum inscriptionis accipiat &c.

Leon. nouell. LXXVII. Θεσπίζομεν τοίνυν, τὸν τοιαῦτα τινὰ πλαστογραφήσαντα, δι' ὧν τὸ πλαστογράφημα ἰσχὺν λαμβάνει, θανάτῳ ὑπάγειν τὸν καθ' οὗ συνεπράχθη, αὐτὸν, παραδιδόμενον τῇ τιμωρίᾳ, ἣν καθ' ἑτέρου ἐσκέψατο παλαμήσασθαι, ἀποτίνυσθαι. *Sancimus, vt si istiusmodi quædam falsarius conscripserit, ex quibus is, aduersus quem falsum scriptum concinnatum est, mortis pœnæ subiiciendus sit: ipse falsarius pœnæ, quam in alium machinari cogitarit, traditus decollctur.*

fal-

falſum teſtimonium infligere non poſſet; quum tamen omne falſum teſtimonium crimen eſſet excommunicatione luendum; (quemadmodum pluribus videbimus infra, vbi de pœna peccatorum contra præceptum nonum agendum nobis erit) iure noſtro colligere poſſumus, iſtiuſmodi falſum teſtimonium, quod ad priuandum vita ſua homines directe tenderet, ab ecclefia in grauiſſimis calumniæ pariter & homicidii ſpeciebus fuiſſe poſitum; adeoque auctores ſuos omnibus iſtis pœnis ſubieciſſe, quæ hiſce criminibus quocumque in gradu debebantur. *Vid. concil. Illiberrit. c. LXXXIV.* [r]

§. X.

Delatores fratrum ſuorum tempore perſecutionis vt homicidæ tractati.

IMMOVERO nuda delatio nominum fratrum ad magiſtratus ethnicos, quæ tempore perſecutionis vitæ ipſorum periculum importare poterat, iure ſuo pro homicidio habebatur pariter & puniebatur. Concilium *Arelatenſe* primum [s] canonem huc ſpectantem habet: *De his, qui ſcripturas ſanctas tradidiſſe dicuntur, vel vaſa dominica, vel nomina fratrum ſuorum, placuit nobis, vt quicumque eorum in actis publicis fuerit detectus, non verbis nudis, ab ordine cleri amoueatur.* Et concilium *Illiberritanum* [t] paullo vlterius progreditur, in hunc decernens modum: *Delator ſi quis exſtiterit fidelis & per delationem eius aliquis fuerit proſcriptus vel interfectus, placuit eum nec in fine* (vel, vt alii legunt, *non niſi in fine*) *accipere communionem.*

§. XI.

Expoſitio infantium pro homicidio habita.

ALIVD ſic crediti homicidii genus, infantium erat expoſitio, contra quam veteres vehementer declamitant, vt apud ethnicos vſitatam. *Quod vultis*, inquit TERTVLLIANVS [u], *ex his circumſtantibus & in chriſtianorum ſanguinem hiantibus, ex*

(r) Falſus teſtis, prout eſt crimen, abſtinebitur: ſi tamen non fuerit mortale quod obiecit & exprobauerit; quod non tacuerit, biennii tempore abſtineatur: ſi autem non probauerit conuentui clericorum, placuit, per quinquennium abſtineri.

(s) Concil. Arelat. I. c. XIII.

(t) Concil. Eliber. c. LXXIII. & c. LXXIV. modo citat.

(u) Tertull. apol. c. IX.

ipſis etiam vobis iuſtiſſimis & ſeueriſſimis in nos præſidibus apud conſcientias pulſem, qui natos ſibi liberos enecent? Siquidem & de genere necis differt, vtique crudelius in aqua ſpiritum extorquetis, aut frigori & fami & canibus exponitis? Et paullo poſt: *Filios exponitis ſuſcipiendos ab aliquo prætereunte miſericordiæ extraneæ vel adoptandos melioribus parentibus emancipatis.* Eiuſdem rei eos inſimulat MINVCIVS FELIX [x], *Vos video*, inquiens, *procreatos filios nunc feris & auibus exponere, nunc adſtrangulatos miſero mortis genere elidere.* Et ATHENAGORAS [y] eos omnes, qui infantes exponunt, expreſſis verbis homicidas appellat. LACTANTIVS [z] paullo fuſius in eos ex eadem ratione inuehitur: *Quid illi*, inquit, *quos falſa pietas cogit exponere* (liberos, vt nimirum ſanguini eorum ipſi parcant) *Non poſſunt innocentes exiſtimari, qui viſcera ſua in prædam canibus obiiciunt, & quantum in ipſis eſt, crudelius necant, quam ſi ſtrangulaſſent. Quis dubitet, quin impius ſit, qui alienæ miſericordiæ locum tribuit? qui etiam, ſi contingat ei, quod voluit, vt alatur, addixit certe ſanguinem ſuum vel ad ſeruitutem, vel ad lupanar. Quæ autem poſſint, vel ſoleant accidere in vtroque ſexu, vel per errorem, quis non intelligit? quis ignorat? Quod vel vnius Oedipodis declarat exemplum, duplici ſcelere confuſum.* Vnde tantum concludit: *Tam igitur nefarium eſt exponere, quam necare.* Et quum homines facultatum anguſtias conqueri ſoleant & prætendere, ſe pluribus liberis educandis ſufficere non poſſe: Non ſolum ad hoc reſpondet ex conſideratione prouidentiæ Dei, cuius in poteſtate facultates ſint poſſidentium, & qui quotidie ex diuitibus pauperes, & ex pauperibus diuites facere poſſit; ſed ſapienti conſilio ſuo *Conſtantinum* induxiſſe creditur, ad rogandas duas iſtas præclariſſimas & caritatis adfectu pleniſſimas leges, etiam nunc in codice *Theodoſiano* [a] exſtantes, quibus a magna ipſius munificentia in diuerſis imperii regionibus prouiſum eſt, vt inopes parentes, numeroſiorem, quam vt alere poſſent, habentes ſobolem,

(x) Minuc. p. 90. (p. 114. edit. Cellar. Hall. MDCXCIX.)

(y) Athenagor. legat. pro chriſtian. p. 38. καὶ μὴ ἐκτιθέναι μὲν τὸ γεννηθὲν, ὡς τῶν ἐκτιθέντων τεκνοκτονούντων, πάλιν δὲ τὸ τραφὲν ἀναιρεῖν.

(z) Lactant. lib. VI. c. XX.

(a) Cod. Theod. lib. XI. tit. XXVII. de alimentis &c. leg. I. & II. cit. cap. IX. §. I. ſub litt. (b) pag 380 ſeq.

de

de publicis imperii reditibus peterent alimentum; vt ne liberos ſuos exponere, vel necare, vel vendere, vel oppignorare & emancipare egeſtate victi cogerentur; qua de re tot tantæque querelæ ſub antecedentibus imperatoribus ethnicis fuerant. *Conſtantinus* [*b*] & *Honorius* hiſce legibus duas alias in gratiam eorum, qui infantium expoſitorum curam ſuſcepiſſent, ſubiungebant, quibus parentibus omne ius abiudicabant liberos ſuos repetendi, eoſque plagii crimine poſtulandi, qui miſericordia in eos vſi erant, quos ad mortem quodammodo expoſuerant, & quos contemſerant pereuntes; ſi modo illi, qui iſtiuſmodi liberos collegerant, coram epiſcopo teſtibus comprobare poſſent, vere expoſitos eos fuiſſe & deſertos. Atque hac in re leges eccleſiaſticæ cum ciuilibus conſpirabant, addentes, excommunicationis pœnam illis infligendam eſſe, qui cædis liberorum ſuorum reos hoc modo ſe probarent. Ita enim canones diſerte id exprimunt. Concilium *Vaſenſe* primum præſcribit methodum adferendi ſecuritatem iuri ac poſſeſſioni eorum, qui expoſitos educauerint, ſecundum ſtatuta legum imperialium; atque ita illos homicidii reos pronuntiat ex propria ipſorum confeſſione. *De expoſitis*, inquit concilium [*c*], *quia conclamata ab omnibus querela proceſſit, eos non miſericordiæ iam, ſed canibus exponi; quos colligere calumniarum metu, quamuis inflexa præceptis miſericordiæ, mens humana detrectet; id ſeruandum viſum eſt, vt ſecundum ſtatuta fideliſſimorum, piiſſimorum, auguſtiſſimorum principum, quiſquis expoſitum colligit, eccleſiam conteſtetur, conteſtationem colligat: nihilominus de altario dominico die miniſter adnuntiet, vt ſciat eccleſia, expoſitum eſſe collectum, vt infra dies decem ab expoſitionis die*

(*b*) Cod. Theod. lib. V. tit. VII. de expoſitis leg. I. Quicumque puerum vel puellam, proiectam de domo, patris vel domini voluntate ſcientiaque collegerit, ac ſuis alimentis ad robur prouexerit, eumdem retineat, ſub eodem ſtatu, quem apud ſe collectum voluerit agitare, hoc eſt ſiue filium, ſiue ſeruum eum eſſe maluerit; omni repetitionis inquietudine penitus ſubmouenda eorum, qui ſeruos aut liberos propria voluntate domo recens natos abiecerint. Leg. II. Nullum dominis vel patronis repetendi aditum relinquimus, ſi expoſitos quodammodo ad mortem voluntas miſericordiæ amica collegerit: nec enim dicere ſuum poterit, quem pereuntem contemſit; ſi modo teſtes epiſcopalis ſubſcriptio fuerit ſubſequuta, de qua nulla penitus ad ſecuritatem poſſit eſſe cunctatio.

(*c*) Concil. Vaſ. I. c. IX. (conc. II. apud Labb. tom. III. p. 1459.)

expo-

expositum recipiat, si quis se comprobauerit agnouisse: collectori pro ipsorum decem dierum misericordia, prout maluerit, aut ad præsens ab homine, aut in perpetuum cum Deo gratia persoluenda. Et proxime sequens canon [*d*] addit: *Sane si quis post hanc diligentissimam sanctionem expositorum hoc ordine collectorum repetitor, vel calumniator exstiterit, vt homicida ecclesiastica districtione feriatur.* Quæ omnia manifesto demonstrant, quod in foro conscientiæ & antiquæ disciplinæ parentes, qui liberos suos deserant eosque fortunæ vel inopiæ, vel tempestatis, vel bestiarum exponant iniuriis, ipso facto homicidæ sint, vtpote id facientes, vnde cædes necessario consequatur, nisi quædam fauorabilis prouidentia ad id præueniendum intercedat.

§. XII.

Si qua virgo vitiata præ mœrore se ipsa interfecisset, vitiator homicidii reus habitus.

Ex eadem ratione canones quidam omnes homicidii conscios eamdem cum homicidis ipsis pœnitentiam iubent agere. Concilium *Ancyranum* specialem casum huius generis memorat. *Quidam*, inquit [*e*], *cui erat puella desponsa, eius sorori vitium attulit, ita, vt ea etiam conciperet. Sponsam autem postea vxorem duxit. Ea autem, cui erat vitium adlatum, se suffocauit. Qui conscii fuerant, iussi sunt decennio in eos, qui consistunt, recipi per gradus definitos.*

§. XIII.

Lanistæ homicidii consortes habiti, eorumque ars damnata.

Cvm lanistis res eodem modo se habuit. Horum ars in præparandis theatro gladiatoribus semper plurimum scandali habere credita; quum ipso effectu nihil esset aliud, quam homines ad mutuam cædem & laniationem instituere. Et propterea ecclesia hanc artem numquam vt licitam permisit. TERTVLLIANVS [*f*] discite ait: *Homicidii interdictio ostendit mihi, lanistam quoque ab ecclesia arceri: nec per se non faciet, quod faciendum*

(*d*) Conc. Vas. can. X. Vid. concil. Arelat. II. c. XXXII. vbi eadem repetuntur.

(*e*) Conc. Ancyr. c. XXVI. Μνηστευσάμενός τις κόρην, προσεφθάρη τῇ ἀδελφῇ αὐτῆς, ὡς καὶ ἐπιφορέσαι αὐτήν· ἔγημε δὲ τὴν μνηστὴν μετὰ ταῦτα· ἡ δὲ φθαρεῖσα ἀπήγξατο· οἱ συνειδότες ἐκελεύσθησαν ἐν δεκαετίᾳ δεχθῆναι εἰς τοὺς συνεστῶτας, κατὰ τοὺς ὡρισμένους βαθμούς.

(*f*) Tertull. de idololatr. c. XI.

aliis

aliis subministrat. Auctor *constitutionum* lanistas in numero ponit eorum [g], qui a baptismo reiiciendi sint. Et *Constantinus* [h] artem ipsam tamquam christianis hominibus minime convenientem prohibebat, iubens eos, qui forte propter delicta sua ad pugnandum in theatro damnati essent, sine sanguine suorum scelerum pœnas dare. Licet enim in regni sui initiis istiusmodi pugnam permisisset, tamquam pœnam quorumdam criminum (vt in caussa plagii, cuius qui rei erant, cum bestiis, vel alii cum aliis pro vita sua decertare [i] debebant) postea tamen & hoc videtur reuocasse. Et *Valentinianus* [k] quemcumque christianum & palatinum militem huic pœnæ subiici absolute interdixit. Quid? quod nonnulli ex sapientioribus ethnicis ab hac pœna abhorruerunt eamque improbarunt. Vnde maior ratio fuit sub institutione christiana vniuersam artem & ludos gladiatorios prohibendi, quos *Honorius* imperator [l] penitus aboleuit ac sustulit.

(g) Constit. lib. VIII. c. XXXII. *τῶν ἐπὶ σκηνῆς ἐάν τις προσείη ἀνὴρ, ἢ γυνὴ, ἢ ἡνίοχος, ἢ μονομάχος -- ἢ παυσάσθωσαν ἢ ἀποβαλλέσθωσαν, Scenicorum si quis accedat, vir siue femina, vel auriga, vel* gladiator -- *hi aut finem faciant, aut reiiciantur.*

(h) Cod. Theod. lib. XV. tit. XII. de gladiatoribus. leg. I. Cruenta spectacula in otio ciuili & domestica quiete non placent: Quapropter, qui omnino gladiatores esse prohibemus, eos, qui forte delictorum caussa hanc conditionem atque sententiam mereri consueuerant, metallo magis facies inseruire, vt sine sanguine suorum scelerum pœnas agnoscant.

(i) Cod. Theod. lib. IX. tit. XVIII. ad legem Fabiam, leg. I. Plagiarii, qui viventium filiorum miserandas infligunt parentibus orbitates, metalli pœna, cum ceteris ante cognitis suppliciis tenebantur. Si quis tamen eiusmodi reus fuerit oblatus, posteaquam super crimine patuerit, seruus quidem vel libertate donatus, bestiis primo quoque munere obiiciatur, liber autem sub hac forma in ludum detur gladiatorium, vt antequam aliquid faciat, quo se defendere possit, gladio consumatur.

(k) Cod. Theod. lib. IX. tit. XL. de pœnis leg. VIII. Quicumque christianus sit in quolibet crimine deprehensus, ludo non adiudicetur. Quod si quisquam iudicum fecerit, & ipse grauiter notabitur, & officium eius multæ maximæ subiacebit. Leg. XI. Neminem de numinis nostri sacrario prodeuntem harena suscipiat, lanista doceat, sæua meditatio & pugnatrix exerceat; multa siquidem possunt esse supplicia, quibus culpa plectatur.

(l) Vid. Pagi critic. in Baron. tom. II. an. CCCCIV. n. V. ex Prudentio contr. Symmachum lib. II. Prudentius, (inquit PAGIVS) Honorium Romæ hoc anno positum cohortatur ad ludos gladiatorios Romæ penitus tollendos, vo-

§. XIV.

Spectatores cædis, in theatro commissæ, socii & consortes quoque cædis habiti.

CHRISTIANAE autem leges ac regulæ ecclesiæ paullo longius progrediebantur. Non solum eos, qui in theatro alios interficerent, condemnabant, sed ludos etiam ipsos spectare christianis interdicebant, eos, qui hoc facerent, pro cædis sociis ac consortibus habitum iri denuntiantes. CYPRIANVS impietatem ac diritatem horum ludorum describens, spectatores eorum oculis parricidas [m] esse ait; significans, neminem cum voluptate eos posse spectare, quin culpæ fiat particeps, animamque suam cædis in illis commissæ contagione commaculet. *Nos*, inquit ATHENAGORAS [n], *non ita multum, siue spectator sit aliquis, siue auctor cædis, interesse iudicantes, alieno ab his spectaculis animo sumus.* LACTANTIVS eleganter pariter & copiose, nec minus vehementer in ludorum istorum spectatores declamat: *Qui hominem*, inquit [o], *quamuis ob merita damnatum, in conspectu suo pro voluptate iugulari computat, conscientiam suam polluit, tam scilicet quam si homicidii, quod fit occulte, spectator & particeps fiat. Hos tamen ludos vocant, in quibus humanus sanguis ef-*

tumque & preces pro iis tollendis apud principem interponit. Sic enim de virginibus agens stabit:

Quod genus vt sceleris iam nesciat aurea Roma,
Te precor, Ausonii dux augustissime regni,
Et tam triste sacrum iubeas vt cetera tolli,
Perspice: non ne vacat meriti locus iste paterni?
Quem tibi supplendum Deus & genitoris amica
Seruauit pietas: solusne præmia tantæ
Virtutis caperet, partem tibi nate reseruo,
Dixit, & integrum decus intactumque reliquit.
Arripe dilatam tua dux in tempora famam:
Quodque patri superest laudis successor habeto.
Ille vrbem vetuit taurorum sanguine tangi,
Tu mortes miserorum hominum prohibeto litari:
Nullus in vrbe cadat, cuius sit pœna voluptas.

(m) Cypr. ad Donat. p. 5. (p. 4. edit. Amstelod.) Et in tam impiis spectaculis tamque diris & funestis, esse se non putant *oculis parricidas.*

(n) Athenagor. legat. pro christ. p. 38. ἡμεῖς πλησίον εἶναι τὸ ἰδεῖν τὸ φονευόμενον τῷ ἀποκτεῖναι, νομίζοντες, ἀπηγορεύσαμεν τὰς τοιαύτας θέας.

(o) Lactant. lib. VI. c. XX. (p. 784. edit. Lipſ. MDCCXV.)

fun-

funditur. Adeo longe ab hominibus recessit humanitas, vt quum animas hominum interficiant, ludere se opinentur, nocentiores iis omnibus, quorum sanguinem voluptati habent. Hanc ob rationem frequentare hæc inhumana spectacula, in ecclesiæ oculis idem erat, ac cædem committere, nec quisquam isti spectantium coronæ se socium poterat adiungere & sectari ista delectamenta, quin omni humanitati, pietati & iustitiæ renuntiare, & cædium harum publicarum ipse se participem facere crederetur.

§. XV.

Qui pauperes & inopes fame perire siuissent, homidicii rei crediti.

HOMICIDII crimen illis etiam intendebatur, qui pauperibus necessaria alimenta negabant, & egenos parentes suos necessariis vitæ subsidiis priuabant, sinentes eos, contra leges pietatis & naturalis adfectionis, fame perire. Concilium *Carthaginense* quartum [p] hoc intuitu eos, qui ecclesiam oblationibus defunctorum defraudant, *egentium necatores* vocat, & vt tales iubet excommunicari. Et CYPRIANVS de malis actionibus *Nouati* loquens, inter alia documenta, ex quibus eum parricidii & cædis reum esse constet (cuiusmodi aliquod sit vterus vxoris calce percussus & abortione partus expressus) & hoc refert, quod pater eius fame [q] mortuus & ab eo in morte postmodum nec sepultus sit. Propter quæ crimina non tantum de presbyterio ipsum exagitandum fuisse dicit, sed & communicatione prohibendum, nisi temporum difficultas imminentem cognitionis diem, quo caussa eius ageretur, anteuenisset, eique dedisset opportunitatem, damnationem, per iustam disciplinam ac censuras ecclesiæ sibi debitam euadendi. Omnes isti homicidii rei habebantur, saltem indirecte, vtpote conscii & participes peccati, quantumuis manus eorum sanguinem ipso actu non effudissent.

(p) Concil. Carthag. IV. c. XCV. Qui oblationes defunctorum aut negant ecclesiis, aut cum difficultate reddunt, tamquam egentium necatores excommunicentur.

(q) Cypr. epist. XLIX. al. LII. ad Cornel. p. 97. (p. 238. edit. Amstelod.) Pater etiam eius in vico fame mortuus & ab eo in morte postmodum nec sepultus. Vterus vxoris calce percussus & abortione properante in parricidium partus expressus.

§. XVI.

Et omnes illi, quorum auctoritate homicidium esset perpetratum.

NVLLI autem magis in homicidii crimine esse credebantur, quam quorum auctoritate id esset commissum. Quamvis inferiores cædis administri non absoluerentur, crimen tamen præcipuis auctoribus maxime imputabatur. Hinc vt *Dauid* a *Nathane* cædis *Vriæ* accusabatur, quantumuis gladio *Hammonitarum*, cui a *Ioabo* in conflictu perfidiose obiectus erat, cecidisset: Ita *Theodosius*, quum eius mandato atque auctoritate septem millia hominum *Thessalonicæ* essent occisa, ab *Ambrosio* præcipuus istius cædis auctor habebatur, & secundum disciplinæ ecclesiasticæ regulas communione ecclesiæ priuabatur, vsque dum congrua pœnitentia ecclesiæ satisfecisset. Quamquam enim, vt CYPRIANVS [r] apud *Donatum* amicum suum queritur, sub imperatoribus ethnicis homicidium publice gestum virtus vocabatur, quum singuli autem illud admitterent, crimen erat; sub christiana tamen institutione ita non erat, sed ecclesia potestatem habebat, ipsos imperatores ac principes ob istiusmodi crimina disciplinæ submittendi, quemadmodum ex iis, quæ de *Theodosio* modo audiuimus, apparet. Modus tractandi munerarios, hoc est, istiusmodi christianos magistratus, qui munera, siue dira illa spectacula, exhibebant populo, in quibus alii alios frequentissimo theatro trucidabant, itidem documentum huius potestatis & praxis ecclesiæ est. Canones enim omnes istos magistratus excommunicari [*] iubent, vtpote qui auctoritate sua & sumtu idololatriam & homicidium adiuuent. Vt adeo homicidium quacumque in specie apparuerit, aut per quoscumque commissum sit, in primæ magnitudinis criminibus, homines extremæ censuræ ecclesiasticæ seueritati exponentibus, positum fuerit.

§. XVII.

Inimicitiæ, iurgia ac contentiones, vt inferiores homicidii gradus, punitæ.

(r) Cyprian. ad Donat. p. 5. (p. 4. edit. Amstel.) Homicidium quum admittunt singuli, crimen est; virtus vocatur, quum publicè geritur.

(*) Vid. cap. IV. §. VIII. pag. 206. seqq.

DE-

DENIQVE omnes apertæ inimicitiæ, iurgia, altercationes, contentiones, ſimultates, lites & odia excommunicatione puniebantur, vtpote quæ ad hoc grande peccatum tenderent graduſque eſſent inferiores homicidii. *S. Ioannes* apoſtolus ait: *Quiſquis odit fratrem ſuum, homicida eſt, & noſtis, nullum homicidam habere vitam æternam in ſe manentem.* Similiter ſeruator noſter, *Quicumque*, inquit, *iraſcitur fratri ſuo temere, tenebitur iudicio; quicumque vero dixerit fratri ſuo, raka, tenebitur conſeſſu: quiſquis autem dixerit, fatue, tenebitur gehenna ignis.* Iam congruenter hiſce monitis conuenienterque viuens eccleſia, ad præueniendum vel corrigendum omnes humanarum voluntatum ad grande homicidii peccatum inclinationes, aptos frenos ac pœnas inquietis hominum adfectibus adhibebat, ſi quando occulta odia, ſimultates & inimicitiæ in actum erumperent. Communio magnum amoris ac caritatis ſymbolum erat, & fœdus pacis ac vnitatis atque humanarum mentium & adfectionum copulatrix. Quocirca omnes his neceſſariis virtutibus manifeſto deſtituti, venerabili iſto myſterio indigni habebantur, adeoque per diſciplinam eccleſiæ (donec animis in melius mutatis digni fierent) abſtinere ſe ab eo debebant. Concilium *Carthaginenſe* quartum [s] oblationes diſſidentium fratrum, neque in ſacrario neque in gazophylacio recipi debere ſtatuit: Quod tantumdem valet, ac ſi eis, dum in iſta conditione ſint, communicare interdicat. Et concilium ſecundum *Arelatenſe* [t] ab eccleſiaſticis conuentibus eos remoueri iubet, qui publicis inter ſe odiis exardeſcant, donec reconcilientur & ad pacem redeant. Qui famulos male tractant, verberibus ſcilicet & fame & dura ſeruitute, per regulas *conſtitutionum* [u] ſic dictarum *apoſtolicarum* a communione arceri debent. Et CHRYSOSTOMVS [x] ſæpe admonet clericos, vt nequem crudelem vel immiſericordem ad ſacram communionem

(s) Conc. Carth. IV. can. XCIII. Oblationes diſſidentium fratrum, neque in ſacrario, neque in gazophylacio recipiantur.

(t) Conc. Arelat. II. c. XXXI. Hi, qui publicis inter ſe odiis exardeſcunt, ab eccleſiaſticis conuentibus ſunt remouendi, donec ad pacem recurrant.

(u) Conſtit. lib. IV. c. VI. *Φευκτοὶ σοὶ τῷ ἐπισκόπῳ -- οἱ τοῖς ἑαυτῶν οἰκέταις πονηρῶς χρώμενοι, πληγαῖς φημὶ, καὶ λιμῷ καὶ κακοδουλείᾳ.*

(x) Chryſoſt. homil. LXXXIII. in Matth. p. 705. (p. 869. ed. Francof. MDCXCVII.)

admittant. *Adeat*, inquit, *nullus crudelis, nullus immisericors, nullus impurus quouis modo: hæc tam ad vos, qui communicatis, quam ad vos, qui ministratis, dicta esse volo. --- Non parua vobis imminet pœna, si quem aliqua improbitate teneri scientes, ei huius mensæ participationem permittatis. Sanguis enim eius ex manibus requiretur vestris. Si dux igitur quispiam, si consul ipse, si qui diademate ornatus indigne adeat, cohibe ac coërce, maiorem tu illo habes potestatem.* Intelligenda autem hæc sunt de magna & enormi caritatis violatione, in apertum ac manifestum crudelitatis actum erumpente; non de quouis inferiore subitæ ac repentinæ iracundiæ gradu, cuiusmodi erratum, vt supra [*] ostendimus, alia methodo, non durissimis seueritatis in disciplinæ ecclesiasticæ exercitio remediis, emendandum erat. Hæ erant regulæ disciplinæ, secundum quas ecclesia grande homicidii peccatum puniebat cum omnibus eius speciebus ac appendicibus, quoad earum cognitionem vel habere poterat, vel perquirere ducebat consultum; reliquis blandiori admonitioni ac reprehensioni, quæ in ordinariis casibus & leuioribus erratis huius generis ad peccatorem emendandum sufficiebat, reseruatis.

LIBRI DECIMI SEXTI
CAPVT VNDECIMVM
DE GRANDIBVS PECCATIS CONTRA PRAECEPTVM SEPTIMVM, FORNICATIONE, ADVLTERIO, INCESTV, CETERIS.

§. I.
Pœna fornicationis.

ALIVD genus grandium criminum, quæ homines numquam non disciplinæ ecclesiasticæ obnoxios faciebant, erant peccata impudicitiæ, siue transgressiones præcepti septimi:

μηδεὶς ὠμὸς καὶ ἀνελεὴς, μηδεὶς ἀκάθαρτος [προσίτω]· ταῦτα πρὸς ὑμᾶς τοὺς μεταλαμβάνοντας λέγω καὶ πρὸς ὑμᾶς τοὺς διακονουμένους· --- οὐ μικρὰ κόλασις ὑμῖν ἐστιν, εἰ συνειδότες τινὶ πονηρίαν συγχωρήσητε μετασχεῖν ταύτης τῆς τραπέζης· τὸ γὰρ αἷμα αὐτοῦ ἐκ τῶν χειρῶν ἐκζητηθήσεται τῶν ὑμετέρων· κἂν στρατηγός τις ᾖ, κἂν ὕπαρχος, κἂν αὐτὸς ὁ τὸ διάδημα περικείμενος, ἀναξίως δὲ προσείη, μείζονα ἐκείνου τὴν ἐξουσίαν ἔχεις.

(*) Cap. III. §. XIV. pag. 174 seqq.

For-

Fornicatio, adulterium, raptus, polygamia, & omnes ſpecies inhumani ac ſcelerati concubitus cum beſtiis vel hominibus, & omnia, quæ ad huiuſmodi impuritates viam aperiunt vel ſternunt, vt luxurioſe & intemperanter viuere, ſcribere vel legere libros laſciuos, agere vel frequentare obſcenas comœdias, tolerare vel fouere meretrices, vel quidquid iſtiuſmodi carni ad explendas cupiditates prouidere dici poteſt. Vt ab ſimplici fornicatione ordiamur: Leges ethnicæ tantum aberant, vt ſerio eam refrænarent, vt impune potius permitterent, immo ſæpenumero in ſacris ritibus & myſteriis deorum ſuorum tuerentur atque ornarent, quemadmodum veteres ſcriptores apologetici ſæpius eorum ſuperſtitioni obiectant: quum contra religio chriſtiana graues ac ſeueras pœnas iis omnibus infligeret, qui ſub nomine chriſtianorum huius criminis rei eſſent. Canones *apoſtolici* [a] & *Neocæſareenſes* [b] tales numquam in clerum cooptari, ſi autem per ignorantiam cooptati ſint, offerendi munere exui iubent. Concilium *Illiberritanum* [c] virgines, quæ virginitatem ſuam non cuſtodierint, integrum annum a communione excludit, iubens illas his nubere, qui ipſas violauerint; alioqui quinquennii pœnitentiam agendam eis eſſe dicit, quia, ſi alios viros cognouerint, reæ fiant adulterii, cui, vt ſtatim videbimus, maior pœna, quam ſimplici fornicationi, conſtituta erat.

(a) Can. apoſt. LIII. al. LXI. Εἴ τις κατηγορία γένηται κατὰ πιστοῦ, πορνείας ἢ μοιχείας, ἢ ἄλλης τινὸς ἀπηγορευμένης πράξεως, καὶ ἐλεγχθῇ, εἰς κλῆρον μὴ προσαγέσθω. *Si contra fidelem aliqua fiat accuſatio fornicationis vel adulterii, vel alterius cuiuſpiam vetitæ actionis, & conuictus fuerit, non proueha-tur ad clerum.*

(b) Concil. Neocæſar. c. IX. Πρεσβύτερος, ἐὰν προημαρτηκὼς σώματι προαχθῇ, καὶ ὁμολογήσῃ, ὅτι ἥμαρτε πρὸ τῆς χειροτονίας, μὴ προσφερέτω, μένων ἐν τοῖς λοιποῖς διὰ τὴν ἄλλην σπουδήν. κ. τ. λ. *Si presbyter, qui corpore prius peccaverat, promotus fuerit, & ſi ante ordinationem peccaſſe confeſſus fuerit, ne offerat, manens in aliis, propter aliud eius bonæ vitæ ſtudium.*

(c) Illiberritan. c. XIV. Virgines, quæ virginitatem ſuam non cuſtodierint, ſi eoſdem, qui eas violauerunt, duxerint & tenuerint maritos, eo quod ſolas nuptias violauerint (nempe non Deo dedicatæ, vt can. XIII.) poſt annum ſine pœnitentia reconciliari debebunt. Vel ſi alios cognouerint viros, eo quod mœchatæ ſunt, placuit, per quinquennii tempora, acta legitima pœnitentia, admitti eas ad communionem.

§ II.

§. II.

De adulterio.

CANONES enim BASILII, qui ſeptem annorum pœnitentiam fornicationi adſignant, quindecim præſcribunt adulterio [*d*], & nonnumquam numerum duplicant [*e*]. Concilium *Ancyranum* [*f*] ſeptem annos adulterio iniungit, fornicationis autem non facit expreſſam mentionem. Concilium *Illiberritanum* quinque annis pœnitentiam illos agere iubet, qui ſemel [*g*] in adulterium lapſi ſint: decem annis [*h*], qui denuo illud commiſerint: Si quis vero per totam vitam in hoc peccato perſeuerauerit, ei nec in fine dandam eſſe communionem ſtatuit. Et in quibuſdam eccleſiis *Africanis* ante ætatem CYPRIANI hæc communis omnium mœchorum pœna fuit. Dicit enim [*i*], quoſdam de anteceſſoribus ſuis dandam pacem mœchis non putaſſe, & in totum pœnitentiæ locum contra adulteria clauſiſſe; ſuo autem tempore aliter eſſe, mœchis pœnitentiam ad certum tempus concedi, & deinde dari pacem eccleſiæ. Vnde PEARSONIVS [*k*] merito caſtigat ALBASPI-

(*d*) Baſil. c. LVIII. ὁ μοιχεύσας ἐν ιέ ἔτεσιν ἀκοινώνητος ἔσαι τῶν ἁγιασμάτων. κ. τ. λ. *Qui adulterauit, quindecim annis ſacramentis non communicabit, cetera.* Can. LIX. Ὁ πόρνος ἐν ἑπτὰ ἔτεσιν ἀκοινώνητος ἔσαι τῶν ἁγιασμάτων, κ. τ. λ. *Fornicator ſeptem annis ſanctis non communicabit, cetera.*

(*e*) Ibid. can. VII. τὰς ἐν τριάκοντα ἔτεσι μετανοήσαντας ἐπὶ τῇ ἀκαθαρσίᾳ, ἣν ἐν ἀγνοίᾳ ἔπραξαν, ἐκ ἀμφιβάλλειν ἡμᾶς προσῆκεν εἰς τὸ παραδέξασθαι. *Eos autem, qui in triginta annis propter immunditiam pœnitentiam egerunt, quam ignorantia fecerunt, nos quidem quin recipiendi ſint, dubitare non oportet.*

(*f*) Concil. Ancyr. c. XX. Ἐάν τινος γυνὴ μοιχευθῇ, ἢ μοιχεύσῃ τις, ἐν ἑπτὰ ἔτεσι δοκεῖ αὐτὸν τῆς τελείας τυχεῖν, κατὰ τὰς βαθμὰς τὰς προάγοντας. *Si alicuius vxor adulterata fuerit, vel quis eam adulterauerit, oportet eum in ſeptem annis quod perfectum eſt aſſequi, per gradus, qui eo deducunt.*

(*g*) Concil. Illiberrit. c. LXIX. Si quis forte habens vxorem, ſemel fuerit lapſus, placuit eum quinquennium agere de ea re pœnitentiam.

(*h*) Ibid. c. LXIV. Si quæ mulier vſque in finem mortis ſuæ cum alieno fuerit viro mœchata, placuit nec in fine dandam ei eſſe communionem. Si vero eum reliquerit, poſt decem annos recipi ad communionem acta legitima pœnitentia.

(*i*) Cypr. epiſt. LV. al. LII. ad Anton. p. 109. (p. 247. edit. Fell. Amſtelod.) Mœchis a nobis pœnitentia conceditur & pax datur. -- Et quidem apud anteceſſores noſtros &c. vid. cap. X. §. II. ſub litt. (f) p. 394 ſeq.

(*k*) Pearſon. vindic. Ignat. lib. II. c. VIII. (apud Cotcler. tom. II. p. 378.) Sed

NAEVM

NAEVM quod mœchos ante ætatem CYPRIANI numquam ad communionem receptos eſſe, ſtatuat. CYPRIANVS enim diſerte ait, in pleriſque eccleſiis pœnitentiam eis conceſſam fuiſſe, licet in quibuſdam reiecti fuerint. Manifeſto etiam ex TERTVLLIANO id apparet, qui ante CYPRIANVM vixit, & qui librum ſuum de *pudicitia* tamquam *Montaniſta* ſcripſit contra catholicos, quod mœchiæ & fornicationis delicta pœnitentia functis dimitterent. Attamen in cauſſa clericorum lex paullo ſeuerior manſit. Nam per regulam concilii *Illiberritani* [*l*] epiſcopo, presbytero vel diacono, ſi in adulterio conuictus eſſet, propter nefarium crimen & ſcandalum hoc ipſo datum nec in fine tribuenda erat communio. Et per alium eiuſdem concilii canonem [*m*] clerico, qui vxorem ſuam adulterii ream eſſe cognouerat, neque vero ſtatim repudiarat, itidem in fine neganda erat communio, ne ab his, (vti canon loquitur) qui exemplum bonæ conuerſationis eſſe debebant, viderentur magiſteria ſcelerum procedere. Et concilium *Neocæſareenſe* [*n*] canonem habet eiuſdem fere cum iſto decreto argumenti, quod, ſi cuius laici vxor adulterata eſſe conuicta ſit, is in ſacrum miniſterium cooptari nequeat: Si autem poſtea, quam ille coop-

nec illud verum eſt, quod Albaſpinæus obſeruat. Ante ætatem Cypriani etiam mœchi ad pœnitentiam admittebantur. Ita ipſe teſtatur epiſtola LII. *Et quidem apud anteceſſores noſtros &c.* Ab epiſcopis igitur Africanis per pœnitentiam recepti ſunt mœchi ante ætatem Cypriani, adeoque ante Nouatianos. Idque ab eccleſia factum narrat Cyprianus; nullum igitur tunc temporis in eccleſia Africana decretum exſtitit de adulteris penitus a pœnitentia remouendis. cetera.

(*l*) Concil. Illiberrit. c. XVIII. Epiſcopi, presbyteri, diacones, ſi in miniſterio poſiti detecti fuerint, quod ſint mœchati, placuit & propter ſcandalum & propter nefandum crimen, nec in fine eos communionem accipere debere.

(*m*) Ibid. can. LXV. Si cuius clerici vxor fuerit mœchata, & ſciat eam maritus ſuus mœchari & eam non ſtatim proiecerit, nec in fine accipiat communionem: ne ab his, qui exemplum bonæ conuerſationis eſſe debent, videantur magiſteria ſcelerum procedere.

(*n*) Concil. Neocæſar. c. VIII. Γυνή τινος μοιχευθεῖσα λαϊκȣ̃ ὄντος, ἐὰν ἐλεγχθῇ φανερῶς, ὁ τοιȣ̃τος εἰς ὑπηρεσίαν ἐλθεῖν ȣ̉ δύναται· Ἐὰν δὲ καὶ μετὰ τὴν χειροτονίαν μοιχευθῇ, ὀφείλει ἀπολῦσαι αὐτήν· ἐὰν δὲ συζῇ, ȣ̉ δύναται ἔχεσθαι τῆς ἐγχειρισθείσης αὐτῷ ὑπηρεσίας. *Si alicuius uxor, quum eſſet laicus, adulterata fuiſſe conuicta fuerit, is non poteſt ad miniſterium accedere. Sin autem etiam poſt ordinationem adulterata fuerit, debet eam dimittere. Quod ſi cohabitet, non poteſt ſibi commiſſum miniſterium exſequi.*

tatus sit, adulterata sit, quod eam sub pœna abdicationis muneris clericalis dimittere debeat. Lex ciuilis tam sub ethnicis quam christianis imperatoribus id crimen capitale facit, quemadmodum variis exemplis ex codice & pandectis demonstrat GOTHOFREDVS [o]. Et *Constans*, *Constantini* filius, speciatim eamdem pœnam adulteris constituit quam parricidis, quæ erat, vt vel viui comburerentur, vel culleo insuti cum serpente, simia, gallo gallinaceo & cane in mare præcipitarentur. *Manifestis probationibus*, inquit [p], *adulterio probato frustratoria prouocatio minime admittatur: cum pari similique ratione sacrilegos nuptiarum, tamquam manifestos parricidas, insuere culleo viuos, vel exurere, iudicantem oporteat.* Et hoc vnum de criminibus erat, quibus imperatores in celebritate paschali nec indulgentiam [q] tribuere, nec appellationem ad se a iudice in reorum gratiam permittere volebant, quemadmodum non solum ex hac *Constantis* lege, sed e diuersis etiam aliis [r] apparet. Nec præter rem erit ex lege quadam [s] *Theodosii* obseruare, Quod, si quis christianus iudæam duxisset, vel iudæo nupsisset christiana, idem fuerit,

(o) Gothofred. in codic. Theod. lib. XI. tit. XXXVI. Quorum appellationes &c. leg. IV. p. 297. Quod pœnæ ipsius atrocitatem attinet, magna profecto ea, quum cullei & ignis pœna h. l. imponatur. Certe & antea Opilius Macilius adulterii reos viuos simul incendit iunctis corporibus, teste Capitolino. Et Constantius ipse viuicomburii pœnam seruo, qui rem cum domina habuisset, imposuit *sup. de mulierib. quæ se prop. seru.* At enim neque hæc pœna postea mansit: nam & sub Valentiniano Cethegus senator adulterii reus delatus ceruice periit abscissa, vt testatur Am. Marcellinus *libr. XXVIII.* qui idem scribit, eadem pœna feminas aliquot itidem ob idem crimen adfectas tum temporis. Et sub Maioriano relegationis tantum, vel ad summum deportationis pœna cum bonorum confiscatione, iureque cædendi eius si rediret, pœna statuta.

(p) Cod. Theod. ibid.

(q) Cod. Theod. lib. IX. tit. XXXVIII. de indulgentiis criminum leg. III. IV. VI. VII. VIII. cit. supra cap. V. §. V. sub litt. (d) pag. 249. Et cap. X. §. I. sub litt. (a) pag. 392.

(r) Cod. Theod. lib. XI. tit. XXXVI. Quorum appellationes non recipiantur leg. I. vid. c. X. §. I. sub litt. (b) pag. 393. Leg. IV. cit. sub litt. anteced. (p). Leg. VII. cit. c. X. §. I. sub litt. (b) p. 393.

(s) Cod. Theod. lib. IX. tit. IX. ad legem Iuliam de adulteris leg. V. Ne quis christianam mulierem in matrimonium iudæus accipiat, neque iudææ christianus coniugium sortiatur. Nam si quis aliquid huiusmodi admiserit, adulterii vicem commissi huius crimen obtinebit.

rit, ac si adulterium commisissent, feceritque partem delinquentem eidem pœnæ obnoxium, quia ad minimum spirituale erat adulterium, quo membra *CHRISTI* insolentiæ ac potestati infensissimorum eius hostium sacrilega ratione prostituebantur. Et sane nihil est, quod veteres generatim damnauerunt [t] seuerius, quam christianorum cum iudæis, vel ethnicis, vel hæreticis, vel quibuscumque aliis alienæ religionis personis matrimonium; non quod sensu stricto & proprio adulterium, sed quod contra apostoli regulam (quæ feminas *nubere* modo *in domino* iubet) adeoque periculosum fidei esset, dum tentationi religionem suam mutandi, aut fidem peruertendo & corrumpendo, aut prorsus eam deserendo, ipsi se exponerent.

§. III.

De incestu.

ALIA impudicitiæ species committebatur per matrimonia incestuosa, hoc est, quando personæ, propinqua sanguinis agnatione vel adfinitate coniunctæ, coniugium contrahebant in gradibus, a Deo in scriptura prohibitis. Si quis, exempli caussa, patris sui vxorem duceret, vel vxoris filiam, vel fratris vxorem; qui gradus sunt in adfinitate, quorum concilium *Antissiodorense* [u] speciatim, tamquam prohibitorum, meminit. BA-

(t) Ambros. de Abrahamo lib. I. c. IX. Caue christiane, gentili aut iudæo filiam tuam tradere: Caue, inquam, gentilem aut iudæam, atque alienigenam, hoc est, hæreticam & omnem alienam a fide tu vxorem accersas tibi.

Augustin. epist. CCXXXIV. ad Rusticum. Si enim tu quam certissime noueris, etiam si nostræ absolutæ sit potestatis, quamlibet puellam in coniugium tradere, tradi a nobis christianam nisi christiano non posse, cetera.

Conc. Illiberrit. c. XVI. Hæretici si se transferre noluerint ad ecclesiam catholicam, nec ipsis catholicas dandas esse puellas: sed neque iudæis, neque ethnicis dare placuit; eo quod nulla possit esse societas fideli cum infideli. Si contra interdictum fecerint parentes, abstineri per quinquennium placet.

Concil. Laodic. c. X. Περὶ τοῦ, μὴ δεῖν τοὺς τῆς ἐκκλησίας ἀδιαφόρως πρὸς γάμου κοινωνίαν συνάπτειν τὰ ἑαυτῶν παιδία αἱρετικοῖς. *Non oportere eos, qui sunt ecclesiæ, indiscriminatim suos filios hæreticis matrimonio coniungere.* Can. XXXI. ὅτι οὐ δεῖ πρὸς πάντας αἱρετικοὺς ἐπιγαμίας ποιεῖν, ἢ διδόναι υἱοὺς, ἢ θυγατέρας· ἀλλὰ μᾶλλον λαμβάνειν, εἴγε ἐπαγγέλλοιντο χριστιανοὶ γίνεσθαι. *Quod non oportet cum omni hæretico matrimonium contrahere, vel dare filios aut filias: sed magis accipere, si se christianos futuros profiteantur.*

(u) Concil. Antissiodor. can. XXVII. Non licet, vt aliquis suam nouercam ac-

SILIVS [x] coitum cum ſorore eodem pœnitentiæ tempore, quo homicidium, expiari, & omnem prohibitæ cognationis in matrimonium coniunctionem, vt adulterium [y] puniri debere dicit. Qui cum propria ex patre vel ex matre ſorore [z] pollutus fuerit, eum vndecim annis pœnitere iubet, & in eum, qui cum nuru ſua rem habuerit [a], idem decernit. Qui di-

cipiat vxorem. Can. XXVIII. Non licet, vt filiam vxoris ſuæ quis accipiat. Can. XXIX. Non licet, vt relictam fratris ſui quis in matrimonium ducat. Can. XXX. Non licet duas ſorores, ſi vna mortua fuerit, alteram in coniugium accipere.

(x) Baſil. can. LXVII. Ἀδελφομιξία τὸν τοῦ φονέως χρόνον ἐξομολογήσεται, *Cum ſorore coitus pari atque homicida tempore pœnitentia expiabitur.*

(y) Id. can. LXVIII. ἡ τῆς ἀπειρημένης συγγενείας εἰς γάμον ἀνθρώπων σύστασις, εἰ φωραθείη, ὡς ἐν ἁμαρτήμασιν ἀνθρώπων γινομένη, τὰ τῶν μοιχῶν ἐπιτίμια δέξεται. *Prohibitæ cognationis in matrimonium coniunctio ſi deprehenſa fuerit, vt quæ in hominum peccatis facta eſt, ſubibit adulterorum pœnas.*

(z) Ibid. can. LXXV. Ὁ ἀδελφῇ ἰδίᾳ ἐκ πατέρος ἢ ἐκ μητέρος συμμιανθεὶς, εἰς οἶκον προσευχῆς μὴ ἐπιτρεπέσθω παρεῖναι, ἕως ἂν ἀποστῇ τῆς παρανόμου καὶ ἀθεμίτου πράξεως· μετὰ δὲ τὸ ἐλθεῖν εἰς συναίσθησιν τῆς φοβερᾶς ἁμαρτίας, τριετίαν προσκλαιέτω, τῇ θύρᾳ τῶν εὐκτηρίων οἴκων παρεστηκὼς, καὶ δεόμενος τοῦ λαοῦ εἰσιόντος ἐπὶ τὴν προσευχὴν, ὥστε ἕκαστον μετὰ συμπαθείας ὑπὲρ αὐτοῦ ἐκτενεῖς ποιεῖσθαι πρὸς κύριον τὰς δεήσεις· μετὰ δὲ τοῦτο ἄλλην τριετίαν εἰς ἀκρόασιν μόνην παραδεχθήτω, καὶ ἀκούων τῆς γραφῆς καὶ τῆς διδασκαλίας ἐκβαλλέσθω, καὶ μὴ καταξιούσθω προσευχῆς· ἔπειτα εἴπερ μετὰ δακρύων ἐξεζήτησεν αὐτὴν, καὶ προσέπεσε τῷ κυρίῳ μετὰ συντριμμοῦ καρδίας καὶ ταπεινώσεως ἰσχυρᾶς, διδόσθω αὐτῷ ὑπόπτωσις ἐν ἄλλοις τρισὶν ἔτεσι· καὶ οὕτως ἐπειδὰν τοὺς καρποὺς τῆς μετανοίας ἀξίους ἐπιδείξηται, τῷ δεκάτῳ ἔτει εἰς τὴν τῶν πιστῶν εὐχὴν δεχθήτω, χωρὶς προσφορᾶς· καὶ δύο ἔτη συστὰς εἰς τὴν εὐχὴν τοῖς πιστοῖς, οὕτω λοιπὸν καταξιούσθω τῆς τοῦ ἀγαθοῦ κοινωνίας. *Qui cum propria ex patre, vel ex matre, ſorore pollutus eſt, in domum orationis ne permittatur accedere; donec ab iniqua & nefaria actione deſiſtat. Poſtquam autem in horrendi peccati ſenſum & animaduerſionem venerit, triennio defleat, ſtans propter fores domus oratoriæ, & rogans populum ingredientem ad orationem, vt vnuſquiſque pro ipſo miſericorditer ad Dominum intenſas fundat preces. Poſtea autem alio triennio ad ſolam auditionem admittatur, & ſcripturam ac doctrinam audiens eiciatur, & nec oratione dignus habeatur. Deinde ſi quidem illam cum lacrimis exquiſiuit, & domino cum cordis contritione & valida humiliatione ſupplex procidit: detur ei ſubſtratio in aliis tribus annis. Et ſic poſtquam pœnitentiæ fructus dignos oſtenderit, decimo anno in fidelium orationem ſuſcipiatur ſine oblatione: & cum duobus annis vna cum fidelibus ad orationem ſubſtiterit, ſic deinceps dignus habeatur boni communione.*

(a) Ibid. can. LXXVI. ὁ αὐτὸς τύπος καὶ περὶ τῶν τὰς νύμφας ἑαυτῶν λαμβανόντων, *Idem eſt decretum in eos quoque, qui ſuas nurus accipiunt.*

ver-

verſis temporibus duas ſorores [*b*] matrimonio ſibi iunxerit, ei adulteri pœnitentiam, hoc eſt annorum quindecim, iniungit. Et de omnibus iſtis gradibus veteres omnino idem ſentiebant. Hac in re chriſtianorum inſtitutiones morales gentilium præcepta potiſſimum ſuperabant. Inter *Perſas* per legem licebat patri filiam ſuam, vel filio matrem aut ſororem ſuam vxorem ducere, vti ORIGENI [*c*] obſeruatur; Idem de *Aegyptiis* & *Athenienſibus* adfirmat MINVCIVS FELIX [*d*]: Et THEODORETVS, loquens ſpeciatim de ſui temporis *Perſis* [*e*], honorificum & religioſum eſſe dicit eorum principibus, matres ſuas, vel ſorores, vel filias ſibi iungere matrimonio. Et GOTHOFREDVS [*f*] multa exempla inter *Romanos* ſuggerit eorum, qui ſororum ſuarum, vel fratrum ſuorum filias duxerint, quod poſterius nulla vm-

(*b*) Baſil. can. LXXVIII. (collat. cum can. LXXVII.) *ὁ αὐτὸς κρατείτω τύπος καὶ ἐπὶ τῶν δύο ἀδελφὰς λαμβανόντων εἰς συνοικέσιον, εἰ καὶ κατὰ διαφόρους χρόνους. Eadem autem forma obſeruetur & in iis, qui duas ſorores in matrimonio accipiunt, etſi diuerſis temporibus.*

(*c*) Origen. contr. Celſum lib. V. p. 248. *οἱ Περσῶν [νόμοι], μὴ κωλύοντες γαμεῖσθαι τοῖς παισὶ τὰς μητέρας, μηδὲ ὑπὸ τῶν πατέρων τὰς ἑαυτῶν θυγατέρας. Perſarum (leges) non arcentes nec matres a filiorum, nec patres a filiarum connubio.*

(*d*) Minuc. Octau. pag. 98. (p. 118. edit. Hall.) Ius eſt apud Perſas miſceri cum matribus: Aegyptiis & Athenis cum ſororibus legitima connubia.

(*e*) Theodoret. comment. in Leuit. XVIII, 8. *ὅτι δὲ πολλὰ τοιαῦτα τολμᾶται, μαρτυροῦσι καὶ Πέρσαι μέχρι τοῦ παρόντος, οὐ μόνον ἀδελφαῖς, ἀλλὰ καὶ μητράσι καὶ θυγατράσι νόμῳ γάμου μιγνύμενοι. Quod autem ſimilia multa perpetrantur, teſtes ſunt etiam Perſæ in hunc vſque diem, qui non ſororibus ſolum, ſed etiam matribus ac filiabus nuptiarum lege permiſcentur.*

(*f*) Gothofred. in cod. Theod. lib. III. tit. XII. de inceſtis nuptiis leg. I. ex Tacito lib. XII. annal. Sueton. vit. Claud. XXVI. vit. Domit. c. XXII. Quum & antiquiſſimo iure, non minus fratris, quum ſororis filiam vxorem ducere nefas eſſet, poſtea tamen diſcrimen inductum fuit, inter fratris filium & ſororis filiam, videlicet vt illam patruo ducere liceret, hanc auunculo non liceret. Quod quidem Claudius imperator, Agrippinæ amore correptus, primus imperauit, quo ſcilicet iuſte inter patres fratrumque filias nuptiæ in poſterum SC. ſtatuerentur, quæ ad id tempus inceſtæ habebantur, vt Tacitus *lib. XII. annalium*, & Suetonius *in vita Claudii c. XXVI.* diſerte teſtantur. Hoc exemplo poſtea Domitiano fratris Titi filia in matrimonium oblata fuit, vt idem Suetonius *in eius vita* ſcribit c. XXII. Verum paullo poſt hoc diſcrimen, iure veteri reſtituto, ſublatum fuit; Nerua quippe mox ſanxit, *μὴ ἀδελφιδῆν γαμεῖν*, quod Xiphilinus ex Dione notat: *ἀδελφιδῆν*, id eſt, non tantum ſororis ſed & fratris filiam ne ducere ius eſſet.

quam

quam lege interdictum fuisse, dicit, etsi prius interdum sussaminatum sit. *Constantius* [g] autem crimen capitale faciebat remque vocabat abominandam, si quis filiam fratris sororisue duceret. Similiter coniugium cum duabus sororibus [h] vel fratris vxore (licet lex iudaica hoc posterius certo in casu permitteret) damnabat, liberos ex hoc consortio procreatos non legitimos sed spurios habendos esse declarans. Et THEODOSIO iuniori [i] eamdem legem repetere placuit, quamquam ipse *Honorius* imperator eam soluit, duabus sororibus, filiabus *Stiliconis*, altera post alterius obitum, ductis. Lex ecclesiastica omnia istiusmodi connubia, tamquam incestuosa dissoluit, & vtramque partem super leuitate sua iubet agere pœnitentiam. Concilium *Illiberritanum* [k] quinque annorum pœnitentiam requirit, nisi periculum aliquod mortis velocius eos ad communionem ecclesiæ admittere cogat. Concilium *Neocæsareense* [l] feminam, quæ duobus fratribus nupserit, ad mortem vsque communione ecclesiæ iubet extrudi, & tum reconciliari per sacramenti receptionem, hac tamen conditio-

(g) Cod. Theod. ibid. Si quis filiam fratris sororisue faciendam crediderit abominanter vxorem, aut in eius amplexum, non vt patruus aut auunculus, conuolauerit, capitalis sententiæ pœna teneatur.

(h) Cod. Theodos. lib. III. tit. XII. de incestis nuptiis leg. II. Etsi licitum veteres crediderunt, nuptiis fratris solutis, ducere fratrem vxoris; licitum etiam post mortem mulieris vel diuortium contrahere cum eiusdem sorore coniugium: abstineant huiusmodi nuptiis vniuersi, nec æstiment, posse legitimos liberos ex hoc consortio procreari: nam spurios esse conuenit, qui nascentur.

(i) Ibid. leg. IV. Tamquam incestum commiserit, habeatur, qui post prioris coniugis amissionem, sororem eius in matrimonium proprium crediderit sortiendam. Pari ac simili ratione etiam, si qua post interitum mariti in germani eius nuptias crediderit adspirandum. Illo sine dubio insecuturo, quod ex hoc contubernio nec filii legitimi habebuntur, nec in sacris patris erunt, nec paternam vt sui suscipient hæreditatem.

(k) Concil. Illiberrit. c. LXI. Si quis post obitum vxoris suæ sororem eius duxerit, quinquennium a communione placuit abstineri, nisi forte dari pacem velocior necessitas coëgerit infirmitatis.

(l) Conc. Neocæsar. can. II. Γυνὴ ἐὰν γήμηται δύο ἀδελφοῖς, ἐξωθείσθω μέχρι θανάτου· πλὴν ἐν θανάτῳ, διὰ τὴν φιλανθρωπίαν, εἰποῦσα, ὡς ὑγιάνασα λύσει τὸν γάμον, ἕξει τὴν μετάνοιαν. *Femina si duobus fratribus nupserit, extrudatur vsque ad mortem. Sed in morte, propter humanitatem, si dixerit, quod, vbi conualuerit, soluet matrimonium, habebit pœnitentiam.*

ne,

ne, vt, si conualuerit, soluat matrimonium & solemni pœnitentiæ se submittat. BASILIVS [m] contra istiusmodi matrimonia fuse disputat in epistola ad *Diodorum Tarsensem*, cuius sub nomine liber quidam fictitius circumfertur, in quo ea defenduntur. Et inter canones *apostolicos* [n] vnus habetur in hanc sententiam: *Qui duas in coniugium sorores acceperit, vel filiam fratris, clericus esse non poterit.*

§. IV.

Num consobrinorum coniugia incestuosa credita sint.

NON æque perspicui & vnanimes sunt veteres in quæstione de consobrinorum coniugio. Ad ætatem vsque *Ambrosii* & *Theodosii* nulla lege interdictum fuit, *Theodosius* autem expressa lege illud prohibuit. Lex ista in neutro codice hodie exstat, a multis autem scriptoribus adlegatur. *Honorius* in lege quadam [o] eius mentionem facit, prohibitionem, etsi diuersa sub pœna, confirmans. Quando enim *Theodosius* pœnam esse iusserat proscriptionem & ignem, hic pœna mitigata facultates suas amissuros nec filios legitimos habituros esse, statuit. Et *Arcadius* alia lege [p] amissionem facultatum etiam tollit, istiusmodi tamen omnes incestuosi matrimonii reos pronuntiat facitque intestatos, & liberos eorum illegitimos, atque hereditatis iure omni priuat, tamquam spurios. GOTHOFREDVS [q] simi-

(m) Basil. epist. CXCVII. ad Diodor. Tarsens. tot.

(n) Can. apost. XIX. ὁ δύο ἀδελφὰς ἀγαγόμενος, ἢ ἀδελφιδῆν, οὐ δύναται εἶναι κληρικός.

(o) Cod. Theodos. lib. III. tit. X. Si nuptiæ ex rescripto petantur, leg. I. Exceptis his, quos consobrinorum, hoc est, quarti gradus coniunctionum, lex triumphalis memoriæ patris nostri exemplo indultorum supplicare non vetauit, &c.

(p) Cod. Theod. lib. III. tit. XII. de incestis nuptiis leg. III. Manente circa eos sententia, qui post factam dudum legem quoquo modo absoluti sunt aut puniti, si quis incestis post hac consobrinæ suæ, vel sororis aut fratris filiæ vxorisque --- sese nuptiis funestarit, designato quidem lege supplicio, hoc est, ignium & proscriptionis, careat, proprias etiam quamdiu vixerit teneat facultates: Sed neque vxorem neque filios ex ea editos habere credatur, vt nihil prorsus prædictis, ne per interpositam quidem personam, vel donet superstes, vel mortuus derelinquat.

(q) Gothofred. in cod. Theod. lib. III. tit. X. leg. I. Antiquissimus & coætaneus quidem scriptor occurrit Libanius, orator Antiochenus, *oratione*, quam nos primi edidimus, ὑπὲρ τῶν γεωργῶν περὶ τῶν ἀγγαρειῶν, quamque is ad

liter

liter in ſcriptis LIBANII [r] mentionem huius legis fieri obſeruat, qui de ea loquatur, tamquam noua lege, qua edixerit, ne ἀνεψιῶν, hoc eſt conſobrinorum, nuptiæ eſſent. Meminit eiuſdem *Theodoſianæ* conſtitutionis & pœnæ, ſpernentibus illam denuntiatæ, AMBROSIVS [s], *Theodoſius imperator*, inquiens, *etiam patrueles fratres & conſobrinos vetuit inter ſe coniugii conuenire nomine, & ſeuerißimam pœnam ſtatuit, ſi quis temerare auſus eſſet fratrum pia pignora.* Et AMBROSIVS quidem imperatori ſuaſor & hortator hac in re exſtitiſſe creditur, vt qui ipſe iſtiuſmodi matrimonia inceſtuoſa & in ſcripturis prohibita eſſe, crediderit. AVGVSTINVS diuerſam ab AMBROSIO ſententiam fouebat, legis tamen imperatoris meminit, & homines monet, vt ab iſtiuſmodi matrimoniis abſtineant. *Experti ſumus*, inquit [t], *in connubiis conſobrinorum etiam noſtris temporibus propter gradum propinquitatis fraterno gradui proximum, quam raro per mores fiebat, quod fieri per leges licebat, quia id nec diuina prohibuit, & nondum prohibuerat lex humana: verumtamen factum etiam licitum propter vicinitatem horrebatur illiciti, & quod fiebat cum conſobrina, pene cum ſorore fieri videbatur, quia & ipſi inter ſe propter tam propinquam conſanguinitatem fratres vocantur, & pene germani ſunt.* Et mox: *Verum quis dubitat, hoc tempore etiam conſobrinorum prohibita eſſe coniugia?* Ex quibus apparet, nullam ante *Theodoſium* legem humanam exſtitiſſe, qua huiuſmodi coniugia prohiberentur; & ex AVGVSTINI ſententia nihil eſſe, quod per legem diuinam ea impediat. ATHANASIVS [u] eiuſdem opinionis fuit; coniugia enim cum

ipſummet Theodoſium ſcripſit: Ibi poſt exempla anterioris cuiuſdam imperatoris, immo & poſt alterum ipſiuſmet Theodoſii exemplum, quibus illi veteris conſuetudinis moriſque recepti ratione inſuper habita, leges nihilominus ſalutares tulere, ſubiicit. *Μὴ δὲ ἔςωσαν ἀνεψιῶν γάμοι γέγραφας, ἐν ἐξουσίᾳ πολλῇ τοῦ πράγματος ὄντος, καὶ τῶν φαινομένων δικαίων οὐκ ἦν ὁ τοῦ ἔργου χρόνος δυνατώτερος*, *Edixiſti etiam, ne conſobrinorum nuptiæ eſſent, quum id paſſim liceret: neque iis, quæ tibi iuſta videbantur, temporis obſeruantia validior fuit.*

(r) Liban. orat. pro agricolis de angariis. vid. ſub litt. anteced. (q).

(s) Ambroſ. epiſt. LXVI. ad Paternum.

(t) Auguſtin. de ciuit. Dei lib. XV. c. XVI.

(u) Athanaſ. ſynopſ. ſcriptur. lib. Numeror. tom. II. pag. 70. (pag. 137. edit. Pariſ. MDCXCVIII.) *ὧδε λαμβάνουσιν κλῆρον αἱ θυγατέρες Σαλπαάδ, τὸν τοῦ πατρὸς αὐτῶν· καὶ ἐκ τῆς προφάσεως αὐτῶν γίνεται πρόσταγμα κυρίου καὶ νόμος, νόμιμον εἶναι γάμον, τὴν πρὸς ἀνεψιοὺς συζυγίαν.* *Hic accipiunt & filiæ Salpaad ſortem*

con-

consobrinis inita legitima esse, diserte adfirmat. Et postea *Arcadius* omnes leges reuocabat, quas vel ipse vel alii contra istiusmodi matrimonia tulerant, eaque pro legitimis habenda esse decernebat, lege noua facta in hunc modum: *Celebrandis* [x] *inter consobrinos matrimoniis licentia legis huius salubritate indulta est: vt reuocata prisci iuris auctoritate, restinctisque calumniarum fomentis, matrimonium inter consobrinos habeatur legitimum: siue ex duobus fratribus, siue ex duabus sororibus, siue ex fratre & sorore nati sunt: & ex eo matrimonio editi, legitimi & suis parentibus successores habeantur.* *Iustinianus* hanc legem perpetuam imperii legem fecit, non tantum in codice eam suo interponendo, sed rem eamdem in *institutionibus* [y] etiam suis hunc in modum declarando: *Duorum fratrum vel sororum liberi, vel fratris & sororis coniungi possunt.* Vbi CONTIVS [z] recte obseruat, quod licet quædam exempla & nonnulli scriptores antiqui, vt THEOPHILVS & alii, legant *coniungi non possunt:* altera tamen vera omnino lectio sit, tum quia legi *Arcadii* in codice consonat, tum quia GREGORIVS MAGNVS ita eam adlegat in responsione sua ad *Augustinum* monachum [a] hac ipsa de quæstione, quando legem ciuilem imperii *Romani* consobrinorum coniugium permittere, legem sacram illud prohibere dicit. Quamquam enim ZEPPERVS [b] concilii *Epaonensis* & secundi *Turonici* adlegat canones, vt qui ista connubia permittant, manifesto tamen vtrobique fallitur. Nam concilium *Epaonense* [c] ea diser-

patris sui & illarum occasione mandatum domini datur, & lex ponitur, qua pro legitimis decernuntur cum consobrinis inita coniugia.

(x) Cod. Iustin. lib. V. tit. IV. de nuptiis leg. XIX.

(y) Iustin. Instit. lib. I. tit. X.

(z) Contius in locum.

(a) Gregor. lib. XII. epist. XXXI. & ap. Bedam lib. I. c. XXVII. Quædam terrena lex in Romana republica permittit, vt siue frater & soror (leg. fratris & sororis) seu duorum fratrum germanorum, vel duarum sororum filius & filia misceantur. Sed sacra lex prohibet &c.

(b) Zepper. leg. Mosaicar. forens. explanat. lib. IV. c. XIX. p. 606. Consentiunt his vetusta ecclesiæ concilia. In Epaonensi enim concilio, circa annum Christi CCCCXCVII. habito, refertur, *quod vltra consobrinos non progrediatur edictum.* Quod idem in Turonico II. statuitur concilio.

(c) Conc. Epaon. c. XXX. Incestis iunctionibus nihil prorsus veniæ reseruamus, nisi quum adulterium separatione sanauerint; --- Si quis nouercam duxerit, si quis consobrinæ se societ.

te inceſtas coniunctiones & adulteria vocat, illiſque accenſet matrimoniis, quæ cum ſorore vel fratris mortui vxore aut noverca contrahuntur. Et concilium *Turonenſe* [d] itidem perſpicue loquitur in iſta materia, citans ante memoratum *Epaunenſem* & alium concilii *Aruernenſis* ſiue *Claramontani* canonem aduerſus ea factum. GREGORIVS II. ſimile decretum [e] in concilio, *Romæ* an. DCCXXI. habito, ſanxit, & ſequentibus temporibus prohibitio in ſextam aut ſeptimam [f] extenſa eſt generationem. Summa totius materiæ hæc eſt: Ante ætatem *Theodoſii* lex nulla eccleſiaſtica vel ciuilis fuit, quæ conſobrinorum matrimonia prohiberet: Imperante *Theodoſio* prohibita fuerunt, ſed rurſus permiſſa ſub proximo inſequuto imperatore & *Iuſtiniano*, qui permiſſionem legum ſuarum corpori inſeruit. Canones autem ea ſemper prohibuerunt & interdictum extenderunt latius. Enimuero, vti iſtiuſmodi quid non conſtitutum fuit primitiuis temporibus, nec aliquot ſæculorum praxis ſic tulit, vt talia matrimonia pœnitentiali diſciplinæ ſubmitterentur, tamquam inceſtuoſa & ſimpliciter illicita; ita hoc onus eis hoc loco non impoſui, ſed hominum ſententias ab vtraque parte diuerſamque tum eccleſiæ tum reipublicæ per diuerſas ætates praxin libere enarraui, partes agens hiſtorici, non inducens lectorem ad condemnandum id, quod ſemel generali eccleſiæ catholicæ ſuffragio permiſſum, etſi in poſterioribus ſæculis diuerſo modo repræſentatum, fuit.

§. V.

De polygamia & concubinatu.

PROXIMA quæſtio eſſe poteſt de polygamia, qua eiuſmodi ſtatus coniugalis denotatur, quum quis plures vxores ſimul, vel aliam poſt aliam, habet. Quod ad prioris generis polygamiam attinet, ſingularem prorſus narrationem de *Valentiniano* imperatore habet SOCRATES [g], quod *Seueræ* coniugis ſuæ

(d) Conc. Turon. II. c. XXII. Quiſquis aut ſororem, aut filiam, aut certe gradu conſobrinam, aut fratris vxorem, ſceleratis ſibi nuptiis iunxerit, huic pœnæ ſibi iaceat &c.

(e) Concil. Roman. c. VIII. Si quis conſobrinam duxerit in coniugium, anathema ſit.

(f) Vid. Gratian. cauſſ. XXXV. quæſt. V. tot.

(g) Socrat. lib. IV. c. XXXI. *ὡς ἐν ἴδεν αὐτὴν λουομένην τὴν Ἰουςῖναν ἡ Σευήρα, ἠράσθη*

con-

consilio, & dum ea adhuc viueret, vxorem secundam duxerit; & postea legem tulerit, vt cuiuis volenti liceret duas simul vxores legitimas habere. Auctor libri, qui inscribitur *polygamia triumphatrix*, hanc creditam *Valentiniani* legem magno conatu vrget pro polygamia; sed probabiliter mere anilis est fabella, quam SOCRATES a callido quodam impostore acceptam inconsiderate ac præpropere vt veram historiam litteris consignavit. Nullum enim istiusmodi legis vestigium in vtroque codice est, sed potius in contrarium. Nam ipsa lex gentilis veteribus *Romanis* hoc interdicit, quemadmodum ex edicto quodam *Diocletiani* in codice *Iustinianeo* apparet, ita habente: *Neminem* [*h*], *qui sub ditione sit Romani nominis, binas vxores habere posse, vulgo patet: quum etiam in edicto prætoris huiusmodi viri infamia notati sint. Quam rem competens iudex inultam esse non patietur.* Et lex christiana [*i*] idem illud iudæis quoque interdixit: *Nemo iudæorum morem suum in coniunctionibus retineat, nec iuxta legem suam nuptias sortiatur, nec in diuersa sub vno tempore coniugia conueniat. Romanos* polygamiam in barbaris ridere solitos esse, auctor est

τοῦ κάλλους τῆς παρθένου· καὶ πρὸς τὸν βασιλέα διεξῄει περὶ αὐτῆς, ὡς οὕτως εἴη θαυμαστὸν ἔχουσα κάλλος, ἡ παρθένος ἡ τοῦ Ἰούστου θυγάτηρ, ὡς καὶ αὐτήν, καίτοι γυναῖκα οὖσαν, ἐρασθῆναι τῆς εὐμορφίας αὐτῆς· ὁ δὲ βασιλεὺς ταμιευσάμενος τὸν τῆς γυναικὸς λόγον, ἀγαγέσθαι τὴν Ἰουστίναν ἐβουλεύσατο, μὴ ἐκβαλὼν τὴν Σευήραν, ἀφ' ἧς αὐτῷ Γρατιανὸς ἐγεγόνει, ὃν μικρὸν ἔμπροσθεν ἀνηγορεύκει βασιλέα· νόμον οὖν ὑπαγορεύσας, δημοσίᾳ προτίθησιν κατὰ πόλεις, ὥστε ἐξεῖναι τῷ βουλομένῳ δύο νομίμους ἔχειν γυναῖκας· καὶ ὁ μὲν νόμος προέκειτο· ὁ δὲ ἄγεται τὴν Ἰουστίναν, ἀφ' ἧς αὐτῷ γίνεται Οὐαλεντινιανός τε ὁ νέος, καὶ θυγατέρες τρεῖς, Ἰοῦστα, Γρᾶτα, Γάλλα. *Seuera, quum Iustinam secum lauantem vidisset, admirata est virginis pulchritudinem, & imperatori de ea renuntiauit, Iusti filiam virginem esse tanta corporis venustate præditam, vt ipsa, licet mulier, eius forma nihilo minus capta sit. Imperator vero, cuius animo penitus infixus hæserat coniugis sermo, consilium init de Iustina vxore ducenda; ita tamen, vt Seueram non repudiaret, ex qua filium habebat Gratianum, quem paullo ante Augustum nuncupauerat. Legem igitur a se dictatam publice per singulas ciuitates proposuit, vt cuiuis liceret duas simul vxores legitimas habere. Et lex quidem ita proposita est. Ipse vero Iustinam duxit vxorem, ex qua Valentinianum iuniorem suscepit, tresque præterea filias: Iustam, Gratam & Gallam.*

(*h*) Cod. Iustin. lib. V. tit. V. de incestis nuptiis leg. II.

(*i*) Ibid. lib. I. tit. IX. de iudæis leg. VII.

SALVSTIVS [k]. Et licet *Iulius Cæsar* [l] legem pro ea habere cuperet, obtinere tamen non poterat. Et PLVTARCHVS [m] obseruat, *Marcum Antonium* primum inter *Romanos* fuisse, qui duas habuerit vxores. Quod autem hanc rem omnium rectissime decidit, est, quod neque ZOSIMVS, nec AMMIANVS MARCELLINVS, historici ethnici, istiusmodi facinus *Valentiniano* exprobrent, quod facere certe non erant prætermissuri, si talem libertatem, legibus *Romanorum* ante se contrariam, sibi sumsisset, vel indulsisset aliis. Quid? quod AMMIANVS MARCELLINVS contraria potius de eo referat, *Omni pudicitiæ cultu*, inquiens [n], *domi castus & foris, nullo conscientiæ contagio violatus obscenæ: hancque ob caussam tamquam retinaculis petulantiam aulæ regalis refrenarat, quod custodire facile poterit*. Et ZOSIMVS [o] potius innuit, quod *Iustinam* non duxerit ante, quam *Seuera*, prior eius coniux, mortua esset. Vnde BARONIVS [p] & VALE-

(*k*) Salust. de bello Iugurth. (p. 127. edit. Paris. MDCLXXIV. 4to.) Etiam antea Iugurthæ filia Bocchi nupserat. Verum ea necessitudo apud Numidas Maurosque leuis ducitur: quod singuli pro opibus, quisque quam plurimas vxores, denas alii, alii plures habeant; sed reges eo amplius. Ita animus multitudine distrahitur; nullam pro socia obtinet: pariter omnes viles sunt.

(*l*) Sueton. vita Iul. Cæsar. c. LII. Heluius Cinna trib. pleb. plerisque confessus est, habuisse se scriptam paratamque legem, quam Cæsar ferre iussisset, quum ipse abesset, vti vxores liberorum quærendorum caussa, quas & quot vellet, ducere liceret.

(*m*) Plutarch. vit. Anton. in fin. (p. 957. edit. Francof. MDCXX.) *Ἀντώνιος δὲ πρῶτον μὲν ὁμοῦ δύο γυναῖκας ἠγάγετο, πρᾶγμα μηδενὶ Ῥωμαίῳ τετολμημένον, Antonius primum, quod erat apud Romanos inauditum, duas simul accepit vxores.*

(*n*) Ammian. histor. lib. XXX. p. 462.

(*o*) Zosim. histor. lib. IV. cap. XLIII. (p. 457. edit. Ciz. MDCLXXIX.) *τότε δὴ νεὼς ἐπιβὰς, ἐπὶ τὴν Θεσσαλονίκην ἀπῄει· συνεπέπλει δὲ αὐτῷ καὶ ἡ μήτηρ Ἰουστίνα, Μαγνεντίῳ μὲν [ὡς εἴρηταί μοι πρότερον] συνοικήσασα, μετὰ δὲ τὴν ἐκείνου καθαίρεσιν, Οὐαλεντινιανῷ τῷ βασιλεῖ διὰ κάλλους ὑπερβολὴν συναφθεῖσα. Nauem ingressus (Valentinianus II) Thessalonicam abiit, socia nauigationis Iustina matre, quæ Magnentium prius maritum habuerat, vt ante (p. 384.) diximus; & illo sublato propter eximiam formæ venustatem, Valentiniano principi iuncta matrimonio fuerat.*

(*p*) Baron. ad. CCCLXX. num. CXXV. tom. IV. pag. 272. (pag. 294. edit. Antuerp. MDCLIV.) Conuincitur ex pluribus, apertissimis mendaciis anilem vel ab eo concinnatam esse fabellam, vel potius ipsum ab aliquo e triuio acceptam vt verum conscripsisse commentum. Vnde, quæso, Socrati, Iusti-

SIVS

SIVS [q] recte concludunt, hanc narrationem in SOCRATE fictionem esse, omni fundamento destitutam, nec vllam legem ad confirmandam polygamiam exstare in imperio *Romano*. Quod ad leges ecclesiæ attinet, BASILIVS [r] obseruat, patres polygamiam silentio prætermisisse, vt belluinam, & penitus ab hominum genere alienam; sibi autem probari dicit, eam maius esse fornicatione peccatum. Vnde consentaneum erat, vt longius pœnitentiæ interuallum polygamis præscriberetur. Fornicationi enim septem annorum pœnitentia constituta est per regulas BASILII, & tamen terminus pœnitentiæ pro polygamia in hoc canone ad quatuor tantum annos extenditur. Quæ res facit, vt viri eruditi hanc huius canonis partem negligentia librariorum corruptam & longius pœnitentiæ tempus huic peccato a BASILIO primum præstitutum esse, suspicentur, quam

nam fuisse virginem, quum eam Valentinianus accepit in coniugem, quam constat vxorem fuisse Magnentii tyranni? testatur id quidem inter huius temporis scriptores Zosimus: qui certe quo non pretio redemisset, vt in christianum imperatorem proxime succedentem post Iulianum, quem in odium christianæ religionis adeo celebrat, potuisset tantum facinus exprobrare? Et quid dicemus de Ammiano æque gentili & in christianos principes parum æquo, qui tamen nihil adeo celebrat in Valentiniano atque commendat ac castitatem, sed eius verba reddamus: *Omni pudicitiæ cultu &c.* [vid. sub litt. (u)] Appello nunc rectum eruditorum omnium sanumque iudicium: Potuissetne hæc de christiano principe a scriptoribus in christianam religionem infensis adeo prædicari, si Valentinianus fuisset publica illa obscœnitate pollutus, quum scimus a Romanarum rerum historicis in barbaris esse derisam & in Romano imperatore id tentante magnopere improbatam?

(q) Vales. in Socrat. lib. IV. c. XXXI. Huius legis Valentiniani nulla vsquam sit mentio. Sed nec Ammianus Marcellinus, qui res Valentiniani accurate commemorauit, huius legis meminit in suis libris. Certe huiusmodi lex nequaquam conuenire mihi videtur Valentiniano, principi serio & christiano. Tota igitur hæc narratio de Iustinæ coniugio, dubiæ fidei mihi videtur.

(r) Basil. can. LXXX. Τὴν πολυγαμίαν οἱ πατέρες ἀπεσιώπησαν, ὡς κτηνώδη, καὶ παντελῶς ἀλλοτρίαν τῷ γένει τῶν ἀνθρώπων· ἡμῖν δὲ παρίσταται πλέον τι πορνείας εἶναι τὸ ἁμάρτημα· διὸ εὔλογον τοὺς τοιούτους ὑποβάλλεσθαι τοῖς κανόσι· δηλονότι ἐνιαυτὸν προσκλαίοντας, καὶ ἐν τρισὶν ὑποπεσόντας, οὕτω δεκτοὺς εἶναι. *Patres polygamiam silentio prætermisere vt belluinam & penitus ab hominum genere alienam. Nobis autem probatur, eam maius esse fornicatione peccatum & ideo consentaneum est, vt ii canonibus subiiciantur, vt scilicet postquam anno fleuerint, & tribus substrati fuerint, sic suscipiantur.*

quidem ex vllis, quæ hodie ſuperſunt, exemplaribus appareat, vtpote quæ vnum ſolum annum inter lugentes & tres annos inter conſiſtentes agere eos iubent, temporis inter audientes vel ſubſtratos conficiendi, quod in pleriſque aliis huius auctoris canonibus memoratur, nulla facta mentione. In concilio *Toletano* primo [*s*] regula exſtat, qua vxorem & concubinam ſimul habere eodem loco cum polygamia habetur. *Si quis*, inquit canon, *habens vxorem fidelis, concubinam habeat, non communicet. Ceterum is, qui non habet vxorem, & pro vxore concubinam habeat, a communione non repellatur, tantum vt vnius mulieris, aut vxoris concubinæ, vt ei placuerit, ſit coniunctione contentus.* Difficultatem, quæ in poſteriore huius canonis parte eſſe videtur, explanare aliquo modo adlaboraui in libro quodam anteriore [*], vbi oſtendi, quod ſenſu legis eccleſiaſticæ concubina nihil ab vxore differat; quantumuis lex ciuilis maius diſcrimen inter eas ſtatuat; vocans eam tantum concubinam, quæ viro iuncta erat contra aliquam de regulis, per leges reipublicæ præſcriptis, eique negant priuilegia, iura ac honores, legitimæ vxori debitos. Non enim ius in mariti ſui facultates ſibi arrogare, nec liberi eius in patris hæreditatem ſuccedere poterant. Verumtamen fornicationis haud habebatur rea, nec maritus adulter in oculis eccleſiæ, quia fideliter & integre ſibi inuicem addicti erant mutuamque inter ſe factam pactionem ſtudioſe & curate obſeruabant. Quæ ratio erat, cur eccleſia tali viro communicare permitteret, qui concubinæ, (ſenſu ante memorato) loco vxoris iunctus erat; polygamiæ autem reum declararet, qui concubinam vna cum vxore habebat.

§. VI.

De coniugio, poſt illegitimum diuortium inito.

Alia polygamiæ ſpecies erat, ſi quis ſecundam vxorem duceret, facto cum priore illegitimo diuortio. Hoc enim re ipſa nihil aliud eſſe exiſtimabatur, quam duas ſimul vxores habere. Fieri non numquam poterat, vt quis vxorem ſuam ſine vlla regularum eccleſiæ vel reipublicæ tranſgreſſione, ſiue legis humanæ vel diuinæ violatione, repudiaret. Lex ciuilis certis

(*s*) Concil. Toletan. I. c. XVII.

(*) Lib. XI. cap. V. §. XI. volum. IV. pag. 233. 234.

con-

conditionibus hoc fieri permittebat. CONSTANTINVS imperator tria crimina nominat, propter quæ viro liceat vxorem dimittere, vel mulieri repudium renuntiare marito suo. *Placet*, inquit [t], *mulieri non licere propter suas prauas cupiditates marito repudium mittere, exquisita caussa, velut ebrioso, aut aleatori, aut mulierculario: Nec vero maritis per quascumque occasiones vxores suas dimittere. Sed in repudio mittendo a femina hæc sola crimina inquiri, si homicidam, vel medicamentarium*, (id est veneficum) *vel sepulchrorum dissolutorem maritum suum esse probauerit, vt ita demum laudata omnem suam dotem recipiat: Nam si præter hæc tria crimina repudium marito miserit, oportet eam vsque ad acuculam capitis in domo mariti deponere, & pro tam magna sui confidentia in insulam deportari. In masculis etiam, si repudium mittant, hæc tria crimina inquiri conueniet, si mœcham vel medicamentariam vel conciliatricem repudiare voluerit: Nam si ab iis criminibus liberam eiecerit, omnem dotem restituere debet, & aliam non ducere. Quod si fecerit, priori coniugi facultas dabitur, eius domum inuadere & omnem dotem posterioris vxoris ad semetipsam transferre pro iniuria sibi inlata.* Sequentes imperatores [u] plures alias caussas legitimi diuortii admittunt: *Si qua maritum suum adulterum aut homicidam, aut veneficum, vel certe contra nostrum imperium aliquod molientem, vel falsitatis crimine condemnatum inuenerit, si sepulchrorum dissolutorem, si sacris ædibus aliquid subtrahentem, si latronem, vel plagiarium, vel ad contemtum sui domusue suæ ipsa inspiciente cum impudicis mulieribus, (quod maxime etiam castas exasperat) cœtum ineuntem; si suæ vitæ veneno, aut gladio, aut alio simili modo insidiantem; si se verberibus, (quæ ingenuis aliena sunt) adficientem probauerit: tunc repudii auxilio vti necessario permittimus libertatem, & caussas dissidii legibus comprobare.* Eadem libertas maritis quoque contra vxores suas ex his & similibus caussis indulta erat. Leges autem ecclesiasticæ multo strictiores erant, non admittentes diuortia, nisi propter adulterium & malitiosam desertionem. In casu adulterii mulieribus æque ac viris licebat a parte offendente se separare, quemadmodum e casu isto apud

(t) Cod. Theodos. lib. III. titul. XVI. leg. I.

(u) Cod. Iustin. lib. V. tit. XVII. leg. VIII. Theodos. & Valent. Vide sis etiam Iustin. nouell. XXII. c. III. Nouell. CXVII. c. VIII. & cod. de repudiis leg. X. et XI.

IVSTINVM MARTYREM [x], quem & EVSEBIVS [y] ex eo refert, nec non e diuersis AVGVSTINI [z] locis habet. Et canones nonnulli clericos [a] sub pœna censuræ ecclesiasticæ vxores suas adulteras iubent dimittere, dum AVGVSTINVS laicis [b] persuadere satagit, vt potius vxoribus adulteris reconcilientur, si resipiscant, quam vt eas penitus dimittant, propter multa incommoda, quæ rem istam soleant comitari. Quorum vnum erat, quod existimabat, scripturas & viro & mulieri secundas

(x) Iustin. apol. I. p. 41. 42. γυνή τις συνεβίου ἀνδρὶ ἀκολασταίνοντι, ἀκολασταίνουσα καὶ αὐτὴ πρότερον· ἐπεὶ δὲ τὰ τοῦ Χριστοῦ διδάγματα ἔγνω αὕτη, ἐσωφρονίσθη, καὶ τὸν ἄνδρα ὁμοίως σωφρονεῖν πείθειν ἐπειρᾶτο, τὰ διδάγματα ἀναφέρουσα, τήν τε μέλλουσαν τοῖς οὐ σωφρόνως καὶ μετὰ λόγου ὀρθοῦ βιοῦσιν ἔσεσθαι ἐν αἰωνίῳ πυρὶ κόλασιν ἀπαγγέλλουσα· ὁ δὲ ταῖς αὐταῖς ἀσελγείαις ἐπιμένων, ἀλλοτρίαν διὰ τῶν πράξεων ἐποιεῖτο τὴν γαμετήν· ἀσεβὲς γὰρ ἡγουμένη τὸ λοιπὸν ἡ γυνὴ συγκατακλίνεσθαι ἀνδρὶ παρὰ τὸν τῆς φύσεως νόμον καὶ παρὰ τὸ δίκαιον πόρους ἡδονῆς ἐκ παντὸς πειρωμένῳ ποιεῖσθαι, τῆς συζυγίας χωρισθῆναι ἐβουλήθη· καὶ ἐπεὶ ἐξεδυσωπεῖτο ὑπὸ τῶν αὐτῆς, ἔτι προσμένειν συμβουλευόντων, ὡς εἰς ἐλπίδα μεταβολῆς ἥξοντός ποτε τοῦ ἀνδρός, βιαζομένη ἑαυτὴν ἐπέμενεν· ἐπειδὴ δὲ ὁ ταύτης ἀνὴρ, εἰς τὴν Ἀλεξάνδρειαν πορευθεὶς, χαλεπώτερα πράττειν ἀπηγγέλθη, ὅπως μὴ κοινωνὸς τῶν ἀδικημάτων καὶ ἀσεβημάτων γένηται, μένουσα ἐν τῇ συζυγίᾳ, καὶ ὁμοδίαιτος καὶ ὁμόκοιτος γενομένη, τὸ λεγόμενον παρ' ὑμῖν ῥεπούδιον δοῦσα, ἐχωρίσθη. κ.τ.λ. *Mulier quædam cum marito suo homine intemperante viuebat, libidini & ipsa prius dedita: vt autem illa postquam arcanam Christi professionem perdidicit, cum ipsa moderatam continentemque vitam est complexa: eum idem quoque vt faceret, marito suasit: doctrinam referens christianam & futurum illum æternum ignem, qui impudicis & voluptariis paratus est; promissionesque itidem sempiternorum piis destinatorum bonorum proponens. Sed eum quum multa sæpe dicendo nihil apud eum efficeret, atque ille in procaci petulantia sua permaneret, mulierem improbis suis moribus a se reddidit alieniorem. Illa namque impium esse iudicans cum tali deinceps viro consuescere, qui præter naturæ leges modis omnibus per libidines varias voluptatis fructum quæreret, discedere ab eo volebat. Et vero illam propinqui, pro auctoritate sua, ab eo consilio sunt dehortati; spemque ei fecerunt, virum aliquando tandem in melius mutatum iri, manere cum homine est coacta. Postquam vero maritus Alexandriam profectus, multo etiam deterior factus esse dictus est; femina verita, si de cetero eodem cum illo lecto eademque vteretur mensa, ne impietatis quoque eius fieret particeps, misso illi qui apud vos dicitur repudii libello, ab eo seiuncta est, cetera.*

(y) Euseb. lib. IV. c. XVII.

(z) Augustin. de adulterinis coniugiis lib. VI. c. VI. seqq. (tom. VI. opp. p. 841. 842 seq. edit. Basil. MDLXIX.) It. de bono coniugali cap. VII. tot.

(a) Concil. Neocæsar. can. VIII. cit. supra ad §. III. sub litt. (n) pag. 417.

(b) Augustin. de adult. coniug. lib. II. tot.

nupti-

nuptias interdicere etiam poſt legitimum diuortium, donec alterutra pars diem ſuum obiiſſet. Verum hoc non tam confidenter adſerit, vt coniugium, poſt iſtiuſmodi legitimum diuortium contractum, crimen eſſe ſtatuat dignum excommunicatione. Nam alio in libro, vbi de neceſſariis requiſitis in baptizandis [c] agit, in hunc modum loquitur: *Quiſquis vxorem in adulterio deprehenſam dimiſerit, & aliam duxerit, non videtur æquandus eis, qui excepta cauſſa adulterii dimittunt & ducunt. Et in ipſis diuinis ſententiis ita obſcurum eſt, vtrum & iſte, cui quidem ſine dubio adulteram licet dimittere, adulter tamen habeatur, ſi alteram duxerit, vt, quantum exiſtimo, venialiter ibi quiſque fallatur. Quamobrem, quæ manifeſta ſunt impudicitiæ crimina, omni modo a baptiſmo prohibenda ſunt, niſi mutatione voluntatis & pœnitentia corrigantur: Quæ autem dubia, omni modo conandum eſt, ne ſiant tales coniunctiones. Quid enim opus eſt in tantum diſcrimen ambiguitatis caput immittere? ſi autem ſactæ fuerint, neſcio vtrum ii, qui fecerint, ſimiliter ad baptiſmum non debere videantur admitti.* Ex quibus perſpicimus, quod, licet AVGVSTINVS per ſe habuerit perſuaſum, nuptias poſt legitimum diuortium vetitas eſſe in ſacris ſcripturis, non tamen ita clare interdictæ ſint, vt hominem a baptiſmo reiicerent, nec conſequenter a ſacra communione; quandoquidem huius vtriuſque ſacramenti eadem erat apud chriſtianos ratio, & qui vno indignus erat, altero quoque indignus eſſe iudicabatur. Concilium *Arelatenſe* primum ex eadem ſententia videtur egiſſe. Patres illic congregati [d] illicitum viris eſſe declarant, poſt dimiſſas adulterii cauſſa vxores, alias ducere: non tamen magnam excommunicationis cenſuram eis infligi, ſed conſilium tantummodo dari iubent, *ne viuentibus vxoribus ſuis, licet adulteris, alias accipiant.* Auctor, qui ſub nomine AMBROSII [e] ſcripſit, diſcrimen ſtatuit inter virum & mulierem: *Non permittitur*, inquiens, *mulieri vt nubat, ſi virum ſuum cauſſa fornicationis dimiſerit. – Viro*

(c) Auguſtin. de fide & oper. c. XIX.

(d) Concil. Arelat. I. c. X. De his, qui coniuges ſuas in adulterio deprehendunt, & iidem ſunt adoleſcentes fideles, & prohibentur nubere: Placuit, vt, in quantum poteſt, conſilium eis detur, ne viuentibus vxoribus ſuis, licet adulteris, alias accipiant.

(e) Ambroſ. in 1 Cor. VII, 11. tom. V. pag. 262. (tom. III. opp. p. 365. edit. Pariſ. MDCXLII.)

licet ducere vxorem, si dimiserit vxorem peccantem, quia non ita lege constringitur vir, sicut mulier. Qua in opinione videtur esse singularis. EPIPHANIVS enim de eadem loquens materia [*f*] ait: *In populo, propter eius imbecillitatem, tolerari istud potest, vt, qui vxore prima contenti esse non possunt, ea mortua secundam sibi copulent. Quamquam qui vnam duntaxat habuit, maiori, ecclesiæ iudicio, honore dignus est. Sed cui mortua vna non sufficit, quum occasione aliqua stupri adulteriique, aut alterius flagitii cum ea diuortium fecerit, is si alteram vxorem duxerit, aut alteri viro mulier nupserit, sacrarum litterarum auctoritas ab omni culpa eos absoluit, neque ab ecclesia aut æterna vita reiicit, sed propter imbecillitatem tolerandos existimat.* Et ORIGENES, quamuis ipse contrariam tueatur sententiam, declarat tamen manifesto, a quibusdam sui temporis episcopis tam viris quam mulieribus secundas nuptias post istiusmodi diuortia certis de caussis permitti consueuisse. *Scio*, inquit [*g*], *quosdam, qui præsunt ecclesiis, extra scripturam permisisse, aliquam nubere viro, priori viuente: & contra scripturam quidem fecerunt, dicentem, Mulier ligata est, quanto tempore viuit vir eius. Item, viuente viro adultera vocabitur, si facta fuerit alteri viro. Non tamen omnino sine caussa hoc permiserunt. Forsitan enim propter huiusmodi infirmitatem incontinentium hominum, peiorum comparatione, quæ mala sunt, permiserunt aduersus ea, quæ ab initio fuerant scripta.* Verumtamen quædam concilia istiusmodi matrimonia sub pœna excommunicationis fidelibus interdicunt, mere catechumenis paullo indulgentius tractari iussis. Duo hanc in rem canones reperiuntur in concilio *Illiberritano*, quorum alter [*h*] in hunc modum habet: *Fidelis femina, quæ adulterum maritum reliquerit fidelem, & adulterum duxerit, prohibeatur, ne ducat. Si autem duxerit, non prius accipiat communio-*

(*f*) Epiphan. hæres. LIX. Catharor. n. IV. *ἔξεστι δὲ τῷ λαῷ δι' ἀσθένειαν διαβαστάζεσθαι, καὶ μὴ δυνηθέντας ἐπὶ τῇ πρώτῃ γαμετῇ στῆναι, δευτέρᾳ μετὰ θάνατον τῆς πρώτης συναφθῆναι· καὶ ὁ μὲν μίαν ἐσχηκὼς, ἐν ἐπαίνῳ μείζονι καὶ τιμῇ παρὰ πᾶσι ἐκκλησιαζομένοις ἐνυπάρχει· ὁ δὲ μὴ δυνηθεὶς τῇ μιᾷ ἀρκεσθῆναι τελευτησάσῃ, ἕνεκέν τινος προφάσεως, πορνείας ἢ μοιχείας, ἢ κακῆς αἰτίας χωρισμοῦ γενομένου, συναφθέντα δευτέρᾳ γυναικὶ, ἢ γυνὴ δευτέρῳ ἀνδρὶ, οὐκ αἰτιᾶται ὁ θεῖος λόγος, οὐδὲ ἀπὸ τῆς ἐκκλησίας, καὶ τῆς ζωῆς ἀποκηρύττει, ἀλλὰ διαβαστάζει διὰ τὸ ἀσθενές.*

(*g*) Orig. tract. VII. in Matth. tom. II. p. 67. (p. 43. a. edit. Par. MDCIIII.)

(*h*) Concil. Illiberrit. c. IX.

nem,

nem, quam is, quem reliquit, de sæculo exierit, nisi necessitas infirmitatis dare compulerit. Alter canon [*i*] hic est: *Si ea, quam catechumenus reliquerit, duxerit maritum, potest ad fontem lauacri* (adeoque & ad sacram communionem) *admitti. Hoc & circa feminas catechumenas erit obseruandum.* Exstat etiam in concilio *Mileuitano* [*k*] canon, qui huc spectat: *Placuit, vt secundum euangelicam & apostolicam disciplinam, neque dimissus ab vxore, neque dimissa a marito, alteri coniungantur: Sed ita maneant, aut sibi reconcilientur. Quod si contemserint, ad pœnitentiam redigantur. In qua caussa legem imperialem petendam promulgari.* Ex quibus omnibus facile ad intelligendum est, difficilem semper quæstionem creditam fuisse, Num vir vel mulier post legitime factum diuortium denuo coniugium inire possit, priori coniuge adhuc viuente? Leges imperiales id fieri permittunt; multi etiam ex vetustis patribus id approbant; alii damnant, tolerant tamen sine publica pœna, & alii certam pœnitentiam pro ea re agi iubent in ecclesia. De quibus diuersis praxibus omnibus lector curiosus longum sermonem inuenire potest in COTELERII adnotationibus in HERMAE *pastorem* [*l*]. Sed enim licet de hoc capite inter se dissentirent, de altero tamen nulla erat disputatio, Quod, si quis post illegitimum diuortium vxorem duxerit, priore adhuc viuente, hoc pro adulterio habendum sit, & vt tale seuerissima ecclesiæ censura puniendum. Canones *apostolici* [*m*] communione eum priuari iubent, qui vxore sua eiecta, aliam acceperit, vel

(*i*) Ibid. can. X.

(*k*) Concil. Mileuitan. c. XVII.

(*l*) Coteler. patr. apostol. tom. I. p. 88. tot.

(*m*) Can. apostol. XLVIII. *Εἴ τις λαϊκὸς τὴν ἑαυτοῦ γυναῖκα ἐκβαλὼν, ἑτέραν λάβοι, ἢ παρὰ ἄλλου ἀπολελυμένην, ἀφοριζέσθω.*
Vid. Basil. can. XLVIII. *Ἡ δὲ ἐγκαταλειφθεῖσα παρὰ τοῦ ἀνδρὸς, κατὰ τὴν ἐμὴν γνώμην, μένειν ὀφείλει· εἰ γὰρ ὁ κύριος εἶπεν, ὅτι ἐάν τις καταλείπῃ γυναῖκα, ἐκτὸς λόγου πορνείας, ποιεῖ αὐτὴν μοιχᾶσθαι· ἐκ τοῦ μοιχαλίδα αὐτὴν ὀνομάσαι, ἀπέκλεισεν αὐτὴν τῆς πρὸς ἕτερον κοινωνίας· πῶς γὰρ δύναται ὁ μὲν ἀνὴρ ὑπεύθυνος εἶναι, ὡς μοιχείας αἴτιος, ἡ δὲ γυνὴ ἀναίτιος εἶναι, ἡ μοιχαλὶς παρὰ κυρίου, διὰ τὴν πρὸς ἕτερον ἄνδρα κοινωνίαν, προσαγορευθεῖσα; Quæ a marito dimissa est, mea quidem sententia manere debet. Si enim dominus dixit, Si quis reliquit vxorem præterquam ratione fornicationis, facit eam adulterari: ex eo, quod eam adulteram nominet, exclusit eam a societate cum alio. Quomodo enim potest vir quidem esse reus, vt auctor adulterii; mulier*

ab alio dimissam. Et omnes canones generatim in eo conspirant, vt a sacro ministerio eum cohibendum decernant, qui vxorem ab alio repudiatam duxerit. Concilium *Illiberritanum* [n] vlterius progreditur, & feminam, quæ sine caussa virum suum reliquerit iunxeritque se alii, in ipsa mortis hora communionem accipere vetat. Et quæ ei nupserit, qui vxorem suam eiecerit iniuste, ei non nisi in fine (vel vt alia exempla legunt, nec in fine) communionem dari iubet [o].

§. VII.

De secundis, tertiis & quartis nuptiis.

QVIDAM etiam canones secundas, tertias, & quartas nuptias acriter stringunt, per quas non intelligere videntur polygamiam, quam vocant, simultaneam, nec connubium post diuortium, priore coniuge adhuc viuente initum, sed nuptias cum secunda aliqua vel tertia vxore post primæ vel secundæ mortem celebratas. Quamuis enim eiusmodi matrimonia non aperte vocarent adulteria, nec cum *Montanistis* & *Nouatianis* simpliciter vt illicita damnarent; nonnulli tamen veterum ad ea impedienda propendebant, adeoque certum pœnitentiæ tempus eis imponebant. Concilium *Neocæsareense* canone quodam [p] dicit, *De iis, qui in plurimas nuptias incidunt, tempus præstitutum esse, manifestum est. Sed conuersatio eorum & fides tempus abbreuiat.* Et in alio [q]: *Presbyter in nuptiis eius, qui duas vxores ducit, seu digamus efficitur, ne conuiuetur. Quum enim requirat pœnitentiam digamus, quis erit presbyter, qui eo, quod sit conuiuio acceptus, nuptiis assentiatur?* Exstant multæ aliæ duriores loquutiones de secundis & tertiis nuptiis in ATHENA-

autem nulli esse culpæ adfinis, quæ adultera appellata est, propter consuetudinem cum alio viro?

(n) Concil. Illiberrit. c. VIII. Feminæ, quæ, nulla præcedente caussa, reliquerunt viros suos, & alteris se copulauerunt, nec in fine accipiant communionem.

(o) Ibid. can. X. Si fuerit fidelis, quæ ducitur ab eo, qui vxorem inculpatam reliquerit, & quum scierit, illum habere vxorem, quam sine caussa reliquit: placuit huiusmodi in fine dari communionem. al. nec in fine dari communionem.

(p) Concil. Neocæsar. c. III. *περὶ τῶν πλείστοις γάμοις περιπιπτόντων, ὁ μὲν χρόνος σαφὴς ὁ ὡρισμένος· ἡ δὲ ἀναστροφὴ καὶ ἡ πίστις αὐτῶν συντέμνει τὸν χρόνον.*

(q) Ibid. c. VII. *πρεσβύτερον ἐν γάμοις διγαμούντων μὴ ἑστιᾶσθαι· ἐπεὶ μετάνοιαν αἰτοῦντος τοῦ διγάμου, τίς ἔσται ὁ πρεσβύτερος, ὁ διὰ τῆς ἑστιάσεως συγκατατιθέμενος τοῖς γάμοις;*

GORA,

GORA, IRENAEO, ORIGENE, GREGORIO NAZIANZENO, CHRYSOSTOMO, HIERONYMO & aliis, quas lector congestas videre potest a COTELERIO [r] in notis suis ad HERMAE *pastorem* & auctorem *constitutionum* [s]. Quorum scriptorum vltimus contra secundas etiam & tertias nuptias sententiam suam dicit, tamquam transgressiones legis; & quodlibet post tertias nuptias matrimonium manifestam fornicationem appellat. At HERMES PASTOR magis candide agit: Ad interrogationem enim illam: [t] *Si vir, vel mulier alicuius decesserit, & nupserit aliquis illorum, numquid peccat?* respondens, ait: *Qui nubet, non peccat, sed si per se manserit, magnum sibi conquirit honorem apud dominum.* Secundas nuptias nec damnat, nec vllo duriore nomine appellat, nec vllam eis pœnam dictitat; sed tantum rem consilii facit, & magni honoris intuitu impedire eas studet. Eodem modo ad istam quæstionem respondet AVGVSTINVS [u] „De tertiis & de „quartis & de vltra pluribus nuptiis solent homines mouere „quæstionem. Vnde, vt breuiter respondeam, nec vllas nupti„as audeo damnare, nec eis verecundiam numerositatis aufer„re. Sed ne cuiquam breuitas huius responsionis forte displi„ceat, vberius disputantem reprehensorem meum audire pa„ratus sum. Fortassis enim adfert aliquam rationem, quare „secundæ nuptiæ non damnentur, tertiæ damnentur: nam & „ego non audeo plus sapere, quam oportet sapere. Quis enim „sum, qui putem definiendum, quod nec apostolum video de„finiisse? Ait enim, *Mulier adligata est, quamdiu vir eius viuit.*

(r) Coteler. not. in Herm. Pastor. mandat. IV. lib. II. pag. 87. 88. & in constit. lib. III. c. II. p. 275. 276.

(s) Constit. lib. III. c. II. *καὶ τοῦτο εἰδέναι ὀφείλετε, ὅτι μονογαμία μὲν κατὰ νόμον γινομένη, δικαία, ὡς ἂν κατὰ γνώμην θεοῦ ὑπάρχουσα· διγαμία δὲ μετὰ ἐπαγγελίαν, παράνομος, οὐ διὰ τὴν συνάφειαν, ἀλλὰ διὰ τὸ ψεῦδος· τριγαμία δὲ, ἀκρασίας σημεῖον· τὸ δὲ ὑπὲρ τὴν τριγαμίαν,* προφανὴς πορνεία, *καὶ ἀσέλγεια ἀναμφίβολος. Id quoque scire debetis, primas quidem & vnicas nuptias, quando secundum leges & ius fiunt, iustas esse, vtpote iuxta voluntatem Dei celebratas; secundas vero post professionem nuptias, esse illicitas, non propter coniugium, sed propter mendacium; tertias nuptias, intemperantiam demonstrare; at quodlibet post tertias nuptias matrimonium,* manifestam esse fornicationem & *indubitabilem petulantiam.*

(t) Herm. Past. lib. II. mandat. IV. n. IV.

(u) August. de bono viduitatis c. XII. (tom. IV. opp. p. 1025. edit. Basil. MDLXIX.)

„ Non dixit, primus, aut ſecundus, aut tertius, aut quartus: ſed „ *Mulier,* inquit, *alligata eſt, quamdiu vir eius viuit : ſi autem mortuus „ fuerit vir eius, liberata eſt, cui vult nubat ; tantum in domino : beatior „ autem erit, ſi ſic permanſerit.* Quid huic ſententiæ, quantum ad „ hanc rem attinet, addi vel detrahi poſſit, ignoro. Deinde „ ipſum quoque apoſtolorum ac noſtrum magiſtrum & domi- „ num audio *Sadducæis* reſpondentem, quum propoſuiſſent mu- „ lierem non vniuiram & biuiram, ſed, ſi dici poteſt, ſeptiuiram, „ in reſurrectione cuius futura eſſet vxor. Increpans enim eos „ ait, *Erratis, neſcientes ſcripturas, neque virtutem Dei. In reſurre- „ ctione enim nec nubent, nec vxores ducent. Non enim incipient mori, „ ſed erunt æquales angelis Dei.* Eorum itaque reſurrectionem „ commemorauit, qui reſurgent ad vitam, non quod reſurgent „ ad pœnam. Potuit ergo dicere, Erratis, neſcientes ſcriptu- „ ras neque virtutem Dei: in illa enim reſurrectione multinu- „ bæ iſtæ eſſe non poterunt : deinde addere, quia nec aliqua ibi „ nubit. Sed nec ipſam, vt videmus, tot maritorum mulierem „ vlla ſuæ ſententiæ ſignificatione damnauit. Quapropter nec „ contra humanæ verecundiæ ſenſum audeo dicere, vt quotiens „ voluerit, viris mortuis, nubat femina : nec ex meo corde præ- „ ter ſcripturæ ſanctæ auctoritatem quantaslibet nuptias audeo „ condemnare. Quod autem dico vniuiræ viduæ, hoc dico „ omni viduæ, Beatior eris, ſi ſic permanſeris „. EPIPHANIVS occaſionem habuit hanc rem diſputandi contra *Montaniſtas* & *Nouatianos.* De illis quidem loquens ait : *Eum* [w], *qui ſecundis nuptiis adligatus fuerit, expellunt, ac ne facere iſtud audeat, vim ac neceſſitatem adhibent. Nos autem neque neceſſitate vlla conſtringimus; ſed ſuademus: nec aliter quam honeſtis præceptis ac conſiliis eum, qui quidem poſſit, ad id præſtandum impellimus; eum vero, qui minus poteſt, nulla vi cogimus, nec a ſalute prorſus excludimus.* Similiter *Nouatianos* [x] reprehendit, quod regulam ſacerdotio datam, quæ epiſcopum vnius vxoris virum eſſe iubeat, ad omnes communiter pertine-

(w) Epiphan. hæreſ. XLVIII. n. IX. *ἐκβάλλουσι γὰρ τὸν δευτέρῳ γάμῳ συναφθέντα, καὶ ἀναγκάζουσι μὴ δευτέρῳ γάμῳ συνάπτεσθαι· ἡμεῖς δὲ οὐκ ἀνάγκην ἐπιτιθέαμεν· ἀλλὰ παραινοῦμεν, μετὰ συμβουλίας ἀγαθῆς προτρεπόμενοι τὸν δυνάμενον· οὐκ ἀνάγκην δὲ ἐπιτιθέαμεν τῷ μὴ δυναμένῳ· οὐκ ἐκβάλλομεν αὐτὸν ἀπὸ τῆς ζωῆς.*

(x) Id. hæreſ. LIX. n. IV. *τὰ εἰς ἱερωσύνην παραδοθέντα διὰ τὸ ἐξοχώτατον τῆς*

re

re iudicent; quum tamen populo liceat, post primæ vxoris mortem, secundam ducere. Licet enim, qui vnam duntaxat habuerit, ab ecclesia maiori honore dignus habeatur: scripturas tamen eum non condemnare dicit, qui post primæ obitum vel diuortium, occasione stupri adulteriique aut alterius flagitii cum ea factum, alteram vxorem duxerit, neque talem præterea ab ecclesia aut æterna vita reiici. Et sane magna synodus *Nicæna* [y] ita rem definiuit contra *Nouatianos*, requirens ab eis, si ad ecclesiam accederent, vt hoc in scriptis profiterentur, se adhæsuros & obtemperaturos catholicæ ecclesiæ decretis, speciatim in hoc, vt cum digamis communicent. Vt adeo, quascumque priuatas opiniones nonnulli hac in materia habuerunt, aut quæcumque priuatæ regulæ disciplinæ in particularibus quibusdam ecclesiis ratione digamorum obtinuerunt; perspectum & exploratum sit, generalem ecclesiæ regulam & praxin istiusmodi homines sub disciplinam non vocasse, tamquam vllius criminis reos, quod ad summum imperfectio tantum erat in oculis multorum ex illis, qui grauiore censura in eos vsi sunt. Quod autem ad eas attinet opiniones, quæ secundas, tertias, aut quartas nuptias, velut fornicationem & adulterium simpliciter damnant, non video, quemadmodum defendi, vel cum praxi ecclesiæ catholicæ conciliari possint: Et propterea eas per se stare vel cadere sino, & pergo in minus dubia ecclesiæ disciplina aduersus alias impuras praxes.

§. VIII.
De raptu.

Inter quas peculiarem notam adponebant raptui, quum quis viriginem vel matronam adhibita vi ad impudicitiam compelleret. *Constantinus* lege quadam [z] omnis generis raptores igni adiudicat, tam eos, qui virgines inuitas, quam illos, qui eas consentientes inuitis parentibus rapuissent. Et quamuis *Con-*

ἱερουργίας, εἰς πάντας ἐνόμισαν ἴσως φέρεσθαι· ἀκηκοότες ὅτι δεῖ τὸν ἐπίσκοπον ἀνεπίληπτον εἶναι, μιᾶς γυναικὸς ἄνδρα κ.τ.λ. Cetera vid. sub litt. (f) p. 434.

(y) Concil. Nicæn. c. VIII. *πρὸ πάντων δὲ τοῦτο ὁμολογῆσαι αὐτοὺς ἐγγράφως προσήκει, ὅτι συνθήσονται καὶ ἀκολουθήσουσι τοῖς τῆς καθολικῆς καὶ ἀποστολικῆς ἐκκλησίας δόγμασι· τοῦτ' ἔστι, καὶ διγάμοις κοινωνεῖν κ.τ.λ.*

(z) Cod. Theodos. lib. IX. tit. XXIV. de raptu virginum, leg. I. cit. supr. cap. IX. §. II. sub litt. (h) p. 38*.

stanti-

ſtantius hanc pœnam paullo mitigaret, adhuc tamen crimen capitale faciebat, ſupplicio [*a*] plectendum : Et ſi quis ſeruus in hoc crimine eſſet deprehenſus, ex prioris legis ſeueritate igni ſubiiciendus erat. *Iouianus* [*b*] ſimiliter capitis pœnam conſtituit non ſolum eis, qui ſacras virgines rapere, ſed etiam qui eas ſiue volentes ſiue inuitas ad matrimonia contra profeſſionis ſuæ regulam ſollicitare auſi eſſent. Leges eccleſiaſticæ iſtiuſmodi pœnam infligere non poterant, occaſione autem ita ferente ſpiritualem ſuum gladium contra eos ſtringebant. *Si quis virginem non deſponſatam vi illata habeat, ſegregetur*, (inquiunt canones apoſtolici [*c*]) *non liceat autem ei aliam accipere ; ſed illam retineat, quam & elegit, quamuis ſit paupercula.* BASILIVS [*d*] eos, qui virgines rapuiſſe deprehenſi ſint, perinde ac fornicationis reos quatuor annis pœnitentiam agere iubet. Vbi per raptum infimum eius gradum intelligit, quando quis virginem alii deſponſatam abripit, eamque contra patris ſui voluntatem retinet. Neque vero ſolum raptorem [*e*] excommunicari iubet, ſed omnem etiam familiam eius, ac villam, quæ hominem illum ſuſceperit cum rapta puella, nec reddiderit, aut etiam tuita fuerit

(*a*) Ibid. leg. II. cit. ibid. ſub litt. (i) p. 383.

(*b*) Cod. Theod. lib. IV. tit. XXV. de raptu vel matrimonio ſanctimonialium leg. II. Si quis, non dicam, r?pere, ſed vel adtemptare, matrimonii iungendi cauſſa, ſacratas virgines, vel inuitas auſus fuerit, capitali ſententia ferietur. Vide ſis Iuſtin. nouell. XIV. de le..onibus, tot.

(*c*) Can. apoſt. LXVII. *Εἴ τις παρθένον ἀμνήστευτον βιασάμενος ἔχῃ, ἀφοριζέσθω· μὴ ἐξεῖναι δὲ αὐτῷ ἑτέραν λαμβάνειν, ἀλλ' ἐκείνην κατέχειν, ἣν καὶ ᾑρετίσατο, κἂν πενιχρὰ τυγχάνῃ.*

(*d*) Baſil. can. XXII. vid. cap. IX. §. II. ſub litt. (o) pag. 3?4

(*e*) Baſil. CCXLIV. *τὴν μὲν παῖδα, ὅπερ ἂν εὕρῃς ἀφελόμενος πάσῃ εὐτονίᾳ ἀποκατάστησον τοῖς γονεῦσι· καὶ αὐτὸν δὲ ἐκεῖνον ἐξόρισον τῶν εὐχῶν, καὶ ἐκκήρυκτον ποίησον· καὶ τοὺς συνεπελθόντας αὐτῷ, κατὰ τὸ ἤδη προλαβὸν παρ' ἡμῶν κήρυγμα τριετίαν πανοικεὶ τῶν εὐχῶν ἐξόρισον· καὶ τὴν κώμην τὴν ὑποδεξαμένην τὴν ἁρπαγεῖσαν καὶ φυλάξασαν, ἤτοι ὑπερμαχήσασαν, καὶ αὐτὴν ἔξω τῶν εὐχῶν πανδημεὶ ποίησον. Puellam, quocumque tandem loco deprehendatur, illi ereptam reſtituas parentibus ſuis : illum vero exulatum abigas ab orationibus tuis, & tamquam præconis voce proclama reiectum : & qui participes eidem ſocuque fuerint, iuxta quod iam pridem denuntiauimus, vna cum familiis ſuis omnibus per triennium a precibus eiicias & excludas : villam vero, quæ hominem illum ſuſceperit cum rapta puella, nec reddiderit, aut etiam tuita fuerit contra repoſcentes, illam prorſus a precibus ſuſpenſam habeas & orationis communione.*

con-

contra repoſcentes. Vnde inferre nobis licebit, quod, ſi raptus virginis eiuſque inuitæ detentio tantopere puniri debuit; ſtuprum per vim ei illatum multo atrocius crimen fuerit maiorique ſeueritate in eccleſiæ diſciplina oportuerit vindicari.

§. IX.

De impuritatibus, vltra naturam euagantibus.

QVAE hactenus dicta ſunt, ad violationem legum caſtitatis in ordinario naturæ curſu pertinent. Erant autem præterea monſtroſæ quædam impuritates, in diuerſis impudicitiæ, vltra naturam furientis, ſpeciebus conſiſtentes; exempli cauſſa commixtio cum pecoribus & commixtio maris cum mare, operans ea, quæ non decent, ad modum *Sodomæorum*; & ſtupratio proprii corporis per voluntariam ſui pollutionem. TERTVLLIANVS [*f*] iſta flagitia omnia vocat *impias libidinum furias* in corpora & in ſexus vltra iura naturæ; quæ eccleſia inſolita ac ſingulari pœna adficiat, non modo limine, verum omni eccleſiæ tecto ſubmouendo, quia non ſint delicta ſed monſtra. Concilium *Ancyranum* duos habet canones, ad hæc crimina reſpicientes, quorum primus ita ſtatuit [*g*]: *Quicumque prius, quam viginti quidem annos nati eſſent, rationis expertia animalia inierunt, poſtquam quindecim annis ſubſtrati ac ſupplices fuerint, communionem ad preces adſequantur. -- Quicumque autem hanc ætatem tranſgreſſi, & habentes vxores, in hoc peccatum inciderunt, viginti annis ſubſtrati, communionem ad preces adſequantur. Deinde quum in precum communione quinque annos peregerint, oblationem adſequantur. Si qui autem & mulieres habentes, & quinquageſimum annum tranſgreſſi, peccauerunt, in vitæ exitu communionem adſequantur.* Proxime ſequens ca-

(*f*) Tertull. de pudicitia c. IV. Reliquas autem libidinum furias & in corpora & in ſexus vltra iura naturæ, non modo limine, verum omni eccleſiæ tecto ſubmouemus, quia non ſunt delicta ſed monſtra.

(*g*) Concil. Ancyr. c. XVI. *περὶ τῶν ἀλογευσαμένων, ἢ καὶ ἀλογευομένων· Ὅσοι πρὶν εἰκοσαετεῖς γενέσθαι ἥμαρτον, πέντε καὶ δέκα ἔτεσιν ὑποπεσόντες, κοινωνίας τυγχανέτωσαν τῆς εἰς τὰς προσευχάς· εἶτα ἐν τῇ κοινωνίᾳ διατελέσαντες ἔτη πέντε, τότε καὶ τῆς προσφορᾶς ἐφαπτέσθωσαν· --- ὅσοι δὲ ὑπερβάντες τὴν ἡλικίαν ταύτην, καὶ γυναῖκας ἔχοντες, περιπεπτώκασι τῷ ἁμαρτήματι, πέντε καὶ εἴκοσι ἔτη ὑποπεσέτωσαν· καὶ κοινωνίας τυγχανέτωσαν τῆς εἰς τὰς προσευχάς· εἶτα ἐκτελέσαντες πέντε ἔτη ἐν τῇ κοινωνίᾳ τῶν εὐχῶν, τυγχανέτωσαν τῆς προσφορᾶς· Εἰ δέ τινες καὶ γυναῖκας ἔχοντες, καὶ ὑπερβάντες τὸν πεντηκονταετῆ χρόνον, ἥμαρτον, ἐπὶ τῇ ἐξόδῳ τοῦ βίου τυγχανέτωσαν τῆς κοινωνίας.*

non [*h*] ſic habet: *Eos qui rationis expertia animantia inierunt, & qui leproſi ſunt, vel fuerunt* (hoc eſt, alios infecerunt, docendo eos idem committere flagitium) *iuſſit ſancta ſynodus* εἰς τοὺς χειμαζομένους, *inter hiemantes* (hoc eſt, vel dæmoniacos, vel eos, qui tempeſtati extra eccleſiæ parietes expoſiti erant) *orare.* SVICERVS [*i*] hunc canonem de iis putat eſſe intelligendum, qui corporali lepræ morbo eſſent infecti, qui per legem veterem a reliquo cœtu prohibebantur; magis autem probabile eſt, ſpiritualem lepram intelligi eorum, qui κτηνοβατείας vitio ceteros infecerunt, eoſque eamdem impuritatem docuerunt. Nam alioqui lepra ſub euangelio non duriſſimam illam pœnam, ſed miſericordiam potius meritura erat. BASILIVS [*k*] adulterorum pœnitentiam, hoc eſt, per viginti annos continuandam, imponit tam illis, qui cum brutis, quam eis, qui cum maribus fœda perpetrarint. Nonnumquam terminum ad triginta annos [*l*] extendit, comparans hæc peccata cum homicidio, idololatria, veneficio & adulterio, quæ omnia eadem condemnatione digna haberi dicit. Concilium *Illiberritanum* [*m*] ſeueriorem pœ-

(*h*) Ibid. can. XVII. Τοὺς ἀλογευσαμένους καὶ λεπροὺς ὄντας, ἤτοι λεπρώσαντας, τούτους προσέταξεν ἡ ἁγία σύνοδος εἰς τοὺς χειμαζομένους εὔχεσθαι.

(*i*) Suicer. theſaur. eccleſ. voce λεπρὸς, tom. II. p. 225. Hoc decimo ſeptimo canone (Ancyrano) addunt, ſi eiuſmodi homines leproſi fuerint, ad hiemantes, id eſt, extra omnem eccleſiæ ambitum, εἰς ὑπαίθριον καὶ τὰ τοῦ ναοῦ προαύλια eſſe ſubmouendos, ne ſcilicet ſui corporis contagio ceteros inficerent, vt ibi pœnitentiam, quæ canone præcedenti definita fuerat, peragant. Moſaica lege Leuit. XIII, 46. Num. V, 2. leproſi a reliquo cœtu prohibentur, qui mos in Europa viget, non religionis ſed ſanitatis cauſſa.

(*k*) Baſil. can. LXII. Ο τὴν ἀσχημοσύνην ἐν τοῖς ἄρρεσιν ἐπιδεικνύμενος, τῷ χρόνῳ τοῦ ἐν τῇ μοιχείᾳ παρανομοῦντος οἰκονομηθήσεται. *Qui ſuam erga mares turpitudinem declarat, ei tempus diſpenſabitur illius, qui adulterii ſcelus admiſit.* Can. LXIII. Ο ἐν ἀλόγοις τὴν ἑαυτοῦ ἀσέβειαν ἐξαναγορεύων, τὸν αὐτὸν λόγον ἐξομολογούμενος παραφυλάττεται. *Qui ſuam in brutorum concubitu impietatem confitetur, eamdem pœnitentiæ rationem obſeruat.*

(*l*) Ibid. can. VII. Ἀῤῥενοφθόροι καὶ ζωοφθόροι, καὶ φονεῖς, καὶ φαρμακοὶ, καὶ μοιχοὶ, καὶ εἰδωλολάτραι τῆς αὐτῆς καταδίκης εἰσὶν ἠξιωμένοι. κ. τ. λ. Gregor. Nyſſen. can. III. διπλασίων ὡρίσθη τῆς ἐπιστροφῆς ὁ χρόνος τοῖς ἐν μοιχείᾳ μιανθεῖσι, καὶ ἐν τοῖς ἀπηγορευμένοις κακοῖς, ζωοφθορίᾳ τε καὶ τῇ κατὰ ἀῤῥένων λύσσῃ. *Duplum conuerſionis tempus iis præſcriptum eſt, qui adulterio inquinati ſunt, & in aliis itidem vetitis malis, animalium mixtu & rabie in maſculos.*

(*m*) Concil. Illiberrit. c. LXXI. Stupratoribus puerorum nec in fine dandam eſſe communionem.

nam

nam illis conſtituit, qui cum pueris ſtuprum fecerint. Talibus enim nec in fine dandam communionem decernit. Leges veterum *Romanorum* non ſatis efficaciter his corruptelis proſpexerunt. Vetuſta lex erat, dicta *lex Scantinia*, cuius IVVENALIS poëta [*n*] aliique meminerunt: ſed per multa tempora iacuit neglecta, donec imperatores chriſtiani nouum ei robur adderent. Frequentes querelæ, a priorum trium ſæculorum chriſtianis ſcriptoribus CLEMENTE ALEXANDRINO [*o*], IVSTINO MARTYRE [*p*], TATIANO [*q*], MINVCIO FELICE [*r*],

(*n*) Iuuenal. ſatyr. II. v. 43. 44.

Quid ſi vexantur leges ac iura: citari
Ante omneis debet Scantinia - - -

Valer. Maxim. hiſtor. lib. VI. c. I. M. Claudius Marcellus ædilis curulis C. Scantinio Capitolino trib. pl. diem ad populum dixit, quod filium ſuum de ſtupro appellaſſet: Eoque adſeuerante, ſe cogi non poſſe vt adeſſet, qui ſacroſanctam poteſtatem haberet, & ob id tribunitium auxilium implorante; totum collegium tribunorum negauit ſe intercedere, quo minus pudicitiæ quæſtio perageretur. Citatus itaque Scantinius reus, vno teſte, qui tentatus erat, damnatus eſt.

(*o*) Clem. Alexandr. pædag. lib. I. c. III. †

(*p*) Iuſtin. apol. II. p. 50. *Διὸς δὲ καὶ τῶν ἄλλων θεῶν μιμηταὶ γενόμενοι ἐν τῷ ἀνδροβατεῖν καὶ γυναιξὶν ἀδέως μίγνυσθαι κ. τ. λ. Iouis aliorumque deorum, abſque timore & pudore omni, cum viris iuxta & feminis conſueſcendi imitatores eſſe, cetera.* Pag. 67. *Μιμηλὰς γὰρ θεῶν καλὸν εἶναι πάντες ἡγοῦνται· ἀπείη δὲ σωφρονούσης ψυχῆς ἔννοια τοιαύτη περὶ θεῶν, ὡς καὶ αὐτὸν τὸν ἡγεμόνα καὶ γεννήτορα πάντων κατ' αὐτοὺς Δία πατροφόντην τε καὶ πατρὸς τοιούτου γεγονέναι, ἔρωτί τε κακῶν καὶ αἰσχρῶν ἡδονῶν ἥττω γενόμενον, ἐπὶ Γανυμήδην καὶ τὰς πολλὰς μοιχευθείσας γυναῖκας ἐλθεῖν, καὶ τοὺς αὐτοῦ παῖδας τὰ ὅμοια πράξαντας παραδέξασθαι. Imitatores quippe deorum pulchrum eſſe cuncti autumant. Longe vero abſit a ſana & caſta mente cogitatio de diis eiuſmodi: videlicet ducem quoque ipſum & parentem omnium ſecundum eos Iouem, parricidam & patre tali genitum, ac præ amoris impotentia a malis fœdiſque voluptatibus victum, ad Ganymedem & per multas adulteriis & ſtupris imminutas feminas veniſſe & liberos ſuos ſimilium facinorum patratores ſuſcepiſſe.*

(*q*) Tatian. orat. ad Græc. p. 165. ad calcem Iuſtini. *παιδεραστία μὲν ὑπὸ βαρβάρων διώκεται, προνομίας δὲ ὑπὸ Ῥωμαίων ἠξίωται, παίδων ἀγέλας ὥσπερ ἵππων φορβάδων, συναγείρειν αὐτῶν πειρωμένων. Barbari puerorum amores damnant, iidem apud Romanos prærogatiua dignantur, qui pueros ſibi quam plurimos tamquam equos gregales colligere ſtudio habent.*

(*r*) Minuc. Octau. p 68. (Cap. XXII. n. 6. pag. 80. edit. Hallenſ.) Quid loquar Martis & Veneris adulterium deprehenſum? & in Ganymedem Iouis ſtuprum cælo conſecratum? quæ omnia in hoc prodita, vt vitiis hominum quædam auctoritas pararetur.

TERTVLLIANO [s], CYPRIANO [t], et LACTANTIO [u] factæ, hæc flagitia impune inter gentiles perpetrata esse satis superque docent. Lex aduersus ea lata, pecuniaria duntaxat mulcta [x] erat, & raro quidem in effectum dabatur. *Domitianum* inter bona principatus sui initia quosdam hac lege *Scantinia* condemnasse, auctor est SVETONIVS [y]. Verum pestifera illa lues tantopere serpebat postea, vt *Alexander Seuerus*, princeps multo melior, non auderet ei adhibere remedia, vti LAMPRIDIVS [z] in vita ipsius testatur. Post eum *Philippus* imperator, qui a nonnullis christianus vocatur, nouam legem sanxit, qua illud flagitium prohibuit; præcipuum autem negotium tandem ad eos deuolutum, qui magis indubie christiani erant. Inter quos *Constantius* [a] lege quadam, adhuc in vtroque codice exstante, capitale crimen id fecit, gladio vindicandum. THEODOSIVS [b] pœnam seueriore lege auxit, iu-

(s) Tertull. de monogam. c. XII. Sicut ille vester Vthinensis nec Scantiniam timuit. Id. ad nation. lib. I. c. XVI. Date aliquam nationem vacantem ab eis, quæ omne hominum genus ad incestum trahunt. Si qua gens concubitu ipso & ætatis ac sexus necessitate, ne dixerim libidine & luxuria caret, ea erit, quæ carebit incesto: si qua ab humana conditione priuata quadam natura remota est, et neque ignorantiæ, neque errori, neque casui opposita est, ea erit, quæ sola christianis respondere constantius possit. cetera.

(t) Cyprian. ad Donat. pag. 6. (p. 5. lin. 2. edit. Amstelod.) Libidinibus insanis in viros viri proruunt.

(u) Lactant. lib. V. c. IX. Qui corpora sua libidinibus prostituant, qui denique immemores, quid nati sint, cum feminis patientia certent, qui sanctissimam quoque corporis sui partem contra fas omne polluant ac profanent, cetera.

(x) Vid. Quintilian. institut. lib. IV. c. II. p. 187. Decem millia, quæ pœna stupratori constituta est, &c.

(y) Sueton. vit. Domitian. c. VIII. Quosdam ex vtroque ordine lege Scantinia condemnauit.

(z) Lamprid. vit. Alex. Seueri p. 350. (Inter scriptor. histor. Aug. tom. II. p. 212. edit. Francof. MDLXXXVIII.) Habuit in animo, vt exoletos vetaret, quod postea Philippus fecit; sed veritus est, ne prohibens publicum dedecus in priuatas cupiditates conuerteret; quum homines illicita magis poscant, prohibitaque furore persequuntur.

(a) Cod. Theodos. lib. IX. tit. VII. ad legem Iuliam de adulteris. leg. III. Quum vir nubit in feminam --- vbi Venus mutatur in alteram formam --- iubemus insurgere leges, armari iura gladio vltore, vt exquisitis pœnis subdantur infames.

(b) Ibid. leg. VI. Huiusmodi scelus exspectante populo flammis vindicibus expiabunt.

bens

bens huiusmodi sceleris reos, spectante populo, viuos flammis tradi. In hunc modum leges ciuiles & ecclesiasticæ ad exterminandam omnis generis impudicitiam conspirabant; homines ab istiusmodi impuritatis actibus, qui opprobrio erant religioni christianæ, eiusmodi temporalibus & spiritualibus pœnis deterrendo, quæ ad reprimendum & refrænandum eorum impetum omnium rectissime infligi eis posse credebantur.

§. X.

De lenocinio, siue quæstu meretricio.

NEQVE vero tantum in ipsos proximos impudicitiæ actus tali censura ac pœna animaduertebant, sed in omnes etiam reliquos actus, qui ad eos aperiebant vel sternebant viam. Ita meretrices publice vel priuatim alere pro re maxime infami semper habitum. Grauissimæ querelæ a variis scriptoribus [c] de abiecta multorum pontificum *Romanorum* posterioris æui, in ipsa vrbe *Roma* istiusmodi fœdas & impias praxes fouentium magnumque ex eis quæstum facientium, leuitate factæ sunt. Antiquæ autem leges, ciuiles pariter & ecclesiasticæ, ab istiusmodi abusibus longe aberant. *Roma* ethnica hoc intuitu ca-

(c) Vid. Zepper. legum Mosaicar. explanat. lib. IV. c. XVIII. p. 457. vbi citatis de Sixto IV. Agrippæ & Wesseli Groningensis testimoniis (quæ heic statim subiicientur) de Paulo III. ita loquitur: Paulus tertius in tabellis quadraginta quinque meretricum millia numerata habebat, ex quarum fornicatione singulis mensibus censum exegit, quæque cum papa die noctuque consuetudinem habebant, & in summo honore a papa habebantur.

Agripp. de vanit. scientiarum c. LXIV. ap. Mornæum p. 1310. (p. 594. edit. Salmur. MDCXI. folio.) Inter lenones recentiorum temporum, qui lupanaria ædificabant, nobilis erat Sixtus IV. Romanus pontifex, qui Romæ nobile admodum lupanar exstruxit, atque vtrique Veneri adsignauit; meretricum cohortes, Heliogabali exemplo, ita aluit, amicisque & seruis exhibuit, non nihil emolumenti ex meretricio quæstu ærario suo accumulans; Romana enim scorta in singulas hebdomadas Iulium nummum adhuc pendent pontifici, qui census annuus, nonnumquam viginti millia ducatos excedit; adeoque procerum ecclesiæ id munus est, vt vna cum ecclesiarum prouentibus, etiam lenociniorum numerent mercedem.

Wessel. Groning. de indulgentiis papalibus. Ad Petri Ruerii, tunc S. Sixti cardinalis ac patriarchæ Constantinopolitani & Hieronymi fratris sui postulationes, domesticæ familiæ toti cardinalis D. Luciæ, qui Paulo secundo a venationibus fuerat, in tribus mensibus anni calidioribus Iunio, Iulio & Augusto, masculino coitu frui permisit, cum hac clausula; *Fiat vt petitur.* Confer his Mornæi myster. iniquitat. p. 594 seqq.

ſtior fuit & modeſtior, quam hodierna papiſtica. Nam legem inuenimus, e *Papiniano* in *digeſtis* memoratam, in hanc ſententiam [*d*]: *Qui domum ſuam, vt ſtuprum adulteriumue cum aliena matre familias, vel maſculo fieret, ſciens præbuerit, vel quæſtum ex adulterio vxoris ſuæ fecerit, cuiuſcumque ſit conditionis, quaſi adulter punitor.* Et notatu dignum in legibus *Conſtantini* [*e*] eſt, quod viro licuerit vxorem ſuam dimittere, non tantum ſi per ſe adultera eſſet, ſed ſi aliis etiam adulterium procuraſſet. *In maſculis*, inquit lex, *ſi repudium mittant, hæc tria crimina inquiri conueniet, ſi mœcham, vel medicamentariam, vel reconciliatricem repudiare voluerit.* THEODOSIVS iunior [*f*] de parentibus & dominis, filias vel ancillas ſuas proſtituentibus, tulit legem ita habentem: *Lenones patres & dominos, qui ſuis filiabus vel ancillis peccandi neceſſitatem imponunt; nec iure frui dominii, nec tanti criminis patimur libertate gaudere. Igitur tali placet eos indignatione ſubduci, ne poteſtatis iure frui valeant, neue quid eis ita poſſit acquiri: ſed ancillis filiabuſque, ſi velint, conductiſue pro paupertate perſonis, quas ſors damnauit humilior, epiſcoporum liceat, iudicum etiam defenſorumque implorato ſuffragio omni miſeriarum neceſſitate abſolui: ita vt ſi inſiſtendum eis lenones eſſe crediderint, vt peccandi ingerant neceſſitatem inuitis, amittant non ſolum eam, quam habuerint poteſtatem, ſed proſcripti, pœnæ mancipentur exilii, metallis addicendi publicis.* SOCRATES [*g*] alius bonæ legis nomine laudat *Theodoſium magnum*, qua *Romæ* lupanaria, vulgo *ſiſtra* vocitata, deſtruxerit. Nam ad eius vſque ætatem mulierem, quæ in adulterio deprehenſa fuerat, eo ſupplicii genere adfeciſſe dicit, quæ illam non emendarit, ſed potius delictum auxerit: quippe illam in anguſtum quoddam lupanar incluſam imprudenter ſcortari coëgiſſe. Hanc inuerecundam conſuetudinem vbi cognouiſſet imperator, vlterius pati non potuiſſe, ſed lupanaria illa deſtruxiſſe, & mulieres adulterii

(*d*) Pandect. lib. XLVIII. tit. V. ad legem Iul. de adulteris leg. VIII.

(*e*) Cod. Theod. lib. III. tit. XVI. de repudiis leg. I.

(*f*) Cod. Iuſtin. lib. XI. tit. XL. de ſpectaculis & ſcenicis & lenonibus leg. VI.

(*g*) Socrat. lib. V. c. XVIII. *εἰ ἥλω ἐπὶ μοιχείᾳ γυνὴ, οὐ διορθώσει, ἀλλὰ προσθήκῃ τῆς ἁμαρτίας ἐτιμωροῦντο τὴν πταίσασαν· ἐν γὰρ πορνείῳ στενῷ κατάκλειστον ποιήσαντες, ἀναιδῶς ἐποίουν πορνεύεσθαι --- ταῦτα οὐκ ἤνεγκεν ὁ βασιλεὺς, πυθόμενος τὴν ἀναιδῆ συνήθειαν, ἀλλὰ κατέλυσε τὰ σεῖστρα, οὕτω γὰρ ὠνομάζετο τὰ τοιαῦτα πορνεῖα· τοῖς ἄλλοις ὑποπίπτειν νόμοις τὰς ἁλούσας ἐπὶ μοιχείᾳ κελεύσας.*

conuictas aliis legibus coërcuisse. *Theodosius* iunior simile beneficium rei christianæ præstitit *Constantinopoli*, noua lege [*h*] sanciendo, vt, si quis mancipia tam aliena quam propria, aut ingenua corpora qualibet taxatione conducta, prostituere tentauerit, in libertatem prius mancipiis vindicatis, vel ingenuis personis conductione impia liberatis, grauissime verberatus vrbis finibus pelleretur. Et quum impii illi homines turpem quæstum suum in priorum legum contemtum exercuissent, prætexendo hanc isti rei caussam, quod annuum vectigal ærario publico soluerent: *Theodosius* hoc vectigal abrogauit, eiusque in locum *Florentius* quidam vir illustris, cuius pio consilio imperator hoc ipsum fecerat, propriam possessionem obtulit, ne vllum ad ærarium incommodum perueniret, neque hæc res aliquando pro caussa adlegaretur hanc turpitudinem denuo permittendi. Ita hi pii imperatores abominandum hoc vitium ex vtraque metropoli exstirpare adlaborarunt. Et quum quædam eius reliquiæ, non obstantibus omnibus eorum conatibus, ætate *Iustiniani* imperatoris adhuc superesse intelligerentur, hic, materia resumta, omnes antecedentes leges nouo edicto [*i*] renouauit atque confirmauit, pœnasque in illis recensitas auxit, vt hanc detestandam prouidendi leuitati rationem ex vniuerso imperio exstirparet. Quod ad leges ecclesiasticas attinet, nullum crimen est, in quod seuerius, quam in hoc, animaduerterint. Facile id colligi potest ex concilii *Illiberritani* canonibus; quorum vnus ita [*k*] statuit: *Mater, vel parens, vel qualibet fidelis, si lenocinium exercuerit; eo quod alienum vendiderit corpus, vel potius suum, placuit eas nec in fine accipere communionem.* Et alius [*l*] decernit in hunc modum: *Si conscio marito fuerit mœchata vxor, placuit nec in fine dandam ei esse communionem.* Ratio illius rei fundatur eo, quod de lege prohibente fornicationem obseruat TERTVLLIANVS [*m*], quod similiter eam iuuare, atque eius esse conscium, interdicat. *Nam*, inquit, *quod mihi de stupro interdictum sit, aliis ad eam rem nihil aut operæ*

(*h*) Theodos. nouell. tit. XVIII. de lenonibus, ad calcem cod. Theodos. tot. p. 10.
(*i*) Iustin. nouell. XIV. tot.
(*k*) Concil. Illiberrit. c. XII.
(*l*) ibid. can. LXX.
(*m*) Tertullian. de idololatr. c. XI.

aut

aut conſcientiæ exhibeo, nam quod ipſam carnem meam a lupanaribus ſegregaui, agnoſco me neque lenocinium, neque id genus lucrum alterius cauſa exercere poſſe. Recte ex ante memoratis canonibus obſeruat GABRIEL ALBASPINAEUS [*], hoc crimen grauius peccatum ipſa fornicatione & adulterio habitum: quia mœchiæ & fornicationi pœnientia functis venia in morte vel poſt longam pœnitentiam conceſſa ſit, huic autem crimini denegata.

§. XI.

De compoſitione & lectione librorum laſciuorum.

ALIA impudicitiam promouendi ratio erat laſciuorum & obſcenorum librorum vel comœdiarum compoſitio & lectio, quippe qua nihil magis libidinem incendit ad eamque prouocat. Hinc vt veteres omnis generis hæreticos libros combuſſerunt atque aboleuerunt, ne fidem corrumperent; ita non minus libros moribus chriſtianorum pernicioſos componere & legere interdixerunt, in eorumque auctores ſeuere animaduerterunt, ſi qui eiuſmodi a chriſtianis eſſent conſcripti. *Heliodorum, Tricæ* in *Theſſalia* epiſcopum, dum iuuenis eſſet, libros amatorios compoſuiſſe & *Aethiopicos* inſcripſiſſe auctor eſt SOCRATES [n]; & alii [o] eos cenſuræ in illum eccleſiaſticæ occa-

(*) Albaſpin. in can. XII. concil. Illiberritan. Grauius puniuntur lenones, & earum turpitudinum artifices, quam ipſamet adulteria & virginum ſtuprationes. Nam Zephyrini edicto, mœchiæ & fornicationi pœnitentia functis veniam in morte, vel poſt longam pœnitentiam conceſſam legimus: hoc vero canone ea ipſa moribundis lenonibus & parentibus, qui quæſtum ex filiarum ſtupro fecerint, denegatur: cuius ſeuerioris diſciplinæ hanc rationem addunt, quod ſuum (ad parentes id refertur) aut alienum vendiderint corpus, hoc eſt, peſſumdederint, & libidini manciparint.

(n) Socrat. lib. V. c. XXII. ἀλλὰ τῦ μὴν ἐν Θεσσαλίᾳ ἔθυς, ἀρχηγὸς Ἡλιόδωρος τρίκκης τῆς ἐκεῖ γενόμενος, ῦ λέγεται ποιήματα ἐρωτικὰ βιβλία, ἃ νέος ὢν ἔταξε καὶ Αἰθιοπικὰ προσηγόρευσε.

(o) Niceph. hiſtor. lib. XII. c. XXXIV. οὗ [Ἡλιοδώρυ] ποιήματα ἐρωτικὰ εἰσέτι νῦν περιφέρεται, ἃ νέος ὢν συνετάξατο, Αἰθιοπικὰ προσαγορεύσας αὐτά· νῦν δὲ καλῦσι ταῦτα χαρίκλειαν· δι᾽ ἃ καὶ τὴν ἐπισκοπὴν ἀφῃρέθη· ἐπειδὴ γὰρ πολλοῖς τῶν νέων κινδυνεύειν ἐκεῖθεν ἐπῄει, ἡ ἐγχώριος προσέταττε σύνοδος, ἢ τὰς βίβλυς ἀφανίζειν, καὶ πυρὶ δαπανᾷν, ὑπαναπλέσας τὸν ἔρωτα, ἢ μὴ χρῆναι ἱερᾶσθαι τοιαῦτα συνθέμενον· τὸν δὲ μᾶλλον ἑλέσθαι τὴν ἱερωσύνην, λιπεῖν ἢ ἐκ μέσυ τιθέναι τὸ σύγγραμμα. *Cuius [Heliodori] amatorii libelli hoc quoque tempore circumferuntur, quos adhuc iuuenis compoſuit, & æthiopica inſcripſit. Nunc autem ea Charicleam nominant. Quo nomine etiam epiſcopatus ei ademtus eſt: nam quum lectione eorum opuſculorum iuuenes multi in periculum*

ſio-

ſionem dediſſe, eumque epiſcopatu deiectum eſſe narrant, eo quod illos reuocare noluiſſet. Ob eamdem rationem lectionem librorum ethnicorum maximo ſtudio impedire adlaborabant, vtpote impuritatibus refertos; & canones quidam facti ſunt, quibus clerici ſpeciatim cum talibus ſcriptoribus conuerſari prohibentur, qua de re libro quodam antecedente [*] diximus copioſius.

§. XII.

Theatri & comœdiarum frequentatio prohibita hoc intuitu.

NON minus ſeueri in declamationibus ſuis ex eadem ratione erant in omnes, qui theatrum & publicas comœdias frequentabant: quia magna impudicitiæ ſeminaria erant, vbi inceſtus & adulterium cum deteſtanda obſcenitate repræſentabatur, & ad corrumpendos contagione ſua & exemplo lectores quodammodo repetebatur. „ *Adulterium diſcitur*, inquit CYPRIANVS [*p*], *dum videtur, & lenocinante ad vitia publicæ auctoritatis malo, quæ pudica fortaſſe ad ſpectaculum matrona proceſſerat, de ſpectaculo reuertitur impudica. Adhuc deinde morum quanta labes? quæ probrorum fomenta? quæ alimenta vitiorum, hiſtrionicis geſtibus inquinari? videre contra fœdus iuſque naſcendi patientiam inceſtæ turpitudinis elaboratam? Euirantur mares, honos omnis & vigor ſexus eneruati corporis dedecore mollitur, pluſque illic placet, quiſquis virum in feminam magis fregerit; in laudem creſcit ex crimine, & peritior quo turpior iudicatur. Spectatur hic, proh nefas! & libenter; quid non poſſit ſuadere, qui talis eſt? Mouet ſenſus, mulcet adfectus, expugnat boni pectoris conſcientiam fortiorem: nec deeſt probri blandientis auctoritas, vt auditu molliore pernicies hominibus obrepat. Exprimunt impudicam Venerem, adulterum Martem, & Iouem illum ſuum, non magis regno quam vitiis principem, in terrenos amores cum ipſis ſuis fulminibus audentem, nunc in plumis oloris albeſcere, nunc aureo imbre defluere, nunc in puerorum pubeſcentium raptus miniſtris auibus proſilire. Quære iam nunc, an poſſit eſſe, qui ſpectat, integer, vel pudicus. Deos ſuos, quos veneran-*

conuicerentur, ſynodus prouincialis ſtatuit, vel libellos ipſos, qui amores accenderent, igni conſumtos abolendos, vel qui eos compoſuiſſet auctori functionem epiſcopalem abrogandam eſſe. Ille vero epiſcopatum deponere quam ſcripta ſua ſupprimere maluit

(*) Lib. VI. cap. III. §. IV. vol. II. p. 350. ſeq.

(*p*) Cyprian. ad Donat. p. 6. (p. 4. edit. Amſtelod.)

tur, imitantur, fiunt miseris religiosa delicta. Contra spectatores ethnicos hæc disputat, præcipua autem argumentorum eius vis similiter contra christianos valet. Theatra enim propter impuritates suas loca ineuitabilis erant tentationis; propria erant diaboli possessio, quemadmodum, TERTVLLIANO teste [q], diabolus aliquando ea appellauit. Quum enim mulier quædam, quæ theatrum adierat, cum dæmonio rediisset, & spiritus ille immundus in exorcismo oneraretur, quod ausus esset fidelem adgredi, constanter hunc in modum respondisse dicitur: *Iustissime quidem feci, in meo eam inueni.* TERTVLLIANVS [r] porro dicit, theatrum proprie sacrarium *Veneris* esse duplici de caussa, tum quod schola lasciuiæ sit, tum quod *Pompeius*, quum theatrum suum exstruxisset, *Veneris* ædem superposuerit, veritus ne a *Romanis* censoribus destrueretur, vti aliis quibusdam fecerant, populi consulentes moribus, quorum periculum ingens de theatro prouidissent, vtpote quod (in grauiorum quidem & honestiorum *Romanorum* oculis) nihil aliud fuerit, quam arx omnium turpitudinum. Hanc igitur ob caussam & quod ritus idololatrici theatris essent adiuncti, TERTVLLIANVS & veteres omnes contra ea declamitarunt, earumque frequentatione christianis interdixerunt, denuntiando fore, vt omnium impuritatum istius loci rei ac omnis leuitatis ibi commissæ participes haberentur. Vti hæc vna pars erat abrenuntiationis baptismalis, per quam impuritatibus scenicis virtualiter renuntiabant, renuntiando pompis Satanæ [*]: Ita ab illorum spectatione se abstinere necesse habebant christiani,

(q) Tertull. de spectac. c. XXVI.

(r) Ibid. c. X. Theatrum proprie sacrarium Veneris est. Hoc denique modo id genus operis in sæculo euasit. Nam sæpe censores renascentia cura maxima theatra destruebant, moribus consulentes, quorum scilicet periculum ingens de lasciuia prouidebant, vt iam hinc ethnicis in testimonium cedat sententia ipsorum nobiscum faciens, & nobis in exaggerationem disciplinæ etiam humanæ prærogatiua. Itaque Pompeius magnus solo theatro suo ruinas, quum illam arcem omnium turpitudinum exstruxisset, veritus quandoque memoriæ suæ censoriam animaduersionem, Veneris ædem superposuit, & ad dedicationem edicto populum vocans, non theatrum, sed Veneris templum nuncupauit, cui subiecimus, inquit, gradus spectaculorum: ita damnatum & damnandum opus templi titulo prætexuit & disciplinam superstitione delusit.

(*) Lib. XI. c. VII. §. II. vol. IV. p. 262.

quia

quia verendum eis erat, ne ius communionis christianæ perderent, & primæ suæ professionis ducerentur desertores. Certum est, TERTVLLIANI ætate, & quando auctor *constitutionum* [s] scripsit, ita fuisse. Posterioribus autem temporibus, quando lex ciuilis theatri diludia in populi oblectamentum permisit, quando ab idololatria, non autem a leuitate purgata erant; patres satis habebant, acriter aduersus ea inuehi, seriisque admonitionibus dominans illud vitium corrigere, quod vt per exactiorem & primitiuam ecclesiæ disciplinam facerent, permittere nolebat temporum iniuria. Quisquis vel CHRYSOSTOMVM [t],

(s) Vid. Constit. lib. VIII. c. XXXII. *τῶν ἐπὶ σκηνῆς ἐάν τις προσείη, ἀνὴρ, ἢ γυνὴ, ἢ ἡνίοχος, ἢ μονομάχος, ἢ σαδιοδρόμος, ἢ λυδεμπιστὴς, ἢ ὀλυμπικὸς, ἢ χοραύλης, ἢ κιθαριστὴς, ἢ λυριστὴς, ἢ ὁ τὴν ὄρχησιν ἐπιδεικνύμενος, ἢ κάπηλος, ἢ παυσάσθωσαν, ἢ ἀποβαλλέσθωσαν. Scenicorum si quis accedat, vir siue femina, vel auriga, vel gladiator, vel stadii cursor, vel lanista, vel ludorum curator, vel olympius, vel choraules, vel citharista, vel lyristes, vel saltationem ostentans, vel caupo; hi aut finem faciant, aut reiiciantur.*

(t) Chrysost. homil. VI. in Matth. p. 76. tot. & p. 77. edit. Francof. MDCXCVII. Homil. LXXIII. de S. Barlaam tom. I. p. 893. (p. 789. edit. Francof.) *οὐχ ὁρᾶτε τοὺς ἀπὸ τῶν θεάτρων κατωβαίνοντας μαλακωτέρους γινομένους, τὸ δὲ αἴτιον, ὅτι μετὰ σπουδῆς τοῖς ἐκεῖ γινομένοις προσέχουσι· καὶ γὰρ ὀφθαλμῶν περιστροφὰς, καὶ χειρῶν περιδινήσεις, καὶ ποδῶν κύκλους καὶ πάντων τῶν ἐν τῇ διαστροφῇ τοῦ λυγισθέντος σώματος φανέντων εἰδώλων τοὺς τύπους ἐναποθέμενοι ταῖς ψυχαῖς ἀπέρχονται· πῶς οὖν οὐκ ἄτοπον, ἐκείνους μὲν ἐπὶ λύμῃ τῆς ἑαυτῶν ψυχῆς τοσαύτην ἐπιδείκνυσθαι πρόνοιαν, καὶ μνήμην ἐνδιάθετον ἔχειν τῶν ἐκεῖ γινομένων· ἡμᾶς δὲ κ. τ. λ. Nonne illos, qui a theatris descendunt, videtis molliores effectos? id vero in caussa est, quod iis studiose, quæ ibi fiunt, attendunt. Nam cuum oculorum inuersiones, manuumque contorsiones, ac pedum gyros, & omnium simulacrorum, quæ in distinctione circumacti corporis apparent, imagines in mentibus suis defixerint, deinde descendunt. An non igitur indignum est, vt illi tantam in animæ suæ pernicie procuranda sollicitudinem exhibeant, ac perennem eorum, quæ illic sunt gesta, memoriam conseruent, nos autem &c.* Homil. XV. ad popul. Antiochen. ibid. pag. 190. (p. 176. edit. Francof.) *τὸ εἰς τὰ θέατρα ἀναβαίνειν πάλιν καὶ ἵππων ἁμίλλας θεωρεῖν καὶ κυβεύειν, οὐ δοκεῖ πλημμέλημα τοῖς πολλοῖς ὡμολογημένον εἶναι· μυρία δὲ εἰς τὸν βίον εἰσάγει κακά· καὶ γὰρ ἡ ἐν τοῖς θεάτροις διατριβὴ πορνείαν, ἀκολασίαν, καὶ πᾶσαν ἀσέλγειαν ἔτεκε, καὶ ἡ τῆς ἁμίλλης τῶν ἵππων θεωρία μάχας, λοιδορίας, πληγὰς, ὕβρεις, ἀπεχθείας διηνεκεῖς ἐπήγαγε· καὶ ἡ περὶ τὸ κυβεύειν σπουδὴ βλασφημίας, ζημίας, ὀργὰς, λοιδορίας, μυρία ἕτερα τούτων δεινότερα πολλάκις εἰργάσατο· μὴ τοίνυν ἁμαρτήματα φεύγωμεν μόνον, ἀλλὰ τὰ δοκοῦντα μὲν ἀδιάφορα εἶναι, κατὰ μικρὸν δὲ ἡμᾶς εἰς τὰς πλημμελείας ἄγοντα ταύτας. In theatra adscendere, & equorum certamina spectare, & aleas tractare non videtur multis peccatum esse manifestum, sed infinita vitæ*

vel CYRILLI *catecheses* [u], vel SALVIANVM [x] voluerit consulere, hanc obseruationem veram esse, deprehendet, quod licet canones theatri frequentationem non simpliciter & absolute excommunicatione puniri iubeant, patres tamen non minus acriter quam olim in eam, propter impuritatem & morum corruptelam, inde per se existentem, inuehantur. Erat antiquis temporibus famosum spectaculum *Maiuma* vocitatum, cuius delectamenti non mediocris pars in eo posita erat, vt infames meretrices, nudæ in aquis natantes, spectarentur. Vnde nomen suum traxisse viris doctis obseruatur. *Maiuma* enim lingua *Syriaca* aquam denotat. GOTHOFREDVS [y] & PAGIVS [z] post eum obseruant, tantum huius obsceni delectamenti

mala solet inferre. Etenim in theatris immoratio fornicationem, petulantiam, & omnem incontinentiam peperit: & circensis spectatio pugnas, conuicia, vulnera, contumelias, iuges inimicitias adduxit: & circa aleas studium, blasphemias, iacturas, iras, conuicia, infinitaque alia his graviora sæpe produxit. Ne tantum itaque peccata fugiamus, verum & apparentia quidem esse media, paullatim vero in hæc peccata nos pertrahentia.

(u) Cyrill. catech. myst. I. n. IV. *φεῦγε καὶ τὰς ἱπποδρομίας τὸ ἐμμανὲς θέαμα, καὶ ψυχὰς ἐκτραχηλίζον· ταῦτα γὰρ πάντα πομπή ἐστι τοῦ διαβόλου. Fuge autem & equorum curricula, quod est prorsus insanum, & multorum vitæ perniciosum spectaculum.*

(x) Saluian. de prouident. lib. VI. p. 197. edit. Oxon. MDCXXXIII. 8uo. (p. 197 - 201. edit. Rittershus. Norib. MDCXXIII. 8uo.)

(y) Gothofr. comment. in cod. Theod. lib. XV. tit. VI. de Maiuma leg. II. Spectaculum, seu Maiumæ lætitia, per eamdem præfecturam prætorianam Orientis, prouincialibus sub certa lege antea ademta redditur *leg. I.* anno domini CCCXCVI. mox absolute denegatur ann. CCCXCIX. hac *leg. II.* Idque intra quatuor ferme annorum spatium: Redditur, inquam, *leg. I.* quum antea (vt puto a Constantio imp. rursus a Theodosio M. patre, castissimo principe) prohibita fuisset: Sub hac tamen conditione redditur, vt honestas & verecundia, castis moribus perseueraret, id est, vt fœditas omnis & procacia ab ea abesset. Hoc scilicet temperamentum Arcadio clementiæ titulo seu clementer adhibere primum visum fuit; Anno dom. CCCXCVI. At enim, quum rebus ipsis postea comperisset, procacem hanc licentiam & fœditatem ab ipsa *maiumæ* celebritate seu spectaculo segregari non posse, triennio, & quod excurrit, post, ad superiorum principum christianorum ingenium rediit, ea penitus denegata: *leg. II. hoc tit.* aliis vero ludicris & honestis artibus concessis, quibus abunde prouinciales tristitiam suam consolari possent.

(z) Pagi critic. in Baron. vol. II. ann. CCCXCIX. n. V. Gothofredus in commentar. leg. II. cod. Theodos. vbi varia habet de *maiuma*, obseruat, eius mere-

reti-

retinendi populis ſtudium fuiſſe, vt, licet iuſtæ eius abolendi cauſſæ imperatoribus viſæ ſint, leges tamen imperiales a *Conſtantino* ad *Arcadium* vſque octies hac parte variarint; illud modo permittentes, modo coërcentes; donec tandem *Arcadius*, qui initio id permiſerit, licentiam datam reuocarit illudque aboleuerit, aliis ludicris & honeſtis artibus conceſſis, hac *Maiuma* autem, tamquam fœdo atque indecoro [*a*] ſpectaculo, penitus denegata. Et ſub hoc charactere CHRYSOSTOMVS [*b*] & alii, adhibita omni dicendi vi, contra illud declamitant.

§. XIII.

Omnes etiam exceſſus luxuriæ atque intemperantiæ eadem de cauſſa.

EADEM de cauſſa acriter in luxuriam, heluationem & intemperantiam inuehebantur, non ſolum quatenus crimina in ſe erant, verum etiam quatenus ad maiora impudicitiæ crimina aperiebant viam. Adeoque licet non quemlibet ſingularem ebrietatis & intemperantiæ actum excommunicatione punirent, adſiduitatem tamen & adſuetudinem ita peccandi ſub publicam diſciplinam & cenſuram ducebant reuocandam. TERTVLLIANI [*c*] obſeruatio eſt, & vera quidem obſeruatio, *Veneri*, inquientis, *& Libero conuenit. Duo iſta dæmonia conſpirata & coniurata inter ſe ſunt ebrietatis & libidinis.* Et antiquus quidam [*d*] canon ait: *Ebrietas omnium vitiorum fomes & nutrix eſt*; et proinde ſic decernit: *Itaque clericum, quem ebrium eſſe conſtiterit, aut triginta dierum ſpatio a communione ſtatuimus ſubmouendum, aut corporali ſubdendum eſſe ſupplicio.* Hanc regulam in conciliis *Venetico* & *Agathenſi* inuenimus, vt in perpetuum obſeruandam in eccleſiis *Gallicanis*. Decretum etiam circumfertur ſub *Eutychi-*

tionem non occurrere, niſi ab eo tempore, quo chriſtiani imperatores extitere, tantumque eius retinendæ populis ſtudium fuiſſe, contra vero tam iuſtas eius coërcendæ, mox & prohibendæ, iiſdem imperatoribus cauſſas viſas eſſe; vt a Conſtantino magno, quo imperante *maiumam* celebratam veroſimile, ad Arcadium, octies hac parte variatum fuerit, ea modo legibus permiſſa, modo iiſdem vetita.

(*a*) Cod. Theod. lib. XV. tit. VI. de maiuma leg. II. Maiumam fœdum atque indecorum ſpectaculum denegamus.

(*b*) Chryſoſt. homil. VII. in Matth. p. 71. (p. 85. ſeqq. edit. Francof.)

(*c*) Tertull. de ſpectac. c. X.

(*d*) Concil. Venetic. c. XIII. Vid. concil. Agathenſ. c. XLI. iiſdem verbis.

ani papæ *Romani* nomine, quo laici quoque ebrietatis vitio dediti excommunicari iubentur, donec resipiscant [*e*]: *Qui ebrietatem vitare noluerit, excommunicandum esse decreuimus, vsque ad congruam emendationem.* Fatendum autem est, hoc vitium nonnumquam ita vniuersale & epidemicum fuisse, vt per multitudinem peccantium disciplinæ seueritas locum haud haberet. Aetate sua in *Africa* sic fuisse queritur & lamentatur AVGVSTINVS [*f*]. *Quum apostolus*, inquit, *tria breuiter genera vitiorum detestanda & vitanda vno loco posuerit, de quibus innumerabilium peccatorum exsurgit seges, vnum horum, quod secundo loco posuit, acerrime in ecclesia vindicatur: duo autem reliqua, id est primum & vltimum, tolerabilia videntur hominibus, atque ita paullatim fieri potest, vt nec vitia iam putentur. Ait enim vas electionis: Non in comessationibus & ebrietatibus, non in cubilibus & impudicitiis, non in contentione & dolo; sed induite vos dominum Iesum Christum & carnis curam ne feceritis in concupiscentiis. Horum ergo trium, cubilia & impudicitia tam magnum crimen putantur, vt nemo dignus non modo ecclesiastico ministerio, sed ipsa etiam sacramentorum communione videatur, qui se isto peccato macularit. Et recte omnino. Sed quare solum? Commessationes enim & ebrietates ita concessæ & licitæ putantur, vt in honorem etiam beatissimorum martyrum non solum per dies solemnes, quod ipsum quis non lugendum videat, qui hæc non carnis oculis inspicit, sed etiam quotidie celebrentur.* Planum est, AVGVSTINVM habitualem heluationem & ebrietatem pro crimine, excommunicationem commerente, habuisse non minus, quam fornicationem & adulterium; propter ingentem autem multitudinem eorum, qui huic peccato dediti erant, sententiam suam *Aurelio*, metropolitano *Africæ* [*g*], hunc in modum declarat: *Non aspere, quantum existimo, non duriter, non modo imperioso ista tolluntur, magis docendo quam iubendo, magis monendo quam minando. Sic enim agendum est in multitudine peccantium: seueritas autem exercenda est in peccata paucorum.* Vt adeo concludere liceat, quod comessatio & ebrietas de istorum grandium peccatorum censu fuerint, pro quibus homines publicam in ecclesia pœnitentiam agere debuerint,

(*e*) Eutychian. decret. ap. Crab. tom. I. p. 180.
(*f*) August. epist. LXIV. ad Aurelium.
(*g*) Augustin. ibid.

nisi

nisi peccantium multitudo id fieri non permitteret, ecclesiamque cogeret aliam istius vitii emendandi inire rationem.

§. XIV.

Promiscua etiam mulierum & virorum lauatio.

NOTANDVM etiam hoc loco est, quod ad tuendam modestiam ac castitatem lex canonica & ciuilis viris ac feminis idem simul balneum ingredi interdixerit. *Mulier fidelis*, inquit auctor *constitutionum* [*h*], *lauacro viris ac feminis communi ne vtatur.* Et concilium *Laodicenum* [*i*] ait: *Non oportet eum, qui est sacratus vel clericus, vel asceta, in balneo cum mulieribus lauari, neque omnem penitus christianum vel laicum. Hæc est enim prima apud gentes condemnatio.* Concilium *Trullanum* [*k*] hunc canonem ad verbum repetit, & in clausula subiungit: *Si quis hac in re deprehensus fuerit, si sit quidem clericus, deponatur: sin autem laicus, segregetur.* Obseruatio, in his canonibus facta, quod hoc inter ipsos gentiles probrosum crimen fuerit, ex vetustis legibus & scriptoribus *Romanis* confirmatur. Antiqua balnea duo distincta ædificia fuisse, vnum vbi viri, alterum vbi feminæ lauarentur, auctor est VARRO [*l*]. Eadem a VITRVVIO, [*m*] CHARISIO & aliis narrantur. Et quum sequentium temporum deprauatio hanc distinctionem cœpisset confundere, *Adrianus* imperator,

(*h*) Constit lib. I. c. IX. *Ἀνδρόγυνον γυνὴ πιστὴ μὴ λουέσθω.*

(*i*) Concil. Laodicen. c. XXX. *Ὅτι οὐ δεῖ ἱερατικοὺς, ἢ κληρικοὺς, ἢ ἀσκητὰς, ἐν βαλανείῳ μετὰ γυναικῶν ἀπολούεσθαι, μηδὲ πάντα χριστιανὸν, ἢ λαϊκόν· Αὕτη γὰρ πρώτη κατάγνωσις παρὰ τοῖς ἔθνεσιν.*

(*k*) Concil. Trullan c. LXXVII. *Εἰ δέ τις ἐπὶ τούτῳ φωραθείη, εἰ μὲν κληρικὸς εἴη, καθαιρείσθω· εἰ δὲ λαϊκὸς, ἀφοριζέσθω.*

(*l*) Varro de lingua latin. lib. VIII. p. 115. Publice bina coniuncta ædificia lavandi caussa; vnum vbi viri, alterum vbi mulieres lauarentur.

(*m*) Vitruuius de architect. lib. V. c. X. Item est animaduertendum, vti caldaria muliebria viriliaque coniuncta & in iisdem regionibus sunt collocata. Sic enim efficietur, vt in vasaria ex hypocausto communis sit vsus eorum vtrisque.

Charis. grammatic. lib. I. citante Sauarone in notis ad Sidon. Apoll. lib. II. epist. II. p. 116. (Not. Verba Charisii non exhibet.)

Dempster paralipom. ad Rosini antiquitates Rom. lib. I. c. XIV. (p. 142. edit. Colon. MDCLXII.) Promiscua non fuisse balnea, sed viros sua a mulieribus discreta separataque habuisse, notissimum. M. Pollio Vitruuius lib. V. c. XX. *Item est animaduertendum &c.* Auctor separationis D. Hadriano Aug. Aelian. Spartianus in eo. Et nimia inualescente luxuria sustulit Antoninus philosophus, Iul. Capitol. in eius vita.

per-

perhibente SPARTIANO [n], legem tulit aduerſum promiſcua balnea. Idem quoque de *Antonino philoſopho* memoriæ prodidit CAPITOLINVS [o]. Immo veteres *Romani* adeo ſolliciti erant in cuſtodienda modeſtia & verecundia hac in re, vt TVLLIVS alicubi [p] dicat, *Noſtro quidem more cum parentibus puberes filii, cum ſoceris generi non lauantur. Retinenda eſt igitur huius generis verecundia, præſertim ipſa natura magiſtra & duce.* Eadem res a VALERIO MAXIMO [q] refertur & laudatur ab AMBROSIO [r]. Iam quando res inter ipſos gentiles ita ſe habuit, maximo probro & turpitudini fuiſſet chriſtianis, ſi promiſcua permiſiſſent balnea; & idcirco legibus ſuis eccleſiaſticis ſub ſeuera anathematis pœna illa prohibuerunt. Et leges imperiales [ſ] IVSTINIANI rem paullo vlterius protendunt. Nam inter alias legitimas repudii cauſſas, hæc vna eſt, ſi vxor ita luxurioſa ſit, vt commune lauacrum cum viris libidinis cauſſa habere audeat. Scriptores priuati itidem magnopere in hanc inuerecundam conſuetudinem declamant. EPIPHANIVS [t] eam damnat in iudæis,

(n) Spartian. vit. Adrian. p. 25. Lauacra pro ſexibus ſeparauit.

(o) Capitol. vit. Antonin. p. 90. Lauacra mixta ſubmouit.

(p) Cic. de offic. lib. I. n. CXXIX.

(q) Valer. Max. lib. II. c. I. n. 7. Aliquandiu nec pater cum filio pubere, nec ſocer cum genero lauabatur.

(r) Ambroſ. de offic. lib. I. c. XVIII. Mos vetus in vrbe Roma & in pleriſque ciuitatibus fuit, vt filii puberes cum parentibus, vel generi cum ſoceris non lauarent, ne paternæ reuerentiæ auctoritas minueretur, licet plerique ſe & in lauacro quantum poſſunt tegant, ne vel illic, vbi nudum totum eſt corpus, huiuſmodi intecta ſit portio.

(ſ) Cod. Iuſtin. lib. V. tit. XVII. de repudiis leg. XI. Vid. Nouell. XXII. c. XVI. καὶ τοσαῦτα τὰ τῆς ἀκολασίας ἐςὶν, ὡς καὶ ἀνδράσι κατὰ τρυφῆς πρόφασι συλλέεσθαι --- ἄδεια δέδοται παρ' ἡμῶν τοῖς ἀνδράσι, πέμπειν αὐταῖς ῥεπούδια κ. τ. λ. *Vel ſi tanta libido eſt, vt etiam cum viris voluptatis occaſione lauetur -- licentia datur a nobis viris, mittere eis repudia.*

(t) Epiphan. hæreſ. XXX. Ebionit. n. VII. ἀνδρόγυνα ἐκεῖσε λȣ́ονται· κατὰ συγκυρίαν δὲ γυνή τις ἐλευθέρα ἔτυχεν ἐν τῷ λȣτρῷ, κάλλει διαπρέπȣσα εὐφορμίας· καὶ ὁ νεώτερος θελχθεὶς τῷ ἔθει τῆς αὐτȣ̃ ἀκολασίας, διϊὼν ἐν τῷ ἀέρι, παρενέτριψεν αὐτȣ̃ τὴν πλευρὰν τῇ πλευρᾷ τȣ̃ γυναικὸς· ἡ δὲ ἑαυτὴν ἐσφραγίσατο εἰς ὄνομα χριςȣ̃, οἷα δὲ χριςιανὴ ȣ̃σα, ᾗ ȣ̓́τε ἀνάγκη ἦν παρανομεῖν, καὶ ἀνδρογύνως λȣ́εσθαι. *Illic, (in thermis Gadarenſibus) viri cum mulieribus promiſcue lauare ſolent. Ac tum forte erat in balneis ingenua mulier eximia corporis venuſtate ac ſpecie. Quam adoleſcens inueteratæ libidinis aculeo percitus adamauit, ac per balneorum ſolium ambulans latus ſuum ad mulieris*

iudæis, & CYPRIANVS [u] non illam tantum sub censuram vocat, sed plures etiam alios immodestiæ characteres, in virginibus, nempe lenocinantes fucos, pretiosiorem cultum, vultum incessumque sine velis, (contra quem abusum integrum librum conscripsit TERTVLLIANVS [w]) cum aliis quibusdam dissolutæ & temerariæ mentis indiciis, quæ heic sigillatim recensere longiusque persequi nihil attinet. De industria etiam præterimus offensionis plenam praxin quorumdam; qui suas sic dictas ἀγαπητάς, i. e. dilectas, domi suæ habebant sub strictissimæ innocentiæ ac virtutis specie; quia in anteriore quodam libro iam occasionem habuimus ostendendi, quanta cum seueritate vetustæ regulæ [x] hancce maxime suspectam & intolerabilem praxin damnarint, quæ tantopere cum euangelii pugnat legibus, quæ hominem non tantum iubent innocentiam sed famam etiam suam sartam tectam seruare, *procurare honesta non solum in conspectu domini, sed etiam in conspectu hominum; & abstinere ab omni specie mali.* Quarum præceptionum respectu vetustæ regulæ non tantum in apertam fornicationem & adulterium animaduertebant, sed in omnes etiam indecentes actiones, quæ ad eas vllo modo tendebant, vel iustæ suspicioni erant obnoxiæ, aduersariisque occasionem præbebant contemtim loquendi de sancta religione, cuius honorem christianos in omni puritate tam in verbis quam externa conuersatione tueri oportebat, cauendo, ne quis ipsos vituperaret, & cum innocentia & prudentia vniuersam vitæ suæ rationem institu-

latus affricuit. Illa in nomine Christi semet obsignat: Nam christiana erat, quo minus peccare eam aut lauare cum viris attinebat.

(u) Cyprian. de habitu virginum p. 100. &c. (p. 73. edit Amstelod.) Quid vero, quæ promiscuas balneas adeant, quæ oculis ad libidinem curiosis, pudori ac pudicitiæ corpora dicata prostituunt, quæ quum viros, atque a viris nudæ, videant turpiter, ac videntur, nonne ipsæ illecebram vitiis præstant? nonne ad corruptelam & iniuriam suam desideria præsentium sollicitant & inuitant? Viderit, inquis, qua illuc mente quis veniat: mihi tantum reficiendi corpusculi cura est & lauandi. Non te purgat ista defensio; nec lasciuiæ & petulantiæ crimen excusat. Sordidat lauatio ista, non abluit; nec emundat membra, sed maculat. Impudice tu neminem conspicis, sed ipsa conspiceris impudice; oculos tuos turpi oblectatione non polluis, sed dum oblectas alios, ipsa pollueris &c.

(w) Tertull. de velandis virginibus.

(x) Lib. VI. cap. II. §. XIII. vol. II. p. 337. seq.

endo, vt ita morem gererent magnis illis euangelii præceptis, *Estote sine offendiculo, & iudæis & græcis & ecclesiæ Dei:* Et, *Ita splendeat lux vestra coram hominibus, vt videant vestra bona opera, glorificentque patrem illum vestrum, qui est in cœlis.*

§. XV.

Et mixtæ ac turpes saltationes, cantica amatoria & id genus alia.

EAMDEM ob rationem omnem promiscuam & lasciuam virorum & mulierum saltationem prohibebant. Concilium *Laodicenum* [y] eam sub vocabulo βαλλίζειν prohibet, quod nonnulli reddunt *cymbala* vel *alia instrumenta musica pulsare*; communius autem viris doctis [z] saltationes & choreæ impudicæ in nuptiis eo prohiberi videntur, intra quas diuersi alii antiquorum conciliorum canones & seueræ inuectiuæ patrum exstant. Patres concilii *Toletani* tertii [a] sub nomine *ballimathiæ*,

(y) Concil. Laodic. c. LIII. Ὅτι οὐ δεῖ χριστιανοὺς εἰς γάμους ἀπερχομένους βαλλίζειν ἢ ὀρχεῖσθαι, ἀλλὰ σεμνῶς δειπνεῖν ἢ ἀριστᾶν, ὡς πρέπει χριστιανοῖς. *Quod non oporteat christianos euntes ad nuptias*, plaudere *vel saltare, sed venerabiliter cœnare vel prandere, sicut christianos decet.*

(z) Suicer. thesaur. eccles. voce βαλλίζειν. tom. I. p. 620. Βαλλίζειν proprie est *iacere*, vel *iactare*. Hinc βαλλίζειν χεῖρας & βάλλειν χεῖρας, *manus iactare* quod saltantes faciunt. *Manus* enim *iactare, saltare* est. Ouidius:

Et faciles iactant ad sua verba manus.

Simpliciter vero etiam βαλλίζειν & βάλλειν pro *saltare* ponitur. Glossæ: Βαλλίζω, *ballo*. Βαλλίζειν Suidas interpretatur, τὰ κύμβαλα κρούειν, καὶ πρὸς ἐκείνων ἦχον ὀρχεῖσθαι. *Cymbala pulsare, & ad eorum sonum saltare.* Ita etiam interpretatur Zonaras ad can. LIII. Laodicenum, cetera.

Riuet. in decalog. p. 338. (tom. I. opp. p. 1409. edit. Roterod. MDCLI. folio) Quum Paulus apostolus Rom. XII, 13. monet, vt εὐσχημόνως περιπατήσωμεν, μὴ ἐν κώμοις, καὶ μέθαις; & κῶμος iuxta Suidam idem sit, quod μέθη καὶ ὁ ὀρχισμός: - - sequitur etiam a Paulo saltationes illas fuisse christianis prohibitas. Vnde & concilii Laodiceni canon XIII. decernit, ὅτι οὐ δεῖ κ. τ. λ. vbi vetus interpres: *Non oportet christianos ad nuptias euntes, vel* ballare *vel* saltare, *sed caste cœnare vel prandere, sicut competit christianis.*

Stuckius antiquit. conuiual. lib. III. c. XXI. Laodicense concilium, quod celebratum fuit anno CCCLXIV. choreas in nuptiis prohibet, eius hæc sunt verba: *Non conuenit christianis hominibus* saltare *in suis nuptiis. Prandeant & cœnent grauiter & moderate, gratias Deo agentes de nuptiarum beneficio.*

(a) Concil. Tolet. III. in edicto regis Reccaredi. Quod *ballimathiæ* & turpia cantica prohibenda sint a sanctorum solemniis.

quod

quod turpes ſaltationes interpretantur, prohibent, iungentes eas laſciuis canticis, quorum de vſu conqueruntur tamquam irreligioſa [*b*] conſuetudine, quam *Hiſpaniæ* vulgus per ſanctorum ſolemnitates agere conſueuerit. Idque eccleſiaſticis & ſæcularibus iudicibus committunt ab omni *Hiſpania* depellendum. Concilium *Agathenſe* [*c*] clericis interdicit adeſſe nuptiis, vbi amatoria cantentur & turpia, aut obſceni motus corporis choreis & ſaltationibus efferantur. Et per alium canonem [*d*] clerici ſcurriles & ioculatores munere ſuo exui iubentur. Similes canones in concilio occurrunt *Ilerdenſi* [*e*] & quibuſdam aliis, vetantes plaudere vel ſaltare in nuptiis, iubentes autem edere grauiter & moderate, quemadmodum conueniat chriſtianis. Egregie huiuſmodi ſaltationis inuerecundiam in ebriis mulieribus deſcribit AMBROSIVS [*f*], *Illæ*, inquiens, *in plateis inuerecundos viris ſub conſpectu adoleſcentulorum intemperantium choros ducunt, iactantes comam, trahentes tunicas, ſciſſæ amictus, nudæ lacertos, plaudentes manibus, ſaltantes pedibus, perſonantes vocibus, irritantes in ſe iuuenum libidines motu hiſtrionico, petulanti oculo, dedecoroſo ludibrio. Spectat corona adoleſcentum & fit miſerabile theatrum.*

SEXCENTA in eamdem ſententiam habet CHRYSOSTOMVS [*g*];

(*b*) Ibid. c. XXIII. Irreligioſa conſuetudo eſt, quam vulgus per ſanctorum ſolemnitates agere conſueuit. Populi, qui debent officia diuina attendere, ſaltationibus turpibus inuigilant: Cantica non ſolum mala canentes, ſed & religioſorum officiis perſtrepentes. Hoc enim vt ab omni Hiſpania depellatur, ſacerdotum & iudicum a concilio ſancto curæ committitur.

(*c*) Conc. Agathenſ. c. XXXIX. Nec his cœtibus miſceantur, vbi amatoria cantantur & turpia, aut obſceni motus corporis choreis & ſaltationibus efferuntur.

(*d*) Ibid. c. LXX. Clericum ſcurrilem & verbis turpibus ioculatorem ab officio retrahendum.

(*e*) Conc. Ilerdenſ. ap. Crab. tom. I. p. 1031. Quod non oporteat chriſtianos euntes ad nuptias plaudere vel ſaltare, &c.

(*f*) Ambroſ. de Elia & ieiunio c. XVIII. (tom. I. opp. p. 539. ed. Pariſ. MDCXLII.)

(*g*) Chryſoſtom. homil. XLVIII. in Geneſ. p. 680. (p. 549. edit. Francof.) ἐνταῦθα σκόπει μοι, ἀγαπητὲ, πῶς οὐδαμῶς τὰ περιττὰ ταῦτα καὶ ἀνόνητα, οὐδαμοῦ πομπὴ διαβολικὴ, οὐδαμοῦ κύμβαλα καὶ αὐλοὶ καὶ χορεῖαι, καὶ τὰ σατανικὰ ἐκεῖνα συμπόσια, καὶ αἱ λοιδορίαι αἱ πάσης αἰσχημοσύνης γέμουσαι, ἀλλὰ πᾶσα σεμνότης, πᾶσα σοφία, πᾶσα ἐπιείκεια· εἰσῆλθε δέ φησιν, Ἰσαὰκ εἰς τὸν οἶκον τῆς μητρὸς αὐτοῦ καὶ ἔλαβε τὴν Ῥεβέκκαν κ. τ. λ. ταύτην μιμείσθωσαν αἱ γυναῖκες· τοῦτον ζη-

λεύωσαν ἄνδρες· ὅτω τὰς νύμφας ἀγχγέᾳδαι σπεδαζέτωσαν· τίνος γὰρ ἕνεκεν, εἰπέ μοι, ἐξ ἀρχῆς καὶ ἐκ προοιμίων κηλίδων πληρῶσαι συγχωρεῖς τῆς κόρης τὰς ἀκοὰς διὰ τῶν αἰσχρῶν ᾀσμάτων, διὰ τῆς ἀκαίρε πόμπης ἐκείνης κ. τ. λ. *Heic considera, oro, quomodo nusquam superflua illa & inutilia, nusquam diabolica pompa, nusquam cymbala, & tibiæ & choreæ & satanica illa conuiuia, & scommata omni obscenitate plena, sed omnis honestas, omnis sapientia, omnis modestia. Intrauit autem Isaac, inquit, in domum matris suæ & accepit Rebeccam &c. Hanc imitentur mulieres, hunc æmulentur viri. Sic sponsas ducere curent. Quare enim, dico, statim ab initio sordibus impleri sinis puellæ aures tam turpibus cantilenis, tam intempestiua illa pompa? cetera.* Homil. LVI. in Genes. p. 746. (p. 606. edit. Francof.) εἶδες τὸ παλαιὸν, μεθ' ὅσης σεμνότητος τὰς γάμες ἐπετέλεν· ἀκέσατε οἱ περὶ τὰς σατανικὰς πόμπας ἐπτοημένοι, καὶ ἐξ αὐτῶν τῶν προοιμίων τὰ σεμνὰ τῶ γάμω καταισχύνοντες· μήπε αὐλοί; μήπε κύμβαλα; μήπε χορεῖαι σατανικαί; κ. τ. λ. *Vidisti, cum quanta olim honestate nuptias egerint. Audite, qui Satanicas pompas admiramini, & statim ab initio nuptiarum honestatem dedecore adficitis: Num tunc tibiæ? Num tunc cymbala? Num tunc choreæ diabolicæ? cetera.* Homil. XLIX. in Matth. c. XIV, 6. p. 436. (p. 530. edit. Frf.) ἀκέσατε τῶν παρθένων, μᾶλλον δὲ καὶ γεγαμημένων, ὅσαι ἐν τοῖς ἑτέρων γάμοις τοιαῦτα ἀσχημονεῖν καταδέχεσθε, ἁλλόμεναι καὶ πηδῶσαι, καὶ τὴν κοινὴν καταισχύνεσαι φύσιν· ἀκέσατε καὶ ἄνδρες, ὅσοι τὰ πολυτελῆ συμπόσια καὶ μέθης γέμοντα διώκετε· καὶ δείσατε τὸ διαβόλε τὸ βάραθρον κ. τ. λ. *Audiatis hæc virgines, immo vero etiam nuptæ, quæ in aliorum nuptiis similiter indecore vos gerere, saltare ac tripudiare, & communem feminarum sexum deturpare non veremini. Audiatis etiam hæc viri, qui magnifica conuiuia ebrietate plena consectamini: audiatis, inquam, & diaboli barathrum perhorrescite.* Homil. XII. in Coloss. p. 1403. (p. 256. edit. Frf.) πάντως ἄσχημον καὶ αἰσχρὸν, μαλακὰς ἄνδρας καὶ ὀρχεμένας, καὶ πᾶσαν τὴν πομπὴν τὴν σατανικὴν ἐπεισάγειν τῇ οἰκίᾳ. *Omnino turpe est & indecorum, viros molles & saltantes & omnem pompam satanicam domum introducere.* Ibid. ἂν τοίνυν, φυσὶ, μήτε παρθένοι ὀρχῶνται, μήτε γεγαμημέναι, τίς ὀρχήσεται; μηδείς· ποία γὰρ ὀρχήσεως ἀνάγκη; ἐν τοῖς τῶν ἑλλήνων μυστηρίοις αἱ ὀρχήσεις, ἐν δὲ τοῖς ἡμετέροις σιγὴ καὶ εὐκοσμία, αἰδὼς καὶ καταστολή. *Si ergo, inquit, neque virgines saltant, neque quæ nupserunt, quis saltabit? Nullus. Saltationis enim quænam est necessitas? In mysteriis Græcorum sunt saltationes. In nostris autem silentium, honesta grauitas, pudor & modestia.* Homil. XIX. de scortat. tom. V. p. 272. (p. 241 edit. Frf.) γάμος πορνείας ἀναιρετικὸν φάρμακον· μὴ τοίνυν αὐτὸν ἀτιμάζωμεν ταῖς διαβολικαῖς πομπαῖς· --- ἂν τοίνυν τὸν διάβολον ἀπελάσῃς, ἂν τὰ πορνικὰ ᾄσματα, καὶ τὰ κεκλασμένα μέλη, καὶ τὰς ἀτάκτες χορείας, καὶ τὰ αἰσχρὰ ῥήματα, καὶ τὴν διαβολικὴν πομπὴν καὶ τὸν θόρυβον, καὶ τὸν κεχυμένον γέλωτα καὶ τὴν λοιπὴν ἐξελάσῃς αἰσχημοσύνην, εἰσαγάγῃς δὲ τὰς ἁγίες χριστῦ δέλες· καὶ ὁ χριστὸς δι' αὐτῶν παρέσαι πάντως μετὰ τῆς μητρὸς καὶ τῶν ἀδελφῶν. *Nuptiæ præsens sunt ad eius fornicationem remedium. Ne igitur diabolicis eas pompis dehonestemus. --- Si ergo diabolum abegeris, si meretricias cantilenas, & molles cantus, immodestas choreas, verba turpia, diabolicam pompam, tumultum, risum effusum, & reliquam tur-*

præ-

præcipue autem in homilia quadam sua [*] contra hanc rem declamat, tamquam pompis satanæ, quibus homines renuntient in baptismate, accensendam. Diabolum eo tempore maxime adesse dicit, a meretriciis cantilenis, ac verbis obscenis & diabolica pompa vocatum. Et in alia homilia, loquens de saltatione *Herodiadis* dicit, christianos iam non tradere dimidium regnum, nec alterius caput, sed ipsas animas suas in ineuitabilem perniciem. Ex quibus apparet, saltationes multarum corruptelarum exstitisse caussas, vtpote mixtas turpibus & obscenis cantilenis & impudicis gestibus, ad libidinem accendentibus & christianæ mentis indolem penitus destruentibus. Quam ob caussam veteres tam frequenter, copiose ac seuere in eas inuehuntur.

§. XVI.

Vestium etiam virilium & muliebrium permutatio, seu dissimulatio sexus.

NONNVLLI quoque canones promiscuum vsum vestium, siue viros ac mulieres, habitum diuerso suo sexui peculiarem, permutantes, seuere damnant. *Eustathius* mulieres, placita ipsius sequentes, virilem habitum obtentu religionis suscipere, & comam ob non minus superstitiosam rationem tondere do-

pitudinem amandaris, sanctos autem Christi seruos introduxeris, Christus per ipsos plane aderit cum matre sua & fratribus.

(*) Chrysost. homil. XLVII. in Iulian. mart. tom. I. p. 613. (p. 541. edit. Francof.) ὅτι χοροὶ ἀνδρῶν αὔριον τὸ προάστειον καταλαμβάνουσιν· ἡ δὲ τῶν τοιούτων ὄψις καὶ τὸν βουλόμενον σωφρονεῖν ἄκοντα ὑπεξάγει πολλάκις πρὸς τὴν τῆς αὐτῆς ἀσχημοσύνης μίμησιν· καὶ μάλιστα ὅταν καὶ ὁ διάβολος μέσος ἐκείνοις παρῇ· καὶ γὰρ πάρεστιν ὑπὸ τῶν πορνικῶν ᾀσμάτων, ὑπὸ τῶν αἰσχρῶν ῥημάτων, ὑπὸ τῆς δαιμονικῆς πομπῆς καλούμενος. *Quid ita? Quia nimirum saltantium virorum chori die crastino suburbium occupabunt: at eiusmodi hominum conspectus saepenumero illum etiam, qui temperanter gerere se voluerit, sensim ad eiusdem turpitudinis imitationem impellit: ac tum maxime, quum in medio illorum diabolus adfuerit: adest enim, a meretriciis cantilenis, a verbis obscenis, a diabolica pompa vocatus.* Homil. XXIII. de nouiluniis (tom. I. p. 264. edit. Frf.) αἱ διαβολικαὶ παννυχίδες, αἱ γινόμεναι τήμερον, καὶ τὰ σκώμματα, καὶ αἱ λοιδορίαι, καὶ αἱ χορεῖαι αἱ νυκτεριναὶ, καὶ ἡ καταγέλαστος αὕτη κωμῳδία, παντὸς πολεμίου τὴν πόλιν ἡμῶν μᾶλλον ἐξῃχμαλώτισε. *Diabolicæ pernoctationes, quæ hodie fiunt, & cauillationes & conuicia &* saltationes *nocturnæ, & explodendæ comœdiæ quouis hoste deterius ciuitatem nostram expugnant.*

cebat. At vero concilium *Gangrense* vtramque praxin, vt a recta norma deflectentem ordinemque naturæ confundentem, damnabat grauique subiiciebat censuræ anathematis. *Si qua mulier*, inquit vnus canon [*h*], *propter eam, quæ existimatur, exercitationem vestem mutet, & pro consueto muliebri indumento virile accipiat, sit anathema.* Et alius [*i*]: *Si qua mulier, propter eam, quæ existimatur, pietatem, tondeat comam, quam Deus ei dedit ad recordationem subiectionis, vt quæ subiectionis præceptum dissoluat, sit anathema.* Fundamentum huius canonis erat regula illa a *Paulo* apostolo præscripta, *Quod turpe sit mulieri, si tondeatur aut radatur.* Et fundamentum prioris illius canonis erat regula a Deo data iudæis Deut. XXII, 5. *Non induetur mulier veste virili, nec vir vtetur veste feminea: abominabilis enim apud Deum est, qui facit hæc.* Quam prohibitionem veteres scriptores CYPRIANVS [*k*], TERTVLLIANVS [*l*] & plures alii [*m*] simpliciter & generatim intelligunt de virilium ac muliebrium vestium permutatione, in comœdiis fieri solita, quam tum ob hanc caussam, tum ob multas alias damnabant. Non nulli recentiores interpretes [*n*] post

(*h*) Concil. Gangrens. c. XIII. *Εἴ τις γυνὴ διὰ νομιζομένην ἄσκησιν μεταβάλλοιτο ἀμφίασμα, καὶ ἀντὶ τοῦ εἰωθότος γυναικείου ἀμφιάσματος, ἀνδρεῖον ἀναλάβοι, ἀνάθεμα ἔστω.*

(*i*) Ibid. c. XVII. *Εἴ τις γυναικῶν διὰ τὴν νομιζομένην ἄσκησιν ἀποκείροιτο τὰς κόμας, ἃς ἔδωκεν ὁ θεὸς εἰς ὑπόμνησιν τῆς ὑποταγῆς, ὡς ἀναλύουσα τὸ πρόσταγμα τῆς ὑποταγῆς, ἀνάθεμα ἔστω.*

(*k*) Cyprian. epist. LXII. al. II. ad Eucratium. (p. 171. edit. Amstelod.) Quum in lege prohibeantur viri induere muliebrem vestem & maledicti eiusmodi iudicentur: quanto maioris est criminis, non tantum muliebria indumenta accipere; sed & gestus quoque turpes & molles & muliebres, magisterio impudicæ artis exprimere.

(*l*) Tertull. de spectac. c. XXIII. Quum in lege præscribit maledictum esse, qui muliebribus vestiatur, quid de pantomimo iudicabit, qui etiam muliebribus curatur?

(*m*) Vid. Prin. histriomastix.

(*n*) Spencer. de legibus Hebr. lib. II. c. XVII. n. I. (p. 600. edit. Lips. MDCCV.) Sentiunt alii, lege hac de sexus vtriusque vestitu lata, Deum ritum aliquem Zabiorum religione sacrum vetuisse. Hi Maimonidem ducem sequuntur, qui sic legem explicat, quasi cultus idololatricus & numinis alicuius (maris & feminæ) sacra, magis quam ipsa vestium commutatio vel sexus dissimulatio, heic prohiberetur. Auctoris ipsius verba, latine reddita sic sonant: *Inuenias &c.* (vid. sub litt. (p)). Huic opinioni assensum præbeo.

LY-

LYRAM [o] & MAIMONIDEM [p] hoc præceptum præterea ad prohibendam veterum *Zabiorum* idololatriam ſpectaſſe, putant, quorum in libris magicis præcipiatur, vt viri geſtent indumenta muliebria colorata, quando ſtent adoraturi coram ſtella *Veneris*; ſimiliter, vt mulieres induant veſtes & arma bellica, quando ſtent coram ſtella *Martis*. Verum quum veteres chriſtiani ſcriptores huic interpretationi non adſtipulentur, fas eſt credamus, eos hanc regulam communi ac vulgari ſenſu accepiſſe, hoc eſt, pro vniuerſali prohibitione permutationis veſtium inter viros ac mulieres quibuſcumque in caſibus. Quandoquidem, adfirmante DIOGENE LAERTIO *in vita Platonis*, contra lumen naturæ & leges rationis ſit [q], nudum in forum prodire, aut virum muliebri veſte vti. Et hanc ob cauſſam veteres id prohibuerunt, vt rem indecentem & probroſam, & impu-

(o) Lyra in Deut. XXII. Non induetur mulier veſte virili]. Quod exponunt doctores aliqui (& bene vt credo) quod hoc intelligitur de armis, quibus viri vtuntur. Vnde in Hebræo habetur: *Non erit vas viri ſuper mulierem.* Et accipitur heic vas, vt alibi in ſcriptura, pro armatura, nam 1 Reg. XX. dicitur de Ionatha, quod tradidit puero arma ſua. In hebræo habetur, vaſa ſua. prohibetur autem heic, quod mulier non portet arma viri: tum quia eſt indecens mulieri & præſumtuoſum: tum quia pro tunc erat ſuperſtitioſum, quia gentiles mulieres in ſacris Martis portabant arma viri: & in ſacris Veneris viri portabant ornamenta mulierum & inſtrumenta earum, vtpote colum, fuſum & ſimilia.

(p) Maimon. More Neuochim. part. III. c. XXXVII. p. 447. Sic eadem cauſſa ſubeſt in illo, quod dicitur, *Ne mulier induat veſtimenta viri &c.* Inuenies enim in libro טומטים præcipi, vt mulier (legend. vir) geſtet veſtimentum muliebre coloratum, quando ſtat coram ſtella Veneris: ſimiliter, vt mulier induat loricam, & arma bellica, quando ſtat coram ſtella Martis.

(q) Diogen. Laërt. lib. III. vita Plat. p. 131. (pag. 217. num. 86. edit. Amſtelod. MDCXCII.) νόμου διαιρέσεις δύο· ὁ μὲν γὰρ αὐτοῦ, γεγραμμένος· ὁ δὲ, ἄγραφος· ᾧ μὲν ἐν ταῖς πόλεσι πολιτευόμεθα, γεγραμμένος ἐστίν· ὁ δὲ κατὰ ἔθη γενόμενος, οὗτος ἄγραφος καλεῖται· οἷον, τὸ μὴ γυμνὸν πορεύεσθαι εἰς τὴν ἀγορὰν, μηδὲ γυναικεῖον ἱμάτιον περιβάλλεσθαι· ταῦτα γὰρ οὐδεὶς νόμος κωλύει, ἀλλ' ὅμως οὐ πράττομεν, διὰ τὸ ἀγράφῳ νόμῳ κωλύεσθαι. *Legis geminam eſſe diſtributionem, alteram ſcriptam, alteram vero non ſcriptam. Priorem illam eſſe ciuilem, qua adminiſtramus rempublicam: quæ vero citra ſcripturam conſtat, eam a natura & vſu proficiſci, quale eſt, nudum in forum abire non debere,* aut muliebri veſte vti, *quod nulla ſcripta lege prohibetur. Nam cuiuſmodi ſola, citra ſcripturam, naturalis lex vetat.*

dici-

dicitiæ miniſtrantem occaſionem, etiam tunc, quum ſub ſpecie maioris ſeueritatis in religione fieret.

§. XVII.

Et ſuſpectæ vigiliæ ſiue pernoctationes mulierum in eccleſiis ſub obtentu deuotionis.

Et ob eamdem cauſſam vetuſtum concilium *Illiberritanum* mulieribus interdixit priuatas agere vigilias in cœmiteriis ſiue eccleſiis, eo quod ſæpe ſub obtentu orationis & ſpecie deuotionis clandeſtina ſcelera [r] ab eis commiſſa eſſent. Hæc omnium aptiſſima videtur eſſe ratio, quæ de huius canonis ſenſu & intentione reddi poteſt, quod ad præcidendam leuitati ac impudicitiæ, ſub larua maioris ſtudii in religione abſconditæ, occaſionem ſpectauerit; quum nihil potuerit chriſtiano nomini eſſe probroſius, quam iſtiuſmodi occaſiones peccandi ſub ficto pietatis & deuotionis exercitio, in eccleſiis indulgere.

LIBRI DECIMI SEXTI

CAPVT DVODECIMVM

DE GRANDIBVS PECCATIS CONTRA PRAECEPTVM OCTAVVM, FVRTO, OPPRESSIONE, VSVRA, IVSTITIAE VIOLATIONE, FRAVDIBVS AC FALLACIIS IN RERVM COMMERCIO AC NEGOTIATIONE.

§. I.

De iis, qui doctrinam de abdicatione omnium rerum & de communione bonorum inculcarunt.

PRAECEPTI octaui ſcopus eſt, vt homines tutos præſtet in quieta poſſeſſione iurium ac facultatum ſuarum, ſiue omnium rerum, ad quas per leges diuinas & communitatis, in qua vitam degunt, iuſtum habent titulum. Adeoque quot modis hæc iura inuadi poſſunt vel minui, tot etiam modi dantur committendi furta aliaſque huius peccati tranſgreſſiones. Erant in veteri eccleſia hæretici, qui ſub obtentu maioris per-

(r) Concil. Illiberritan. c. XXXV. Placuit prohiberi, ne feminæ in cœmiterio peruigilent: eo quod ſæpe ſub obtentu orationis latenter ſcelera committant.

fectio-

fectionis in religione hominibus nolebant permittere res vllas, tamquam iure ſuo ſibi proprias in hoc mundo poſſidere; ſed omnes compellebant iuri ſuo in rem quamcumque renuntiare & habere omnia communia; definitiuam pronuntiantes contra diuites quoſcumque ſententiam, quod, niſi poſſeſſionibus ſuis renuntiarent, regnum cælorum intrare non poſſent. Hi homines ipſi ſe vocabant *Apotáctitas*, eo quod mundo renuntiaſſe videri volebant; & *Apoſtólicos*, quia apoſtolos domini imitari præ ſe ferebant, & *Encratitas* ab oſtentatione temperantiæ & abſtinentiæ præ ceteris hominibus. AVGVSTINVS [a] ipſos in communionem ſuam non recipere dicit vtentes coniugibus & res proprias poſſidentes; ideo ſe ab eccleſia ſeparare, nullamque ſpem ſalutis putare eos habere, qui vtantur his rebus, quibus ipſi careant, adeoque ab eccleſia damnari tamquam hæreticos, quia iſtiuſmodi dogmaticam neceſſitatem his rebis imponant, quæ vniuſcuiuſque libertati in praxi relictæ ſint. *Euſtathiani* eamdem doctrinam propugnabant, concilium autem *Gangrenſe* [b] eam vt hæreticam damnabat, auctoreſque illius ac defenſores anathematis fulmine percellebat. Vt adeo hæc generalis quædam inuaſio iurium ac poſſeſſionum hominum eſſet, quæ res omnes inuſitata quadam & extraordinaria ratione eis eripiebat, non aperta quadam violentia vtendo vel ſecretum committendo furtum, ſed religionem mutando in artem, & inducendo homines ad ſemetipſos rebus omnibus ſub ſimulatione pietatis maiorumque deuotionis graduum obtentu priuandos. Auctores & defenſores huius cauſſæ non videntur habuiſſe conſilium fortunis ſe ipſos locupletandi, ſed omnes homines reddendi pauperes reducendique ad æqualitatem & omnium rerum communionem. Quæ tam plena offendiculi repræſentatio religionis chriſtianæ in oculis gentilium erat, vt patres ſe non ſatis ſeuere in eam animaduer-

(a) Aug. de hæreſ. c. XL. Apoſtolici, qui ſe iſto nomine arrogantiſſime vocauerunt, eo quod in ſuam communionem non reciperent vtentes coniugibus & res proprias poſſidentes. -- Sed ideo illi hæretici ſunt, quoniam ſe ab eccleſia ſeparantes, nullam ſpem putant eos habere, qui vtuntur his rebus, quibus ipſi carent. Encratitis illi ſimiles ſunt, nam & Apotactitæ appellantur. Vide ſis Epiphan. hæreſ. LXI. apoſtolicor. n. IV.

(b) Concil. Gangr. in præfatione (tom. II. concil. p. 414. 415.)

tere posse crederent, quamuis insigni sanctitatis colore obducta esset magnumque sæculi contemtum & diuinam ac cælestem mentem præ se ferret. Quemadmodum igitur doctrinam vt hæreticam damnabant, ita eius propugnatores extrema censurarum ecclesiasticarum seueritate persequi numquam prætermittebant. Et leges imperiales [c] illis adstipulabantur, subiicientes hosce *Apotactitas* omnibus ciuilibus pœnis, quæ hæreticis in omnibus reliquis casibus infligi solebant, si a publicatione bonorum discesseris, vtpote quæ illis nihil significabat, quorum ipsum crimen consistebat in peruersa rebus omnibus renuntiandi ratione, quæ nihil relinquebat, quod auferri illis poterat.

§. II.

De plagio.

PROXIME post huiusmodi generaliorem prædationem leges peculiarem notam isti prædandi rationi apponunt, quæ communiter vocatur *plagium*. Antiquæ leges eos, qui hoc crimine conuicti erant, vel pecunia multabant, vel damnabant ad metalla. *Constantinus* autem hanc pœnam huic crimini non satis adcommodatam esse putabat, adeoque capitale illud faciebat [d], iubens eiusmodi reum bestiis in theatro obiici, & si

(c) Cod. Theodos. lib. XVI. tit. V. de hæretic. leg VII. Nec se sub simulatione fallaciæ eorum scilicet nominum, quibus plerique, vt cognouimus, probatæ fidei & propositi castioris dici ac signari volent, maligna fraude defendant; quum præsertim nonnulli ex his *Encratitas*, *Apotactitas*, Hydroparastatas vel Saccoforos nominari se velint, & varietate nominum diuersorum velut religiosæ professionis officia mentiantur. Eos enim omnes convenit, non professione defendi nominum, sed notabiles atque execrandos haberi scelere sectarum. Ibid. leg. XI. Omnes omnino, quoscumque diuersarum hæresium error exagitat (id est Eunomiani, Ariani, Macedoniani, Pneumatomachi, Manichæi, *Encratitæ*, *Apotactitæ*, Saccofori, Hydroparastatæ) nullis circulis coëant, nullam colligant multitudinem, cetera.

(d) Cod. Theod. lib. IX. tit. XVIII. ad legem Fabiam de plagiariis leg. I. Plagiarii, qui viuentium filiorum miserandas infligunt parentibus orbitates, metalli pœna, cum ceteris ante cognitis suppliciis tenebantur. Si quis tamen eiusmodi reus fuerit oblatus, postea quam super crimine patuerit, seruus quidem vel libertate donatus, bestiis primo quoque munere obiiciatur, liber autem sub hac forma in ludum detur gladiatorium, vt, antequam aliquid faciat, quo se defendere possit, gladio consumatur. Eos autem, qui pro hoc crimine iam in metallum dati sunt, numquam reuocari præcipimus.

viuus

viuus inde rediret, gladio interfici. Leges ecclesiæ huic crimini haud peculiarem pœnam constituunt. Quum autem eiusdem esset naturæ cum homicidio in lege diuina, pœnam homicidarum plagiariis inflictam esse, credibile est.

§. III.

De malitiosa iniustitia

NVLLAM heic mentionem facimus sacrilegii, quia, etsi species furti est, pœnam tamen illius iam sub alio capite [*e*] considerauimus. Reliqua iniustitiæ genera sub quatuor capita redigi possunt, quæ sunt 1. Malitiosa iniustitia, 2. Simplex furtum, 3. Aperta violentia & oppressio, 4. Fraus & fallacia. Malitiosa iniustitia est, si alterius bonis detrimentum importamus ex mero odio & maleuolentia, quando nihil lucri vel commodi inde ad nos redire potest. Exempli caussa, si quis alterius ædes vel spicarum manipulos ex malitia & vindictæ cupiditate incendat, vel pecudibus venenum præbeat, vel alio modo eas occidat, vel similem iniuriam possessionibus eius inferat, sine vllo ad se hinc redundante emolumento, modo vt inimico animi sui in illum adfectui medeatur, & vlciscendi expleat libidinem. Vetustæ *Romanorum* leges istiusmodi omnes capitalium criminum reos pronuntiant, & in primis eos, quos incendiarios [*f*] vocant, qui oppida vel ob inimicitias vel prædæ caussa incendunt: cuiusmodi rei per iustam talionem sæpenumero viui comburebantur. Codex veteris ecclesiæ haud peculiares leges contra istiusmodi nocentes [*g*] habet; enimuero vt eorum crimina sæpe multorum grandium peccatorum complexio erant; inimicitia & malitia, furto & cæde in incendiariis com-

(*e*) Cap. VI. § XXII. seq.

(*f*) Digest. lib. XLVIII. tit. XIX. de pœnis leg. XXIX. Incendiarii capite puniuntur, qui ob inimicitias, vel prædæ caussa incenderunt intra oppidum, & plerumque viui exuruntur.

(*g*) Primæ leges ecclesiasticæ contra incendiarios, quas reperi, decreta sunt EUGENII II. an. DCCCXXIV. cap. IX. (tom. VII. concil. p. 1542.) *Innouamus, vt si quis pro vindicta vel odio ignem apposuerit, vel apponi fecerit, non absoluatur, nisi damno, cui intulerit, secundum facultatem suam resarcito, iuret, se vlterius ignem non appositurum: & pœnitentia ei detur, vt Hierosolymis, aut in Hispania, in seruitio Dei per annum pœniteat.* Et GREGORII papæ decretales. lib. V. tit. XVII. de raptoribus & incendiariis, tot.

muniter concurrentibus; ita pœnam ac pœnitentiam probabile est illis adsignatam fuisse pro natura & atrocitate diuersarum offensionum, quæ hoc compositum efficiebant flagitium, quod tanto potest concipi odiosius, quia tantum mere malitiosæ & diabolicæ animi indolis in se habet.

§. IV.

De simplici furto.

SIMPLEX furtum in grandibus criminibus positum, quæ homines publicæ pœnitentiæ submittebant, adeoque plus caussæ habemus de multiplicibus istis vitiis id statuendi. AVGVSTINVS quando frequenter inter peccata grandia & minuta [h] distinguit, furtum inter letalia peccata refert, pro quibus homines publicam in ecclesia pœnitentiam agere oporteat. Inter canones BASILII [i] vnus est, qui tempus pœnitentiæ præscribit: *Qui furatus est, si sponte pœnitentia motus se ipsum accusauerit, per annum a sola sacramentorum communione arcebitur: sin autem conuictus fuerit, per annos duos. Diuidetur autem illi hoc tempus in substrationem & consistentiam: & tunc communione dignus habeatur.* Tantummodo innuit AVGVSTINVS [k], esse quasdam circumstantias, in quibus ecclesia huic peccato æque ac aliis parcere compellatur. Nimirum, si per insuperabilem aliquam difficultatem vel periculum fieri non possit aut expediat, vt disciplinæ in eos seueritate vtatur.

(h) Aug. tract. XII. in Ioann. tom. IX. opp. p. 47. (p. 112. edit. Basil. MDLXIX.) In dilectione eius & in misericordia eius qui ambulat, etiam liberatus ab illis *letalibus* & *grandibus peccatis*, qualia sunt facinora, homicidia, *furta*, adulteria, præter illa, quæ minuta videntur esse peccata linguæ, aut cogitationum, cetera. Id. tract. XLI. in Ioan. p. 125. (p. 308.) Apostolus Paulus, quando elegit ordinandos vel presbyteros vel diaconos, & quicumque ordinandus est ad præposituram ecclesiæ, non ait: Si quis sine peccato est: hoc enim si diceret, omnis homo reprobaretur, nullus ordinaretur: sed ait: Si quis sine crimine est, sicut est homicidium, adulterium, aliqua immunditia fornicationis, *furtum*, fraus, sacrilegium, & cetera huiusmodi. Confer sis hom. XXVII. ex L. tom. X. p. 177. (p. 477 - 483.)

(i) Basil. can. LXI. *ὁ κλέψας, εἰ μὲν ἀφ' ἑαυτοῦ μεταμεληθεὶς κατηγορήσει ἑαυτοῦ, ἐνιαυτὸν κωλυθήσεται μόνης τῆς κοινωνίας τῶν ἁγιασμάτων· εἰ δὲ ἐλεγχθείη, ἐν δυσὶν ἔτεσιν· μερισθήσεται δὲ αὐτῷ ὁ χρόνος εἰς ὑπόπτωσιν, εἰς σύστασιν, καὶ τότε ἀξιούσθω τῆς κοινωνίας.*

(k) August. epist. LIV. ad Macedon. p. 95. (p. 248. edit. Basil.) Aliquando etiam, si res magis curanda non impedit, sancti altaris communione priuamus.

§. V.

§. V.

De iniusta rerum perditarum retentione.

Svb hoc caput referebant eos, qui res perditas, quas forte reperissent, detinebant, legitimo possessori, iure suo eas sibi vindicanti, reddere recusantes. AVGVSTINVS hoc tamquam manifestam rapinam damnat. *Quod inuenisti*, inquit [*l*], *& non reddidisti, rapuisti. Quantum potuisti, fecisti: quia plus non potuisti, ideo plus non fecisti. Qui alienum negat, si posset & tolleret. Quod non tollis, timor prohibet: non bonum facis, sed malum metuis. Latro timet malum, & vbi non potest, non facit: & tamen latro est. Deus enim cor interrogat, non manum.* Idem dicit ORIGENES [*m*], *Multi*, inquiens, *sine peccato putant esse, si alienum quod est inuenerint, & dicant: Deus mihi dedit, cui habeo reddere? Discant ergo, peccatum hoc esse simile rapinæ, si quis inuenta non reddat.* Leges vetustæ *Romanorum* æquiores erant, quam istiusmodi hominum conscientia. Furtum enim interpretantur, si quis inuenta detineat, etiam si verus eorum possessor ignoretur. Quo in casu [*n*] libellum iubent proponi, quo in dominum inquiratur, & si inuentus sit, accipi ab eo sic dicta εὕρετρα, μήνυτρα & σῶστρα, hoc est, inuentionis, indicii, vel custodiæ præmia: quamquam pro re inhonesta & offensionem habente ducant, si præmium petatur. Memorabile exemplum huiusmodi generositatis, qua pauper quidam christianus inuentionis præmium accipere recusarit ab ethnico, nobis narrat AVGVSTINVS. „Dicam, inquit [*o*], quod fecerat pauperrimus homo, nobis apud *Mediolanum* constitutis, tam pauper, vt proscholos esset grammatici, sed plane christianus, quamuis ille esset paganus grammaticus, melior ad velum, quam ad cathedram. Inuenit sacculum, nisi forte me numerus fallit, cum solidis ferme ducentis, memor legis proposuit pitacium publice. Reddendum enim sciebat, sed cui redderet, ignorabat, proposuit pitacium publice. Qui solidos perdidit, veniat ad illum locum, & quæ-

(*l*) August. homil. XIX. de verbis apostol. tom. X. p. 138.

(*m*) Orig. homil. IV. in Leuitic. p. 119. (p. 73. c. edit. Paris. MDCIV.)

(*n*) Digest. lib. XLVII. tit. II. de furtis leg. XLIII. n. IX. ex Vlpiano. Quid ergo si εὕρετρα, quæ dicunt, petat? Non hic videtur furtum facere, etsi non probe petat aliquid.

(*o*) Augustin. de verbis apostol. serm. XIX. p. 138. (p. 357. edit. Basil. MDLXIX.)

„rat hominem illum. Ille qui plangens circumquaque vaga-„batur, inuento & lecto pitacio, venit ad hominem: & ne „quæreret forte alienum, quæsiuit signa, interrogauit sacculi „qualitatem, sigillum solidorum etiam & numerum. Et quum „omnia illi fideliter respondisset, reddidit quod inuenerat. Il-„le autem repletus gaudio & quærens vicem rependere, tam-„quam decimas obtulit solidos viginti, qui noluit accipere. „Obtulit vel decem: noluit accipere. Saltem rogauit vel quin-„que accipere: noluit ille. Stomachabundus homo proiecit „sacculum: Nihil perdidi, ait: si non vis aliquid a me accipe-„re, nec ego aliquid perdidi. Quale certamen, fratres mei, „(addit AVGVSTINVS [p]), quale certamen, qualis pugna, qua-„lis conflictus: theatrum mundus, spectator Deus. Victus tan-„dem ille, quod offerebatur, accepit, & continuo totum pau-„peribus erogauit, vnum solidum in domum suam non dimisit„. Ex hac relatione iudicare nobis licet, quantum crimen creditum fuerit, occultare & dissimulare res perditas, quandoquidem ipsa præmii inuentionis exactio ita ignominiosa ac offendiculi plena habita est. Nonnulli canones peculiarem illi infamiæ notam, tamquam speciei turpis lucri, apponunt. *Vos, qui seruant mandata*, inquit GREGORIVS THAVMATVRGVS [q], *absque omni turpi lucro seruare oportet, nec indicii, vel custodiæ, vel inventionis pretium, vel quocumque nomine appellant, exigentes.*

§. VI.

De recusatione solutionis rerum creditarum.

EODEM loco omnes eos habebant, qui res creditas solvere recusabant, inprimis illos, qui sinistris vtebantur artibus, vt ab hoc soluendi onere se se liberarent. Solebant sæpenumero iudæi animum ad religionem christianam se conuertendi præ se ferre, modo vt a creditoribus suis & a iustitia legis in multis etiam criminalibus caussis tuti essent, vendicando sibi sanctuarii in ecclesia priuilegium. Ad quem abusum corrigendum ARCADIVS imperator [r] legem ferebat in hanc sententiam:

(p) August. ibid.

(q) Gregor. Thaumaturg. can. X. ap. Beuereg. pandect. tom. II. p. 34. Τοὺς δὲ τὴν ἐντολὴν πληροῦντας ἐκτὸς πάσης αἰσχροκερδείας πληροῦν δεῖ, μήτε μήνυτρα, ἢ σῶστρα, ἢ εὕρετρα, ἢ ᾧ ὀνόματι καλοῦσιν, ἀπαιτοῦντας.

(r) Cod. Theodos. lib. IX. tit. XLV. de his, qui ad ecclesias confugiunt leg. II.

Iudæi,

Iudæi, qui reatu aliquo vel debitis fatigati, simulant se christianæ legi velle coniungi, vt ad ecclesias confugientes vitare possint crimina, vel pondera debitorum, arceantur: nec ante suscipiantur, quam debita vniuersa reddiderint, vel fuerint innocentia demonstrata purgati. In certis quidem casibus, si homines debita sua persoluere haud possent, ecclesia caritate ducta ad eos protegendos propendebat: tum vero eorum etiam debita episcopi soluere debebant; quemadmodum ex diuersis legibus [s] hanc in rem factis apparet, nec non ex exemplo, quod de sua ipsius ecclesia dat AVGVSTINVS [t], quæ *Fastii* cuiusdam, qui ad tutelam eius a creditoribus suis confugerat, debita soluit. Atqui hic casus necessitatis totus diuersus erat a fraudulenta & iniqua solutionis debitorum recusatione, quando homines istiusmodi angustiis & difficultatibus non premebantur. Quemadmodum igitur iste necessitatis casus materia erat commiserationis, hominesque misericordia dignos reddebat: Ita hæc recusatio illos omnium odio atque detestationi tamquam fraudulentos & nequam obiiciebat submittebatque seueritati censuræ ecclesiasticæ.

§. VII.

Et præstationis eorum, ad quæ facienda homines vi promissi vel contractus adstringuntur.

INTER iusta debita semper ea quoque referebant, quæ homines promissi vel contractus mutui legibus alii cum aliis paciscuntur. Et proinde omnis fidei datæ violatio in talibus caussis nomine furti veniebat, & consequenter velut species istius transgressionis puniebatur. Concilium *Illiberritanum* [u] hoc speciatim istiusmodi parentibus applicat, qui fidem frangebant sponsaliorum, quibus in gratiam liberorum suorum subscripserant, eamque ob rem tres annos a communione eos iubet

(s) Ibid. leg. I. Publicos debitores, si confugiendum ad ecclesias crediderint, aut illico extrahi de latebris oportebit, aut pro his ipsos, qui eos occultare probantur, episcopos exigi. Sciat igitur præcellens auctoritas tua, neminem debitorem posthac a clericis defendendum: aut per eos eius, quem defendendum esse crediderunt, debitum esse soluendum. Confer sis leg. III. ibid.

(t) Augustin. epist. CCXV. tot.

(u) Concil. Illiberrit. c. LIV. Si qui parentes fidem fregerint sponsaliorum, triennii tempore abstineant se a communione &c.

absti-

abſtineri. Hoc re ipſa rapina erat, in perſonas æque ac res commiſſa, virum priuans vxore & vxorem marito ſuo, & ambo omnibus iuribus ac beneficiis, quæ per iſtiuſmodi contractus matrimoniales redundare ad eos poterant. Quam ob cauſſam odioſioribus furtis & malitioſis iniuriis, in aliorum iura illatis, quæ publicam credebantur mereri cenſuram, accenſebatur.

§. VIII.

De remotione terminorum ac limitum agrorum.

Et inter hæc, antiquorum terminorum & limitum remotio non leue crimen habebatur. Apud ipſos veteres *Romanos* tamquam capitalis noxa puniebatur. *Numa Pompilius* fundos *Romanos* certis lapidibus notabat, qui vocabantur *lapides ſacri*, eo quod *Ioui* conſecrati eſſent; quorum occultatio aut translatio pro tanto crimine habebatur, vt, qui in eo deprehenſus eſſet, ſacrilegi inſtar occidi [x] impune poſſet. Lex diuina maledictionem huic crimini denuntiat, *Maledictus*, inquiens, *qui mouit terminum proximi ſui, & dicet totus populus, Amen*, Deut. XXVII, 17. *Conſtantinus* imperator id in iſtis criminalibus actionibus ponit, in quas extra ordinem [y] animaduertendum ſit, quemadmodum PITHOEVS & GOTHOFREDVS ex vetuſta adnotatione in ſententias PAVLI, celebris illius iureconſulti, obſeruarunt, dicentis, *In eum, qui per vim terminos deiecerit, vel amouerit, extra ordinem animaduertitur.* Ad quæ verba commentator obſeruat, idem ſtatui a *Conſtantino* in codice *Theodoſiano*. Vnde GOTHOFREDVS concludit, aut hanc legem deſiderari in codice *Theodoſiano*, aut indicari primam *Conſtantini* legem ſub

(x) Vid. Caluin. lexicon. iuridic. voce, *Fines*. Numa Pompilius, rex Romanorum ſecundus, fundorum finibus, vt ſuo quiſque contentus eſſet, ſacros Ioui lapides apponi iuſſit, eoſque occultantes aut transferentes occidi impune, ſacrilegorum inſtar, voluit.

(y) Pithœus adnotat. in collat. legum Moſaicar. & Roman. tit. XIII. Gothofredus paratit. in cod Theod. lib. II. de finibus regundis tit. XXVI. Ceterum hoc titulo aliquid deſiderari ex eo apparet, quod ad *tit. XVI. lib. I. ſentent.* in veteribus exemplaribus adnotatur ad hanc Pauli ſententiam, *in eum, qui per vim terminos deiecerit, vel amouerit, extra ordinem animaduertitur;* adnotatur, inquam, idem ſtatui in cod. Theodoſ. *lib. II. ſub era XXVI.* vt adnotauit Petrus Pithœus *in tit. XIII. collation. leg. Moſaicar.* Quare niſi *legem I. huius tit.* indicari putemus, heic aliquid deſideretur, neceſſe.

hoc

hoc titulo, dicentem, *Inuaſor ille pœnæ teneatur addictus*, tametſi non diſerte dicat, quali pœnæ addictus teneri debeat. Vtcumque autem res ſe habet, crimen certe erat, ſimpliciter & abſolute, ſine appellatione ad ſupremum magiſtratum, puniendum; quemadmodum ex alia *Conſtantini* lege [z] in eodem codice apparet. Lex eccleſiaſtica hoc ſemper damnabat tamquam crimen, cui lex diuina denuntiarit maledictionem: *Maledictus, qui mouit terminum proximi ſui.* Et, *Noli transferre terminos, a patribus tuis conſtitutos.* Hoc nomine etiam omnes ambitioſos illos epiſcopos ſub cenſuram vocabant, qui diœceſium ſuarum limitibus non contenti, aliorum epiſcoporum territorium inuadebant & loca quædam ex eorum tractu iuriſdictioni ſuæ ſubmittere conabantur. INNOCENTIVS [*a*] epiſcopus *Romanus* tali occaſione ad epiſcopum quemdam ſcribens, ad animum ei reuocat, quod ſcriptura toties inculcet, transferri non oportere terminos, a patribus conſtitutos, & propterea monet ipſum, deſiſtat ab incepto, niſi cenſuræ eccleſiaſticæ ſeueritatem velit ſubire.

§. IX.

De oppreſſione.

HAEC rapinæ ſpecies ad aliud quoque furti genus referri poteſt, quod leges vocant furtum compoſitum, eo quod aliquam violentiam ſiue oppreſſionem rapinæ addant. Cuiuſmodi eſt hoſtilis inuaſio, aperta prædatio in via regia, nocturna ædium perfoſſio, piratica, crudelis iudicum aliorumque publicorum miniſtrorum exactio ſupra id, quod leges permittunt, peruerſio iuris per largitiones vel falſas legis interpretationes, vna cum violenta ademtione & iniuſta vſura. Quæ crimina omnia lex generali nomine oppreſſionis damnat, & veteres

(z) Cod. Theodoſ. lib. IX. tit. I. de accuſat. lib. I. Qui fines aliquos inuaſerit, publicis legibus ſubiugetur, neque ſuper eius nomine ad ſcientiam noſtram referatur.

(*a*) Innocent. epiſt. VIII. ad Florentium. (tom. II. concil. p. 1263.) Non ſemel, ſed aliquoties clamat ſcriptura ſacra diuina, transferri non oportere terminos, a patribus conſtitutos: quia nefas eſt, ſi, quod alter ſemper poſſederit, alter inuadat: quod tuam bonitatem frater & coëpiſcopus noſter Vrſus aſſerit perpetraſſe. - - Quod ſi verum eſt, non leuiter te culpam incurriſſe, cognoſcas, cetera.

canones excommunicatione multari iubent. Concilium *Carthaginense* quartum [*b*] canonem habet, ſacerdotibus interdicentem eorum accipere oblationes, qui pauperes opprimant. Et alius quidam [*c*] eos, qui oblationes defunctorum negent eccleſiis, aut difficulter reddant, excommunicari iubet, tamquam egentium necatores. Quocum congruit illud CHRYSOSTOMI [*d*] clericos ſuos monentis, vt ne quem crudelem vel immiſericordem ad ſacram cœnam admittant. *Si dux quiſpiam, ſi conſul ipſe, ſi qui diademate ornatur, indigne adeat: cohibe ac coërce, maiorem tu illo habes poteſtatem.* Et iterum, inuehens in oppreſſores, qui eleemoſynas offerebant de iis, quæ aliis per vim eripuerant, eleganter hunc in modum [*e*] loquitur: *Non vult CHRISTVS rapina nutriri; ingratiſſima hæc ei ſunt alimenta. Quid ita tu dominum contemnis, vt res immundas offerre audeas? Melius eſt committere, vt inedia tabeſcat* (in egenis ſuis membris) *quam huiuſmodi alimento ſuſtentare. Alterum nempe crudelitatis eſt, alterum vero crudelitatis ſimul & contumeliæ: & melius eſt, nihil omnino dare, quam rem alienam aliis concedere.* Eodem modo ſpecioſæ ſpoliatorum & oppreſſorum excuſationi reſpondet AVGVSTINVS [*f*]. *Ait mihi raptor rerum alienarum: Ego ſimilis illius diuitis non ſum. Agapes facio, vinctis in carcere victum mitto, nudos veſtio, peregrinos ſuſcipio. Dare te putas: tollere noli, & dediſti. Cui dederis, gaudet: cui abſtuleris, plorat: quem duorum iſtorum exauditurus eſt dominus? Dicis ei, cui dederis, gratias age, quia accepiſti. Sed alter tibi ex alia parte dicit, Ego gemo, cui abſtuliſti: & pene totum tenuiſti, & exiguum illi de-*

(*b*) Concil. Carth. IV. c. XCIV. Eorum, qui pauperes opprimunt, dona a ſacerdotibus refutanda.

(*c*) Ibid. can. XCV. Qui oblationes defunctorum aut negant eccleſiis aut cum difficultate reddunt, tamquam egentium necatores excommunicentur.

(*d*) Chryſoſt. homil. LXXXII. al. LXXXIII. in Matth. p. 705. (p. 869. edit. Frf.) *κἂν ϛρατηγός τις ᾖ, κἂν ὕπαρχος, κἂν αὐτὸς ὁ τὸ διάδημα περικείμενος, ἀναξίως δὲ προσείῃ, κώλυσον, μείζονα ἐκείνου τὴν ἐξουσίαν ἔχεις.*

(*e*) Id. homil. LXXXVI. al. LXXXVII. in Matth. p. 722. (p. 892. edit. Francof.) *οὐ βούλεται χριϛὸς πλεονεξίᾳ τρέφεσθαι, οὐ δέχεται ταύτην τὴν τροφήν· τί τὸν δεσπότην ὑβρίζεις ἀκάθαρτα προσάγων αὐτῷ; βέλτιον λιμῷ τηκόμενον περιορᾷν, ἢ τρέφειν ἀπὸ τοιούτων· ἐκεῖνο ὠμοῦ, τοῦτο καὶ ὑβριϛοῦ· βέλτιον μηδὲν δοῦναι, ἢ τὰ ἄλλων ἑτέροις.*

(*f*) Auguſtin. homil. XIX. ex L. tom. X. p. 137. (homil. XIX. de verbis apoſtol. p. 356. edit. Baſil. MDLXIX.)

diſti:

disti: Si ergo quod alteri abstulisses, egentibus dedisses, nec talia opera diligit Deus. Stulte, iussi, vt dares, sed non de alieno. Si habes, da de tuo: si non habes, quod des de tuo, melius nulli dabis, quam alteros spoliabis. Et alio loco [*g*] quosdam adeo vanos esse dicit, vt sibi persuadeant, fore, vt si paruas eleemosynas ante obitum fecerint, omnia peccata sua expientur, vtcumque mali vel rapaces per omnem vitam ante actam fuerint. Quos contra accurate & acriter in diuersis locis [*h*] disputat, quæ heic fuse & copiose interponere nihil attinet. Id tantum addimus, quod secundum hasce regulas auctor *constitutionum*, vulgo sic dictarum *apostolicarum*, docens episcopos, quorum oblationes ad altare recipiendæ & quorum reiiciendæ sint, inter alios homines nequam eos etiam repudiari iubeat, qui viduam adfligant & pupillum potentia sua opprimant [*i*], & carceres innocentibus repleant, aut famulos suos male tractent, nimirum verberibus, & fame & dura seruitute; vel qui totas vrbes deuastent; & oratores patrocinantes iniustitiæ; iniustos iudices; iniustos publicanos; feneratores, atque militem calumniatorem, non contentum stipendiis, sed pauperes concutientem.

(*g*) Augustin. de ciuit. Dei lib. XXI. c. XXII. Comperi etiam quosdam putare, eos tantummodo arsuros illius æternitatis suppliciis, qui pro peccatis suis facere dignas eleemosynas negligunt: iuxta illud apostoli Iacobi *Iudicium autem sine misericordia illi, qui non fecit misericordiam.* Qui ergo fecerit, inquiunt, quamuis mores in melius non mutauerit, sed inter ipsas suas eleemosynas nefarie ac nequiter vixerit, iudicium illi cum misericordia futurum est: vt aut nulla damnatione plectatur, aut post aliquod tempus siue paruum siue prolixum ab illa damnatione liberetur. Ideo iudicem ipsum viuorum atque mortuorum noluisse existimant aliud commemorare se esse dicturum, siue dextris, quibus est vitam daturus æternam, siue sinistris, quos æterno supplicio est damnaturus, nisi eleemosynas siue factas, siue non factas, cetera.

(*h*) Ibid. lib. XXI. c. XXVII. tot. Et in enchirid. c. LXXV. al. LXXVI. Serm. XXXV. de verbis domini. Contr. Iulian. Pelag. lib. V. c. X. Vid. plura ap. Gratian. causs. XIV. quæst. V. & VI.

(*i*) Constit. lib. IV. c. VI. *καὶ οἱ ἐκθλίβοντες χήραν, καὶ ὀρφανὸν καταδυναστεύοντες, καὶ τὰς φυλακὰς πληροῦντες ἀναιτίων, ἢ καὶ τοῖς ἑαυτῶν οἰκέταις πονηρῶς χρώμενοι, πληγαῖς φημὶ καὶ λιμῷ καὶ κακοδουλίᾳ, ἢ καὶ πόλεις ὅλας λυμαινόμενοι, φευκταῖοι ἔστωσάν σοι, ὦ ἐπίσκοπε, καὶ αἱ τούτων προσφοραὶ μυσαραί· παραιτήσῃ δὲ καὶ -- ῥήτορας ἀδικίᾳ συναγωνιζομένους, -- καὶ τελώνας ἀδίκους καὶ ζυγοκρούστας, καὶ δολομέτρας, καὶ στρατιώτην συκοφάντην, μὴ ἀρκούμενον τοῖς ὀψωνίοις, ἀλλὰ τοὺς πένητας διασείοντα.*

§. X.

De exactionibus iudicum, eosque turpi largitione corrumpendi studio.

Et hoc ipſum cum communi eccleſiæ diſciplinæ conveniſſe apparebit, ſi crimina iſta examinauerimus ſigillatim. Primo loco conſiderandum nobis erit, quod omnium erat flagitioſiſſimum & maxime intolerabile, oppreſſio videlicet a iudicibus in munere ſuo commiſſa, partim per crudeles exactiones, partim per fictas accuſationes, & partim per perverſionem iuris propter largitionem & turpe lucrum. Quæ oppreſſionis genera in lege communiter appellantur *crimen repetundarum & peculatus*. Quamquam enim peculatus ſæpe fructum rerum, ad rempublicam pertinentium, denotat; nonnumquam tamen oppreſſiones etiam & iniurias, a magiſtratibus illatas ciuibus ſuis, ſignificat. Quo in caſu pœnæ eccleſiaſticæ ſæpius prouinciarum rectoribus, qui populum opprimebant, infligebantur. Cuius rei notabile exemplum habemus in SYNESIO [k], qui *Andronicum* præfectum *Ptolemaidis*, ob violentam populi oppreſſionem, eccleſiæ communione priuauit. Leges imperiales numeroſæ quoque hoc in caſu erant, ad iura & fortunas populi ab iſtiuſmodi violenta inuaſione tuendas. Non equidem ſubiectis permittebant accuſare magiſtratum, durante adminiſtrarionis anno. *Theodoſius* [l] autem & hanc prohibitionem ſuſtulit, & non tantum omnium ordinum hominibus libertatem indulſit corruptos pecunia iudices accuſandi, ſed & ad hoc faciendum illos inuitauit & hortatus eſt, ſi quam vim ab illis vel ipſi perpeſſi eſſent, vel eos ius venale feciſſe, vel ſimilis improbitatis reos eſſe, ſcirent: Idque tam tempore adminiſtrationis eorum quam poſtea; promiſſo omnibus præmio, qui accuſationem probarent. Simili modo accuſatores

(k) Syneſ. epiſt. LVII. p. 172.

(l) Cod. Theod. lib. IX. tit. XXVII. ad legem Iuliam repetundarum. leg. VI. Iubemus, hortamur, vt ſi quis a iudice ſuerit aliqua ratione concuſſus; ſi quis ſcit venalem de iure fuiſſe ſententiam; ſi quis pœnam vel pretio remiſſam, vel vitio cupiditatis ingeſtam; ſi quis poſtremo quacumque de cauſa improbum iudicem potuerit approbare; is vel adminiſtrante eo, vel poſt adminiſtrationem depoſitam, in publicum prodeat, crimen deferat, delatum approbet: quum probauerit & victoriam reportaturus & gloriam.

in

in iſtiuſmodi prauos iudices exciuntur a *Conſtantino* [*m*] & *Valentiniano iuniore* [*n*], vti e legibus eorum, adhuc in codice *Theodoſiano* exſtantibus, videre eſt. Et quum pœna huius criminis in magiſtratu pecuniaria tantum fuiſſet antea, *Theodoſius* [*o*] noua lege capitale id crimen eſſe iuſſit, nullam pœnam huic peccato nimis ſeueram eſſe, exiſtimans. *Carthagine* peculiaris obtinebat conſuetudo, quæ ad coërcendam in magiſtratibus omnem eiuſmodi rapacitatem ſpectabat, de qua PROSPER [*p*] hæc memoriæ prodidit: *In calculis eburneis nomina proconſulum conſcripta Carthagine in foro coram populo a præſenti iudice ſub certis vocabulis citabantur, & erat ſolemnis dies, ALBI CITATIO. Hi qui avaritiam ſuperantes, rempublicam fideliter egerant abſque flagitiis facinoribuſque, etiam abſentes honorabantur: Eos vero, quos rapacitas vicerat, populus conuiciis ſibiliſque notabat.*

(*m*) Cod. Theodoſ. lib. IX tit. I. de accuſatoribus leg. IV. Si quis eſt cuiuſcumque loci, ordinis, dignitatis, qui ſe in quemcumque iudicum, comitum amicorum, vel palatinorum meorum, aliquid veraciter & manifeſto probare poſſe confidit, quod non integre atque iuſte geſſiſſe videatur, intrepidus & ſecurus accedat; interpellet me, ipſe audiam omnia, ipſe cognoſcam: & ſi fuerit comprobatum, ipſe me vindicabo: Dicat ſecurus, & bene ſibi conſcius dicat: Si probauerit, vt dixi, ipſe me vindicabo de eo, qui me vſque ad hoc tempus ſimulata integritate deceperit. Illum autem, qui hoc prodiderit & comprobauerit, & dignitatibus & rebus augebo. cetera.

(*n*) Cod. Theod. lib. IX. tit. XXVII. ad leg. Iuliam repetundarum. leg. VII. Vnuſquiſque procurator, præpoſitus gynæcio, tabularius, ſuſceptor, colonus, vel quicumque ſe a comite domorum meminerit eſſe concuſſum, quum ipſe, cui pecuniam numerauerit, adminiſtratione deceſſerit, intra anni ſpatia ad iudicium ſpectabilitatis tuæ, quidquid dederit repetiturus, adcurrat: vt proſit penſionibus, quidquid ille reddiderit. Sin vero ex tempore depoſitæ adminiſtrationis præſtituti temporis curricula transfluxerint, nulla vox advocationis emergat, ſed ipſos procuratores, præpoſitos, colonos, tabularios, ſuſceptores obnoxios ad ſolutionem iubemus citari.

(*o*) Cod. Theod. lib. IX. tit. XXVIII. de crimine peculatus, leg. I. Pridem fuerat conſtitutum, vt hi iudices, qui peculatu prouincias quaſſauiſſent, multæ diſpendio ſubiacerent; ſed quoniam nec condigna crimini vltio eſt, nec par pœna peccato, placuit capitale hoc eſſe, atque animaduerſione ſeueriſſima coërceri.

(*p*) Proſper. de promiſſionibus Dei, ſiue gloria ſanctor. in peroratione.

§. XI.

De exactionibus publicanorum & curatorum publicorum redituum, aliorumque officialium imperii Romani.

LEGES non minus seueræ erant in omnes, vt vocant, superexactores publicorum redituum. Commune tributorum onus generatim satis durum erat, etiam quatenus per legem in imperio *Romano* [q] erat constitutum: iniustæ autem exactiones publicanorum & aduocatorum fisci id reddebant intolerabilius. Quamobrem leges magna cum seueritate oppressiones eorum reprimere atque punire necesse habebant. *Constantinus* [r] diuersas hanc in rem leges tulit, constituta in crimen istud pœna capitali, vti GOTHOFREDVS *competentem seueritatem* interpretatur. *Valentinianus* & *Valens* [s] exactorem læsæ parti qua-

(q) Vid. Lipsium de magnitudine Romana lib. II. c. I. II. seqq.

(r) Cod. Theod. lib. VIII. tit. X. de concussionibus aduocatorum. leg. I. Si quis se a ducenariis vel centenariis, ac præcipue fisci aduocatis, læsum, esse cognoscit, adire iudicia, ac probare iniuriam non moretur, vt in eum, qui conuictus fuerit, competenti seueritate vindicetur.
Gothofred. in h. l. Constantinus hac lege læsis animum dedit concussores accusandi: iudices vero seueriter in eos vindicare iubet tum hac lege, tum *d. l. I. de exactionib.* quibus verbis *capitalem pœnam* indicari puto. It. lib. XI. tit. I. de annona & tributis. leg. III. Manu propria iudices vniuersi periculo suo annonarias species & cetera, quæ indictione perduntur, definitis quantitatibus & comprehensis modis, facta adscriptione, designent: Cuius obseruantiæ illa erit commoditas, vt post successionem quoque eorum, facile requiratur, an exactores vltra, quam oportuit, de fortunis prouincialium aliquid exsculpere voluerunt. Et lib. XI. tit. VII. de exactionibus leg. I. Ducenarii & centenarii, siue sexagenarii, non prius debent aliquem ex debitoribus conuenire, quam a tabulario ciuitatis nominatim breues accipiant debitorum: Quum quidem exactionem sine omni fieri concussione oportet: ita vt, si quis in iudicio questus, quod indebite exactus est vel aliquam inquietudinem sustinuit, hoc ipsum probare potuerit, seuera in exactores sententia proferatur. Lib. IV. tit. XII. de vectigalibus leg. I. Penes illum vectigalia manere oportet, qui superior in licitatione exstiterit; ita, vt non minus quam triennii sine locatio concludatur, nec vllo modo interrumpatur tempus exigendis vectigalibus præstitutum; Quo peracto tempore, licitationum iura conductionemque recreari oportet, quum plus aliquid quam statutum est a prouincialibus exegisse constiterit.

(s) Cod. Theod. lib. XI. tit. XVI. de extraordinariis. leg. XI. Nihil a prouincialibus extraordinaria patimur indictione deposci. Caueat igitur magnifica auctoritas tua, ne, præter ea quæ a mansuetudine nostra patuerit indicta, tenuiorem oneret functionem; Vt si quis vsurpatoria temeritate amplius aliquid fuerit conatus exigere, obnoxius quadrupli repetitione teneatur: Quæ

druplum

druplum restituere iubebant iudicique similem irrogabant summam, si querelam facienti iustitiam administrare recusassent. Verum *Arcadius*, cognito, quod hæc *Valentiniani* lex iniustas illas exactiones non omnino reprimeret, capitis pœnam [*t*] in quemcumque exactorem, plus iusto deposcentem, decernebat. Et *Honorius* aliquot annis post vtramque pœnam coniungebat exactorem ad mortem dari [*u*] & direptorum quadruplum ex eius facultatibus læsæ parti restitui iubens; iudici autem triginta librarum auri multam imponens, qui legem istam in effectum dare negligeret. Iam quod lex ciuilis tam seuere condemnauit, dubium non est, quin lex ecclesiastica spiritualiter eadem seueritate punierit, sub generali nomine oppressionis.

§. XII.

De exactionibus aduocatorum, iureconsultorum & apparitorum iudicum.

ALIA truculenta oppressionis ratio erat, sub specie legis aduocatis & iureconsultis, vulgo dictis *scholasticis* & *defensoribus*, nec non apparitoribus & officialibus ciuitatum & administris iudicum, vsitata. De horum exactionibus & concussionibus frequentes querelæ, & diuersæ leges contra eos factæ leguntur. Lex certa stipendia, siue canonicas pensitationes, vt vocant, eis indulgebat pro caussis coram iudicio perorandis & tractandis: sed hi præterea non erubescebant alimenta pro semetipsis

seueritas iussionis ad ordinariorum iudicum officiorumque terrorem debebit excurrere, vt si eorum vel gratiosa conhibentia, vel ignobili dissimulatione temeritas admiserit curialis, eos quoque domini similis pœna castiget.

(*t*) Cod. Theod. lib. XI. tit. VIII. de superexactionibus leg. I. Si quis exactorum superexactionis crimen fuerit confessus, eamdem pœnam subeat, quæ diui Valentiniani sanctione dudum fuerat definita: Capitis namque periculo posthac cupiditas amouenda est, quæ prohibita totiens in hisdem sceleribus perseuerat.

(*u*) Cod. Theod. lib. XI. tit. VII. de exactionibus leg. XX. Si in concussione possessorum exactores fuerint deprehensi, illico & capitali periculo subiaceant & direptorum quadrupli pœna ex eorum patrimonio eruetur. Iudices autem triginta librarum auri multæ acerbitate sciant se esse plectendos, nisi ea quæ salubriter ordinata sunt, necessaria deuotione compleuerint. Vid. sis ibid. tit. VIII. de superexactionibus leg. II. & III. eiusdem Honorii. It. lib. XI. tit. XXVI. de discussoribus leg. I. &c. Lib. XIII. tit. XI. de censitoribus leg. VII. & X. Et Valentiniani III. nouell. VII. de indulgentiis reliquorum.

et pabulum pro equis ſuis, quocumque veniebant, in ciuitatibus & manſionibus ſine ſolutione pecuniæ poſtulare; quæ ſuperexactiones cum primis in aduocatis & officialibus, tamquam inſatiabilis auaritiæ exempla, notantur a *Conſtantio* [x]: Et propterea præcipit, vt iudices populum aduerſus iſtiuſmodi exactiones tueantur, nec iniurias inultas tranſire permittant. *Conſtantinus* [y] in ſimilem animaduertit extorquendi rationem in aduocatis, dum turpi cum clientibus ſuis pactione præcipua prædiorum, pecorum & mancipiorum eorum ſibi tranſcribi poſcant; quo ipſo eos opis ſuæ egentes ſpoliare atque denudare dicit; & iſtiusmodi rapaces vultures, vti GOTHOFREDVS eos vocat, a iudiciorum conſpectu ſegregari, nec vmquam eis cauſſarum defenſionem permitti iubet. Alius modus, quo praui aduocati pauperes opprimere ſolebant, erat, quando clientibus ſuis perſuadebant, vt aduerſarios ſuos in cauſſa ciuili in iudicium militare vocarent, vbi maior eis licentia erat largitione aliiſque malis artibus eos opprimendi. Magnopere de hac pauperes deprædandi ratione tempore *Valentis* queritur AMMIANVS MARCELLINVS: *Laxauit*, inquit [z], *fores rapina-*

(x) Cod. Theod. lib. VIII. tit. X. de concuſſionibus aduocatorum & apparitorum leg. II. Præter ſolemnes & canonicas penſitationes, multa a prouincialibus Afris indigniſſime poſtulantur ab officialibus & ſcholaſticis, non modo in ciuitatibus ſingulis ſed & manſionibus: dum ipſis & animalibus eorumdem alimoniæ ſiue pretio miniſtrantur. Nec latet manſuetudinem noſtram, ſæpiſſime ſcholaſticos vltra modum, acceptis honorariis in defenſione cauſſarum omnium & annonas & ſumtus accipere conſueuiſſe; quibus tantis commodis fulti itinere ſuam auaritiam explere nequeunt. Prouinciales itaque cuncti iudices tueantur, nec iniurias inultas tranſire permittant.

(y) Cod. Theod. lib. II. tit. X. de poſtulando. leg. I. Aduocatos, qui conſceleratis depectionibus ſuæ opis egentes ſpoliant atque denudant, non iure cauſſæ, ſed fundorum, pecorum & mancipiorum qualitate rationeque tractata, dum eorum præcipua poſcunt coacta ſibi pactione tranſcribi, ab honeſtorum cœtu, iudiciorumque conſpectu ſegregari præcipimus.

Cod. Iuſtin. lib. II. tit. VI. leg. V. Si qui aduocatorum exiſtimationi ſuæ immenſa atque illicita compendia prætuliſſe ſub nomine honorariorum ex ipſis negotiis, quæ tuenda ſuſceperint, emolumenta ſibi certæ partis cum graui damno litigatoris & deprædatione poſcentes fuerint inuenti: placuit, vt omnes, qui in huiuſmodi ſæuitate (legend. *ſcæuitate* vid. Gothofred. ad anteced. leg. in codice Theodoſ. p. 139. b.) permanſerint, ab hac profeſſione penitus arceantur.

(z) Ammian. lib. XXXIX. p. 448.

rum,

rum, quæ roborantur indies iudicum aduocatorumque prauitate, quæ tenuiorum negotia militaris rei rectoribus, vel intra palatium validis venditantes, aut opes, aut honores quæsiuere præclaros. Ad corrigendum hunc abuſum *Arcadius* legem [a] tulit in hanc ſententiam: *Si quis neglectis iudiciis ordinariis, ſine cæleſti oraculo* (hoc eſt, principis reſcripto) *cauſſam ciuilem ad militare iudicium crediderit deferendam, præter pœnas ante promulgatas intelligat ſe deportationis ſortem excepturum. Nihilominus & aduocatum eius decem libris auri condemnatione feriendum.* Quibus *Valentinianus* nonnihil addidit, hunc in modum facta conſtitutione [b]: *Pœna defenſoribus negotii, qui in eodem extraordinario iudicio adſuerint atque egerint, huiuſmodi conſtituta, vt cauſſidicum officii amiſſio, iuriſconſultum exiſtimationis & interdicti ciuitatis damna percellant.* Sunt & plures aliæ leges, *a Theodoſio, Valentiniano iuniore* & *Marciano* eodem conſilio factæ, quas lector apud GOTHOFREDVM in ante memoratam *Arcadii* legem reperire poteſt. Lex quidem eccleſiaſtica has res non enarrat ſigillatim, par tamen eſt credamus, quod, quum grandia ſint crimina, ſub generali notione iniuſtarum oppreſſionum, quæ eccleſiaſticam cenſuram commereri creditæ ſint, comprehendantur.

§. XIII.

De negotiatione vſuræ.

ALIVD autem oppreſſionis genus datur, cuius magis ſpeciatim meminerunt, & quod in clericis æque ac laicis damnant leges eccleſiæ, hoc eſt vſurarum negotiatio & exactio pauperum. Naturam vſuræ & diuerſos eius gradus explanandi occaſionem iam libro quodam antecedente [*] habuimus. Quidquid ergo hoc loco monendum ducimus, hoc eſt, quod cenſuræ eccleſiaſticæ eos omnes adfecerint, qui rei fuerint eius, quod hac in re flagitioſum & crudele eſſe iudicarint. Concilium *Illiberritanum* non ſolum clericos, qui vſuras accepiſſe detecti fuerint, de gradu ſuo deturbari iubet, ſed laicis etiam excommunicationem minatur [c], ſi poſt admonitionem in ea iniqui-

(a) Cod. Theod. lib. II. tit. I. de iuriſdictione leg. IX.
(b) Valentin. nouell. de epiſcopali iudicio, tit. XII.
(*) Lib. VI. c. II. §. VI. vol. II. p. 318 - 324.
(c) Concil. Illiberrit. c. XX. Si quis clericorum detectus fuerit vſuras accipere, placuit eum degradari & abſtineri. Si quis etiam laicus accepiſſe probatur

tate persistant. Et concilium *Carthaginense* primum [*d*] hanc adfert rationem, cur clericis hæc negotiatio non debeat permitti, quia in laicis reprehendatur. Et caussa, quamobrem ita generatim a veteribus in ipsis laicis damnaretur, erat, quia generatim oppressio erat pauperum, quibus amor mutuo dandi sine vsura debebatur; & nonnumquam cum violenta coniuncta erat exactione, vti in vsura, quam centesimam vocabant, quæ duodecim ex centenis per annum conficiebat; necnon in sic dicta hemiola, vbi totum cum dimidia parte per modum fenoris accipiebatur, quarum vtraque per leges imperiales, tamquam iniusta exactio & manifesta oppressio, damnabatur. Quo fundamento omnia argumenta & orationes inuectiuæ veterum nituntur. Vt adeo vsura hoc sensu pro manifesta prædatione pauperum & crudeli oppressione eorum habita sit, quibus misericordia & caritas quauis occasione tribuenda erat. Et huc referre licebit omnes modos extorquendi per vim & metum, quos lex damnat & irritos pronuntiat [*e*], etiamsi pactum vel promissum ab eis, quos talis iniuria adficiebat, impetratum esset.

§. XIV.

De dolo malo.

VLTIMVM rapinæ genus illud erat, quod fraude & calliditate committebatur, quod lex *dolum malum* & *stellionatum* nuncupat, a stellione, animalculo illo venenato, nitente in dorso maculis quibusdam, stellarum modo radiantibus, de quo rerum naturalium obseruant scriptores [*f*], quod nullum animal fraudulentius inuideat homini: senectam enim, quam perinde vt serpentes quotannis exuat, præsentissimum comitiali morbo remedium, dicunt ipsum deuorare, vt ne quid beneficii ex il-

vsuras, & promiserit correctus iam se cessaturum, nec vlterius exacturum, placuit, ei veniam tribui. Si vero in ea iniquitate durauerit, ab ecclesia esse proiiciendum.

(*d*) Concil. Carth. I. c. XIII. (tom. II. conc. p. 1826.) In nostro concilio statutum est, vt non liceat clericis fenerare --- Proinde quod in laicis reprehenditur, id multo magis in clericis debet prædamnari.

(*e*) Cod. Theodos. lib. II. tit. IX. de pactis leg. IV. Pacta quidem per vim & metum apud omnes satis constat cassata viribus respuenda.

(*f*) Plin. lib. XXX. c. X. Nullum animal fraudulentius inuidere homini tradunt: Inde stellionum nomen aiunt in maledictum translatum, &c.

la ad hominem redeat. Vnde iureconſulti fraudem omnem & impoſturam, quæ peculiarem in lege titulum haud habet, *ſtellionatum* [g] appellant, quemadmodum VLPIANVS vocabulum illud explanat. Ita, ſi quis forte rem alii obligatam diſſimulata obligatione per calliditatem alii diſtraxiſſet, vel permutaſſet, vel in ſolutum dediſſet, hæ fraudes omnes ſtellionatus nomine veniebant. Item ſi quis merces ſuppoſuiſſet, vel obligatas auertiſſet, vel corrupiſſet; vel ſi quis impoſturam feciſſet, vel colluſionem in alterius necem; æque ſtellionatus poterat poſtulari. Si quis pignore dando pro auro cuprum ſubieciſſet; ſi quis liberum ſub notione mancipii vendidiſſet; ſi creditor numeratam iam ſibi pecuniam iterum accepiſſet; eodem ſtellionatus nomine [h] puniendus erat; & ob hoc crimen, ſi quis plebeius, ad operas metallicas damnari, ſi honeſtioris conditionis eſſet, in exilium mitti vel de gradu deiici poterat. Fraudum iſtarum & colluſionum exempla plura ſunt & difficiliora, quam vt heic enumerari ſigillatim queant: præcipua tamen eorum ſummatim comprehendi poſſunt ſub quinque titulis, nimirum ſub dolo malo, calumnia, adulatione, fraudatione in rebus ſibi creditis, & fraudatione in commercio rerum cum aliis.

DOLVM MALVM committere aliquis poteſt vel cudendo nummos adulterinos, ad decipiendum homines incautos ac imprudentes; aut adulterando chirographa, acta & tabulas, ad

(g) Digeſt. lib. XLVII. tit. XX. ſtellionatus. leg. III. Stellionatum obiici poſſe his, qui dolo quid fecerunt, ſciendum eſt: ſcilicet ſi aliud crimen non ſit, quod obiiciatur, quod enim in priuatis iudiciis eſt de dolo actio, hoc in criminibus ſtellionatus perſecutio. Vbicumque igitur titulus criminis deficit, illic ſtellionatum obiiciemus. Maxime autem in his locum habet, ſi quis forte rem alii obligatam diſſimulata obligatione per calliditatem alii diſtraxerit, vel in ſolutum dederit: nam hæ omnes ſpecies ſtellionatum continent, cetera.

(h) Caluin. lexicon. iurid. voce, Stellionatus. Stellionatum iureconſulti appellant fraudem omnem atque impoſturam, quæ propriam ſignificationem non habet, & in proprium delicti nomen non cadit, l. 7. §. 1. ff. ad Turpill. veluti ſi quis rem alienam ſciens obliget, vel alii iam pignoratam alii denuo obliget, vel pignore dando pro auro æs ſubiecerit, ſtellionatus crimen committit, l. 1. ff. de ſtellionatu, l. 16. §. 1. l. 36. ff. de pign. act. Similiter qui ſciens ſtatu liberum diſſimulata eius conditione vendit, vel creditor numeratam iam ſibi pecuniam iterum accipiens, ſtellionatus crimine plectitur.

adferendum ſibi ius in aliorum hominum bona, quemadmodum illi agunt, qui falſa teſtamenta vel nomina faciunt, aut, quæ vera ſunt, celant vel corrumpunt. Monetæ adulteratio non tantum iniuria erat in homines priuatos in negotiatione, ſed actus etiam perfidiæ in ſummos imperantes: adeoque vt crimen capitale bonorum publicatione, exilio, vel morte, eaque interdum crudeliſſima, flammarum videlicet exuſtione, puniebatur, quemadmodum e diuerſis legibus in codice *Theosiano* [i], tali occaſione factis, apparet. In primis *Conſtantinus* [k] lege quadam capite eos puniri, aut flammis tradi, vel alia iſtiuſmodi violenta morte adfici iubet, qui vel menſuram circuli

(i) Cod. Theod. lib. IX. tit. XXI. de falſa moneta leg. I. Quicumque adulterina fecerit numiſmata, pœnam pro diſcretione ſexus & conditionis ſuæ diuerſitate ſuſtineat: hoc eſt, vt ſi decurio, vel decurionis ſit filius, exterminatus genitali ſolo, ad quamcumque in longinquo poſitam ciuitatem ſub perpetui exilii conditione mittatur, aut ſuper facultatibus eius ad noſtram ſcientiam referatur. Si plebeius, vt rebus amiſſis perpetuæ damnationi dedatur: ſi ſeruilis conditionis, vltimo ſupplicio ſubiugetur. Leg. II. Quoniam nonnulli monetarii adulterina moneta (leg. adulterinam monetam) clandeſtinis ſceleribus exercent, cuncti cognoſcant, neceſſitatem ſibi incumbere eiuſmodi homines inquirendi, vt inueſtigati tradantur iudiciis. --- Si miles aut promotus huiuſmodi crimen incurrit, ſuper eius nomine & gradu ad nos referatur. Si dominum fundi vel domus conſcium eſſe probabitur, deportari eum in inſulam oportebit, cunctis eius rebus protinus confiſcandis: ſi vero eo ignaro crimen commiſſum eſt, poſſeſſionem aut domum debet amittere, in qua id ſcelus commiſſum eſt: Actor fundi, vel ſeruus, vel incola, vel colonus, qui hoc miniſterium præbuit, cum eo qui fecit, ſupplicio capitali plectetur: nihilominus fundo, vel domo fiſci viribus vindicanda. Quod ſi dominus ante ignorans, vt primum reperit, ſcelus prodidit perpetratum, minime poſſeſſio, vel domus ipſius proſcriptionis iniuriæ ſubiacebit, ſed auctorem ac miniſtrum pœna capitalis excipiet. Leg. III. Si quis nummum falſa fuſione formauerit, vniuerſas eius facultates fiſco addici præcipimus, atque ipſum ſeueritate legitima coërceri, vt in monetis tantum noſtris cudendæ pecuniæ ſtudium frequentetur. Leg. V. Præmio accuſatoribus propoſito, quicumque ſolidorum adulter potuerit reperiri, vel a quoquam fuerit publicatus, illico omni dilatione ſubmota flammarum exuſtionibus mancipetur. Leg. VI. Comperimus, nonnullos Flaturarios Maiorinam pecuniam non minus criminoſe, quam crebre, ſeparato argento ab ære, purgare. Si quis igitur poſthæc fuerit in hac machinatione deprehenſus, capitaliter ſe feciſſe cognoſcat, cetera.

(k) Cod. Theod. lib. IX. tit. XXII. Si quis ſolidi circulum inciderit, vel adulteratum in vendendo ſubiecerit. leg. I. Aut capite puniri debet, aut flammis tradi, vel alia pœna mortifera. Quod ille etiam patietur, qui menſuram

ex-

exterioris, vt ponderis minuerent quantitatem, adrasisse vel nummos adulterasse, eosque pro bonis, per manifestam fraudem in vendendo, subiecisse detecti fuerint. Et quod lex tanta seueritate in republica puniuit, dubium non est, quin pari seueritate spiritualiter punitum, & tamquam fraus & rapina condemnatum sit in ecclesia. Falsa chirographa, & in primis falsa testamenta scribere, inter ipsos veteres *Romanos* grande crimen habebatur, qua de re integer titulus [*l*] in *pandectis* exstat; vbi lex quaedam a *Iulio Paulo*, celeberrimo illo iureconsulto, relata ad hunc modum statuit [*m*]: *Qui testamentum amouerit, celauerit, eripuerit, deleuerit, interleuerit, subiecerit, resignauerit; quiue testamentum falsum scripserit, signauerit, recitauerit dolo malo, cuiusue dolo malo id factum fuerit, legis Corneliae poena damnatur.* Poena autem ista est vel deportatio, vel omnium bonorum publicatio [*n*], vel vltimum supplicium, pro conditione rei. Et per leges *Constantini* [*o*] eadem poena deportationis & mortis in istiusmodi dolum malum constituta erat. Et quamuis lex ecclesiastica huius criminis poenam non diserte nominet, par tamen est statuamus, sub generali titulo furti ac rapinae fuisse comprehensum, quae crimina hominem censurae ecclesiasticae subiiciebant.

§. XV.

De calumnia cum respectu ad alterius possessiones & fortunas; & de opposita ei fraude adulationis.

ALIA species fraudis, quae contra quem committi poterat, ad priuandum ipsum possessionibus suis & fortunis, erat

circuli exterioris adraserit, vt ponderis minuat quantitatem: vel figuratum solidum adultera incitatione in vendendo subiecerit. Vide sis Digest. lib. XIII. tit. VII. de pignoratitia actione leg. I. & XVI.

(*l*) Digest. lib. XLVIII. tit. X. de lege Cornelia de falsis.

(*m*) Paulus ibid. leg. II.

(*n*) Ibid. leg. I. §. 13. Poena falsi, vel quasi falsi, deportatio est, & omnium bonorum publicatio: & si seruus eorum aliquid admiserit, vltimo iudicio adfici iubetur.

(*o*) Cod. Theodos. lib. IX. tit. XIX. ad legem Corneliam de falso. leg. II. Capitali post probationem supplicio (si id exigat magnitudo commissi) vel deportatione ei, qui falsum commiserit, imminente.
Vid. Cod. Iustin. lib X. tit. XIII. de his, qui se deferunt leg. I. Occultator gestorum .. in insulam deportetur &c.

confictorum criminum imputatio per falſam accuſationem & calumniam. Hæc nonnumquam alterius vitam adficiebat, & tum ſpecies homicidii erat, eoque nomine puniebatur, quemadmodum antea oſtendimus. Interdum famam & exiſtimationem aliorum adficiebat, & vt huiuſmodi crimen conſiderabitur poſtea. Hoc loco eam tantum accipimus, quatenus hominum poſſeſſiones & fortunas adficit, & quatenus ad priuandum eos per fraudem bonis ſuis ac facultatibus ſpectat. Quo ſenſu lex interdum calumniam & falſam accuſationem vt ſpeciem furti ac rapinæ accipit, & ſub hoc titulo proſcribit. Quemadmodum videre eſt ex lege *Valentiniani* & *Gratiani* in codice *Theodoſiano*, quæ tres iſtas calumniæ ſpecies coniungit [*p*], nimirum aduerſus alterius famam, fortunas & vitam: iubens eum, qui alterum ex vno horum capitum incuſauerit, eadem adfici pœna, cui alterum ſubiicere ſtuduerit, ſi falſus accuſator eſſe detectus ſit, &, quod intenderit, non probauerit. Contra iſtiuſmodi calumniatores, fraudulentos delatores & falſos accuſatores (qui id præcipue laborabant, vt plauſibili quadam ratione & ſub ſpecie iuris alterius bona occuparent) præterea duo [*q*] treſue integri tituli in codice *Theodoſiano* reperiuntur, vbi iſtiuſmodi accuſatores & petitores, *humanæ vitæ malum & humani generis inimici*, vocantur, iubenturque bonorum publicatione puniri & gladio. Lex etiam eccleſiaſtica ſeueram eis iniungit pœnam. Concilium *Illiberritanum* [*r*] canonem habet, in hunc modum decernentem: *Delator ſi quis exſtiterit fidelis, & per delationem eius aliquis fuerit proſcriptus vel interfectus, placuit eum nec in fine accipere communionem. Si leuior cauſſa fuerit* (pecuniaria vel alia iſtiuſmodi) *intra quinquennium accipere poterit communionem. Si catechumenus fuerit, poſt quinquennii tempora admittatur ad baptiſmum.* AVGVSTINVS [*s*] quoque iſtiuſmodi calumniam

(*p*) Cod. Theod. lib. IX. tit. I. de accuſationibus leg. XI. Qui alterius famam, fortunas, caput denique & ſanguinem in iudicium deuocauerit, ſciat, ſibi impendere congruam pœnam, ſi, quod intenderit, non probauit.

(*q*) Cod. Theod. lib. IX. tit. XXXIX. de calumniatoribus. It. lib. X. de petitionibus & delatoribus. leg. I. II. III. X. XXXIII. Et tit. XII. ſi vagum petatur mancipium.

(*r*) Concil. Illiberrit. c. LXXIII.

(*s*) Auguſt. epiſt. LIV. ad Macedon. (tom. II. opp. p. 250. a. edit. Baſil. MDLXIX.)

inter

inter ſpecies rapinæ & oppreſſionis refert. Et auctor *conſtitutionum* ſic dictarum *apoſtolicarum* [t], epiſcopum inſtruens, quoſnam a communione debeat reiicere, inter alios etiam nominat militem calumniatorem, non contentum ſtipendiis, ſed pauperes concutientem.

ADVLATIO oppoſitum calumniæ crimen & quaſi auerſa eius facies eſt, cui tamen nonnulli dabant operam, adhibitisque fraudulentis artibus hominum moribundorum heredes fieri ſtudebant, in fraudem eorum, qui iuſtiore eius rei gauderent titulo. Ad quam fraudem impediendam *Valentinianus* lata lege [u] ſtatuebat, vt eccleſiaſtici, vel qui continentium ſe nomine nuncupari vellent, (ab eis enim potiſſimum fraus illa committebatur) moribundarum viduarum ac pupillorum domos ne adirent, vt eorum poſſeſſiones aut vllam illarum partem teſtamento ſibi acquirerent. Quod ſi feciſſent, ab adfinibus vel propinquis deferendos eſſe ad iudicium ſanciebat, nec quidquam eorum, quæ ita fraudulenter ſub prætextu religionis ab eiuſmodi perſonis vel donatione vel teſtamento obtinuiſſent, adepturos; ſed legitimos hæredes ſibi ea omnia vindicandi & legata iſta abolendi licentiam habituros eſſe, vel certe publico ærario ea inferri oportere. Duæ etiam leges exſtant *Theodoſii* [x] in eamdem prorſus ſententiam. Et patres adeo non

Qui contra ius ſocietatis humanæ, furtis, rapinis, *calumniis*, oppreſſionibus, inuaſionibus abſtulit, reddenda potius quam donanda cenſemus, Zachæi publicani euangelico exemplo, cetera.

(t) Conſtit. lib. IV. c. VI. καὶ ϛρατιώτην συκοφάντην, μὴ ἀρκούμενον τοῖς ὀψωνίοις, ἀλλὰ τοὺς πένητας διασείοντα.

(u) Cod. Theod. lib. XVI. tit. II. de epiſcopis & clericis leg. XX. Eccleſiaſtici, aut ex eccleſiaſticis, vel qui continentium ſe volunt nomine nuncupari, viduarum ac pupillorum domos non adeant: ſed publicis exterminentur iudiciis, ſi poſthac eos adfines earum vel propinqui putauerint deferendos. Cenſemus etiam, vt memorati nihil de eius mulieris, qui ſe priuatim ſub prætextu religionis adiunxerint, liberalitate quacumque, vel extremo iudicio poſſint adipiſci: & omne in tantum inefficax ſit, quod alicui horum ab his fuerit derelictum, vt nec per ſubiectam perſonam valeant aliquid, vel donatione, vel teſtamento percipere. Quin etiam ſi forte poſt admonitionem legis noſtræ aliquid hiſdem eæ feminæ, vel donatione, vel extremo iudicio, putauerint relinquendum, id fiſcus vſurpet.

(x) Ibid. leg. XXVII. Si quando diem obierit, nullam eccleſiam, nullum clericum, nullum pauperem ſcribat heredes: Careat namque neceſſe eſt viri-

con-

conqueruntur de harum legum, quæ videtur, feueritate, vt de fraude potius, auaritia & rapacitate conquerantur eorum, qui piis imperatoribus occaſionem iſtiuſmodi leges ferendi dederunt. AMBROSIVS [y] ait: *Nemo hos inuaſionis arguit, violentiæ nullus accuſat? Quaſi non interdum maiorem prædam a viduis blandimenta eliciant quam tormenta: Non intereſt apud Deum, vtrum vi an circumuentione quis res alienas occupet, dummodo quoquo pacto tenet alienum.* Similem in modum HIERONYMVS [z], *Pudet dicere,* inquit, *ſacerdotes idolorum, mimi & aurigæ, & ſcorta hæreditates capiunt; ſolis clericis ac monachis hac lege prohibetur: Et non prohibetur a perſecutoribus, ſed a principibus chriſtianis. Nec de lege conqueror, ſed doleo, cur meruerimus hanc legem. -- Prouida ſeueraque legis cautio: Et tamen nec ſic refrænatur auaritia. Per fideicommiſſa legibus illudimus: Et quaſi maiora ſint imperatorum ſcita, quam CHRISTI, leges timemus & euangelia contemnimus.* Ex his querelis, factis a ſanctis patribus, manifeſtum eſt, hanc fraudulentam rationem facultates viduarum blanditiis & aſſentationibus captandi, (vnde iſtiuſmodi hypocritæ vulgo *captatores* & *hæredipetæ* dicti) non minus furtum creditum fuiſſe, quam quod aperta violentia & oppreſſione committitur. Turpe genus furti hoc erat inter ipſos ethnicos. IVVENALIS [a] ſæpe illud aſperioribus ver-

bus, ſi quid contra vetitum circa perſonas ſpecialiter comprehenſas fuerit a moriente confectum. Immo ſi quid ab his morienti fuerit extortum, nec tacito fidei commiſſo aliquid clericis in fraudem venerabilis ſanctionis callida arte, aut probroſa cuiuſdam conhibentia deferatur: extorres ſint ab omnibus, quibus inhiauerant bonis, cetera. Leg. XXVIII. Legem, quæ diaconiſſis vel viduis nuper eſt promulgata, ne quis videlicet clericus, neue ſub eccleſiæ nomine mancipia, ſupellectilem, prædam, (velut infirmi ſexus ſpoliator) inuaderet, & remotis adfinibus ac propinquis, ipſe ſub prætextu catholicæ diſciplinæ ſe ageret viuentis hæredem, eatenus animaduertat eſſe reuocatam, vt de omnium chartis, ſi iam nota eſt, auferatur: neque quiſquam, aut litigator ea ſibi vtendum, aut iudex nouerit exſequendam.

(y) Ambroſ. Serm. VII. de clericis p. 232.

(z) Hieron. epiſt. II. ad Nepotian. It. epiſt. III. ad Nepotian. (p. 22. g. edit. Pariſ. MDCXVIII.) Alii nummum addant nummo & in marſupium ſuffocantes *matronarum opes venentur* obſequiis &c.

It. Leo & Maiorin. nouell. VIII. Inſidioſa munuſcula diriguntur, ſubornantur medici, qui praua perſuadeant &c.

(a) Iuuenal. ſatyr. V. v. 97. 98.

- - - *ſumitur illinc*

Quod captator *emat Lenas, Aurelia vendat.*

bis

bis perstringit: Idem MARTIALIS, PLINIVS, LVCIANVS [b] & plures alii faciunt. Vnde eo minus mirum nobis esse debet, quod leges christianæ id proscribant, patresque tam acriter in illud declamitent, etiam quando via esse videbatur augendi reditus ecclesiæ. Sed hoc puritatem disciplinæ ostendit veterum, quod crimini, sub tam egregia specie apparenti, parcere noluerint, vtpote omni scandali plenæ & ignominiosæ augendi reditus clericorum rationi inimici atque infensi, quemadmodum in diuersis exemplis ostendendi habuimus occasionem, quando de clericorum reditibus disseruimus.

§. XVI.

De fraudatione in rebus sibi concreditis.

ALIA fraudis species committitur in rebus sibi concreditis, vt, si quis cellario præfectus vel minister domini sui bona dissipet, aut fraudulentam & iniuriosam pro eo faciat pactionem; vel si quis tutor, cui executio testamenti alicuius demandata est, mala fide agat, diuitiasque sibi colligat ex iis, quæ aliorum victui vestituique necessario designata sunt, vel si quis celet aut reddere recuset depositum & fidei suæ concreditum. Veteres christiani admodum iusti, religiosi ac integri erant in hoc vltimo rerum, fidei suæ commissarum, genere; adeo vt ipse PLINIVS nos faciat certiores, fuisse id partem aliquam solemnis eorum negotii singulis diebus dominicis, se sacramento non in scelus aliquod obstringere, sed ne furta, ne latrocinia committerent, ne fidem fallerent [c], ne depositum appellati ab-

Id. Satyr. VI. v. 38. seq.

- - - - - *tollere dulcem*
Cogitat hæredem cariturus turture magno,
Multorumque iubis & captatore *macello.*

Id. Satyr. X. v. 201. 202.

Vsque adeo grauis vxori, gnatisque, sibique,
Vt captatori *moueat fastidia Cosso.*

(b) Vid. Calvin. lexic. iuridic. voce *Captare.* Erant Romæ, qui senes orbos ac locupletes obsequio demereri studebant, vt ex eorum testamentis aliquid ferrent, quique etiam palam consignatis tabulis eos hæredes faciebant, quo ad eamdem liberalitatem iamiam morituros prouocarent. Cuiusmodi *captatorum* officia ridet Lucianus in dialogis mortuorum his verbis: *ἔδοξε δέ μοι,* ait, *καὶ σοφὸν τοῦτ' εἶναι, θέσθαι διαθήκας ἐς τὸ φανερὸν ἐν αἷς ἐκείνῳ καταλέλοιπα τἀμὰ πάντα, ὡς κἀκεῖνος ζηλώσαι καὶ τὰ αὐτὰ πράξειε.*

(c) Plin. lib. X. epist. XCVII.

negarent. Vnde iure noſtro concludere poſſumus, neminem ad communionem in tali ſocietate idoneum fuiſſe habitum, quem in vlla eiuſmodi re ſibi credita fidem fefelliſſe conſtiterit; quippe quod cum communis iuris legibus & cum ſolemni ſuo ipſius promiſſo pugnarit. Quædam depoſita ſacratioris erant generis, vtpote cultui Dei & pauperum vſui deſignata. Quibus igitur in rebus ſi quis minus fideliter ageret, duplex & triplex crimen committere iudicabatur, quia cædem quaſi & ſacrilegium addebat iniuſtitiæ. Quam ob cauſſam concilium *Carthaginenſe* quartum [*d*] eos, qui eccleſiam oblationibus defunctorum defraudant, necatores egentium vocat; quia eccleſiam priuare iis, quæ ad ſuſtentandos pauperes dantur, re ipſa nihil aliud eſt, quam pauperes fame enecare: Et ob iſtiuſmodi fraudem ac crudelitatem cenſuræ excommunicationis ſubiiciuntur. Inter epiſtolas CYPRIANI epiſtola quædam legitur CORNELII epiſcopi *Romani* [*e*], in qua de *Nicoſtrato* quodam diacono ad *Cyprianum* ſcribit, quem huiuſmodi fraudis inſimulat. Nam non ſolum patronam ſuam ſæcularem, cuius rationes geſſerat, defraudauerat, ſed non modicos etiam eccleſiæ reditus, ipſi tamquam archidiacono ad alendum viduas ac pupillos commiſſos, abſtulerat, propter quod crimen *Roma* fugerat, metuens ne rationem diſpenſationis ſuæ reddere & cauſſam de rapina & ſacrilegio dicere cogeretur. Et ipſe CYPRIANVS in alia epiſtola [*f*] ad *Cornelium* de ſceleribus ſcribens *Nouati*, ſpoliatos ab eo eſſe dicit pupillos, fraudatas viduas, pecunias quoque eccleſiæ denegatas, propter quod aliaque crimina (quod videlicet patrem fame mori ſiuiſſet, quod vxori,

(*d*) Conc. Carth. IV. can. XCV. Qui oblationes defunctorum aut negant eccleſiis, aut cum difficultate reddunt, tamquam egentium necatores excommunicentur.

(*e*) Ap. Cyprian. epiſt. XLVIII. al. L. Inuigiletur, vt omnibus coëpiſcopis noſtris & fratribus innoteſcat, Nicoſtratum multorum criminum reum, & non ſolum patronæ ſuæ carnali, cuius rationes geſſit, fraudes & rapinas feciſſe; verum etiam, quod eſt illi ad perpetuam pœnam reſeruatum, eccleſiæ depoſita non modica abſtuliſſe.

(*f*) Cyprian. epiſt. XLIX. al. LII. ad Cornel. p. 97. (p. 233. edit. Amſtel. MDCC.) Spoliati ab illo pupilli, fraudatæ viduæ, pecuniæ quoque eccleſiæ denegatæ, has de illo exigunt pœnas, quas in eius furore conſpicimus. Pater etiam eius in vico fame mortuus & ab eo in morte poſtmodum nec ſepul-

calce

calce percuſſo vtero, abortionem importaſſet) ipſum non de presbyterio ſolum excitandum fuiſſe, ſed & communicatione prohibendum, niſi grauis quædam perſecutio impediiſſet, quo minus cauſſa eius ageretur. Vnde liquido apparet, veteres nullo crimine acerbius adfectos fuiſſe, quam quidem hoc perfidiæ & infidelitatis in rebus creditis crimine, nec vllum eo ſeuerius per cenſuras eccleſiæ puniri conſueuiſſe.

§. XVII.

De fraudatione in rerum commercio cum aliis.

VLTIMA fraudis ſpecies eſt, quæ in negotiatione & commercio rerum inter emtorem & venditorem committitur. Emtor peccare poteſt, captando lucrum ex ignorantia venditoris, vera rerum ſuarum neſcientis pretia, vel captando lucrum ex premente illum neceſſitate, quando paupertas ipſum ſua res vili pretio cogit vendere; vel ſoluendo falſos & adulterinos nummos, quod idem eſt atque in facta antea pactione fallere. Hæc vltima fraudis ſpecies legibus *Romanis* tam ethnicis quam chriſtianis ſeuere puniebatur. Nam venditori æque ac fabricatori monetæ adulterinæ omnes fraudis pœnæ conſtitutæ ſunt, quæ in *digeſtis* [g] recenſentur. Et *Conſtantinus* [h] mortis pœna adfici iuſſit non ſolum eos, qui adulterauerint, vel ad-

tus. Vterus vxoris calce percuſſus, & abortione properante in parricidium partus expreſſus. -- Hanc conſcientiam criminum iam pridem timebat, propter hoc ſe non de presbyterio excitari tantum, ſed & communicatione prohiberi pro certo tenebat; & vrgentibus fratribus imminebat cognitionis dies, quo apud nos cauſſa eius ageretur, niſi perſecutio ante veniſſet.

(g) Digeſt. lib. XIII. tit. VII. de pignoratitia actione leg. I. Pignus contrahitur non ſola traditione, etſi non traditum eſt. Si igitur contractum ſit pignus nuda conuentione, videamus, an, ſi quis aurum oſtenderit, quaſi pignori daturus, & æs dederit, obligauerit aurum pignori? Et conſequens eſt, vt aurum obligetur, non autem æs: quia in hoc non conſenſerint. Si quis tamen, quum æs pignori daret, adfirmauit hoc aurum eſſe, & ita pignori dederit, videndum erit, an æs pignori obligauerit: & numquid, quia in corpus conſenſum eſt, pignori eſſe videatur? Quod magis eſt: tenebitur tamen pignoratitia actione qui dedit: præter ſtellionatum, quem fecit. Lib. XLIII. tit. X. ad legem Corneliam de falſo leg. IX. Lege Cornelia cauetur, vt qui in aurum vitii quid addiderit, qui argenteos nummos adulterinos flauerit, falſi crimine teneri. --- Eadem lege exprimitur, ne quis nummos ſtagneos, plumbeos emere, vendere dolo malo vellet.

(h) Cod. Theod. lib. IX. tit. XXII. Si quis ſolidi circulum inciderit, vel adulteratum in vendendo ſubiecerit. leg. I. Capite puniri debet, aut flammis tra-

raſerint monetam, ſed illos etiam, qui ſcientes adulteratam in vendendo ſubiecerint. Et licet hoc non diſertis verbis expreſſum & memoratum ſit in lege eccleſiaſtica, tamen quum ſit præcipua quædam fraus, ſub generali fraudum, ad ſpiritualis iuriſdictionis cognitionem pertinentium, titulo id comprehendi neceſſe eſt. Fraus enim ſemper in criminibus primæ magnitudinis poſita eſt. AVGVSTINVS [i] in eadem claſſe eam collocat cum homicidio, adulterio, fornicatione & ſacrilegio. Et TERTVLLIANVS [k] grandibus peccatis, blaſphemiæ, idololatriæ, apoſtaſiæ, homicidio & adulterio adnumerat, quæ templum Dei deſtruant, & hominem chriſtiana communione reddant indignum. Quod ad iſtam fraudem attinet, quando emtor venditorem circumuenit, iuſtum rerum ſuarum pretium neſcientem, quum res ſit non facilis ad detegendum vel probandum, eam potius propriæ ipſius conſcientiæ relictam, quam ſub publicam diſciplinam vocatam fuiſſe, par eſt credamus. Certum tamen eſt, hominem religioſum hac culpa animam ſuam non oneraturum. Singulare & rarum iuſtitiæ exemplum hac in re dat AVGVSTINVS [l]. Scire ſe dicit hominem, quum venalis codex ei fuiſſet oblatus, pretiique

di, vel alia pœna mortifera, ſi quis menſuram circuli exterioris adraſerit, vel figuratum ſolidum adultera imitatione in vendendo ſubiecerit.

(i) Aug. tract. XLI. in Ioan. tom. IX. p. 125. (p. 308 edit. Baſil. MDLXIX.) cit. ſupra §. IV. litt. (d) pag. 458.

(k) Tertull. de pudicit. c. XIX. Sunt & contraria iſtis (delictis quotidianæ incurſionis) vt grauiora & exitioſa, quæ veniam non capiant, homicidium, idololatria, *fraus*, negatio, blaſphemia, vtique & mœchia & fornicatio, & ſi qua alia violatio templi Dei. Id. aduerſ. Marcion. lib. IV. c. IX. Si Heliſæus prophetes creatoris vnicum leproſum Naaman Syrum ex tot leproſis Iſraëlitis emundauit, nec hoc ad diuerſitatem facit Chriſti, quaſi hoc modo melioris, dum Iſraëlitem leproſum emundauit extraneus, quem ſuus dominus emundare non valuerat, Syro facilius emundato, ſignificato per nationes emundationis in Chriſto lumine eorum, quæ *ſeptem* maculis *capitalium delictorum* inhorrerent, idololatria, blaſphemia, homicidio, adulterio, ſtupro, falſo teſtimonio, *fraude*.

(l) Aug. de trinit. lib. XIII. c. III. Et mimus quidem ille vel ſe ipſum intuendo, vel alios quoque experiendo, vili velle emere & caro vendere, omnibus id credidit eſſe commune. --- Scio ipſe hominem, quum venalis codex ei fuiſſet oblatus, pretiique eius ignarum & ideo quiddam exiguum poſcentem cerneret venditorem, iuſtum pretium, quod multo amplius erat, nec opinanti dediſſe.

eius

eius ignarum & ideo quiddam exiguum poſcentem cerneret venditorem, iuſtum pretium, quod multo amplius eſſet, nec opinanti dediſſe, ſummamque ei admirationem inieciſſe haud vulgari generoſitate ac æquitate, quæ non permittat ex alterius ignorantia lucrum capere; licet id contra generalem regulam ſit mortalium, quibus (vt mimus ille, vel ſe ipſum intuitus, vel alios quoque expertus dicat) commune ſit, vili velle emere & caro vendere, quæcumque demum mala inde conſequantur.

Ab altera parte fraus committi etiam poteſt a venditore, idque diuerſis modis; ſi vel merces æquo carius ignaro & indigenti emtori indicet; quod itidem genus oppreſſionis eſt; vel ſi corruptas vendat merces, quæ reuera tales non ſunt, quales eſſe dicuntur vel videntur, quæ fraus eſt in qualitate; vel ſi falſis ponderibus & menſuris vtatur, quæ fraus in quantitate eſt rerum, de quibus inter eos conuenit, & cui communiter hæc nota in ſcripturis inuritur, quod ſit *deteſtationi DOMINO*. Vetuſtæ leges *Romanæ* [m] in hoc iuſtorum ponderum ac menſurarum negotio ſummopere ſollicitæ ſunt. Aedilium id erat muneris, menſuras exigere & pondera, quorum modus religioſe adſeruabatur in capitolio: Et hinc poſtea imperatorum chriſtianorum tempore ablata, ſub cuſtodia epiſcoporum in eccleſiis reponebantur, quemadmodum ex *pragmatica ſanctione* [n] *Iuſtiniani* & ex vna *nouellarum* [o] eius apparet. Singulæ

(m) Vid. digeſt. lib. XLVIII. tit. X. ad legem Corneliam de falſo. leg. XXXII. Si venditor menſuras publice probatas vini, frumenti, vel cuiuslibet rei, aut auctor corruperit, doloue malo fraudem fecerit: quanti ea res eſt, eius dupli condemnatur: decretoque diui Hadriani præceptum eſt, in inſulam eos relegari, qui pondera aut menſuras falſaſſent.

(n) Iuſtin. pragmat. ſanct. c. XIX. Vt nulla fraudis vel læſionis prouinciarum naſcatur occaſio, iubemus in illis menſuris vel ponderibus ſpecies vel pecunias dari vel ſuſcipi, quæ beatiſſimo papæ vel ampliſſimo ſenatui noſtra pietas in præſenti contradidit.

(o) Iuſtin. nouell. CXXVIII. c. XV. Τοὺς δὲ τὰ δημόσια τέλη εἰσπράττοντας, δικαίοις σταθμοῖς τε καὶ μέτροις κεχρῆσθαι κελεύομεν· ἵνα μηδὲ ἐν τούτῳ τοὺς ἡμετέρους ὑποτελεῖς ἀδικῶσιν· εἰ δὲ οἱ συντελεσταὶ νομίσουσι βαρεῖσθαι εἴτε ἐν σταθμοῖς εἴτε ἐν μέτροις, ἐχέτωσαν ἄδειαν τὰ μὲν τῶν εἰδῶν μέτρα τε καὶ σταθμὰ παρὰ τῶν ἐνδοξοτάτων ὑπάρχων, τὰ δὲ τοῦ χρυσίου καὶ τοῦ ἀργυρίου καὶ τῶν λοιπῶν μετάλλων σταθμὰ παρὰ τοῦ κατὰ καιρὸν ἐνδοξοτάτου κόμητος τῶν θείων λαργιτιώνων λαμβάνειν· καὶ τὰ αὐτὰ μέτρα καὶ σταθμὰ ἐν τῇ ἁγιωτάτῃ ἑκάστης πόλεως ἐκκλησίᾳ φυλάττεσθαι· ἵνα κατὰ ταῦτα δίχα βάρους τῶν συντελεστῶν, καὶ ἡ

ciuitates & ſtationes, ſiue loca, vbi tributa ſuſcipiebantur, ſimiliter publica habebant pondera & publicas menſuras, vt fraudibus occurreretur, quæ tum ab exactoribus tributorum tum ab aliis in priuatis negotiationibus committi ſolebant. Quam in rem diuerſæ leges *Theodoſii* [p], *Honorii* [q], *Valentiniani tertii* [r] & *Maioriani* [s] reperiuntur in *codice Theodoſiano*.

τῶν δημοσίων εἰσκομιδὴ, καὶ αἱ στρατιωτικαὶ καὶ αἱ ἄλλαι δαπάναι γίνωνται. *Eos, qui publica tributa exigunt, iuſtis ponderibus & menſuris vti præcipimus: vt neque in hoc noſtros tributarios lædant. Si autem collatores putant, grauari ſe ſiue in menſuris, ſiue in ponderibus: habeant licentiam, ſpecierum quidem menſuras & pondera a glorioſiſſimis præfectis: auri vero & argenti & reliquorum metallorum pondera a glorioſiſſimo per tempora comite ſacrarum largitionum accipere:* & has menſuras & pondera in ſanctiſſima vniuſcuiuſque ciuitatis eccleſia ſeruari, *vt ſecundum ea & grauamen collatorum & fiſcalium illatio, & militares & aliæ expenſæ fiant.*

(*p*) Cod. Theodoſ. lib. XII. tit. VI. de ſuſceptoribus leg. XIX. In ſingulis ſtationibus & menſuræ & pondera publice collocentur, vt fraudare cupientibus fraudandi adimant poteſtatem. Leg. XXI. Modios æneos ſeu lapideos, cum ſextariis atque ponderibus per manſiones ſingulas, quaſque ciuitates iuſſimus conlocari, vt vnuſquiſque tributarius ſub oculis conſtitutis rerum omnium modis ſciat, quid debeat ſuſceptoribus dare. cetera.

(*q*) Cod. Theodoſ. lib. XI. tit. VIII. de ſuper-exactionibus leg. III. Velut licito committi, frequenti læſorum deploratione didicimus, vt maioribus ſubiectis menſuris atque ponderibus graui poſſeſſor damno quatiatur: Iubemus, vt cura & ſolertia defenſorum hoc fieri a ſuſceptoribus non ſinant, deprehenſoſque ad iudicium dirigant, cum ipſo fraudis commiſſæ indicio idem fieri notum eſt &c.

(*r*) Cod. Theod. lib. XII. tit. VI. de ſuſceptoribus leg. XXXII. Aurum ſiue argentum quum quo a poſſeſſore confertur, arcarius vel ſuſceptor accipiat: ita vt prouinciæ moderator eiuſque officium ad crimen ſuum nouerit pertinere, ſi poſſeſſoribus vllum fuerit ex aliqua ponderum iniquitate inlatum diſpendium. cetera. It. Nouell. Valentin. & Theodoſ. XXV. de pretio ſolidi. De ponderibus quoque vt fraus penitus amputetur a nobis aguntur exagia, quæ ſub interminatione ſuperius comprehenſa ſine fraude debeant cuſtodiri.

(*s*) Maiorian. nouell. I. Illis quoque fraudibus obuiandum eſt, quas in varietate ponderum exactorum calliditas facere conſueuit, qui vetuſtis caliginibus abutentes, Fauſtinæ, aliorumque nominum neſcientibus faciant mentionem. Quibus penitus amotis, atque in perpetuum hac lege damnatis, a prætoriana ſede ad ſingulas non ſolum prouincias, ſed etiam ciuitates pondera examinata mittantur: quibus tam omnis exactor quam negotiator vtatur, capitale ſibi ſciens vnuſquiſque ſupplicium, ſi conſtituta tranſcenderit. Vid. Sidon. Apollin. lib. V. epiſt. VII. Hi ſunt, qui inuident -- arcariis pondera, menſuras allectis. Caſſiodor. lib. V. epiſt. XXXIX. Exigentes aſ-

Et

Et feueræ quidem & capitales pœnæ eis omnibus ibi conftituuntur, qui fraudem in mutatione vel corruptione publicorum ponderum & modiorum feciffe deprehenfi fuerint. Ecclefia hac de re non habet particulares leges in difciplina fua. Quando autem tam atrox crimen in oculis fuit ciuilis magiftratus, iudicare nobis licebit, ipfam in huiufmodi criminis reos animaduertiffe ex generalibus contra fraudem legibus, fine fpecialiore omnium particularium cafuum recenfione. Auctor *constitutionum* [t] generalem hac in re fuggerit regulam, quando episcopum omnium eorum oblationes reiicere iubet, qui communi nomine ῥαδιουργοὶ, *adulteratores* vocabantur. Speciatim notat δολομέτρας, *menfores fraudulentos* & ζυγοκρούστας, hoc eft eos, qui licet non vterentur falfis ponderibus aut fraudulentis libris; ingeniofius tamen & aftutius digitis fuis ftateram ad alterum latus impellebant, vt artificio & verfutia manus id in ponderando lucrarentur, quod falfis ponderibus facere non audebant. *Conftantinus* etiam huius fraudis in lege quadam fua [u] mentionem facit, vbi tributorum fufceptoribus interdicit, ne digitis fuis pondera libræ deprimant, fed æqua lance & libramentis paribus ponderent, ne quis de iniuria fibi illata poffet conqueri. Et dignum obferuatu eft, quod *Iulianus* [x], vt

fem publicum per grauamina ponderum, premere dicuntur patrimonia poffefforum: vt non tam exactio, quam præda effe videatur. Sed vt totius fraudis abrogetur occafio, ad libram cubiculi noftri, quæ vobis in præfenti data eft, vniuerfas functiones publicas iubemus inferri. Quid enim tam nefarium, quam præfumtoribus liceat in ipfa etiam trutinæ qualitate peccare? Id. lib. XI. epift. XVI. Initium a libra faciemus, quia vbi confcientiam fas eft intendere, inde debet fermo iudicis inchoare. Hinc eft, quod in ponderibus atque menfuris vos fuggeritis ingrauatos: & ideo noftra cura prouidebit, vt nullius vos vlterius ex ea parte vexare poffit iniquitas. Quia graue fcelus effe iudicamus, aut menfuras modum excedere, aut libram æquiffimi ponderis iuftitiam non habere.

(t) Conftitut. lib. IV. c. VI. παραιτήσῃ δὲ καὶ ῥαδιουργοὺς -- καὶ ζυγοκρούστας καὶ δολομέτρας.

(u) Cod. Theod. lib. XII. tit. VII. de ponderatoribus, leg. I. Aurum quod infertur, æqua lance & libramentis paribus fufcipiatur: fcilicet, vt duobus digitis fummitas lini retineatur, tres reliqui liberi ad fufceptorem emineant, nec pondera deprimant, nullo examinis libramento feruato, nec æquis ac paribus fufpenfo ftatere monentis.

(x) Ibid. leg. II. Placet, quem fermo græcus appellat, per fingulas ciuitates

isti-

istiusmodi fraudibus in ponderando occurreret, per singulas ciuitates ministrum constituerit, (*Græco* nomine *zygostaten*, hoc est ponderatorem publicum, nominatum) cuius ad arbitrium & fidem, si qua inter vendentem ementemque exorta esset contentio, per publica pondera dirimeretur. Studium autem imperatoris ethnici, ad huiusmodi fraudes & abusus corrigendos adhibitum, arguit, ecclesiæ tanto magis conuenisse, vt eius rei curam gereret, & huiusmodi fontes pœnitentiæ per censuræ ecclesiasticæ potestatem submitteret.

AVCTOR *constitutionum* similiter alius cuiusdam fraudis meminit, quam in negotiatione quis committere potest, dissimulando prauam rerum conditionem, & vendendo merces corruptas sub bonarum & perfectarum notione ac specie. Vt si quis cuprum pro auro, vel mixturam aquæ vel alium liquorem pro puro vino vendat. Hinc episcopum instruens, quorum oblationes recipiendæ, & quorum reiiciendæ sint, primo loco dicit, ad dandum non admittendos esse, quos *Græci* καπήλες, *Latini* autem *caupones* vocent; per quos non eos stricte intelligit, qui cibaria vendunt, vel alios quoscumque mercatores, licet vocabulum nonnumquam ita sumatur; sed fraudulentos propolas, qui merces suas corrumpunt & adulterant, vt maius ex iis lucrum faciant. Quomodo ex loco illo apparet, quem secundum LXX. interpretum versionem ex *Iesaiæ I, 22.* citat, οἱ κάπηλοί σε μίσγεσι τὸν οἶνον ὕδατι, *Caupones tui miscent vinum aqua.* LACTANTIVS [y] hanc rem acute disputat aduersus *Carneadem*, philosophum gentilem, qui statuebat, si quis fugitivum seruum vel pestilentem domum velit vendere, eum per leges prudentiæ non debere profiteri periculum, quod de illo vel de hac emtori metuendum sit; quia, si id faciat, futurum sit, vt vel vili vel omnino non vendat. Quam ille sententiam damnat, eamque contra christianæ iustitiæ & ipsius etiam prudentiæ regulas esse, pluribus demonstrat. Nihil enim homini prius, nihil antiquius esse debere dicit, quam innocenti-

constitui *zygostaten*, qui pro sua fide atque industria, neque fallat neque fallatur, vt ad eius arbitrium atque ad eius fidem, si qua inter vendentem emtoremque in solidis exorta fuerit contentio, dirimatur.

(y) Lactant. lib. V. c. XVII. & XVIII.

am ſeruare & bonam conſcientiam. Vnde HILARIVS [z] ait: *Corpora, quum cogitamus aut agimus ſtupra, cædes, furta, falſitates, rapinas, ſpeluncam latronum conſtituimus.* Nonnulli quidem veterum [a] paullo ſeueriores ſunt contra negotiationem quamcumque, excepta arte manuali, lucri cauſſa inſtitutam, propter fraudis periculum, cui emtor æque ac venditor obnoxius eſt. At LEO [b] papa benignius diſtinguit inter lucrum honeſtum & turpe: *Qualitas lucri*, inquiens, *negotiantem aut excuſat, aut arguit: quia eſt honeſtus quæſtus, aut turpis.* Vt adeo non omnem negotiationem & mercaturam vt ſimpliciter illicitam in ſe damnauerint, ſed tantum ſi iſtiuſmodi fraudulentis exerceretur artibus, quæ eam ſordidi quæſtus vitio commacularent, nec niſi plauſibile aliquod furtum & magis artificialem prædandi rationem facerent.

VLTIMA ſpecies fraudis a venditore committitur, quando merces ſuas iuſto carius vendit; quod fit vel per monopolium, ſi quis vnus ſolus, vel aliqua hominum ſocietas, ius ſibi acquirit certas merces diuendendi, illiſque pretium ſtatuit arbitrarium; vel ſi venditor ex ignorantia vel indigentia emtoris occaſionem captat mercis pretium augendi, ex eiuſque infirmitate, paupertate & imprudentia lucrum facit. Contra fraudem, quæ fit per monopolium, nota lex eſt *Zenonis* [c] imperatoris in codice *Iuſtinianeo*, qua primum ſub pœna publica-

(z) Hilar. in pſalm. CXVIII. v. 139. p. 278.

(a) Tertull. de idololatr. c. XI. Negotiatio ſeruo Dei apta eſt? Ceterum ſi cupiditas abſcedat, quæ eſt cauſſa acquirendi: ceſſante cauſſa acquirendi, non erit neceſſitas negotiandi.
Epiphan. expoſit. fid. § XXIV. *πραγματευτὰς οὐκ ἀποδέχεται, ἀλλὰ ὑποδεεστέρους πάντων ἡγεῖται.* *Negotiatores non admodum probat* (eccleſia catholica) *ſed in omnium infimo loco conſtituit.*
Auct. operis imperf. in Matth. XXI, 12. Inter opera Chryſoſt. tom. II. p. 102. edit. Francof.) Eiiciebat vendentes & ementes de templo. Significans, quia homo mercator vix aut numquam poteſt Deo placere. Et ideo nullus chriſtianus debet eſſe mercator: aut ſi voluerit eſſe, proiiciatur de eccleſia Dei, dicente propheta: *Quia non cognoui negotiationes, introibo in potentia domini*, pſalm. LXX, 16. cetera.

(b) Leo epiſt. XCII. ad Ruſtic. c. IX.

(c) Cod. Iuſtin. lib. IV. tit. LIX. de monopoliis leg. I. Iubemus, ne cuiuſcumque veſtis, vel piſcis, vel pectinum forte, aut echini, vel cuiuslibet alterius ad victum, vel ad quemcumque vſum pertinentis ſpeciei, vel cuiuslibet ma-

tionis bonorum & perpetui exilii interdicit, ne quis monopolium audeat exercere: Deinde prohibet, ne qua hominum societas illicitis pactis se constringat de taxandis rerum pretiis, quadraginta librarum auri solutionem hoc facere ausis constituens. Similiter ædificiorum artifices aliorumque operum professores a pactis inter se componendis arceri iubet, eo spectantibus, vt ne quis ab altero inchoatum & derelictum opus ipso inuito impleat: (quæ ratio erat, qua labori suo pretium pro arbitratu statuere sibi sumebant.) Cui fraudi & difficultati, homines honestos prementi vt occurrat, omnia istiusmodi illicita pacta & conuentiones dissoluit, perfectam hominibus, ab artifice quodam derelictis, concedens libertatem per alium, sine aliquo dispendii timore, inceptum opus perficiendi.

ALTERA pretium augendi ratio, quæ fit a venditore, commodum ex ignorantia & imprudentia emtoris captante, nullis legibus vndiquaque prouideri poterat & caueri: adeoque hominum relinquebatur æquitati & conscientiæ, examinanda & iudicanda potius per legem diuinam, quam sub certas humani iudicii regulas reuocanda. Verumtamen quum sit quædam fraudis species, & extorquendi ac opprimendi ratio, probabile est, ecclesiæ rectores in multis insignioribus casibus eam condemnasse sub generali nomine *ῥαδιουργίας*, hoc est, abiectæ versutiæ & artificii lucrandæ per quamcumque imposituram pe-

teriæ, pro sua auctoritate, vel sacro iam elicito rescripto, aut pragmatica sanctione vel sacra nostræ pietatis adnotatione, monopolium audeat exercere: neue quis illicitis habitis conuentionibus coniuret, aut paciscatur, *vt species diuersorum corporum negatiationis, non minoris quam inter se statuerint, venundentur.* Aedificiorum quoque artifices, vel ergolabi, aliorumque diuersorum operum professores & balneatores penitus arceantur, pacta inter se componere, *Vt ne quis, quod alteri commissum sit, opus impleat, aut iniunctam alteri sollicitudinem alter intercipiat:* data licentia vnicuique, ab altero inchoatum & derelictum opus, per alterum sine aliquo timore dispendii implere, omniaque huiusmodi facinora denuntiandi sine vlla formidine, & sine iudiciariis sumtibus. Si quis autem monopolium ausus fuerit exercere, bonis propriis exspoliatus, perpetuitate damnetur exilii. Ceterarum professionum primates, si in posterum aut super taxandis rerum pretiis aut super quibuslibet illicitis placitis, ausi fuerint conuenientes huiusmodi sese pactis constringere, quadraginta librarum auri solutione percelli decernimus.

cuniæ:

cuniæ: cuius rei cauſſa epiſcopus in *conſtitutionibus* [*d*] homines a faciendis ſuper altari oblationibus reiicere iubetur.

Et ſub hoc caput reducere quoque poſſumus earum rerum mercaturam, quam venditor exercere nullo iure poteſt; exempli cauſſa, ſi quis alterius ſeruum fugitiuum vendat, quod leges [*e*] vetant, quia ſpecies plagii eſt in venditore & defraudatio emtoris, atque incitatio ſeruitiorum ad diripiendum & deſerendum dominos ſuos. Iſtiuſmodi quoque eſt nundinatio rerum nullius veri pretii, ſed meræ fraudis & impoſturæ; vt ſi quis pecuniam accipit pro fatorum per genituram interpretatione, pro indicatione rerum perditarum, pro amuletorum præbitione, & ſimilibus nugis, quas canones [*f*] non ſolum vt artes curioſas & ſuperſtitioſas, ſed etiam vt fallacias & impoſturas, damnant. Quos omnes & ſexcentos alios ſpoliandi, opprimendi & defraudandi modos eccleſia in diſciplinæ ſuæ exercitio eodem, quo directas methodos committendi furta & rapinas, loco habebat.

§. XVIII.

De receptione & occultatione latronum, & emtione rerum furtiuarum.

At enim vero præter directas hoc peccatum committendi vias, erant quædam abiectæ & illicitæ praxes, quæ virtualiter & per iuſtam interpretationem furtum dici merebantur: vt receptio, incitatio ac occultatio latronum: emtio rerum furtiuarum; vitam otioſam ſine vlla legitima vocatione agendi ratio; Rerum, ſuſtentationi aliorum deſignatarum, conſumtio per prodigentiam vel luſum. In quas praxes vniuerſas leges eccleſiaſticæ vel imperiales animaduertebant vt totidem indirectas vias adiuuandi vel committendi latrocinia & direptiones. Leges imperiales ſeueram pœnam omnibus conſtituunt, qui vllius criminis reos occultent. *Valentinianus* lege quadam eos damnat, vt ſocios [*g*] alieni criminis, & pari

(*d*) Conſtit. lib. IV. c. VI. vid. ſub litt. anteced. (t) pag. 495.

(*e*) Cod. Iuſtin. lib. IX. tit. XX. ad legem Fabiam de plagiar. leg. VI. In fuga ſeruum conſtitutum, neque vendere, neque donare licet.

(*f*) Concil. Trull. c. LXI. cit. ſupra ad c. V. §. VI. litt. (h) & (i) pag. 257.

(*g*) Cod. Theod. lib. IX. tit. XXIX. leg. I. Eos, qui ſecum alieni criminis reos occulendo ſociarunt, par atque ipſos reos pœna expectet.

pœna adfici iubet. Alia lege [*h*] ſpeciatim eos damnat, qui latrones ſuſcipiant & iudiciis non offerant; ſupplicio aut bonorum publicatione, pro qualitate perſonæ, plectendos. Et ſi quis actor vel procurator, domino ſuo ignorante & inſcio, eos occultauerit & iudici offerre neglexerit, cum flammis comburendum eſſe ſtatuit. Alia lex *Marciani* in eamdem ſententiam exſtat in codice *Iuſtinianeo* [*i*], oſtendens, quemadmodum tractandi ſint, qui latrones occultauerint, & vim ad tuendum ac defendendum eos adhibuerint.

QVI res furtiuas emebant, ſi tales eſſe ſcirent, itidem furti habebantur participes, quia hoc incitamentum erat latronum & quædam eorum approbatio. CHRYSOSTOMVS [*k*] & AVGVSTINVS [*l*] hanc obſeruationem habent in illud pſalmiſtæ: *Si furem videbas, concurrebas ei*; quod laudare & approbare furem idem ſit ac committere furtum. Et nemo quidem magis approbare furem poteſt, quam is, qui parui lucri cauſſa

(*h*) Ibid. leg. II. Latrones quiſquis ſciens ſuſceperit, vel offerre iudiciis ſuperſederit, ſupplicio corporali aut diſpendio facultatum, pro qualitate perſonæ ex iudicis æſtimatione, plectatur. Si vero actor, ſiue procurator domino ignorante occultauerit & iudici offerre neglexerit, flammis vltricibus concremetur.

(*i*) Vid. Cod. Iuſtin. lib IX. tit. XXXIX. de his, qui latrones occultauerint, leg. II. Si qui latrones, ſeu aliis criminibus obnoxii, in poſſeſſione degunt ſeu latitant: dominus poſſeſſionis ſi præſto eſt, aut procuratores, ſi dominus abeſt, ſeu primates poſſeſſionis vltro eos offerant: aut ſi ſcientes hoc ſponte non fecerint, conueniantur a ciuili officio, vt tradant prouinciali iudicio eos, qui requiruntur, ſub examine iudicis arguendos, & pœnas poſt documenta congruas ſubituros. Si vero exhibere eos domini, vel procuratores, aut primates poſſeſſionis diſtulerint: tunc ad detinendos eos adito rectore prouinciæ omnia ciuilia dirigantur auxilia, cetera.

(*k*) Auguſtin. in pſalm. XLIX. tom. VIII. p. 194. (p. 478. edit. Baſil. MDLXIX.) Si videbas furem, concurrebas ei &c.] Ne forte diceres, non feci furtum, non feci adulterium: quid ſi placuit tibi, qui fecit? Nonne ipſo placito concurriſti? Nonne portionem tuam cum illo, qui fecit, laudando poſuiſti? Hoc eſt enim, fratres, concurrere cum fure, & ponere cum adultero portionem tuam: quia, etſi non facis, & laudas quod fit, adſtipulator es facti, quoniam laudatur peccator in deſideriis animæ ſuæ, & qui iniqua gerit, benedicitur. Non facis mala, laudas mala facientes.

(*l*) Chryſoſt. in loc. tom. III. p. 301. (p. 261. edit. Francof.) *τοῦτο πάντων αἴτιον τῶν κακῶν· τοῦτο μάλιστά ἐστι τὸ ἀνατρέπον ὁρετὴν, τὸ ἐκλύον τὴν περὶ τὰ καλὰ τῶν πολλῶν σπουδὴν, ὅταν μὴ μόνον μὴ ἐπιτιμῶσί τινες, ἀλλὰ καὶ συνήδονται τοῖς ἁμαρτάνουσι· τοῦτο τοῦ ἁμαρτάνειν οὐκ ἔλαττον κ. τ. λ.* *Hoc eſt cauſſa omni-*

ani-

animum ei addit cum ipso negotiando, vti versio *Arabica* ex quorumdam criticorum obseruatione phrasin psalmistæ ad verbum reddit. Vnus tantum casus est, in quo casuistæ permittunt a cognito fure aliquid emere. Si quis videlicet facere id potest ob rem paruulam, animo quidem ablata proprio domino restituendi. Hoc enim in casu propositum ei non est furi animum addere, sed legitimi possessoris commoda procurare. Et pro hoc notas regulas legis ciuilis [*] adlegant. At vero in reliquis casibus omnibus cum furibus negotiari, est participem fieri peccati eorum, eosque inflammare & confirmare in subsequentibus furtis. Quare hic & omnes reliqui furibus adspirandi eosque adiuandi modi (quos notant & colligunt doctores [*m*] in scholis [*n*]) antiquis temporibus sub generali furti ac fraudis notione comprehendebantur, & congrua his criminibus censura ecclesiastica puniebantur.

§. XIX.

Otium notatum & punitum tamquam mater furti.

NEQVE vero solam societatem cum latronibus furibusque & participationem rapinæ eorum ita damnabant veteres, sed etiam omnem istiusmodi viuendi rationem, quæ mortalibus quamdam quasi necessitatem latrocinandi, & ad fraudem ac violentiam, vtpote vnum solum dissolutæ vitæ adminiculum, sese applicandi imponebat. Otium pro matre ac nutrice furti, & vitam sine occupatione non meliore loco, quam

---

um malorum, hoc est, quod virtutem maxime euertit, quod retardat ac reprimit studium multorum ad ea, quæ sunt honesta: quando non solum non reprehendunt aliqui, sed etiam vna cum iis, qui peccant, se oblectant, eisque gratulantur.

(*) Vid. Lessium de iure & iust. lib. II. c. XIV. p. 171. (p. 166. edit. Louan. MDCV.) Dubitatio IV. Vtrum si dubites, an res sit aliena, possis eam accipere, retinere, alienare? Qui dubitat, vtrum res sit aliena, potest nihilominus eam accipere titulo donationis, permutationis, emtionis &c. modo eo animo accipiat, vt eam domino, si post diligentem inquisitionem inuenerit, restituat. Ratio est, quia in hoc nullam facit domino iniuriam, sed beneficium; nam alioquin fortassis numquam fuisset restituenda.

(*m*) Aquin. quæst. LXII. artic. VII. Conclusio: In multis casibus etiam is, qui per se non fecit rei ablationem, tenetur tamen ipsi damnificato ad rei ablatæ restitutionem &c.

(*n*) *Iussio, consilium, consensus, palpo, recursus,*
Participans, mutus, non obstans, non manifestans.

quo vitam communis prædonis, habebant. Quia huius furfuris homines, vt poëta loquitur, tantum ſunt *fruges conſumere nati.* Quam ob cauſſam leges tam imperiales quam eccleſiaſticæ admodum ſeuere contra omnes iſtiuſmodi decernunt. Exſtat in codice *Theodoſiano* [o] conſtitutio quædam *Valentiniani iunioris* contra mendicantes, qui, dum integro corpore ac vegeta ætate ſint, ſiue ſerui, ſiue liberi & ad operandum idonei, a dominis ſuis *Romam* fugiant, vt ibi latentes velut fuci ex aliorum largitate alimenta inertiæ habeant. Quos ille explorari, & ſi validi ac robuſti eſſe deprehendantur, proditoribus in ſeruitutem addici vel ad dominos remitti iubet, ſalua hiſce actione in eos, qui fugitiuos vel receperint vel ad deſertionem conſiliis ſuis incitauerint. IVSTINIANVS hanc legem in codice ſuo [p] interpoſuit, & nouum edictum ſanxit in eamdem ſententiam. Eccleſia itidem hac in re magnam nauabat operam, vt ne audacibus, otioſis ac vagantibus mendicis permitteretur deuorare reditus eorum, qui reuera infirmi ac pauperes eſſent. Quam ob cauſſam clericis ſuis interdicebat, ne huc illuc vagarentur, nec de diœceſi alia in aliam proficiſcerentur ſine litteris dimiſſoriis, quemadmodum nonnulli faciebant, dicti inde βακάντιβοι, hoc eſt, homines *vacantes*, ſicut alio iam loco [*] pluribus demonſtrauimus. Omnes monachos ſuos & aſcetas ex manuum ſuarum operibus viuere docebat. Ita, vt monachus, qui opus non faceret, non ſecus ac alieni cupidus iudicaretur, quemadmodum patres *Aegyptios* de illis, qui alieno pane otioſi veſcerentur, iudicaſſe, auctor eſt SOCRATES [q].

(o) Cod. Theodoſ. lib. XIV. tit. XVIII. de mendicantibus non inualidis. leg. I. Cunctis adfatim, quos in publicum quæſtum incepta mendicitas vocauit, inſpectis, exploretur in ſingulis & integritas corporum & robur annorum: adque ea inertibus, & abſque vlla debilitate miſerandis, neceſſitas inferatur, vt eorum quidem, quos tenet conditio ſeruilis, proditor ſtudioſus & diligens dominium conſequatur: Eorum vero, quos natalium ſola libertas proſequitur, colonatu perpetuo fulciatur, quiſquis huiuſmodi lenitudinem prodiderit ac probauerit: ſalua dominis actione in eos, qui vel latebram forte fugitiuis, vel mendicitatis ſubeundæ conſilium præſtiterunt.

(p) Cod. Iuſtin. lib. XI. tit. XXV. de mendicantibus validis leg. I.

(*) Lib. VI. c. IV. §. V. voll. II. p. 301.

(q) Socrat. lib. IV. c. XXIII. ἄλλος δέ τις ἔλεγεν, ὅτι ὁ μοναχὸς, εἰ μὴ ἐργάζοιτο, ἐπίσης τῷ πλεονέκτῃ κρίνεται. *Alius quidam dixit, monachum, qui opus non faceret, non ſecus ac alieni cupidum, iudicatum iri.*

AVGV-

AVGVSTINVS [r] integrum librum ſcripſit, vt hoc proprium monachi officium eſſe oſtenderet, viuere ex manuum ſuarum operibus; vbi omnibus rationibus reſpondet, quæ in contrarium adferri poterant. Sunt & innumera loca in aliis vetuſtis ſcriptoribus eiuſdem argumenti, ad quæ lectorem remiſimus, quando de vitæ monaſticæ regulis libro quodam antecedente [*] loquuti ſumus. Hoc loco vnum tantum notabilem locum addemus ex AMBROSIO [s], vbi regulas præſcribit, quas in prudenter diſpenſandis eleemoſynis obſeruari oporteat: *Liquet, debere eſſe liberalitatis modum, ne fiat inutilis largitas: cuius ſobrietas tenenda eſt, maxime ſacerdotibus, vt non pro iactantia, ſed pro iuſtitia diſpenſent. Nuſquam enim maior auiditas petitionis. Veniunt validi, veniunt nullam cauſſam niſi vagandi habentes, & volunt ſubſidia vacuare pauperum, exanire ſumtum: nec exiguo contenti, maiora quærunt, ambitu veſtium captantes petitionis ſuffragium, & natalium ſimulatione licitantes incrementa quæſtuum. Hi, ſi quis facile deferat fidem, cito exaniunt pauperum alimoniis profutura compendia. Modus adſit largiendi, vt nec illi inanes recedant, neque transſcribatur vita pauperum in ſpolia fraudulentorum. Ea ergo menſura ſit, vt neque humanitas deſeratur, nec deſtituatur neceſſitas.* Ex quibus planum eſt, vitam otioſam non meliorem creditam fuiſſe, quam vitam, quæ ex ſpoliis pauperum, furtis ac ſceleratiſſimis latrociniis ducitur; quia ſæpe fraudem & crudelitatem furto adiungit, dum iſtiuſmodi otioſi homines aliorum liberalitatem fictis rationibus a viduis ac pupillis ad ſe trahunt; qui in nulla ſunt egeſtate, niſi quam ipſi ſibi vel otiando vel luxurioſe ac prodige viuendo contraxerunt: quam ſuſtentare inſigne furtum iudicabatur & pauperum ſpoliatio, quæ ſumma & extrema crudelitas eſt & oppreſſio. Et propterea vt leges imperiales otium in vagantibus crimen faciebant, cui actio intendi poterat: (*ἀργίας δίκην* lex ipſa vocat): Ita regulæ eccleſiæ id ipſum velut infamem & cenſura eccleſiaſtica dignam viuendi rationem notabant.

(r) Auguſt. de opere monachorum c. XVII. &c.
(*) Lib. VII. cap. III. §. X. volum. III. pag. 60.
(s) Auguſt. de officiis lib. II. c. XVI. (tom. IV. opp. p. 52. edit. Pariſ. MDCXLII.)

§. XX.

§. XX.

Et lusus aleæ, tamquam occasio fraudis & ruinæ multarum familiarum, hoc pacto ad summam egestatem reductarum.

HVIC addebant lusum aleæ, vt aliam fallendi ac defraudandi rationem; idque duplici respectu, quia homines eo ipso ad fraudem ac fallaciam inclinabantur, & sæpe suas diruebant familias, quæ hoc pacto ad summam egestatem & inopiam per dissolutam & stolidam mali parentis vitam reducebantur. Multæ aliæ declamandi contra hoc crimen rationes esse poterant, exempli caussa, quod dissolutam vitam agere, & tempus luxuria consumere ignominiosum sit, & a multis sapientibus & honestis ethnicis damnatum; quod vetustæ leges *Romanæ* aleatores exilio & multis aliis seueris pœnis [t] multauerint; quod ludus animos hominum ad multa grandia & atrocia vitia inclinet, ad auaritiam videlicet, periurium, mendacium, exsecrandi ac iurandi adsiduitatem, iram ac odium, rixam & cædem, luxuriam & omnis generis intemperantiam: Nos vero vitium istud hoc loco tantum consideramus, quatenus mali effectus, fraus ac consumtio bonorum, ex eo exsistunt, quibus multæ pauperes familiæ destruuntur, sub qua notione manifestum furtum est atque prædatio. Et vt istiusmodi crimen antiquis temporibus per regulas ecclesiæ non clericis solum sed & laicis interdicebatur. *Episcopus, aut presbyter, aut diaconus*, inquit vnus ex apostolicis canonibus [u], *aleæ & ebrietati deseruiens, aut desinat, aut certe damnetur.* Et proxime sequens canon addit: *Subdiaconus, aut lector, aut cantor, similia faciens, aut desinat, aut communione priuetur. Similiter etiam laici.* Atque ita concilium *Illiberritanum* generatim omnes lusores a communione separat. *Si quis* [x] *fidelis alea, id est, tabula luserit, placuit eum abstinere: Et si emendatus cessauerit, post annum poterit reconciliari.* ALBASPINAE-

(t) Vid. Taylor. duct. dubit. lib. IV. c. I. p. 776. (pag. 849. seqq. edit. Germanic. Brem. MDCCV.)

(u) Can. apostol. XLII. (al. XXXV.) Ἐπίσκοπος, ἢ πρεσβύτερος, ἢ διάκονος, κύβοις σχολάζων καὶ μέθαις· ἢ παυσάσθω, ἢ καθαιρείσθω. Can. XLIII. ὑποδιάκονος, ἢ ἀναγνώστης, ἢ ψάλτης, ὅμοια ποιῶν, ἢ παυσάσθω, ἢ ἀφοριζέσθω· ὡσαύτως ὁ λαϊκός.

(x) Concil. Illiberrit. c. LXXIX.

VS [*y*] de talis hunc canonem accipiendum esse putat, quibus ludere nefas visum, quia effigies deorum gentilium pro numeris habuerint, iique inuocari soliti sint, vt felicissimus eueniret iactus. Quod autem si ita est, grauior credo pœna illis, tamquam idololatris, ab hoc concilio inflicta fuisset. Vnde rationi conuenientius est statuere, quod concilium lusum aleæ dispendium temporis, iacturam & perniciem rei familiaris, atque apertam fraudis ac auaritiæ omniumque ante memoratorum flagitiorum portam esse crediderit; & sub hac notione eos condemnarit, qui lucri & quæstus faciendi, non animi laxandi caussa, ei se tradidissent. Vnde AMBROSIVS [*z*] lucrum, alea & tesseris acquisitum, haud melius quam furtum & extortam vsuram esse, hominesque, ludis istis se se dedentes, inter feras viuere atque versari pronuntiat. Et IVSTINIANVS facta [*a*] lege sanciebat, vt victus in aleæ lusu non posset conueniri: & si soluisset, haberet repetitionem tam ipse, quam heredes eius aduersus victorem & eius heredes, idque perpetuo & etiam post triginta annos. Quod si vel ipse, vel eius heredes repetere neglexissent: liceret cuicumque volenti, & præcipue ciuitatis, in qua in factum, primati vel defensori repetere & in opera ciuitatis id expendere. Et in ludis, qui permissi [*b*] erant, ditioribus ad singulos congressus aut vices non plus quam vnum assem seu numisma deponere ac ludere, & ceteris longe minori pecunia, pro rei scilicet suæ familiaris ratione, permittebat. Atque hæc sapientissima erat lex, respectu querelæ, quam facit HIERONYMVS [*c*], *Posita*, inquiens,

(*y*) Albaspin. in loc. De talis, ni fallor, canon accipiendus, quibus ludere nefas videbatur, quod speciem quamdam idololatriæ committeret, qui eos iactaret: Deorum enim gentilium effigies pro numeris habebant, iique inuocabantur, vt felicissimus eueniret iactus. Suetonius in Augusto: *quos tollebat vniuersos, qui Venerem iecerat.*

(*z*) Ambros. de Tobia c. XI. tot.

(*a*) Cod. Iustin. lib. III. tit. XLIII. de aleatoribus leg. I. Ὅτι ὁ ἡττηθεὶς εἰς κόττον, οὐκ ἀπαιτεῖται· καὶ καταβαλὼν, ἀναλαμβάνει μετὰ διαδόχων ἀπὸ τοῦ νικήσαντος καὶ τῶν κληρονόμων αὐτοῦ διηνεκῶς, καὶ περὶ τριακονταετίας· Εἰ δὲ μὴ θέλουσιν ἀναλαβεῖν· ὁ θέλων, καὶ μάλιστα ὁ τῆς πόλεως, ἐν ᾗ τοῦτο γέγονε, πατὴρ, ἢ ἔκδικος ἀπαιτεῖ, καὶ δαπανᾷ εἰς ἔργα τῆς πόλεως.

(*b*) Ibid. καὶ μὲν σφόδρα πλούσιοι νομίσματος ἑνὸς ἑκάστην σύνθεσιν παίζουσι· οἱ δὲ λοιποὶ πάνυ ἧττονος.

(*c*) Hieron. epist. XII. ad Gaudentium. Not. In *editione mea, quæ est Paris.*

dum

dum luditur arca, ſtat pauper nudus atque eſuriens ante fores, Chriſtusque in paupere moritur. Quid? Quod ſæpenumero propria ipſorum caro ac ſanguis, familiæ & propinqui, in vna nocte tali ſtoliditate penitus deſtruantur. Et qualis quæſo pœna in illos poteſt exiſtimari iuſto grauior? *Si quis ſuis, & maxime domeſticis, non prouidet, fidem abnegauit, & eſt infideli deterior* (1 Tim. V, 8.). Et idcirco leges ciuiles & eccleſiaſticæ tam ſeueram ſententiam pronuntiant contra luſum teſſerarum ac aleæ, propter malos effectus, qui ex eo plerique oriuntur, ſi malo conſilio & fine ſuſcipiatur maliſque artibus continuetur, vt videlicet fraudi ac turpi lucro inſeruiat. Alioquin ludere γεροντικῶς, more ſenum, animi laxandi, non quæſtus faciendi cauſſa, eſt, quod viri ſapientes & honeſti ſemper fecerunt innocenter [d] ſine vlla ignominia & cenſura.

ATQVE ita diuerſas ſpecies furti ac rapinæ, quæ magnæ octaui præcepti tranſgreſſiones ſunt, ſpectauimus; vnde de eorum poſſumus iudicare errore, qui eccleſiæ diſciplinam capitalium criminum, idololatriæ, adulterii & homicidii, terminant punitione. Difficile enim erit, furtum ad aliquam ex hiſce denominationibus reducere, niſi omne furtum auaritiam, & auaritiam idololatriam eſſe ſtatuas. At vero latiore vocis idololatriæ acceptione, qua ſignificat affectibus ſuis magis deſeruire quam Deo, non tantum auaritia, ſed adulterium quoque & homicidium dici poteſt idololatria. Et tum omnia crimina ad vnum referri poterunt, & eccleſia non niſi vnum crimen ſub diuerſis idololatriæ ſpeciebus punire habet. Quod nullo pacto recte explanat eius diſciplinam, quæ idololatriam diſtinctum crimen facit contra diuinum præceptum in prima decalogi tabula, vti inobedientia in parentes, adulterium, homicidium & furtum peccata ſunt contra tabulam ſecundam; & ſecundum hunc ordinem in hac diſſertatione hucuſque illa conſiderauimus.

MDCXLIII. Ita *lego:* Auro parietes, auro laquearia, auro fulgent capita columnarum; & nudus atque eſuriens ante fores noſtras Chriſtus in paupere moritur. *Verba illa:* Poſita dum luditur arca, *ibi non inuenio.*

(*d*) Taylor. duct. dubitant. loc. cit. ſub litt. anteced. (t) pag. 504.

LIBRI

LIBRI DECIMI SEXTI
CAPVT DECIMVM TERTIVM
DE GRANDIBVS CRIMINIBVS CONTRA PRAECEPTVM NONVM, FALSA ACCVSATIONE, LIBELLIS FAMOSIS, OBTRECTATIONE, CALVMNIA ET MALEDICENTIA, CONTVMELIA, ET INIVRIA, CETERIS.

§. I.
De falso testimonio.

PRAECEPTI noni scopus est, vt alterius fama ab iniuria, quæ per falsos rumores, detrahendæ bonæ illius existimationis caussa, infertur, sarta tecta conseruetur. Immittitur illa iniuria interdum publice per falsum testimonium contra alterum. Et tum addit calumniæ periurium, & nonnumquam furtum & homicidium. Neque enim solum eius famam, sed fortunas, immo ipsam etiam vitam potest adficere, vti in caussa fecit *Nabothi*, qui lapidibus obrutus est, vt moreretur, ob falsam accusationem, quod Deo maledixisset & regi. Atque ita *SERVATOR* noster & multi discipulorum eius post ipsum per malitiosas ac falsas inimicorum suorum, iudæorum ac gentilium accusationes iniuriam passi sunt. Magnitudinem huius criminis in hisce respectibus iam sub diuersis periurii, furti ac homicidii titulis ostendimus: Hoc loco illud consideramus tantum vt iniuriam, quæ hominum infertur existimationi, quæ quum res sit omnibus mortalibus cara & pretiosa, leges hoc diligentissime prouident & in eo maxime sunt occupatæ, vt homines in quieta eius possessione tutos præstent, puniantque omnes machinationes, quas alii ad destruendam eam commoliantur. AVLVS GELLIVS [a] narrat, pœnam falsi testimonii inter veteres *Romanos*, ex lege duodecim tabularum fuisse, vt, qui illud dixisset, e saxo *Tarpeio* deiiceretur: putatque,

(a Gell. noct. Attic. lib. XX. c. I. An putas, Fauorine, si non illa etiam ex duodecim tabulis de testimoniis falsis pœna aboleuisset: Et si nunc quoque, vt antea, qui falsum testimonium dixisse conuictus esset, e saxo Tarpeio deiiceretur, mentituros fuisse pro testimonio tam multos quam videmus?

quod si pœna illa mansisset, reipublicæ *Romanæ* admodum profutura fuisset, dum iusta sua seueritate homines ab hoc crimine admittendo potuisset deterrere. Postea per legem sic dictam *Remmiam* [*b*] falsis testibus siue calumniatoribus in fronte inurebatur τὸ K, qua nota kalumnia significabatur. Vnde e contrario viros honestos *lex homines integræ frontis* [*c*] appellat. Lex ista & pœna sæpe memoratur *Romanis* scriptoribus, TVLLIO [*d*], PLINIO [*e*] & aliis [*f*]. Et quamquam lex christiana eam aboleuit, vt illam cruis, & alias quasdam; falsa tamen accusatio & calumnia congruis pœnis, infamia, exilio, & per legem talionis eiusdem mali, quod aliis intenderat falsus ac-

(*b*) Digest. lib. XLVIII. tit. XVI. ad senatusconsultum Turpilianum leg. I. §. II. Calumniatoribus pœna lege Remmia irrogatur.

(*c*) Digest. lib. XXII. tit. V. de testibus, leg. XIII. Testimonii fides, quod integræ frontis homo dixerit &c.

(*d*) Cic. orat. II. pro Roscio. n. 55. Nemo nostrum est, Eruci, quin sciat, tibi inimicitias cum Sex. Roscio nullas esse: vident omnes, qua de caussa huic inimicus venias: sciunt huiusce pecunia te adductum esse. Quid ergo est? ita tamen quæstus te cupidum esse oportebat, vt horum existimationem & legem Remmiam putares aliquid valere oportere. Num. 57. Sin autem sic agetis, vt arguatis aliquem patrem occidisse, neque dicere possitis, aut quare, aut quomodo: aut tantummodo sine suspicione latrabitis: crura quidem vobis nemo suffringet, sed si ego hoc bene noui, litteram illam, cui vos vsque eo inimici estis, vt etiam alias omnes oderitis, ita vehementer ad caput adfigent, vt postea neminem alium, nisi fortunas vestras, accusare possitis.

(*e*) Plin. panegyric. p. 106. (cap. XXXV. n. 3. p. 662. edit. Cellar. Lipf. MDCC.) Neque, vt antea, exsanguem illam & ferream frontem nequidquam conuulnerandam præbeant punctis, & notas suas rideant; sed spectent paria præmio damna, nec maiores spes, quam metus habeant, timeantque, quantum timebantur.

(*f*) Vid. Demster. addit. ad Rosin. lib. IX. c. XVI. p. 1517. (lib. VIII. c. XXII. p. 1381. edit. Colon. MDCLXII.) *Lex de calumniatoribus*]. Item illa de calumniatoribus: Vt calumniatoribus pœna constituto iudicio imperetur: cuius meminit Cicero *pro Sext. Roscio*, Papinianus *lib. XIII. de testibus*, *lib. I. c. I. ad senatusconsultum Turpilianum*. Hac autem lege calumniatori in fronte imprimebatur littera, qua indicabatur, calumniatum eum esse. Sic enim Cicero *pro Sext. Roscio: Litteram illam &c.* Ceterum hanc legem, sicut & superiorem (Memmiam) quidam *Remmiam* appellant. Paulus Manutius autem *commentariis in orationem pro Sexto Roscio*, superiorem illam de reo euocando Memmiam: hanc ergo de calumniatoribus Remmiam dictam sibi videri scribit.

cusa-

cuſator, perpeſſione adhuc corrigebatur; quemadmodum e diverſis legibus [g] in vtraque codice apparet, maxime ex iis, quæ accuſatorem eamdem pœnam ſubire iubent, cui alterum falſa ſua accuſatione ſubiicere adlaborarit, ſi accuſationem non probauerit. Iam vidimus [*] legem *Valentiniani* ac *Gratiani*, quæ ſtatuit, quod, qui alterius famam, fortunas, vel caput in iudicium deuocauerit, ſcire debeat, ſibi impendere congruam pœnam, ſi, quod intenderit, non probauerit. Et quilibet accuſator vinculo adſtringebatur, quod lex *vinculum inſcriptionis* [h] vocat, ad ſubeundam pœnam talionis, ſi accuſatio-

(g) Cod. Theod. lib. IX. tit. XXXIX. de calumniatoribus leg. I. Non eſt ratio, qua manifeſti calumniatoris ſupplicium differatur: Nec enim patimur frequenter iterari, quæ conſiſtere prima actione non quiuerint, atque alienam innocentiam ſecuritatemque ſine crimine, damnabili ad petitionem terreri. Leg. II. Noſtris & parentum noſtrorum conſtitutionibus comprehenſum eſt, eos, qui accuſationem alienis nominibus præſumſiſſent, delatorum numero eſſe ducendos. Atque ideo calumnioſiſſimum caput & perſonam iudicio irritæ delationis infamem deportatio ſequatur: Quo poſt hac ſinguli vniuerſique cognoſcant, non licere in eo principum animos commouere, quod non poſſit oſtendi. Leg. III. Innocentes, ſub ſpecie falſæ criminationis, non patimur callidorum impugnatione ſubuerti; quæ ſi tentauerint, intelligant, ſibimet ſeueritatem legum pro commiſſis facinoribus incumbere.
Cod. Iuſtin. lib. IX. tit. XLVI. de calumniatoribus leg. VII. Non prius quemquam ſinceritas tua ad tuæ ſedis examen iubebit adduci, quam ſolemnibus ſatisfecerit, qui nititur fidem doloris adſerere: quum iuxta formam iuris antiqui ei, qui cœperit arguere, aut vindicta propoſita ſit, ſi vera detulerit; aut ſupplicium, ſi fefellerit. Leg. VIII. Noſtris & parentum &c. Leg. IX. Fallaciter incuſantibus, maxime poſt exhibitionem accuſati, nullius iuris color veluti deriuata excuſatione proficiat: non publica quidem abolitio, non priuata talibus proficiat ſubueniatque perſonis: non ſpecialis indulgentia, nec beneficium quidem eos generale ſubducat. Leg. X. Quiſquis crimen intendit, non impunitam fore nouerit licentiam mentiendi; quum calumniantes ad vindictam poſcat ſimilitudo ſupplicii.

(*) Cap. XII. §. XV. ſub litt. (p) pag. 486.

(h) Cod. Theod. lib. IX. tit. I. de accuſationibus & inſcriptionibus, leg. IX. Non prius quemquam &c. vid. cod. Iuſtin. lib. IX. tit. XLVII. leg. VII. ſub litt. anteced. (g). Leg. XI. Nullus ſecundum iuris antiqui proſcriptum primum, quod intendere propoſuerit, exſequatur, niſi ſubeat *inſcriptionis vinculum*. cetera. Leg. XIV. Qui vel interneciui exerit actionem, vel crimen ſuſpectæ mortis intendit, non prius cuiuſcumque caput accuſatione pulſet, quam vinculo legis adſtrictus pari cœperit pœnæ condictione iurgare: Ita vt etiam ſeruos ſi quis crediderit accuſandos, non prius ad miſerorum tormenta veniatur, quam ſe accuſator *vinculo inſcriptionis* adſtrinxerit, cet. Leg.

 nem

nem contra alterum euincere non poſſet. Iſtiuſmodi cura adhibebatur a legibus ſæcularibus ad retardandas reprimendaſque delationes & falſas accuſationes, & ad tuendam famam & exiſtimationem hominum innocentium a malitioſis iſtiuſmodi periculoſorum aggreſſorum machinationibus. Neque leges eccleſiaſticæ minus ſeueræ erant in ſuo genere contra iſtiuſmodi offenſores. Falſus teſtis quacumque in cauſſa quinquennii pœnitentiæ per canonem quemdam concilii *Illiberritani* [i] ſubiiciendus erat. Et hoc quidem, ſi falſum teſtimonium non eſſet dictum in cauſſa mortis. Hoc enim in caſu, quum eſſet crimen homicidii, criminoſus a communione ad horam vſque mortis ſubmouendus erat, quemadmodum antea [*] oſtendimus, loquentes de homicidio. Concilia *Agathenſe* [k] & *Veneticum* generalem pœnitentiam iſtis offenſoribus denuntiant, ſine termini, ad quem continuari debeat eorum pœnitentia, ſignificatione, qui arbitrio relictus erat epiſcopi, cuius erat, de ſinceritate reſipiſcentiæ eorum iudicare. Concilium autem *Arelatenſe* primum [l] per omnem vitam eos pœnitere iubet: Et *Arelatenſe* ſecundum [m] eorum pœnam in tantum moderatur, vt epiſcopo de pœnitentia & ſatisfactione eorum definire permittat.

XIX. Accuſationis ordinem iam dudum legibus inſtitutum ſeruari iubemus: vt quicumque in diſcrimen capitis arceſſitur, non ſtatim reus, qui accuſari potuit, æſtimetur, ne ſubiectam innocentiam faciamus: ſed quiſquis ille eſt, qui crimen intendit, in iudicium veniat; nomen rei indicet; vinculum inſcriptionis accipiat; cuſtodiæ ſimilitudinem, habita tamen dignitatis æſtimatione, patiatur: nec impunitam fore nouerit licentiam mentiendi quum calumniantes ad vindictam poſcat ſimilitudo ſupplicii.

(i) Concil. Illiberrit. c. LXXIV. Falſus teſtis, prout crimen eſt, abſtinebit; ſi tamen non fuerit mortis, quod obiecit. Et ſi probauerit, quod diu tacuerit, biennii tempore abſtinebit. Si autem non probauerit in conuentu clericorum, placuit per quinquennium abſtinere.

(*) Cap. X. §. IX. & X. pag. 404. ſeq.

(k) Concil. Agath. c. XXXVII. Cenſemus, homicidas & falſos teſtes a communione eccleſiaſtica ſubmouendos, niſi pœnitentiæ ſatisfactione crimina admiſſa diluerint. Vid. conc. Veneticum in iiſdem verbis.

(l) Concil. Arelat. I. c. XIV. De his, qui falſo accuſant fratres ſuos, placuit, eos vſque ad exitum non communicare &c.

(m) Concil. Arelat. II. c. XXIV. Eos, qui falſa fratribus capitula obieciſſe conuicti fuerint, placuit, vſque ad exitum non communicare (ſicut magna ſynodus ante conſtituit) niſi digna ſatisfactione pœnituerint.

§. II.

§. II.
De libellis famosis.

ALIA ratio inferendi hominum famæ ac existimationi iniuriam, erat, quando falsi rumores clandestino spargebantur, quod leges vocant libellos famosos. Hoc fiebat, si quis per libellum accusationis, cui auctor nomen suum præponere dubitabat, deferretur. Tales libelli nihil habebant roboris in lege, sed conscindendi erant vel igni consumendi; nec cuipiam eos legere, retinere aut diuulgare licebat, nisi famosus eorum auctor haberi vellet. Imperatores christiani nihil non agebant, vt omnes istiusmodi nefarias machinationes de aliorum fama detrahendi retardarent reprimerentque, vt ex variis legibus *Constantini*, *Constantii*, *Valentiniani* & *Valentis*, *Theodosii* & *Arcadii* in codice *Theodosiano*, sub titulo de *famosis libellis*, videre est. Sufficiat earum vnam heic interponere, a *Valentiniano* [n] latam in hanc sententiam: *Famosorum infame est nomen libellorum. Ac si quis vel colligendos, vel legendos putauerit, ac non statim chartas igni consumserit, sciat, se capitali sententia subiugandum.* Vnde facile ad iudicandum est, quam infames fuerint libellorum istorum auctores, quum ne quidem eos quis legere vel retinere impune potuerit, sed debuerit metuere, ne iisdem, quibus suspecti eorum auctores, difficultatibus implicaretur. Lex ecclesiastica eos, qui istiusmodi libellos composuisse vel dissemінasse detecti fuerint, excommunicationi reddit obnoxios. Ita enim concilium *Illiberritanum* [o] canone quodam statuit: *Si qui inuenti fuerint libellos famosos in ecclesia ponere, anathematizentur.*

§. III.
De obtrectatione per arcanos & insidiosos susurros.

ALIA species violationis alienæ famæ erat, quæ per clandestinos ac insidiosos susurros obtrectatorum ac calumniatorum committebatur: quorum contra venenatas ac mordaces linguas AVGVSTINVS domesticos suos ac familiares tueri studuisse

(n) Cod. Theod. lib. IX. tit. XXXIV. de famosis libellis, leg. VII.

(o) Concil. Illiberrit. c. LII.

duisse dicitur, positis in mensa sua duobus hisce versiculis:

Quisquis amat dictis absentem rodere vitam,
Hanc mensam indignam nouerit esse sibi.

Hoc fecit ideo, vt omnem conuiuam ab obtrectationibus sese abstinere debere admoneret. Et POSSIDIVS [p] cum huius regulæ adeo studiosum fuisse narrat, vt quosdam suos familiarissimos coëpiscopos, illius scripturæ oblitos & contra eam loquentes, tam aspere aliquando reprehenderet commotus & diceret, aut delendos illos de mensa versus, aut se de media refectione ad suum cubiculum surrecturum. Erat hoc disciplina quædam priuata (similis ei, qua *Monica Augustino* filio, *Manichæorum* erroribus adhuc adhærenti, priuilegium sedendi secum ad mensam negabat) & commoda erat ratio impediendi omnem sermonem maledicum & obtrectationem. Non autem inuenio, hoc crimen per generalem aliquam ecclesiæ regulam publicæ disciplinæ fuisse submissum. Cuius rei ratio esse potest, quod, vti obseruat HIERONYMVS, vitium hoc adeo vniuersale esset & epidemicum, vt publice illud emendari non videretur expedire. *Pauci admodum sunt*, inquit ille [q], *qui huic vitio renuntient, raroque inuenies, qui ita vitam suam irreprehensibilem exhibere velint, vt non libenter reprehendant alienam. Tantaque huius mali libido mentes hominum inuasit, vt etiam qui procul ab aliis vitiis recesserunt, in istud tamquam in extremum diaboli laqueum incidant.*

§. IV.

De calumnia & maledicentia, siue scurrilibus & mendacibus sermonibus: Et de arcanorum proditione.

SI vero hæc obtrectatio aperte ad calumniam & maledicentiam erumperet, maxime si cum contumeliosis, acerbis, ignominiosis ac scurrilibus verbis coniuncta esset; tunc, vti res erat publici scandali, ita res publicæ disciplinæ fiebat. PAVLVS enim apostolus maledicos in eorum numero collocat, qui nec ad hominum societatem nec ad regnum Dei apti sint. *Scripsi vobis*, inquit, *ne commisceamini. Si is, qui frater nominatur inter vos, est scortator, aut auarus, aut idolis seruiens, aut*

(p) Possid. vit. Aug. c. XXII.
(q) Hieronym. epist. XIV. ad Celantiam.

MA-

MALEDICVS, aut ebriosus, aut rapax: cum eiusmodi ne cibum sumatis. 1 Cor. V, 11. Et iterum: *Nolite errare: Neque scortatores, neque idolis seruientes, neque adulteri, neque molles, neque masculorum concubitores, neque fures, neque auari, neque ebriosi, neque MALEDICI, neque rapaces regnum Dei possidebunt.* Quocirca ecclesia, hanc sequens regulam, contumeliosam maledicentiam & scurrilitatem illis criminibus accensebat, quæ censuram commererent ecclesiasticam. Ita quidem, vt concilium *Agathense* [r] statueret, clericum *scurrilem & verbis turpibus ioculatorem ab officio retrahendum.* Idem canon in concilio *Carthaginensi* [s] quarto occurrit, cum aliis quibusdam eiusdem argumenti. *Clericus maledicus,* [t] *maxime in sacerdotibus, cogatur ad postulandam veniam. Si noluerit, degradetur.* Item: *Clericus, qui adulationibus & proditionibus vacare deprehenditur, ab officio degradetur.* In hunc casum vltimum de iniuria, quam quis alteri infert, temere & præter necessitatem illius diuulgando crimina, integrum sermonem habet AVGVSTINVS [u], in quo inter alia ait: *Si solus nosti, quia peccauit in te, & eum vis coram omnibus arguere, non es correptor sed proditor. Attendite, quemadmodum vir iustus Ioseph, tanto flagitio, quod de vxore fuerat suspicatus, tanta benignitate pepercit, antequam sciret, vnde illa conceperat, quia grauidam senserat, & se ad illam non accessisse nouerat. Restabat itaque certa adulterii suspicio: & tamen, quia ipse solus senserat, ipse solus sciebat. Quid de illo ait euangelium: Ioseph autem quum esset vir iustus & nollet eam diuulgare. Mariti dolor non vindictam quæsiuit. Voluit prodesse peccanti, non puniri peccantem.* Addit, episcopos [w] ita solere agere cum priuatorum criminum reis in ecclesia: *Nouit [x] nescio quem homicidam episcopus, & alius illum nemo nouit. Ego volo illum publice corripere, at tu quæris inscribere. Prorsus nec prodo, nec negligo: corripio in secreto: pono ante oculos Dei iudicium, terreo cruentam conscien-*

(r) Concil. Agath. c. LXX. Clericum scurrilem & verbis turpibus ioculatorem ab officio retrahendum.

(s) Conc. Carth. IV. c. LX.

(t) Ibid. c. LVII.

(u) Ibid. can. LVI.

(w) Aug. serm. XVI. de verbis domini. tom. X. pag. 29. (pag. 71. edit. Basil. MDLXIX.)

(x) Augustin. ibid.

tiam, persuadeo pœnitentiam. Ita rursus paulo post: *Sunt homines adulteri in domibus suis, in secreto peccant: aliquando produntur nobis ab vxoribus suis plerumque zelantibus, aliquando maritorum salutem quærentibus: nos non prodimus palam, sed in secreto arguimus. Vbi contigit malum, ibi moriatur malum. Non tamen vulnus illud negligimus: ante omnia ostendentes homini, in tali peccato constituto sauciamque gerenti conscientiam, illud vulnus esse mortiferum.* Ex hoc AVGVSTINI sermone clare perspicimus, ecclesiam priuata crimina non vocasse sub publicam pœnitentiam, nisi reo consentiente & id requirente: secus autem facere, magnum crimen fuisse in ministro ecclesiæ, eumque propter istiusmodi ausum pro arcanorum proditore & tali homine habitum fuisse, qui minus necessariam ignominiam & scandalum intulisset fratribus suis.

§. V.

De mendacio. Quatenus hoc hominem disciplinæ ecclesiasticæ subiecerit.

HVCVSQVE disciplina ecclesiastica omnia contumeliosa & perniciosa persequebatur mendacia. Sunt autem alia quædam mendacii genera, vt mendacium officiosum, quæ etsi in se & natura sua culpam & vitium habent, censuris tamen ecclesiasticis non adeo seuere adficiebantur. TERTVLLIANVS [y] recensens delicta leuiora, quæ non publica pœnitentia in ecclesia emendentur, mendacium, verecundia aut necessitate dictum, inter ea refert. Et ORIGENES [z] mendacium in illis etiam dicit inueniri, qui videantur proficere in ecclesia. Sunt quidem, qui mendacium officiosum defendunt, vt non solum innoxium ac licitum, sed in nonnullis etiam casibus vtile ac necessarium. Verbi caussa, si cuius innocentis vita

(y) Tertull. de pudicit. c. XIX. Sunt quædam delicta quotidianæ incursionis, quibus omnes sumus obiecti. Cui enim non accidet, aut irasci inique, & vltra solis occasum, aut & manum immittere, aut facile maledicere, aut temere iurare, aut fidem pacti destruere, aut *verecundia* aut *necessitate mentiri.* &c.

(z) Orig. tract. VI. in Matth. p. 60. (p. 38. m. edit. Paris. MDCIIII.) cit. cap. III. §. XIV. sub litt. (y) pag. 180.

conſeruanda ſit, rectius mendacium dici putant, quam eum prodi occidendum. At enim vero AVGVSTINVS etiam contra iſtiuſmodi officioſum mendacium diſputat, illudque culpabile & vitioſum eſſe oſtendit; arguens, nec innocentem prodendum, nec ad ſeruandum eum mentiendum, ſed potius cum propriæ vitæ periculo aperte declarandum, nos nec mentiri eius cauſſa velle, nec ipſum prodere. Rarum iſtiuſmodi fortitudinis exemplum dat in epiſcopo quodam *Tagaſtenſis* eccleſiæ, qui *Firmus* nomine, firmior voluntate fuerit. *Quum ab eo*, inquit [*a*], *quæreretur homo iuſſu imperatoris per apparitores ab eo miſſos, quem ad ſe fugientem diligentia, quanta poterat, occultabat, reſpondit quærentibus, nec mentiri ſe poſſe, nec hominem prodere, paſſusque multa tormenta corporis (nondum enim erant imperatores chriſtiani) permanſit in ſententia. Deinde ad imperatorem ductus, vſque adeo mirabilis apparuit, vt ipſi homini, quem ſeruabat, indulgentiam ſine vlla difficultate impetraret.* Singulare hoc animi celſitatis ac magnitudinis exemplum erat, vitæ potius periculum ſubire, quam ad alium ab interitu ſeruandum mentiri. Sed diſciplina eccleſiaſtica non eo vſque progrediebatur, vt hominem ad hunc veracitatis gradum contendere ſub pœna excommunicationis compelleret. Satis erat, veritatem & ſinceritatem vbique vrgere, & punire falſitatem ac perfidiam in omnibus manifeſtæ malitiæ exemplis. Aliis autem in caſibus non erat opprobrio diſciplinæ eccleſiaſticæ, ſi quod dignius venia mendacium ſine grauiſſima animaduerſione toleraret, quoad illud non foueret ac approbaret, ſed vt minorem aliquam transgreſſionem vniverſaliter improbaret. Quam in ſententiam AVGVSTINVS alio loco [*b*] ita ediſſerit: *Duo ſunt omnino genera mendaciorum, in quibus non eſt magna culpa: ſed tamen non ſunt ſine culpa, quum aut iocamur, aut, vt proximis proſimus, mentimur.* In hoc poſteriore caſu, verum exiſtimat occultari poſſe ſilentio, neque tamen oportere dici falſum aut mendacium: hoc enim cum perfecti-

(*a*) Aug. de mendacio ad Conſentium c. XIII. Firmus nomine, firmior voluntate &c.

(*b*) Auguſt. in pſalm. V. p. II. (p. 27. edit. Baſil. MDLXIX.)

one hominis christiani non posse consistere. *Aliud est*, inquit [*c*], *mentiri, aliud est verum occultare. Si quidem aliud est falsum dicere, aliud verum tacere: vt si quis forte vel ad istam visibilem mortem non vult hominem prodere, paratus esse debet verum occultare, non falsum dicere: vt neque prodat, neque mentiatur, neque occidat animam suam pro corpore alterius.* Vt hæc perfectionem ostendunt christianæ morum doctrinæ, ita non minus mitigationem acrimoniæ ostendunt in disciplina ecclesiastica, respectu istiusmodi mendaciorum officiosorum, quæ ab hominibus in extraordinario quodam caritatis casu extorquebantur; quæ res licet peccatum non penitus excusaret, in tantum tamen illud faciebat tolerabile, vt non incurreret publicæ disciplinæ seueritatem, sed in peccatorum leuiorum censu haberetur, quæ via ordinaria maiores ecclesiæ censuras non incurrebant.

In reliquis casibus omnibus, vti mendacium malos & perniciosos habebat effectus, pro peccatorum, quæ illud comitabantur, puniebatur proportione. Quemadmodum iam vidimus in consideratione falsi testimonii, famosorum libellorum, calumniæ & maledicentiæ. Et si quam fraudem vel ambiguitatem in rebus religionis inuolueret, puniebatur vt apostasia vel periurium, vti supra vidimus, quando de libellaticis [*] sumus loquuti, qui religionem suam vel scripto abnegabant, vel libellum securitatis a magistratibus redimebant, vt a sacrificandi necessitate immunes essent, & qui amentes se simulabant, vt persecutionem euaderent. Quod vtrumque genus ecclesia damnabat vt idololatras, & reos proditæ per dissimulationem & timiditatem religionis. *Priscillianistæ* itidem male audiebant hoc nomine & ob detestandum vocum ambiguarum vsum. Discipulos enim suos hanc abiectam dissimulandi malasque suas actiones mendacio & periurio occultandi artem docebant [*d*]; dantes eis hoc monitum, tamquam re-

(*c*) August. ibid. Vid. concil. Tolet. VIII. c. II. (tom. VI. concil. p. 403. d).

(*) Cap. IV. §. VII. & VIII.

(*d*) Aug. de hæres. c. LXX. Propter occultandas autem contaminationes & turpitudines suas habent in suis dogmatis & hæc verba: Iura, periura, secretum prodere noli.

gu-

gulam quamdam in caſibus periculoſis: *Iura, periura, ſecretum prodere noli.* Quanto maiore laude & commendatione digna eſt regula hac in re ab ipſo gentili ſatyrico [*e*] data, quæ aureis litteris ſcribi meretur:

- - - - *Ambiguæ ſi quando citabere teſtis*
Incertæque rei, Phalaris licet imperet, vt ſis
Falſus, & admoto dictet periuria tauro;
Summum crede nefas, animam præferre pudori,
Et propter vitam viuendi perdere cauſſas.

Per cauſſas viuendi intelligit probitatem, integritatem & bonam conſcientiam, quem in finem homines naſcuntur & in mundum per diuinam prouidentiam mittuntur. Hæc regula ſæpe inculcatur a gentilibus morum magiſtris MARCO ANTONINO, EPICTETO, SENECA & PLVTARCHO: Quæ res chriſtianis maiorem adferebat cauſſam ei inſiſtendi, & crimina periurii & falſitatis ſeueriſſimis eccleſiæ cenſuris multandi, ſi quem eorum reum eſſe clare demonſtrare poſſent. Si non poſſent, diuina plerumque ſe ſe interponebat prouidentia, & eiuſmodi periurum detegebat in eumque memorabili quadam vindicta animaduertebat. Qua de re, præter exemplum *Ananiæ* & *Sapphiræ* in ſcripturis, aliud notatu dignum exemplum in EVSEBIO [*f*] occurrit, de malis tribus hominibus, qui in falſam accuſationem *Narciſſi* epiſcopi *Hieroſolymitani* conſpirarant, diris ſe ſe ipſi deuouendo, quibus eos diuina prouidentia vltus eſt; de quo quum ſupra [*] plenius ediſſeruimus, hoc loco nihil amplius dicimus.

(*e*) Iuuenal. ſatyr. VIII. v. 80. ſeq.
(*f*) Euſeb. lib. VI. c. IX. vid. cap. VII. §. VIII. ſub litt. (x).
(*) Pag. 369.

LIBRI DECIMI SEXTI

CAPVT DECIMVM QVARTVM

DE GRANDIBVS PECCATIS CONTRA PRAECEPTVM DECIMVM, INVIDIA, AVARITIA, CETERIS.

§. I.

Num inuidia siue liuor hominem disciplinæ ecclesiasticæ subiecerit.

NON nisi pauca in antiqua disciplina ecclesiæ occurrunt, de peccatis contra hoc præceptum obseruanda: quia, licet eorum quædam grandia essent crimina, tamen istiusmodi erant, vt potissimum in interna animi corruptione consisterent: nec ecclesia de eis iudicare poterat ante, quam in externis quibusdam actionibus ipsa se se proderent. Inuidia huiusmodi crimen erat. Semper pro diabolico & primæ magnitudinis peccato habebatur. Enim vero ante, quam hominem publicæ pœnitentiæ subiicere posset, interna mentis amaritudo externa quadam & in oculos incurrente actione se se prodere debebat. Hoc sensu CHRYSOSTOMVS [a] intelligendus est, quando inuidum non minus quam fornicatorem a cœtu fidelium exterminandum esse dicit, ne contagione & veneno exempli sui alios inficiat. Hoc est, si inuidia in vllis malis effectibus, qui naturaliter ex ea proficiscuntur, sese prodat & in detrimentum hominum vel religionis aperte tendat. Nam, obseruante CYPRIANO [b], „Late patet zeli (siue liuoris) multiplex & fœcunda pernicies. Radix est malorum omnium, fons cladium, seminarium delictorum, materia culparum. Inde odium surgit, animositas inde procedit. Auaritiam zelus inflammat; dum quis suo non potest esse con-

(a) Chrysost. homil. XLI. in Matth. p. 393. (p. 456. edit. Francof.) ὥσπερ τῷ πεπορνευκότι οὐ θέμις εἰσελθεῖν εἰς τὴν ἐκκλησίαν, οὕτως οὐδὲ τῷ βασκαίνοντι, καὶ πολλῷ μᾶλλον τούτῳ ἢ ἐκείνῳ. *Quemadmodum fornicatori nefas est, ecclesiam ingredi, sic inuido quoque, immo vero multo magis inuidus quam fornicator a cœtu fidelium exterminandus est.*

(b) Cyprian. de zelo & liuore p. 223. (p. 154. edit. Amstelod. MDCCV.)

ten-

„tentus, videns alterum ditiorem. Ambitionem zelus exci-„tat; dum cernit quis alium in honoribus auctiorem: zelo ex-„cæcante sensus nostros, atque in ditionem suam mentis arca-„na redigente, Dei timor spernitur, magisterium Christi negli-„gitur, iudicii dies non prouidetur. Inflat superbia, exacer-„bat sæuitia, perfidia præuaricatur, impatientia concutit, fu-„rit discordia, ira feruescit; nec se iam potest cohibere, vel „regere, qui factus est potestatis alienæ. Hinc dominicæ pa-„cis vinculum rumpitur, hinc caritas fraterna violatur, hinc „adulteratur veritas, vnitas scinditur, ad hæreses atque ad „schismata prosilitur; dum obtrectatur sacerdotibus, dum epi-„scopis inuidetur, quum quis aut queritur non se potius ordi-„natum, aut dedignatur alterum ferre præpositum„. Quando inuidia vllos huiusmodi effectus producebat, tum sub publicæ disciplinæ cognitionem reuocabatur; non quatenus erat interna mentis corruptela, sed quatenus externa quadam & vitiosa sese prodebat actione, aperta videlicet dissensione, vel hæresi, vel schismate, vel vnitatis ac pacis ecclesiasticæ vel ciuilis violatione. Quæ crimina quum censuræ ecclesiasticæ subiacerent, quatenus inuidia eorum vlli admixta erat, eatenus publica ecclesiæ disciplina punienda dici poterat, non alia ratione, eo quod idonea caussa deesset ac fundamentum, ad quæstionem in illam ex more iuridico exercendam. Verumtamen hæc amara radix nihilo minus crebras ecclesiæ occasiones dabat in aliis speciebus ipsam puniendi; quum esset eiusmodi peccatum, quod sese continere aut diu occultare non poterat, vtpote numeroso aliorum vitiorum comitatu stipatum, secundum obseruationem a CYPRIANO„ & longe ante a *S. Iacobo* apostolo factam; *Vbi enim inuidia est & rixa, ibi inquieta vita & omne opus prauum.*

§. II.

De superbia, ambitione & arrogantia.

IDEM de superbia, ambitione & arrogantia obseruandum est. Sunt hæc grandia peccata in natura sua; Quum autem interna sint & spiritualia peccata in suo genere, disciplina ecclesiastica obseruare ea non poterat, nisi in externis quibus-

busdam enormibus & vitiosis actionibus se se proderent. Vt quum superbia homines ageret ad maledicendum Deo aut opprimendum alios; quum ambitio & arrogantia homines redderet factiosos & turbulentos in ecclesia, eosque in apertam hæresin vel schisma incitaret: tum quidem opportunum erat ecclesiæ tempus, spiritualem stringendi gladium suisque censuris in eorum emendationem vtendi. Ita superbiam vidimus *Andronici* correctam a *Synesio* episcopo *Ptolemaidis* [*c*], quum in apertam contumeliam in *CHRISTVM* erupisset. Atque ita hæretici & schismatici meritam & debitam pœnam sibi constitutam semper inueniebant, quando eorum ambitio & turbulentum ingenium eo vsque procederet, vt fidem & vnitatem ecclesiæ aperte dissoluerent. Tum vero superbia potius puniebatur in aliis speciebus peccati; tamquam blasphemiæ, hæresis vel schismatis crimen, quorum censuram si cognoscere lector voluerit, ad priores huius libri partes respiciat, oportet.

§. III.
De auaritia.

EADEM obseruatio de auaritia quoque facienda est, quæ alia species trium cupiditatum est, quæ in mundo dominantur, & sunt cupiditas carnis, libido oculorum & superbia vitæ. Auaritia, quæ oculorum libido est, grande semper peccatum coram Deo est; quum sit, vti apostolo vocatur, idololatria & malorum omnium radix; etiam quum mente solum concipitur, hominem creatori suo faciens odiosum. Quum vero Deus non spectet, quod spectare solet homo, Deus enim spectat, quod est in animo: itaque antequam auaritia hominem disciplinæ ecclesiasticæ subiicere posset, manifesto quodam iniustitiæ actu, furto, oppressione vel fraude ipsa se prodere debebat, sub qua specie, nec vlla ratione alia, iudicio & censuræ ecclesiæ obnoxia erat. Et hoc est, quod obseruat GREGORIVS NYSSENVS [*d*], quod ex omnibus auaritiæ ad-

(*c*) Synes. epist. LVIII. Vid. cap. II. §. VI. litt. (o) p. 80. & §. VIII. litt. (y) pag. 84.

(*d*) Nyssen. epist. ad Letoium. *μόνην τὴν κλοπὴν, τὴν τυμβωρυχίαν, καὶ τὴν ἱε-*

fecti-

fectionibus nulla expietur publica pœnitentia, nisi furtum & sepulcrorum effossio, hoc est, talia auaritiæ exempla, quæ ipsa se se manifestent externis quibusdam & in oculos incurrentibus malis actionibus.

§. IV.

De carnalibus voluptatibus.


IDEM statuendum est de voluptatibus carnalibus, & peccatis impudicitiæ. Quamtumuis malæ cogitationes & consilia animi vitiosa sint coram Deo in genere: *Iniquitatem enim si spectassem in corde meo: non audiret dominus.* (Ps. LXVI, 18.) Et licet in specie, *Quicumque adspicit mulierem, vt eam concupiscat, iam adulterauerit eam in corde suo* (Matth. VI, 28.); id tamen non cadebat sub disciplinæ ecclesiasticæ animaduersionem: quia ecclesia non iudicat de secretis cogitationibus, sed tantum de externis & visibilibus actionibus, quæ scandalum non minus dant, quam in se habent vitium. Vnde antea [*] ex concilio *Neocæsareensi* [e] obseruauimus, quod nemo fuerit excommunicandus propter peccata solum meditata & cogitata. *Si quis*, inquit canon, *proposuerit concupiscere mulierem ad dormiendum cum ipsa, eius autem desiderium ad opus non venerit, videtur esse a gratia liberatus.* Adeoque licet coram Deo culpa teneretur, ecclesia tamen excommunicationis censuram ei non infligebat, quia disciplina eius non ad priuatas hominum cogitationes, sed tantum ad externas eorum actiones spectabat. Atque ita res se habebat cum omnibus peccatis, contra hoc duntaxat præceptum admissis. Puniri poterant sub aliis peccati speciebus, non autem quatenus peccata erant in animo solum admissa, quia de talibus in foro humano iudicari non poterat.

ροσυλίαν, πάθος νομίζομεν, διὰ τὸ ὅτως ἐκ τῆς τῶν πατέρων ἀκολεθίας τὴν παράδοσιν ἡμῖν περὶ τέτων γενέσθαι. *Solum furtum & sepulcrorum effossionem & sacrilegium, vitia censemus: quod ex patrum successione hæc nobis traditio de iis relicta est.*

(*) Cap. III. §. XVII. pag.

(e) Conc. Neocæsar. c. IV. Ἐὰν πρόθηταί τις ἐπιθυμῆσαι γυναικὸς, συγκαθευδῆσαι μετ' αὐτῆς, μὴ ἔλθῃ δὲ εἰς ἔργον αὐτῆ ἡ ἐνθύμησις, φαίνεται ὅτι ὑπὸ τῆς χάριτος ἐῤῥύσθη.

DIVERSAS iam officiorum ac transgressionum species spectauimus in illisque vidimus, quam late disciplina ecclesiæ patuerit. Ex quibus apparet, non solum tria illa grandia peccata, idololatriam, adulterium & homicidium disciplinæ ecclesiasticæ subiacuisse, sed reliqua etiam crimina, quæ publicam offensionem haberent & nomine venirent magnarum transgressionum. Atque eatenus disciplina ecclesiæ ad omnes omnino personas spectauit. Fuerunt autem quædam pœnæ clericis delinquentibus propriæ ac peculiares, quæ quum materia sint peculiaris disquisitionis, faciemus eas sequentis libri argumentum.



IOSEPHI BINGHAMI,

RECTORIS ECCLESIAE HAVANTINAE
IN AGRO HANTONIENSI ANGLIAE,

ORIGINES
SIVE
ANTIQVITATES
ECCLESIASTICAE.

EX LINGVA ANGLICANA IN LATINAM
VERTIT

IO. HENRICVS GRISCHOVIVS,
HALBERSTADIENSIS.

VOLVMEN OCTAVVM.



HALAE,
SVMTIBVS ORPHANOTROPHEI.
M DCC XXIX.

ΣΥ'ΝΟΨΙΣ.

LIBER DECIMVS SEPTIMVS

De diſciplinæ exercitio inter veteris eccleſiæ clericos.

CAPVT PRIMVM

De differentia inter pœnas eccleſiaſticas, clericis & laicis inflictas.

CAPVT SECVNDVM

De reductione clericorum ad ſtatum & communionem laicorum, tamquam pœna, ob grauiora crimina eis infligi ſolita.

CAPVT TERTIVM
De reductione clericorum ad communionem peregrinam.

CAPVT QVARTVM
De aliis quibusdam specialibus & peculiaribus modis infligendi pœnam clericis.

§. I.

CAPVT QVINTVM
De criminibus, propter quæ clericis hæc illa e memoratis pœnis infligi debuerit.

LIBER DECIMVS OCTAVVS

De diuerſis pœnitentium ordinibus, & de ratione agendi publicam pœnitentiam in eccleſia.

CAPVT PRIMVM

De diuerſis pœnitentium ordinibus in eccleſia.

CAPVT SECVNDVM

De cærimoniis, in admiſſione pœnitentium ad agendam publicam pœnitentiam obſeruatis, & de ratione agendi eam in eccleſia.

§. X.

CAPVT TERTIVM

De exomologesi siue confessione in veteris ecclesiæ disciplina vsitata; quæ res ab arcana siue auriculari confessione, ab ecclesia Romanensi inuenta, diuersa esse ostenditur.

CAPVT QVARTVM

De magno rigore & seueritate disciplinæ & pœnitentiæ in ecclesia antiqua.

LIBER

LIBER DECIMVS NONVS

De abſolutione, ſiue ratione reſtituendi pœnitentes in eccleſiæ communionem.

CAPVT PRIMVM

De natura abſolutionis & diuerſis eius generibus, maxime de eis, quæ ad pœnitentialem eccleſiæ diſciplinam reſpiciunt.

CAPVT SECVNDVM

De conſuetudinibus, ritibus & cærimoniis, in publica peccatorum abſolutione olim obſeruatis.

§. *VII.*

CAPVT TERTIVM

De ministro disciplinæ ecclesiasticæ, & speciatim de ministro absolutionis.

APPENDIX

Continens duos sermones, & epistolas duas ad summe reuerendum episcopum *Vintoniensem*, de natura & necessitate absolutionis; ostendens, quovsque illa necessitas extendatur & vbi cesset.

I.N.I.



I. N. I.

ORIGINVM ECCLESIASTICARVM

LIBER DECIMVS SEPTIMVS

DE DISCIPLINAE EXERCITIO INTER VETERIS ECCLESIAE CLERICOS.

CAPVT PRIMVM

DE DIFFERENTIA INTER POENAS ECCLESIASTICAS, CLERICIS ET LAICIS INFLICTAS.

§. I.

Peculiaris notio communionis ecclesiasticæ & excommunicationis ecclesiasticæ, vt clericis applicatæ.



ISCIPLINAM ecclesiæ hactenus spectauimus generatim, prout omnia communitatis membra adfecit, quæ in diuersa crimina, excommunicationem commerentia, delaberentur. Vt autem disciplinæ ecclesiasticæ plenam habeamus notionem perfectamque intelligentiam, considerandum nobis est, fuisse quasdam poenas clericis peculiares, & quasdam censuras eorum officio & functioni ita proprias, vt illis solis infligi pote-

tuerint, non autem laicis. Quo respectu communio clericalis & communio laica semper considerabantur vt res distinctæ; & poterat quis priore illa priuari, dum ipsi huius posterioris beneficio ac priuilegio frui permitteretur; & illud ipsum, quod sæpenumero magna pœna erat in clerico, siue persona ecclesiastica, nulla prorsus pœna erat in laico, siue persona sæculari. Nulla enim erat sacri muneris administrandi vel beneficii ecclesiastici percipiendi temporaria vel perpetua interdictio, nulla ad communionem laicam reductio, quæ laicos adficere poterat tamquam pœna: sed hæ magnæ pœnæ erant, quatenus clericis infligebantur, quia ipsos præcipuis honoribus et vtilibus priuilegiis priuabant, functioni eorum peculiaribus & propriis. Quarum rerum respectu nonnumquam vocabula illa *communio ecclesiastica* & *excommunicatio ecclesiastica* peculiari & restricto sensu accipi obseruantur, non pro communione et excommunicatione in genere, sed pro admissione ad honores & vtilitates, quæ personis ecclesiasticis siue clericis peculiares erant & propriæ, vel expulsione ab eisdem honoribus & vtilitatibus. Quare licet quidam canones [a] priuationem communionis ecclesiasticæ accipiant pro segregatione laici a communione sacræ cœnæ vel precum ecclesiæ; alii tamen canones, loquentes de clericis eorumque pœnis, communionem ecclesiasticam sensu strictiore accipiunt pro communicatione in officiis functionis clericalis. Adeoque clericus dicebatur excommunicatus; si potestate exercendi functionis suæ officia esset exutus; nec talis excommunicatio semper arguebat, quod omni prorsus communione ecclesiæ esset exturbatus, sed tantum communione, quæ cum hac limitatione & restrictione designatur. Hæc distinctio a BALSAMONE [b], ZO-

(a) Concil. Agath. c. XXXVII. Itaque censuimus, homicidas & falsos testes a *communione ecclesiastica* submouendos, nisi pœnitentiæ satisfactione crimina admissa diluerint.

Conc. Aurelian. IV. c. XIX. Quicumque pro deuotione sua oblationis studio aliquid in campellis vel in vineolis, etiam absque scriptura, probatur ecclesiæ contulisse; si postmodum vel ipse, vel heredes eius, quacumque occasione auferre a iure hoc ecclesiæ vel alienare voluerint, quoad vsque a tali intentione discedant, aut peruersi restituant, a *communione ecclesiastica* suspendantur. Vide sis etiam conc. V. c. XVII.

(b) Balsam. in can. XVI. concil. Nicæn. *δέδοκται -- τοὺς μετακαλουμένους κληρικοὺς παρὰ τῶν χειροτονησάντων αὐτοὺς, καὶ μὴ πειθομένους ἀναστρέφειν, ἀκοινωνήτους*

NARA

NARA [*c*] multiſque viris doctis aliis [*d*] poſt illos notatur: Et

αὐτοῖς εἶναι, ἤγουν μὴ παραχωρεῖσθαι συνιερουργεῖν τούτοις, εἰς τοῦτο γὰρ τὸ μὴ κοινωνεῖν ἐκλαμβάνεται, οὐ μὴν εἰς τὸ μὴ ἐκκλησιάζειν, ἢ εἰς τὸ μὴ μεταλαμβάνειν τῶν ἁγιασμάτων. κ.τ.λ. Placuit -- clericos, qui ab eis, qui ordinarunt ipſos, euocantur, & redire non perſuadentur, eſſe a communione ſeparatos, id eſt, non permitti eis, vt ſimul ſacrificent. In ea enim ſignificatione non communicare accipitur: non autem in ea, quæ eſt, in eccleſiam non accedere, vel ſacramenta non participare, cetera.

(*c*) Zonar. in eumdem. *οἶμαι τοίνυν ἐπὶ τοῦ παρόντος κανόνος τὸ ἀκοινωνήτους εἶναι, οὕτως νοεῖσθαι, ἤγουν μὴ συγκοινωνεῖν αὐτοῖς τοὺς ἱερατικοὺς δηλαδή· ἀλλὰ ἀποτρέπεσθαι τὸ συνιερουργεῖν αὐτοῖς τὰς τοιαύτας κοινωνίαν, ἐνταῦθα τῶν ἁγίων πατέρων, οὐχὶ τὴν μετάληψιν τῶν ἁγιασμάτων ὀνομασάντων, ἀλλὰ τὴν τῶν ἱερῶν συμμεταχείρησιν καὶ κοινοπραξίαν, καὶ τὸ συλλειτουργεῖν τοῖς, οἷσπερ προσῆλθον. Communionis priuationem hoc loco eam intelligendam eſſe arbitror, qua initiati videlicet iis ſacra facientibus nullo modo communicare, ſed eos in ſacro miniſterio penitus auerſari iubentur. Communioniſque nomine, non ſacrorum myſteriorum perceptionem, ſed in ſacris muneribus, ac miniſteriis vna cum iis, ad quos accedunt, obeundis ſocietatem heic a patribus reor eſſe ſignificatam.*

(*d*) Albaſpin. obſeruat. lib. I. c. II. De eccleſiaſtica communione hoc nunc habeo, quod tot genera & ſpecies huiuſce communionis cenſerentur, quot ſunt ordinum gradus, & quot modis ab his gradibus excidere poterant clerici: qui enim in epiſcopum adlectus eſſet, longe alia ratione huiuſce communitatis erat particeps, quam qui ſola diaconatus aut presbyteriatus dignitate pollebat. Rurſus quum non numquam euenire poſſet, vt gradus ſui honore is non priuaretur, cui tamen ob aliquod crimen eiuſdem gradus munia obire non liceret, exempli cauſſa, ſedis & conſeſſus honor cuipiam epiſcopo relinqui poterat, cui verbi diuini adminiſtratio, pœnitentiæ conceſſio, & ceteræ eiuſmodi epiſcopatus partes interdictæ & prohibitæ eſſent; huic ergo, quamuis epiſcopo, non eadem erat pars, nec æqua omnino in eadem communione cum ceteris epiſcopis, quod videlicet de ea non nihil amiſiſſet, & ius illud imminutum eſſet. --- Præterea notandum eſt, quotieſcumque in canonibus a communione clerici ſecluduntur, quamuis nihil aliud adiectum ſit, quo genus communionis ſignificetur, id de eccleſiaſtica communione eſſe accipiendum: Quæ ab iiſdem eccleſiaſtica, non numquam etiam ſacerdotalis vocatur.

Habert. archierat. p. 745. 746. Non eſt contemnendum, quod monet aptiſſime Morinus, ſuſpenſionem ſignificari aliquando nomine *τοῦ ἀφορισμοῦ*, *ſeparationis*, quoties intentatur clericis ante depoſitionem, quaſi eis eucharistica quidem communio relinquatur, ſola vero eccleſiaſtica, quæ ad ordinis & miniſterii exſecutionem ſpectat, ad tempus interdicatur: vt apoſtol. can. XLV.

Suicer. theſaur. eccleſ. voce *ἀφορισμός*. tom. I. p. 600. 601. Eſt lenior excommunicatio clericorum, quæ eſt priuatio communionis eccleſiaſticæ, ſeu ſegregatio & ſuſpenſio eorum ab officio. Atque de hac ſegregatione intelli-

obſeruanda omnino eſt ad recte intelligendum multos antiquos canones [e], in quibus vocabula *ἀκοινώνητος*, *ἀφορισμὸς*, *ἐκκηρύττεσθαι*, quæ excommunicationem denotant, alium ſenſum habere nequeunt, clericis quidem applicata, niſi vt vel plenam eorum deiectionem de gradu dignitatis, vel temporariam adminiſtrandi muneris interdictionem ſignificent.

§. II.

Clerici abdicatione muneris plerumque puniti, non ſemper publicæ ſubiecti pœnitentiæ, velut homines, eccleſiæ communione omnino exturbati.

Hoc ipſum alia obſeruatione, libro quodam ſuperiore [*] facta, confirmari poteſt: Quod vetuſti quidam canones clericos ordinaria excommunicationis pœna, quæ perfectam ſegregationem ab eccleſiæ communione inuoluit, adfici expreſſis verbis prohibeant; ſatis eſſe exiſtimantes, ſi ab officio ſuo amoueantur; & id quidem ideo, quia non deceat nec expediat ob idem peccatum duplice pœna aliquem multare. *Epiſcopus vel presbyter vel diaconus,* inquit canon quidam apoſtolicus [f], *fornicationis, vel periurii, vel furti conuictus, deponatur & non ſegregetur. Dicit enim ſcriptura: Non vindicabis bis in id ipſum.* Simi-

gendus eſt canon XLIII. apoſtol. *Ὑποδιάκονος, ἢ ἀναγνώστης, ἢ ψάλτης τὰ ὅμοια ποιῶν, ἢ παυσάσθω, ἢ ἀφοριζέσθω· ὡσαύτως καὶ λαϊκοί, Hypodiaconus, aut lector, aut cantor ſimilia faciens:* nempe iis, quæ can. proxime præcedente epiſcopi, presbyteri & diaconi facere vetantur, *κύβοις σχολάζειν καὶ μέθαις, aleæ vacare aut ebrietati; vel deſinat, vel ſegregetur.* Can. LVI. *Εἴ τις κληρικὸς ὑβρίσει πρεσβύτερον ἢ διάκονον, ἀφοριζέσθω. Si quis clericus iniuriam intulerit presbytero, vel diacono, ſegregetur.* Can. LVII. *Εἴ τις κληρικὸς χωλὸν, ἢ κωφὸν, ἢ τυφλὸν, ἢ τὰς βάσεις πεπληγμένον χλευάσει, ἀφοριζέσθω· ὡσαύτως καὶ λαϊκός. Si quis clericus mancum, vel ſurdum, vel cæcum, vel loripedem riſerit, ſegregetur. Similiter etiam laicus.* Vide etiam can. VI. XLV. LVIII. LIX. LXXII. In his canonibus *τὸ τοῦ ἀφορισμοῦ ἐπιτίμιον*, vt loquitur Theophylactus in 1 ad Timoth. I. ad v. 20. p. 713. notat priuationem communionis eccleſiaſticæ, ſeu ſegregationem clericorum & ſuſpenſionem ab officio: ita enim *ἀφορισθέντες* non poſſunt *μηδὲ ὅλως ἱερατικόν τι ἐνεργεῖν, vllum* officium ſacerdotale obire, vt de hac *ἀφορισμοῦ* ſpecie ſcribit Balſamon ad can. LXXIX. concilii Carthaginenſis p. 704.

(e) Vid. can. apoſtolicos, ſub litt. antecedente (d) adlegatos.

(*) Lib. VI. cap. II. §. II. vol. II. p. 311. ſeq.

(f) Can. apoſt. c XXV. *Ἐπίσκοπος, ἢ πρεσβύτερος, ἢ διάκονος, ἐπὶ πορνείᾳ, ἢ ἐπιορκίᾳ, ἢ κλοπῇ ἁλοὺς, καθαιρείσθω, καὶ μὴ ἀφοριζέσθω· λέγει γὰρ ἡ γραφὴ, οὐκ ἐκδικήσεις δὶς ἐπὶ τὸ αὐτό.*

lis

lis regula in canonibus PETRI [g] epiſcopi *Alexandrini*, & BASILII [h] præſcribitur.

§. III.

In quibuſdam tamen caſibus ſpecialioribus vtraque pœna inflicta.

VERVMTAMEN propter atrociora crimina vtraque pœna inflicta, quemadmodum ex iiſdem apoſtolicis canonibus [i] videre eſt, qui clericum *Simoniæ* reum non tantum officio exui, ſed & a communione eccleſiæ omnino exſcindi iubent. Et multi viri docti [k] exiſtimant, fuiſſe id conſtantem eccleſiæ conſuetudinem in ipſis prioribus tribus ſæculis, vbi canones apoſtolici maxime viguerunt. Id ſane certum eſt, tempore CYPRIANI ita fuiſſe. Hic enim loquens de *Nouato*, qui homicidii reus erat, eo quod vxori ſuæ, vtero eius calce percuſſo, abortionem importaſſet, dicit, ipſum ob hoc crimen non de presbyterio tantum, ſed & communione eccleſiæ prohiberi [l]

(g) Petr. Alex. c. X. (ap. Beuereg. pand. tom. II. p. 15.) Οὐκ ἔστιν εὔλογον, cet. vid. Lib. VI. c. II. §. II. vol. II. p. 312. ſub litt. (l).

(h) Baſil. can. III. XXXII. LI. vid. ibid. p. 311. ſub litt. (k).

(i) Can. apoſt. XXIX. XXX. LI. cit. ibid. p. 312. ſub litt. (m) & (n).

(k) Pagi critic. in Baron. an. LXVII. n. XV. (XIX. edit. Antuerp. MDCCV.) Sic intelligendus etiam Leo in epiſt. II. ad Ruſtic. Narbonenſium epiſcopum in inquiſitione ſecunda, vbi ait: Alienum eſt a conſuetudine eccleſiaſtica, vt qui presbyterali honore aut in diaconi gradu fuerint conſecrati, ii pro crimine aliquo ſuo per manus impoſitionem remedium accipiant pœnitendi; quod ſine dubio ex apoſtolica traditione deſcendit. Quibus ex verbis eruitur, inquit Queſnellus, minoris ordinis clericos, inter quos ſubdiaconi numerabantur, non ſemper agendæ pœnitentiæ lege exemtos fuiſſe. Sed quod hanc diſciplinam a conſuetudine eccleſiaſtica, immo ex apoſtolica traditione arceſſit Leo, illud benigne intelligendum: nec enim de hac traditione vſpiam apparet, quum potius tribus fere primis ſæculis clericos etiam maiores pœnitentiæ publicæ ſuiſſe ſubiectos multis probet Morinus in commentario de pœnitentia.

Queſnell. not. in Leon epiſt. ad Ruſtic. Narbon. modo cit. a Pagio.

Morin. de pœnit. lib. IV. c. XII. tot.

Fell. not. in Cyprian. epiſt. IV. ad Pompon. p. 4. (p. 174. edit. Amſtelodam. MDCC.) *Abſtinendo diacono*]. Pro recepto diu in eccleſia more; in laicorum crimina, excommunicatione reliquiſque eccleſiæ cenſuris; & clericorum, depoſitione animaduerti ſolitum. Sed primis tribus ſæculis epiſcopos, presbyteros & diaconos pœnitentiæ publicæ & manuum impoſitioni ſicut laicos obnoxios fuiſſe, res eſt manifeſta.

(l) Cyprian. epiſt. XLIX. al. LII. ad Cornel. p. 97. (p. 238. edit. Amſtelod. MDCC.)

debuiſſe, niſi diem cognitionis perſecutio anteueniſſet. Et in ſequentibus ſæculis innumera huius praxis exempla obuia ſunt; quemadmodum lector eruditus videre poterit, ſi loca infra ad marginem notata [m] volet conſulere.

§. IV.

De ſuſpenſione a reditibus ſuis.

QVOD igitur in præſenti ſub diſquiſitionem vocandum nobis eſt, pœnæ ſunt, quæ ſpeciatim clericos adfecerunt. Et hæ triplicis erant generis; tales videlicet, quæ ad eorum ſuſtentationem, quæ ad eorum officia & quæ ad eorum perſonas in corporali caſtigatione & correctione ſpectabant. Interdum puniebantur ratione alimentorum corporis, dum iſta redituum eccleſiaſticorum portione, quæ ad ſuſtentationem vi-

Propter hoc ſe de presbyterio excitari non tantum, ſed & communicatione prohiberi pro certo tenebat; &c.

(m) Conc. Neocæſar. can. I. *πρεσβύτερος ἐὰν γήμῃ, τῆς τάξεως αὐτὸν μετατίθεσθαι· ἐὰν δὲ πορνεύσῃ ἢ μοιχεύσῃ, ἐξωθεῖσθαι αὐτὸν τέλεον, καὶ ἄγεσθαι αὐτὸν εἰς μετάνοιαν. Presbyter ſi vxorem duxerit, ordine ſuo moueatur. Si autem fornicatus fuerit, vel adulterium commiſerit*, penitus extrudatur & ad pœnitentiam deducatur.

Conc. Agath. c. VIII. Id etiam placuit, vt clericus, ſi relicto officio ſuo propter diſtrictionem, ad ſæcularem iudicem fortaſſe confugerit, & is, ad quem recurrit, ſolatium ei defenſionis impenderit, cum eodem *de eccleſiæ communione pellatur*. Can. XLII. --- Hoc quicumque *clericus* vel laicus detectus fuerit vel conſulere vel docere, *ab eccleſia habeatur extraneus*.

Concil. Ilerdenſ. c. I. De his clericis, qui in obſeſſionis neceſſitate poſiti fuerint, id ſtatutum eſt, vt, qui altario adminiſtrant & Chriſti corpus & ſanguinem tradunt, vel vaſa ſacro officio deputata contrectant, ab omni humano ſanguine abſtineant. Quod ſi in hoc inciderint, duobus annis tam officio quam *communione priuentur*, cetera. Can. V. -- Si iterato velut canes ad vomitum reuerſi fuerint, non ſolum dignitate officii careant, ſed etiam *ſanctam communionem*, niſi in exitu, non percipiant. Vide ſis etiam conc. Valent. Hiſpan. c. III. Concil. Venetic. c. XVI. Concil. Aurelian. I. c. XI. Aurelian. III. c. IV. VII. & VIII. Conc. Turon. I. c. III. V. Concil. Tolet. II. c. III. Concil. Tolet. XI. c. V. VI. Vigilii decret. c. VI. Felix III. epiſt. ad Acacium ita ſcribit: Sacerdotali honore & communione catholica, nec non etiam a fidelium numero ſegregatus, ſublatum tibi nomen & munus miniſterii ſacerdotalis agnoſce. Vid. & concil. Aſiatic. epiſt. ad Ioan. Conſtantinop. in ſynodo ſub Menna, act. I. ap. Crab. tom. II. p. 36. & concil. Conſtantinop. ſub Flauiano in act. I. Concil. Chalced. ap. Crab. p. 780. vbi Eutyches punitur depoſitione & excommunicatione, quemadmodum omnes hæretici puniri ſoliti.

tæ

tæ e publico ærario dari eis solebat, priuabantur. Reditus ecclesiastici, vti libro quodam antecedente [*] obseruatum nobis est, singulis mensibus distribui solebant clericis, vnde res ista *diuisio mensurna* dicta: Et si qua esset clericum ob admissum aliquod leuius delictum puniendi occasio, fiebat hoc ipsum per visitatæ huius portionis de diuisione menstrua interdictionem. Sicut ex illo loco CYPRIANI apparet [n], vbi de nonnullis inferioris ordinis clericis, qui deliquissent, loquens, eos se a diuisione mensurna continere, non autem ministerio ecclesiastico priuari oportere dicit.

§. V.

De suspensione ab officio.

INTERDVM non solum reditibus, sed officio etiam & functione clericali ipsis interdicebatur. Et hæc interdictio vel temporaria erat & limitata, vel perpetua nulloque modo restricta. Temporaria interdictio in eo tantum consistebat, vt administratione officii sui ad certum tempus priuarentur; quo elapso libertatem habebant locum suum denuo occupandi, & ad explendas omnes functionis suæ partes & officia reuertendi. Perpetua autem interdictio perfecta erat eorum deiectio de omni potestate ac dignitate, ad officium clericale pertinente, & reductio ad statum & conditionem laicorum, sine vlla spe restitutionis in stationem pristinam. Harum priorem veteres communiter exprimunt per τὸ abstinere vel suspendere a communione, intelligentes tantum communionem clericalem; & posteriorem per τὸ degradare, deordinare, vel deponere ab officio & ordine functionis clericalis. Ita CYPRIANVS ad *Rogatianum* episcopum *Africanum* scribens de contumace quodam diacono, qui contumeliis ipsum suis exacerbauerat, deponi eum iubet aut certe [o] abstineri. Pœna suspensionis, siue temporariæ interdictionis officii, propter leuiora crimina infligebatur,

(*) Lib. V. c. IV. §. I. II. III. vol. II. p. 262. seqq.

(n) Cyprian. epist. XXVIII. al. XXXIV. ad cler. Interim se a diuisione mensurna tantum contineant, non quasi a ministerio ecclesiastico priuati esse videantur. Vid. conc. Carth. IV. c. XLIX. cit. infra sub litt. (r).

(o) Cyprian. epist. III. ad Rogat. p. 6. (p. 173. edit. Amstelod.) Quod si vltra te contumeliis suis exacerbauerit & prouocauerit, fungeris circa eum potestate honoris tui, vt eum vel *deponas* vel *abstineas*.

tur, vti ex concilio *Epaonenſi* [p] videre eſt, in quo canon legitur in hanc ſententiam: *Epiſcopis, presbyteris atque diaconibus canes ad venandum & accipitres ad aucupandum habere non liceat. Quod ſi quis talium perſonarum in hac fuerit voluntate detectus, ſi epiſcopus eſt, tribus menſibus ſe a communione ſuſpendat; duobus presbyter abſtineat; vno diaconus ab omni officio & communione ceſſabit.* Nec non ex concilio *Ilerdenſi* [q], *De his clericis*, inquiente, *qui in obſidionis neceſſitate poſiti fuerint, id ſtatutum eſt, vt ab omni humano ſanguine, etiam hoſtili, ſe abſtineant. Quod ſi in hoc inciderint, duobus annis tam officio quam communione corporis domini priuentur. Et ita demum officio vel communioni reddantur, ea tamen ratione, ne vlterius ad officia potiora proueharntur.*

§. VI.

De depoſitione ſiue deiectione de ordinis ſui gradu.

ALTERA ſuſpenſio, ſiue muneris adminiſtrandi interdictio, communiter vocitata καθαίρεσις, *depoſitio*, ſiue *deiectio* de gradu honoris, plena & perpetua erat ademtio poteſtatis & auctoritatis, clericis in ordinatione commiſſæ. Nam vt eccleſia poteſtatem habebat hanc auctoritatem miniſtris ſuis committendi, ita poteſtatem habebat propter malam muneris adminiſtrationem manifeſtamque offenſionem eam repetendi illiſque eripiendi. Atque tum clericus, in quocumque dignitatis gradu antea eſſet conſtitutus, & nomine & dignitate & poteſtate & auctoritate, ad priſtinum ipſius ordinem & functionem ſpectante, in totum priuabatur. Per quoſdam proinde canones [r] degradari, priuari & ab officio ſuo remoueri; per

(p) Concil. Epaonenſ. c. III.

(q) Conc. Ilerd. can. III.
Vid. alia exempla ſuſpenſionis in Baſil. can. LXIX. Ἀναγνώστης ἐὰν ἑαυτοῦ μνηστῇ πρὸ τοῦ γάμου συγκαταλέξηται, ἐνιαυτὸν ἀργήσας, εἰς τὸ ἀναγινώσκειν δεχθήσεται, μένων ἀπρόκοπος· κλεψιγαμήσας δὲ ἄνευ μνηστείας, παυθήσεται τῆς ὑπηρεσίας· τὸ αὐτὸ καὶ ὑπηρέτης. *Lector ſi cum ſua ſponſa ante matrimonium commercium habuerit: poſtquam anno ceſſauerit, ad legendum ſuſcipietur, permanebit tamen, nec promouebitur. Quod ſi abſque deſponſatione furtim coierit, ceſſabit a miniſterio. Eadem & hypodiaconi ratio eſto.* Item in concil. Bracar. III. c. I. V. Concil. Aurel. III. c. II. XVI. XXV. Conc. Aurel. c. V. XVIII.

(r) Concil. Carthag. IV. c. XLVIII. Clericus, qui non pro emendo aliquid in nundinis, vel in foro deambulat, ab officio ſuo *degradetur*. Can. XLIX.

alios

alios [*s*] *παντελῶς καθαιρεῖσθαι*, *omnino deponi*; *παντελῶς ἀποπίπτειν βαθμοῦ*, *omnino de proprio gradu* [*t*] *deiici*; deordinari [*u*]; ab ordine cleri [*x*] amoueri; a clero ceſſare [*y*]; & ad communionem laicam, hoc eſt, ad ſtatum & conditionem laicorum, reduci iubetur. Omnes iſtæ locutiones, ſi ab vltima diſceſſeris, communiter a recentioribus ſcriptoribus bene intelliguntur: Nonnulli autem ad tuendam peculiarem aliquam hypotheſin inſolitas & abſurdas eius notiones inuenerunt. Quocirca vt rem apertiſſime planiſſimeque explicemus, deque diſciplina eccleſiæ eo, quo par eſt, modo diſputemus, non inconſultum erit, hac de re paullo agere vberius diſtinctiuſque oſtendere, quid veteres per hanc diſciplinæ ſuæ partem intelligant, quam vocant reductionem clerici ad ſtatum & communionem laicorum; id quod ſequentis capitis nobis erit argumentum.

Clericus, qui abſque corpuſculi ſui inæqualitate vigiliis deeſt, ſtipendiis *priuetur*. Can. L. Clericum inter tentationes ab officio ſuo declinantem, vel negligentius agentem, *ab officio ſuo remouendum*.

Concil. Tarracon. c. X. Si qui iſta (munera) probantur accipere, veluti exactores fenoris, aut vſurarum poſſeſſores, ſecundum ſtatuta patrum ſe nouerint *degradandos*.

(*s*) Concil. Antioch. c. V. Εἴ τις πρεσβύτερος, ἢ διάκονος, καταφρονήσας τοῦ ἐπισκόπου τοῦ ἰδίου, ἀφώρισεν ἑαυτὸν τῆς ἐκκλησίας -- τοῦτον καθαιρεῖσθαι παντελῶς, καὶ μηκέτι θεραπείας τυγχάνειν, μηδὲ δύνασθαι λαμβάνειν τὴν ἑαυτοῦ τιμήν. *Si quis presbyter vel diaconus proprio contempto epiſcopo, ab eccleſia ſe ipſum ſegregauit -- is* omnino deponatur, *& non amplius curationem adſequi, nec ſuum poſſit honorem capere.*

(*t*) Conc. Epheſ. c. VI. Εἴ τινες βουληθεῖεν τὰ περὶ ἑκάστων πεπραγμένα ἐν τῇ ἁγίᾳ συνόδῳ τῇ ἐν Ἐφέσῳ οἱῳδήποτε τρόπῳ παρασαλεύειν, ἡ ἁγία σύνοδος ὥρισεν, εἰ μὲν ἐπίσκοποι εἶεν, ἢ κληρικοί, τοῦ οἰκείου παντελῶς ἀποπίπτειν βαθμοῦ· εἰ δὲ λαϊκοί, ἀκοινωνήτους ὑπάρχειν. *Si qui velint ea, quæ de ſingulis per ſanctam ſynodum Epheſinam geſta ſunt, quocumque modo mouere: ſancta ſynodus ipſa decreuit, ſi quidem epiſcopi aut clerici fuerint, eos* omnino a proprio cadere gradu: *ſi vero laici, excommunicatos eſſe.*

(*u*) Act. Seruatii Tungrenſis ap. Crab. conc. tom. I. p. 318. Nulla mora Euphratas *deordinetur.*

(*x*) Concil. Arelat. I. c. XIII. Ab ordine cleri amoueatur.

(*y*) Conc. Nicæn. c. II. πεπαύσθω τοῦ κλήρου.

LIBRI DECIMI SEPTIMI
CAPVT SECVNDVM
DE REDVCTIONE CLERICORVM AD STATVM ET COMMVNIONEM LAICORVM, TAMQVAM POENA, OB GRAVIORA CRIMINA EIS INFLIGI SOLITA.

§. I.

Communio laica non idem cum communione sub vna tantum specie.

COMMVNIO laica in laico non erat pœna, sed priuilegium, & quidem vnum de maximis priuilegiis, ad ipsum tamquam christianum pertinentibus. Hoc enim ipsi ad omnia christianæ communionis beneficia & emolumenta ius dabat. In clerico autem de grauissimis pœnis erat, reducens ipsum a summa dignitate & statione in ecclesia ad christiani cuiusvis vulgaris æquilibritatem. Iam vero quæstio est, in quo natura huius pœnæ constiterit. BELLARMINVS [a] & alii quidam ecclesiæ *Romanensis* scriptores, vocabulum nouo accipientes sensu, exponunt id de communione sub vna tantum specie, petuntque inde argumentum, quo probare satagunt, ecclesiam primitiuam populis vsum calicis negasse in cœna dominica, & in vna tantum specie eucharistiam eis administrasse, quia vocabulum *communio laica* in ecclesia *Romana*, quæ nunc est, hanc significationem habet. Verum hoc nihil aliud est, quam argumento vti precario & praxin supponere, cuius ne leuissimum quidem vestigium in ecclesia veteri conspicitur, quemadmodum in anteriore quodam libro [*] satis superque demonstrauimus. Et id quidem istiusmodi ignoratæ maleque repræsentatæ veteris disciplinæ indicium est, vt alios viros doctos in ecclesia *Romanensi* eius rei communiter pudeat. Notio isthæc prorsus reiicitur & confutatur a LINDANO [b], ALBA-

(a) Bellarmin. de euchar. lib. IV. c. XXIV. p. 678. (tom. III. opp. p. 203. g. h. edit. Colon. MDCXV.)

(*) Lib. XV. c. V. vol. VI. p. 431. seqq.

(b) Lindan. panopl. lib. IV. c. LVIII. Laicam communionem sunt qui existimant fuisse S. eucharistiæ sub vna panis specie communionem. Quod

SPI-

SPINAEO [c], PETRO DE MARCA [d], RIGALTIO [e], DVRANTO [f] & BONA cardinali [g], qui BELLARMINVM eiusquam ſit a veritate alienum, mecum agnoſcet ſpero, qui priſcæ conſuetudinis ſedulus inueſtigator conſiderarit, laicam communionem tunc vel in primis in vſu fuiſſe, quum paſſim priſco de more vtraque communionis ſpecies & panis et calicis toti exhibebatur eccleſiæ.

(c) Albaſpin. obſeruat. lib. I. c. IV. tot.

(d) Marca tract. in cap. Clericus, ad calcem Baluzii de emendat. Gratiani p. 585. (In opuſculis Petr. de Marca § XVI. p. 369. Par. MDCLXXXI.) Quæ laica communio ſignificat, clericum non ſolum e conſeſſu cleri extra cancellos depulſum & redactum in locum & ordinem laicorum ad communicandum ſynaxi, ſed deturbatum omnino a corpore cleri & ad laicam conditionem detruſum, ita vt ſepoſito priuilegio, quod antea illi competebat, nunc pertineat ad forum ſæculare in cauſſa ciuili & criminali: in quo diſtinguitur hæc communio laica a peregrina; quum iſta retineat clericum in ordine cleri (etſi gradu conſeſſus & ſportulis ordinariis multatum, præter alimenta) laica vero eum ab illo ordine depellat.

(e) Rigalt. in Cyprian. epiſt. LII. ad Anton. *Vt laicus communicet*]. Sæuiente aduerſus chriſtianos perſecutione, ſi quem forte in ordine conſtitutum eccleſiaſtico, puta epiſcopum, presbyterum, diaconum, exilii metus aut violentia tormentorum de fide Chriſto data deiecerat, is ad fidem reuerſus, poſtquam impetrata peractaque pœnitentia ſatis fecerat eccleſiæ, recipiebat quidem eccleſiaſticam communionem, hoc eſt ſocietatem & conuerſationem cum ceteris fidelibus, ita vt fieret particeps corporis Chriſti; ſed non recipiebat locum, quem in ordine prius tenuerat. Itaque de epiſcopo, de presbytero, de diacono fiebat id, quod erat, priusquam fuiſſet ordinatus. Reddebatur illi locus in eccleſia, non dignitas loci. Communicabat vt laicus ſiue plebeius, vtebatur iure ceterorum fidelium, qui nondum erant promoti ad quemquam ordinem eccleſiaſticum. Hæc erat tunc temporis communio laica, cuius adeo participes euchariſtica ſacramenta, ſpeciem inquam vtramque panis & vini, ſumebant Hodie communionem laicam diceremus, quæ ſub vna tantum ſpecie panis conceditur, etiam epiſcopis & ſacerdotibus extra ſacrificiorum officia communicantibus. Immo & communionis vocabulum vix audimus alio ſignificatu quam euchariſtiæ celebrandæ.

(f) Durant. de ritib. eccleſ. lib. II. c. IV. n. 6. Verius eſt, laicam communionem dictam, quæ extra ſacratiorem locum ſacrificii fit, vbi tum ſacerdos conficiens, tum miniſtri communicabant. Solis enim ſacratis licebat ad altare accedere & communicare. Synod. Laodic. c. XIX. καὶ μόνοις ἐξὸν εἶναι τοῖς ἱερατικοῖς εἰσιέναι εἰς τὸ θυσιαστήριον, καὶ κοινωνεῖν. Id. in ſynod. VI. in Trull. can. LXVIII. Ea vero loci, quoad communionem, diſtinctio adeo tum pertinebat ad ordinis eccleſiaſtici dignitatem & venerationem, vt grauioris ſupplicii loco ſacerdotes ceterique clerici extra ſacros cancellos cum laicis & veluti laici communicarent.

(g) Bon. de reb. liturgic. lib. II. c. XIX. §. III.

que sectatores tacite reprehendit ob ieiunam huius antiqui vocabuli explicationem, qua id recentiori praxi accommodare adlaborant. *Recentiores*, inquit ille, *qui audito nomine communione, eius veteri notione neglecta id solum concipiunt, quod hodie ea voce significatur, laicam communionem nihil aliud esse putant, quam perceptionem eucharistiæ sub vnica specie aut extra cancellos more laicorum; quod quam falsum sit, vel ex eo liquet, quod sæpe clericos ad laicam communionem detrusos legimus eo tempore, quo etiam laici sub vtraque specie communicabant.*

§. II.

Neque significat sacræ cœnæ perceptionem inter laicos extra cancellos sanctuarii.

EODEM argumento iam antea vsus erat LINDANVS, magisque probabilem dederat explicationem, quod per communionem laicam istiusmodi pœna possit intelligi, qua clericus inter laicos extra cancellos sanctuarii sacram eucharistiam percipere coactus sit. Quæ explicatio tam plausibilis est, vt viri eruditi FORBESIVS [h] & VOSSIVS [i] in eamdem eant sententiam. Enimuero licet aliquid veri in se habeat, non tamen sensum communionis laicæ penitus exprimit. Poterat enim quis ad communionem laicam admitti non tantum in ecclesia, sed in priuatis etiam ædibus, immo in lecto animam agens, vbi talis distinctio locum habere non poterat.

§. III.

Sed plenam & perfectam degradationem siue ordinum priuationem & reductionem ad statum & conditionem laicorum.

QVARE plenus sensus istius phraseos & adæquata notio reductionis ad communionem laicam eam rationem puniendi clericum infert, per quam ordinibus suis, hoc est, potestate & au-

(h) Forbes. irenic. lib. II. c. XI. p. 231. (part. I. opp. p. 437. §. 14. edit. Amstelod. MDCCIII.) Laica illa communio non fuit communio sub vna tantum specie, sicut pueriliter nugatur Bellarminus lib. IV. de euchariſt. c. XXIV. §. *Sed neque hæc.* Sed fuit sub vtraque specie communio extra cancellos sanctuarii, seu loci illius, qui erat episcopo & presbyteris & diaconis tributus. Eratque laicis, celebrationis tempore, inaccessus.

(i) Voss. thes. theol. dispat. XXIII. thes. V. pag. 514. (pag. 327. edit. Hag. comit. MDCLVIII.) Communio laica dicebatur, quando clerici ob delictum aliquod, non cum clero, sed inter laicos, extra cancellos communicabant.

Cto-

ctoritate officii & functionis suæ clericalis omnino priuatur, & ad statum, ordinem & simplicem conditionem laici reducitur. Ita CHAMIERVS vocabulum recte explanat contra BELLARMINVM [k], quando obseruat, „appellatam fuisse laicam „communionem, non a loco, non a speciebus, non a tempo„re, sed a persona: nimirum quod qui ante fuerit clericus, siue „in clericorum nomenclatura, nunc sit laicus & in laicorum „ordine„. Hoc potestatem supponit in ecclesia, non tantum conferendi hominibus ordines clericales, eosque ex laicis evehendi in episcopos, presbyteros vel diaconos; sed potestatem etiam auferendi illis hæc officia, eosque exuendi omni potestate & auctoritate, ad ipsos pertinente, per iustam deiectionem de honoris sui gradu, & reductionem ad statum, ordinem & conditionem laicorum. Hic sine controuersia verus sensus est omnium antiquorum canonum & scriptorum, qui toties de clericis, ob crimina sua deponendis, & concedenda illis venia communicandi tamquam laicis, loquuntur. Per hanc rem ordine suo ac officio, potestate & auctoritate, ipso denique nomine & titulo clericorum priuabantur; & tamquam priuati christiani tractabantur, omni pristina sua dignitate & clericali potestate, & omnibus priuilegiis orbati, prorsusque ad statum & conditionem laicorum reducti. Qua de re quum copiosam edisserendi occasionem in alio opere habuimus [*], hoc loco plura non dicimus, sed pauca tantum testimonia, quæ ibi omissa sunt, addemus. In concilio *Aurelianensi* tertio [l] canon legitur, ita decernens: *Si quis adulterasse aut confessus fuerit, vel conuictus, depositus ab officio communione concessa, in monasterio toto vitæ suæ tempore trudatur.* Alius canon [m] statuit: *Si quis clericus furtum aut falsitatem admiserit, quia capitalia etiam ipsa sunt crimina, communione concessa, ab ordine degradetur.* Ita in collectione, a MARTINO BRACARENSI [n] ex *Græcis* canonibus in vsum ecclesiæ *Hispanicæ* facta, in hunc modum decernitur: *Si quis homicidii aut facto, aut præcepto, aut consilio,*

(k) Chamier. de eucharist. lib. IX. c. III. num. 33. tom. IV. p. 487.

(*) Scholast. hist. of Lay-Baptism. part. II. chap. IV.

(l) Conc. Aurel. III. can. VII.

(m) Ibid. can. VIII.

(n) Martin. Bracar. collect. can. c. XXVI.

aut defensione post baptismum conscius fuerit, & per aliquam subreptionem ad clericatum venerit, deiiciatur, & in finem vitæ suæ laicam communionem tantummodo recipiat. Simile decretum habet GELASIVS [o], factum in caussa cuiusdam presbyteri, qui in contentione alteri effoderat oculum. *Bene fraternitas tua*, inquit, scribens ad *Ruffinum*, *fecit ab officio eum presbyterii remouere. Hoc tamen sollicitudinis tuæ sit, vt locum ei pœnitentiæ constituas, & in aliquo eum monasterio retrudas, laica tantum sibi communione concessa.* Et GRATIANVS [p] regulam citat concilii *Ilerdensis* in eamdem sententiam: *Si iterato velut canes ad vomitum reuersi fuerint, non solum dignitate officii careant, sed etiam sanctam communionem, nisi in exitu, non percipiant.*

§. IV.

Clerici ita reducti raro amissam stationem recuperandi nacti occasionem.

Ex quibus illud manifesto colligitur, quod reductio clerici ad communionem laicam fuerit plena & perfecta eius deiectio de officio suo & ordine. Ita, vt si iam agere vellet tamquam minister ecclesiæ, actiones eius nullæ & irritæ, nec aliæ quam actiones laici haberentur. Eruditus FORBESIVS recte hoc obseruauit [q] in antiqua disciplina, neque id ego melius quam verbis ipsius exprimere valeo: *Depositus depositione plena & perfecta non valide exercet ea, quæ sunt ordinis. Et iam non nisi laicus est, & tanto deteriore conditione, quam alii laici, quod longe difficilior sit eius restitutio, quam laicorum promotio.* Dantur quidem pauca quædam exempla eorum, qui ad clericale officium denuo prouecti fuerunt; quod vero numquam nisi summa quadam vrgente necessitate, vel grauissima mouente caussa factum; cuiusmodi exemplum erat illud *Maximi* confessoris, quum de schismate *Nouatiano* ad ecclesiam rediret, magnamque populi multitudinem secum duceret: CORNELIVS episcopus *Romanus* considerans ipsum tamquam confessorem & talem quidem, qui exemplo suo tot schismaticos lucratus ecclesiæ gratissimum fe-

(*o*) Gelas. epist. ad Ruffin. ap. Gratian. distinct. LV. c. XIII.

(*p*) Concil. Ilerd. c. V. ap. Gratian. distinct. L. c. LII.

(*q*) Forbes. irenic. lib. II. c. XI. p. 232. (Not. In editione Amstelod. MDCCIII. fol. hæc non inuenio, forte de industria omissa sunt. Vid. præfationem.)

cisset,

ciſſet, a generali regula in eius gratiam diſcedebat, ipſumque in priſtinum presbyterii locum reſtituebat [r]. Concilium *Nicænum* idem beneficium indulgebat *Nouatianis*, & patres *Africani Donatiſtis*, in id animum amanter ac officioſe intendentes, vt hiſce magnis ac inueteratis ſchiſmatibus imponeretur finis. Enimuero hæc exempla exceptiones tantum ſunt communis regulæ, & generalis legis ac ſtabilitæ in eccleſia diſciplinæ laxamenta.

§. V.

Non obſtante indelebili, qui venditatur, charactere ordinationis.

DIXERIS forte, remanſiſſe tamen inhærentem aliquam poteſtatem & auctoritatem in iſtiuſmodi depoſitis clericis, neque depoſitionem ordinationes eorum irritas & omnino nullas feciſſe: retinuiſſe enim illos indelebilem characterem ſui, quem quiſque acceperit, ordinis: adeoque potuiſſe adhuc eſſe miniſtros, eorumque actus miniſteriales habere iuſtum valorem atque efficacitatem, non obſtante vlla, quæ in eccleſia eſſet, ipſos de officio & honoris gradu deiiciendi poteſtate. Verum vt hæc pugnantia ſunt, quod quis ordine ſuo deturbatus ſit, & tamen ordinem ſuum cum omni ſpirituali, quæ ad illum ſpectet, poteſtate retineat: ita eiuſmodi notionem indelebilis, qui vulgo dicitur, characteris ordinationis inferunt, quæ veterum ſcriptorum nulli vnquam in mentem venit. Indelebilis enim character ordinationis veteribus nihil amplius quam indelebilis character baptiſmi ſignificat; quod, ſicut externa baptiſmi forma, lauatio ſiue immerſio in aquam, quamtumuis tranſiens ſolum actus, in perpetuum eo valeat, vt chriſtianus a mere pagano vel iudæo internoſcatur; ita quidem, vt, etiamſi a chriſtiana religione ad paganiſmum vel iudaiſmum deficiat, tantum tamen chriſtiani characteris retineat, vt ſi ad fidem Chriſti redeat, ſecundo baptiſmate ei non ſit opus: Similem in modum externa ordinationis forma, quæ eſt impoſitio manuum, hominem ad clericale aliquod officium deſignans, licet tranſiens tantum actus ſit, ſufficiat ad diſcernendum talem

(r) Cornel. epiſt. XLVI. al. XLIX. ad Cyprian. p. 93. (p. 235. edit. Fell. Amſtelod.) Maximum presbyterum locum ſuum agnoſcere iuſſimus.

homi-

hominem a mere laico, nullam eiusmodi ordinationis cærimoniam adepto; ita quidem, vt per hanc notam siue characterem officii sui semel receptum, licet postea officium suum omnemque honorem & potestatem ad id pertinentem perdat, semper tamen quodam modo distinctus maneat ab eis, qui tale officium numquam gesserunt; & quamuis hoc officio suo & potestate omnino priuatus ad simplicem conditionem & statum laici reducatur, tantum tamen de pristini muneris sui notis & vestigiis in eo remaneat, vt, si postea in officium suum restituatur, quamuis noua illud ei committendi cærimonia necessaria sit, hic tamen externus character, siue ritus nouæ ordinationis haud requiratur. Nemo est, qui veterum hac de re sententiam explanarit apertius, quam quidem eruditus FORBESIVS: Et idcirco ad vberiorem eius confirmationem verba illius huc lubet transcribere. *Manet quidem*, inquit [s], *in deposito* (clerico) *aliquid distinctiuum, quo ab aliis laicis distinguitur: ad distinctionem autem non est necessaria aliqua impressa forma, sed sufficit actus transiens in præteritum, nempe quod sit aliquando ordinatus. Manet in deposito non character præsentis alicuius officii aut potestatis, sed vestigium quoddam præteriti honoris & aliquando habitæ potestatis; per quod vestigium ab aliis laicis, numquam ordinatis, distinguitur: & peracta sufficienti pœnitentia, si idoneus inueniatur, & vtilitas ecclesiæ postulet, restitui potest absque noua ordinatione.* Exempli gratia, Si quis princeps ministris suis aulicis munerum, quæ sub ipso sustinent, notas & characteres imprimeret; candenti ferro faciens in brachio cubicularii figuram clauis, & imaginem equi in brachio præfecti stabuli, & imaginem calicis in brachio cellarii: postea autem princeps iusta ira & indignatione commotus eos ab officiis suis amoueret, aliosque in eorum locum substitueret, iisdem eos functionum suarum signans characteribus. Istæ notæ, quæ in ministris non depositis characteres essent præsentis suæ potestatis, in his depositis vestigia tantum præteritæ potestatis forent: & quidquid depositi illi istorum munerum respectu facerent, nihil amplius valeret, quam quod ab alio quocumque priuato homine, qui numquam istiusmodi munus sustinuisset, fieret. In hoc tamen aliquid discriminis intercederet, vt, si

(*s*) Forbes. irenic. lib. II. c. XI. p. 224. (vid. not. sub litt. [q]).

prin-

principi placeret deiectos ab officio restituere, non opus esset nouam illis notam apponere; sed vestigium antiquæ potestatis nouus iam character præsentis potestatis eorum euaderet. Ex hac illustratione, quæ veterum sententiam recte repræsentat, nemo non facile intelligit, quousque disciplina ecclesiæ in deponendis clericis patuerit: nimirum quod non solum eos ab officii sui suspenderit administratione, sed munere suo omnino amouerit, ordinesque suos eis eripuerit; quod proinde non nisi laici fuerint, hoc tantum cum discrimine, vt externum præteriti honoris haberent characterem, quo ceteri laici carebant; quod iam nec officium habuerint clerici, nec eius potestatem; nec actiones eorum in ecclesia alio loco, quam quo actiones hominum priuatorum & laicorum, habitæ fuerint. Eo vsque progrediebatur ecclesia in censuris suis in clericos, qui disciplinæ ipsius se submittebant, nec contumaces erant ac refractarii. Beneficium illis communionis laicæ tribuebat, quæ pœnæ erat moderatio, ob promtum eorum animum disciplinæ ac censuris suis libenter se submittendi, ipsis indulta.

§. VI.

Sed nonnumquam excommunicati, æque ac depositi, & a communione laica reiecti.

QVOD si autem in contumacia & mentis obstinatione persisterent, primis eius censuris sese opponentes & agentes tamquam clerici in earum contemtum; paullo seuerius erga eos se se gerebat, addens depositioni formalem excommunicationem, illisque negans ipsam communionem laicam. Ita *Arius* & multi alii hæresiarchæ non minus anathemate & excommunicatione, quam deiectione de honoris gradu multati. Et sexcenta eiusdem agendi rationis exempla in CYPRIANO [t], canonibus *apostolicis* [u], conciliis *Sar-*

(t) Cyprian. epist. XLIX. al. LII. ad Cornel. p. 96. (p. 257. edit. Amstel. MDCC.) Quibus litteris & didicimus, & docere atque instruere ceteros cœpimus, Euaristum de episcopo iam nec laicum remansisse, cathedræ & plebis extorrem & de ecclesia Christi exulem, per alias longe prouincias oberrare &c.

(u) Canon. apost. XXIX. *Εἴ τις ἐπίσκοπος, ἢ πρεσβύτερος, ἢ διάκονος, καθαιρεθεὶς δικαίως ἐπὶ ἐγκλήμασι φανεροῖς, τολμήσειεν ἐφάψασθαι τῆς τότε ἐγχειρισθείσης αὐτῷ λειτουργίας· οὗτος παντάπασιν ἐκκοπτέσθω τῆς ἐκκλησίας. Si quis episcopus,*

 dicen-

diceusi [x], *Coloniensi* [y], *Illiberritano* [z] & *Romano* [a] sub *Felice III.* occurrunt, quæ iam alia occasione [*] in medium produximus.

§. VII.

Interdum remoti & correcti ope & auctoritate magistratus secularis.

SIMILITER obseruandum nobis est, quod ecclesia, si contumaciter contemni censuras suas videret, secularem adierit magistratum, opem & auctoritatem illius imploratum, vt vel obstinatum clericum de loco & honorifica statione sua in

aut presbyter, aut diaconus, iuste propter manifesta crimina depositus, attingere sibi quondam traditum ministerium ausus fuerit, is penitus ab ecclesia abscindatur. Can. XXX. Εἴ τις ἐπίσκοπος διὰ χρημάτων τῆς ἀξίας ταύτης ἐγκρατὴς γένηται, ἢ πρεσβύτερος, ἢ διάκονος, καθαιρείσθω καὶ αὐτὸς, καὶ ὁ χειροτονήσας, καὶ ἐκκοπτέσθω παντάπασι καὶ τῆς κοινωνίας, ὡς Σίμων ὁ μάγος ὑπ' ἐμοῦ Πέτρου. *Si quis episcopus, aut presbyter, aut diaconus, per pecunias compos huius dignitatis fuerit; deponatur & ipse, & qui eum ordinauit, atque penitus abscindatur etiam a communione; vt Simon magus a me Petro.*

(x) Concil. Sardic. can. I. ἡγοῦμαι μηδὲ λαϊκῶν ἔχειν τοὺς τοιούτους χρῆναι κοινωνίαν. *Existimo, eos ne laicorum quidem debere habere communionem.* Can. II. καθάπαξ οὖν τὰς ῥᾳδιουργίας τὰς τοιαύτας καὶ τέχνας κολαστέας εἶναι νομίζω, ὥστε μηδένα τοιοῦτον μηδὲ ἐν τῷ τέλει λαϊκῆς γοῦν ἀξιοῦσθαι κοινωνίας. *Omnino ergo has fraudes & artes puniendas esse existimo; vt nemo possit, qui est eiusmodi, ne in fine quidem laica communione dignus haberi.*

(y) Concil. Agrippin. ap. Crab. tom. I. p. 317. (ap. Labb. tom. II. p. 615.) Quia Euphrata Christum Deum negat, consentio, eum episcopum esse non posse; qui nec laicam debet communionem accipere.

(z) Concil. Illiberrit. c. XVIII. (al. XIX.) Episcopi, presbyteri & diacones, si in ministerio positi, detecti fuerint, quod sint mœchati, placuit, & propter scandalum & propter profanum crimen, nec in fine eos communionem accipere debere. Can. LXXVI. Si quis diaconum se permiserit ordinari, & postea fuerit detectus in crimine mortis, quod aliquando commiserit; si sponte fuerit confessus, placuit eum, acta legitima pœnitentia, post triennium accipere communionem. Quod si alius eum detexerit, post quinquennium, acta pœnitentia, accipere communionem laicam debere.

(a) Conc. Rom. III. sub Felice III. can. II. (tom. IV. conc. p. 1076. c.) Quia idem dominus atque saluator clementissimus est, & neminem vult perire, vsque ad exitus sui diem in pœnitentia, (si resipiscunt) iacere conueniet: nec orationi modo fidelium, sed ne catechumenorum omnimodis interesse, quibus communio laica tantum in morte reddenda est.

(*) Scholast. hist. of Bapt, par. II. chap. V.

eccle-

ecclesia, quam post depositionem pertinaciter retinebat, deturbaret, vel aliam ei pœnam in castigationem & correctionem ipsius infligeret. Diuersa huius rei exempla iam ante, quando de disciplinæ in omnia membra ecclesiastica exercitio egimus [†] generatim, vidimus, relata ex EVSEBIO, concilio *Antiocheno*, concilio tertio *Carthaginensi* & codice *Africano*, ubi libellus supplex sæcularibus magistratibus partim ethnicis partim christianis offertur, vel offerendus decernitur, quo eorum auxilium ad quosdam obstinatos & contumaces episcopos ac presbyteros de locis suis deiiciendos, imploretur, si ecclesiæ decretis morem gerere recusarent, suaque munera & functiones, censuris eius susque deque habitis, tenerent. Et de his hoc loco plura dicere necesse non habeo: sicut nec de diuersis aliis pœnis temporalibus, quas respublica hæreticis generatim, laicis æque ac clericis, ad reprimendam heterodoxiam maioremque vim & auctoritatem censuris ecclesiæ conciliandam, infligere pro sua sapientia duxit consultum. De his enim satis superque exposuimus, quando libro vltimo de pœnis hæreseos sumus loquuti.

§. VIII.

Quid intelligatur per eam puniendi rationem, qua curiæ traditi dicuntur clerici.

ERAT autem ciuilis quædam pœna, clericis delinquentibus peculiaris, cuius hoc loco mentio facienda est. Leges antiquæ comprehendunt eam sub locutione *curiæ tradi*: Quæ, GOTHOFREDO [*b*] obseruante, sensum in antiqua lege habet omnino diuersum ab eo, quem vsus & praxis recentior ei tribuit. Nam inter recentiores canonistas id significat, quando

(†) Lib. XVI. c. II. §. III. vol. VII. p. 63 seq.

(*b*) Gothofred. in codic. Theod. lib. XVI. tit. II. de episcop. leg. XXXIX. Depositus seu exauctoratus episcopi iudicio, velut indignus clericatu & ob improbitatem, vel etiam spontaneus clericatus desertor, prout natales & facultates eius sunt, vel curiæ vel collegio ciuitatis suæ sociari, non etiam ad militiam seu officia quæcumque admitti, id est, officialis iudicum fieri, hac Honorii constitutione anno domini CCCCVIII. quam memorat Iustinianus & firmat *l. 53. §. 1 cod. de episcopis*, iubetur: pœna duarum librarum auri *decemprimus* curialium indicta, si cum aliquibus colluserint. Decemprimos scilicet curiæ sollicitudo respiciebat, vt ne qui curiæ obnoxii elaberentur. Illud ex hac lege vulgo colligitur, pœnæ loco quem olim cu-

cleri-

clerici depositi & exauctorati iudici sæculari traduntur, ob grandia quædam delicta morte, vel alia capitali pœna, quam eis infligendi ecclesia non habebat potestatem, adficiendi. In veteri autem lege curiæ significatio patebat latius, vt non solum denotaret palatium forense, sed collegium etiam alicuius ciuitatis, cuius membra decuriones & curiales solebant vocitari. In hoc erant alia honorifica alia seruilia officia. Et idcirco si quis clericus ob crimen aliquod esset officio deiectus & ad conditionem reductus laici; præterquam quod omnia priuilegia & immunitates, ex lege & beneuolentia imperatoria ad clericos pertinentes, perdidisset, curiæ, siue ciuitatis suæ societati, seruire cogebatur, & id quidem sæpenumero in humili officio ac seruili conditione, quæ pœna erat ciuilis addititia, eo quod leges ecclesiæ, & sacræ suæ professionis & venerabilis functionis regulas violasset. Et hæc certa quædam ratio erat præcludendi ipsi omnem spem clericalis dignitatis suæ posthac recuperandæ. Nam vt leges aliquem ex curialibus primum ordinari absolute prohibebant [*], quia certis municipalibus & ciuilibus officiis adstricti tenebantur, quæ cum spiritualibus consistere non poterant; ita, si quis de clericis semel esset de honoris sui gradu deiectus, & sæcularis curiæ potestati traditus, fieri non poterat, vt ad statum ecclesiasticum denuo pertingeret. Quare HONORIVS hanc legem ferebat, vt curia istiusmodi sontes sibi statim vindicaret, quo eorum pœna immutabilis fieret & perpetua: *Quemcumque clericum*, inquit lex [c], *indignum officio suo episcopus iudicauerit, & ab ecclesiæ ministerio segregauerit: aut si qui professum sacræ religionis sponte dereliquerit, continuo sibi eum curia vindicet: vt liber illi vltro ad ecclesiam recursus esse non possit: Et pro hominum qualitate, & quantitate patrimonii, vel ordini suo, vel collegio ciuitatis adiungatur; vnde, vt quibuscumque apti erunt publicis necessitatibus obligentur: ita vt con-*

riæ deditum: --- Neque enim pœnæ loco hac lege clerici curiæ tradi iubentur: verum ecclesiasticos, ecclesia deiectos vel ecclesiam sponte deferentes, curiæ tradi clericos episcopis suis contumaces, veluti Pii *epist. II. p. 199.* & Fabiani *II p 300.* Stephani *II. p. 337.* canonistæ tumultuantur.

(*) Vid. lib. IV. c. IV. §. IV. vol. II. p. 147-150. Lib. V. c. III. §. XV. ibid. pag. 255. 256.

(c) Cod. Theod. lib. XVI. tit. II. de episcopis leg. XXXIX.

Iudio

iudio quoque locus non sit. Per singulos igitur bina libræ auri inferendæ ærario nostro a decemprimis curialibus exigantur: hominibusque improbissimis ab omnibus officiis militiæ aditus obstruatur. IVSTINIANVS hanc legem nouella quadam [*d*] renouat ac confirmat, & in alia similem pœnam denuntiat monacho, qui monasterio suo relicto ad sæcularem aliquam veniat functionem. *Substantia eius*, inquit [*e*], *in monasterio remanente, ipse inter officiales prouinciæ iudicio statuetur, & hunc habebit mutationis fructum, vt, qui sacrum ministerium despexerit, tribunalis terreni obseruet seruitium.*

PRAETER hanc autem alia erat clericos peccantes sæculari foro & ciuilibus iudiciis tradendi ratio; nimirum, quando talia committebant crimina, quæ proprie ciuilis erant cognitionis, & audiri atque puniri poterant vt crimina contra imperium & rempublicam admissa. Clerici enim duplici considerabantur respectu, vt ministri ecclesiæ, & vt membra reipublicæ. Quæcumque crimina priore modo spectati committebant, primario quidem ab ecclesiæ episcopis, vtpote propriis caussarum ecclesiasticarum iudicibus, iudicandi erant: Verumtamen si crimina eorum essent grandia, cuiusmodi erat hæresis vel Simonia, quantumuis essent proprie caussæ ecclesiasticæ, rei tamen sæcularibus iudicibus tradi poterant postea, quam sententia ecclesiastica contra illos dicta esset. Istiusmodi enim sontes & ecclesia & respublica suis vtraque censuris puniebat. Si crimina eorum essent talia, vt propius & directe pacem & tranquillitatem publicam adficerent; vti proditio, seditio, cædes, latrocinia, & magicarum ac perniciosarum artium exercitia; tum episcopi non poterant solum, sed ex officio etiam debebant, clericum de officio deturbatum sæculari & competenti iudicio tradere, vt pro grauitate delicto-

(*d*) Iustin. nouell. CXXIII. c. XIV. *Εἰ μετὰ τὴν χειροτονίαν πρεσβύτερος ἢ διάκονος ἢ ὑποδιάκονος ἀγάγηται γαμετὴν, ἐκβαλλέσθω τοῦ κλήρου, καὶ τῇ βουλῇ καὶ τάξει τῆς πόλεως, ἐν ᾗ κληρικὸς ἦν, μετὰ τῶν ἰδίων πραγμάτων παραδιδόσθω. Si post ordinationem presbyter, aut diaconus, aut subdiaconus vxorem duxerit: expellatur a clero & curiæ ciuitatis illius, in qua clericus erat, cum propriis rebus tradatur.*

(*e*) Iustin. nouell. V. c. VI. *τῆς οὐσίας αὐτοῦ εἰς τὸ μοναστήριον ἀπομενούσῃ, αὐτὸς ἐν τοῖς ταξεωτικοῖς τοῦ λαμπροτάτου τῆς ἐπαρχίας ἄρχοντος τετάξεται, καὶ τοῦτον ἕξει τῆς μεταβολῆς τὸν καρπόν· καὶ ὅγε τὴν θείαν λειτουργίαν ὑπεριδὼν, δικαστηρίου χθαμαλοῦ προσκαρτερείτω δουλείᾳ.*

rum suorum puniretur. Memorabile exemplum, quod ad hanc materiam spectat, in historia actorum concilii *Chalcedonensis* occurrit, ex actis concilii *Tyrii* relatum, vbi *Ibas* episcopus *Edessæ* accusabatur, quod *Abraamium* diaconum ad episcopi dignitatem euehere tentasset, qui coram episcopo & vniuerso clero magicis artibus operam se dedisse ipse confessus sit: Et additur, ad exaggerandum episcopi erratum [f], quod retineat chartam magicarum incantationum, quum tamen hunc tam exsecrabilem hominem iudici prouinciæ, secundum consuetudinem legum, offerre debuisset. Ex quo vno exemplo facile ad intelligendum est, fuisse quædam crimina & ecclesiasticæ & ciuilis cognitionis; & si quis istiusmodi clericus in iudicio ecclesiastico de munere suo esset deiectus, episcopum remittere eum debuisse ad iudicem sæcularem, vt tamquam laicus pœnis ciuilibus, pro delictorum suorum ratione, adficeretur. Et hoc in casu, reor, eum tractarunt vt excommunicatum, non vt mere reductum ad laicam communionem, sed ad humiliorem adhuc gradum, ad infimum scilicet publicorum peccatorum ordinem, communique beneficio & priuilegio orbatum eorum, quibus communionis laicæ participes esse permittebatur. Cuiusmodi censuræ diuersa exempla obuia sunt in canonibus apostolicis, & conciliis *Illiberritano*, *Coloniensi*, & *Sardicensi*; quæ quum alia occasione [g] copiose producta a nobis sint, hoc loco enarrare supersedemus, & ad aliam disquisitionem de pœna, quæ vocari solebat *communio peregrina*, progredimur.

(f) Concil. Chalced. act. X. (conc. tom. IV. p. 643.) καὶ ἔχει παρακατασχὼν τὸν χάρτην τῶν γοητευτικῶν ἐπικλήσεων ὁ εὐλαβέστατος ἡμῶν ἐπίσκοπος, ὀφείλων τῷ ἄρχοντι τῆς ἐπαρχίας τὸν ἀπηγορευμένον προσενεγκεῖν, κατὰ τὴν ἀκολουθίαν τῶν νόμων.

(g) Scholast. histor. of baptism. par. II. chap. V.

LIBRI

LIBRI DECIMI SEPTIMI
CAPVT TERTIVM
DE REDVCTIONE CLERICORVM AD COMMVNIONEM PEREGRINAM.
§. I.
Diuersi canones, in quibus hæc pœna memoratur.

NVLLA quæstio in vniuersa antiqua disciplina est, quæ virorum doctorum ingenia & calamos magis exercuit, quam quidem hæc de pœna dicta *communione peregrina.* Ex omnibus canonibus, in quibus vlla eius mentio habetur, liquido apparet, pœnam quamdam indicari peculiariter infligendam clericis ob specialiora quædam crimina; non autem ita facile ad enuntiandum est, qualis illa pœna fuerit. Nos primum canones exhibebimus, qui eius faciunt mentionem, deinde diuersas virorum eruditorum de ea sententias commemorabimus, adnotantes eam, quæ rationi maxime conueniat, explicationem, cum testimoniis quibusdam eam confirmantibus ex historia antiqua. Primum concilium, quod eius meminit, concilium est *Regense*, anno CCCCXXXIX. celebratum, vbi in caussa episcopi schismatici, ad catholicam ecclesiam reuertentis, ita decernitur [a]: *Liceat ei in vnam parochiarum suarum ecclesiam cedere, in qua aut chorepiscopi nomine, aut peregrina, vt aiunt, communione foueatur.* Proximum concilium, quod eius mentionem iniicit, *Agathense* [b] est, anno DVI. habitum, vbi canon quidam sic statuit: *Si quis clericus furtum ecclesiæ fecerit, peregrina ei communio tribuatur.* Et alius [c]: *Contumaces clerici ab episcopis corripiantur: Et si qui prioris gradus elati superbia, communionem fortasse contemserint, aut ecclesiam frequentare, vel officium implere neglexerint, peregrina eis communio tribuatur, ita vt quum eos pœnitentia correxerit, rescripti in matricula gradum suum dignitatemque suscipiant.* Post hoc in concilio *Ilerdensi* [d] ad annum DXXXIX. simile inuenimus decretum: *Si quisquam cleri-*

(a) Concil. Regens. c. III. (tom. III. concil. p. 1286. fin.)
(b) Concil. Agath. c. V.
(c) Ibid. can. II.
(d) Concil. Ilerd. c. XV.

cus quacumque occasione quidpiam probatus fuerit abstulisse, vel forsitan dolo aliquo suppressisse, reus sacrilegii, prolixiori anathemate condemnetur, & vix quoque peregrina ei communio concedatur. Hi sunt canones, in quibus hæc pœna, vel moderatio pœnæ, (prout eam vocare volueris) memoratur. At vero tam parum lucis ex ipsis canonibus, quod ad ipsam pœnæ naturam attinet, haberi potest, vt mirum non sit, viros doctos in varias de ea iuisse sententias.

§. II.

Communio peregrina non eadem, quæ communio laica.

NONNVLLI eam confundunt cum communione laica, vti BINIVS in notis suis in concilium *Ilerdense* [e], HOSPINIANVS [f] & vetus glossa in GRATIANVM [g]. At vero non est credibile, veteres eamdem rem diuersis adeo vocabulis expressisse, quandoquidem communio laica vocabulum fuit, inter ipsos tam bene cognitum. Accedit, quod hæc duo euidenter inter se discreparent. Nam clerici, ad communionem reducti laicam, plene & perfecte ordinibus suis deiecti erant, nec via ordinaria in munera sua restitui poterant, sed perpetuo in statu & conditione laicorum manebant; quemadmodum capite præcedenti euidenter demonstrauimus: Quum contra clerici, ad communionem peregrinam reducti, in pristinam stationem restitui possent, post actam certam pœnitentiam, vti in ante memorato concilii *Agathensis* canone secundo expressis verbis dicitur.

§. III.

Nec communio sub vna tantum specie.

BELLARMINVS [h] & alii non solum pro communione laica accipiunt, sed audacter quoque adserunt, laicam illam

(e) Bin. not. in conc. Ilerd. can. XV. Existimo, laicam & peregrinam communionem idem esse, nullumque discrimen inter vtramque versari.

(f) Hospinian. histor. sacram. lib. II. c. I. p. 24. (p. 21. edit. Genev. MDCLXXXI.) vbi can. V. concil. Agath. sub (b) iam recitatum allegat de communione laica.

(g) Gloss. in Gratian. causs. XIII. quæst. II. c. XI. Peregrina, quæ alias dicitur laica.

(h) Bellarmin. de eucharist. lib. IV. c. XXIV. p. 679. (p. 204. edit. Colon. MDCXVI.) Eadem (laica) communicatio dicitur etiam peregrina in concilio Agathensi c. II. & V.

com-

communionem fuisse perceptionem eucharistiæ sub vna duntaxat specie. Vt adeo, quando clericus ad communionem laicam reductus esse dicitur, ex eorum opinione idem sit, ac deiectum esse ad percipiendam communionem inter laicos sub vna solum specie. Sed hoc nihil est aliud, quam multiplicare obscuritates lectoremque errorem errori addendo confundere. Nam vt veteres de communione laica & de communione peregrina loquuntur, tamquam rebus a se diuersis; ita non talem habent communionis laicæ notionem, qualem scriptores isti venditant. Omnis enim publica communio clericorum & laicorum in ecclesia antiqua sub vtraque erat specie, vti libro quodam superiore [*] luculentissime demonstrauimus, idque hodie a plerisque eruditis & accuratis scriptoribus in ecclesia *Romanensi* agnoscitur. Vt adeo hæc opinio, quæ communionem peregrinam cum communione sub vna specie confundit, ne vmbram quidem veri, nec vllum in antiquitate fundamentum habeat, quo nitatur.

§. IV.

Nec communio in hora mortis.

AVCTOR glossæ in GRATIANVM aliam lepidam habet interpretationem. Opinatur enim, significari posse communionem, quam quis recipiat in exitu vitæ constitutus. *Peregrina communio*, inquit [i], *id est, quum recedit vel peregrinatur de hoc mundo.* Verum hoc eo tantum valet, vt intelligenti lectori risum moueat. Mors enim improprie & inscite dicitur peregrinatio, quam accuratius loquendo ex stilo scripturæ sacræ potius translationem hominum in patriam suam, cælum suum & domum suam dixeris. Homines dicuntur esse peregrini & aduenæ in terra, quia absunt a cælo, ciuitate & regione, ad quam pertinent. Hinc relinquentes mundum dici nequeunt peregrinari, sed potius desinere peregrinari, & ad sempiternam suam vadere habitationem. Quapropter si veteres proprie loquuti sunt, sicut sunt, sine vllo dubio, non potuerunt per communionem peregrinam intelligere communionem hominum moribundorum, siue eorum, qui peregrinen-

(*) Lib. XV. c. V. §. I. vol. VI. p. 431. seqq.

(i) Gloss. in Grat. vbi supra.

tur de hoc mundo. Accedit, quod ipſe concilii *Agathenſis* canon, quem gloſſator explicare præ ſe fert, communionem peregrinam non faciat communionem moribundorum, ſed eorum, qui viuant, & ad gradum dignitatemque priſtinam, poſtquam eos pœnitentia correxerit, redire poſſint.

§. V.

Nec communio talium, quibus in pœnam alicuius peccati peregrinationes iniunctæ, quæ diſciplinæ pars veteribus ignota fuit.

IOANNES BONA [*k*] curiæ *Romanæ* purpuratus, aliam multo abſurdiorem ſententiam cuiuſdam GABRIELIS HENAO memorat & exponit, quem diffuſiſſime de hac communione peregrina agere [*l*] & tandem concludere dicit, fuiſſe eam, ad quam clerici admiſſi ſint, quibus in pœnam alicuius peccati peregrinationes ſiue perpetuæ ſiue temporariæ impoſitæ fuerint. Addit autem BONA, non probare eum, quæ & qualis fuerit peregrinantium communio: deinde & hoc ab illo demonſtrari oportuiſſe, quod, quando canones de communione peregrina editi ſint, clericis àd expianda peccata peregrinationes iniungi conſueuerint. Altum certe in antiquitate de iſtiuſmodi iniunctis peregrinationibus ſilentium eſt.

§. VI.

Nec priuata & peculiaris oblatio pro peregrinis.

GEORGIVS CASSANDER [*m*] & GERARDVS IOANNES

(*k*) Bon. de reb. liturgic. lib. II. c. XIX. §. V. Alia eſt ſingularis ſententia Gabrielis Henao, qui *lib. de ſacrific. miſſæ p. III. diſputat. XXVIII. ſect. XLIX. & ſequentibus* diffuſiſſime agens de communione peregrina, eam tandem fuiſſe concludit, ad quam clerici admittebantur, quibus in pœnam alicuius peccati peregrinationes ſiue perpetuæ ſiue ad tempus impoſitæ erant. Sed quamuis multa dicat, non tamen probat, quæ & qualis fuerit peregrinantium communio. Et hoc deinde ab illo demonſtrari oportebat, quod, quando canones de communione peregrina editi ſunt, ſolerent clericis ad expianda pecca peregrinationes iniungi.

(*l*) Henao de ſacrific. miſſæ part. III. diſput XXVIII. §. XLIX.

(*m*) Caſſand. de communione ſub vtraque ſpecie p. 1029. Idem de peregrina communione, cuius in Agathenſi ſynodo mentio fit, cenſendum puto: intelligi videlicet eam communionem inter peregrinos, ſeu cum peregrinis. Conſtat enim ex b. Ambroſio, præter ſtatos dies, quibus incolis bis in hebdomada myſteria celebrabantur, nonnunquam extra ordinem, fere quoti-

VOS-

VOSSIVS [n] post quosdam scholasticos existimant, communione peregrina significari oblationem eucharistiæ præter statos dies peculiaribus ritibus peregrinantium caussa factam; pœnamque fuisse clericorum inter peregrinos communicare. Enimuero non fuit istiusmodi consuetudo faciendi peculiarem eucharistiæ oblationem pro peregrinantibus in antiqua ecclesia. Nam omnes viatores & peregrini, ad extraneam quamdam venientes ecclesiam, si communicatorias siue commendatitias adferrent litteras, ad communicandum in ecclesia admittebantur, vbicumque commorarentur: si non adferrent, communio eis denegabatur, donec procurarent. Interim communicandi habebant veniam in rebus bonis externis, siue participandi beneficia ecclesiæ, si eis indigerent, tametsi ab omni religiosa communione, tamquam homines suspecti, arcerentur. Et huius distinctionis beneficio ad verum sensum communionis peregrinæ pertingere poterimus.

§. VII.

Sed communicatio tantum instar peregrinorum, sine litteris commendatitiis iter facientium, qui benignitatis ecclesiæ, non autem communionis altaris, participes esse poterant.

OBSERVANDVM enim est, communionem in ecclesia antiqua non tantum significare perceptionem sacræ eucharistiæ, siue communionem altaris; sed etiam participationem beneficentiæ ac liberalitatis ecclesiæ. Et tales peregrinatores, qui ad extraneam quamdam ecclesiam sine litteris commendatitiis, ad testificandam orthodoxiam suam & vitæ integritatem, venirent, censuræ cuidam subiacere, nec in ipsa communione cum ecclesia sua esse iudicabantur. Donec igitur ab hac suspicione liberare se possent, per regulam catholicæ vnitatis & communionis, quam omnes ecclesiæ inter se mutuo habebant,

die peregrinis aduentantibus, mysteria celebrari & administrari solere. cetera.

(n) Voss.thes.theol.p.516. (p.328. ed.Hag.comit.MDCLVIII.) Nec magis pontificios iuuat communio peregrina: vt qua proprie significetur oblatio, quæ præter statos dies peregrinantium caussa fiebat. ---- Hinc peregrina communione communicare dicebantur, qui inter peregrinos communicabant. Eam vero etiam inter clericorum pœnas fuisse, clarissime liquet ex canone hoc primo concilii Agathensis: *Contumaces clerici*, cetera.

communione prohibendi erant in extranea quadam ecclesia, & solum ad communem beneficentiam participandam admittendi tamquam peregrini. Et secundum hanc agendi rationem clerici delinquentes ad tempus eodem modo tractabantur, & idcirco ad communionem peregrinam dicebantur reducendi: hoc est, nec solemniter sacris operari poterant, tamquam clerici in celebranda eucharistia, vel alia quacumque officii sui parte; nec in quibusdam casibus eucharistiam participare ad certum tempus, vsque dum culpæ satis fecissent; sed tantum ea, quæ ad vitam sustentandam erant necessaria, de reditibus ecclesiæ percipiendi habebant libertatem, iure plenæ portionis, donec per legitimam pœnitentiam officium & stationem possent recuperare, exclusi. Hæc maxime probabilis est ratio, quæ de difficili & dubia illa materia reddi potest, & viri docti generatim hodie in præcipuo huius explicationis capite consentiunt; quemadmodum lector, qui volet, in scriptis GABRIELIS ALBASPINAEI [o], IOAN-

(o) Albaspin. obseruat. lib. I. c. III. Communio peregrina nihil aliud est, nisi me fallit opinio, quam communitas & consociatio, quæ presbyteris siue aliis clericis, qui sine formatis, aut commendatitiis litteris peregrinabantur, indulgebatur in societate clericorum & communione ecclesiastica. --- Ea de caussa litteræ formatæ subintroductæ sunt. Inde etiam veteres canones omnem curam & cautionis omne genus adhibent, vt fideles a consortio & societate peccatorum secludantur. Quando igitur episcopus, presbyter, clericus peregrinabantur, placuit, vt nullus episcoporum nauigaret, sine formata primatis: item vt clerici siue formata & conscientia episcopi, per alienas plebes non vagarentur. Tum demum, vt nullus peregrinus sine formata episcopi acciperetur, super quibus litteris episcopi, ad quos facilis aditus patebat, scribebant peregrinis illac iter fecisse, visisque litteris eorum, a quibus profecti erant, communionem indulsisse: alioqui peregrinus ille non accipiebatur, neque vlli rei ecclesiasticæ aut ciuili cum clericis dioecesis, qua illi iter erat, communicabat, & quasi excommunicatus habebatur. Verum enim vero quamuis frons, oculi, vultus persæpe mentiantur, oratio vero sæpissime, si tamen peregrino litteræ formatæ excidissent, si intercepta aut alio quouis casu amissæ fuissent, aut episcopus quacumque tandem de caussa eis denegauisset; vel si qua tandem suspicio subesset: non omnino reiiciebatur, quia dubitatio oboriebatur, num vera essent, quæ allegaret. Itaque non ea iniuria adficiebatur, vt excommunicatis adnumeraretur; sed neque ad communionem ecclesiæ admittebatur, ne aut ouis morbosa & tabida, quæ gregem inficeret, in caulam domini nostri Iesu Christi intraret: sed seorsim sumtibus ecclesiæ in loco semoto alebatur, vbi

ANNIS

ANNIS BONAE [p] cardinalis, EMANVELIS SCHEL-

orabat, & in eo ſtatu erat, vt laicus non eſſet, nec tamen communioni eccleſiæ participabat, neque vllis clerici muneribus defungebatur, id videre eſt in XXXII. canone apoſtolorum: *nemo peregrinorum epiſcoporum, aut presbyterorum, aut diaconorum ſine commendatitus ſuſcipitur litteris, & ſi eas obtulerit, attentius in diſquiſitionem vocantor. Et quidem ſi prædicatores pietatis fuerint, ſuſcipiuntur, ſin minus, vbi neceſſaria eis ſuppeditaueritis, ad communionem & vlteriorem ipſos conſuetudinem non admittitote, multa enim per ſurreptionem fiunt:* quo canone, mea quidem ſententia, exponitur, quid ſit communio peregrina, quæ ab initio non erat genus pœnæ & animaduerſionis, ſed inſtituta fuerat, vt clerici, de quorum ſtatu & conditione non conſtaret, non omnino reiicerentur. Poſtea vero hoc eodem genere communionis vſa eſt eccleſia, vt clericos non peregrinos in officio contineret; & ita factum eſt, vt hæc communio genus quoddam pœnæ cenſeretur. --- Eſt locus quidam inſignis in vita ſancti Ioannis Chryſoſtomi, qui huic obſeruationi multum lucis adfundere poteſt: *Si placet, inquiunt, domine, ſpiritualis communionis nondum illis conſortium trade, ne papam contriſtes; ceterum in aliis omnia in eos officia humanitatis exerce, id enim tibi epiſcopo conuenit, ita illos excepit Ioannes, ad communionem minime admittit.* Hac peregrinæ communionis ſpecie eccleſia puniuit non ſolum clericos peregrinos; ſed eos etiam, qui in diœceſi habebant domicilium, quod degradationis, ſiue ſuſpenſionis a muneribus eccleſiæ & ſeparationis a ceteris clericis genus eſt, tam in rebus ciuilibus, quam eccleſiaſticis: & hinc patet, vt mea fert opinio, quid fuerit communio peregrina, & vnde denominationem acceperit.

(p) Bon. de reb. liturgic. lib. II. c. XIX. n. VI. Simondus *in hiſtor. publicæ pœnitentiæ cap. vlt.* & Albaſpinæus *lib. I. obſeruat.* tunc peregrina communione mulctatos fuiſſe clericos crediderunt, quando in eo loco & ſtatu collocabantur, quo poni ſolebant clerici peregrini, qui ſine litteris commendatitiis, quas formatas vocabant, extra proprium diœceſim peregrinabantur. Excipi enim benigne conſueuerant & ſumtibus eccleſiæ ali, nullo prætermiſſo humanitatis officio: nemo tamen clericorum cum illis tamquam cum clericis communicabat, nec vllis ſui ordinis muneribus fungebantur. --- Hoc autem aduenis nulla erat pœna, ſed ſic ferebat vſus eccleſiæ, vt clerici vagantes ſine formatis ad ſuorum ordinum exercitia in aliena diœceſi non admitterentur: quæ cautio etiam hodie adhibetur, vt ignoti & extranei ſacerdotes non permittantur celebrare, niſi litteras ſuæ ordinationis oſtendant, tametſi in reliquis omnia illis officia chriſtianæ caritatis impendantur. Quum vero clerici alicui eccleſiæ adſcripti functiones ſui ordinis exercere prohibebantur, id ſane pœna erat, in hoc ſita, quod, licet peregrini non eſſent, certumque domicilium & gradum in propria ciuitate & eccleſia obtinerent; ſic tamen cum eis agebatur, ac ſi peregrini forent, de quorum ſtatu & conditione non conſtaret. Quumque ſui ordinis exercitio carerent, non tamen abſtenti erant a perceptione euchariſtiæ, quæ nec peregrinis quidem & ignotis negabatur, quum ſe vere orthodoxos eſſe documſent.

 STRA-

STRATII [q], PHILIPPI PRIORII [r], DIONYSII PETAVII [s], MARCI ANTONII DE DOMINIS [t] & IACOBI SIRMONDI [u] videre poteſt; vt nihil dicamus de mentione eius ex

(q) Schelſtrat. not. in conc. Antioch. p 377. Diſſentire non poſſum ab illis, quæ recte animaduertit Philippus Priorius in *diſſertat. de litteris canonicis titul. XI.* Litteræ canonicæ ideo concedebantur, cet. vid. ſub litt. ſeq. (r). Ex hiſce iam ſpes adfulget exponendi canones Agathenſis II. & V. concilii de communione peregrina tractantes. --- Sunt, qui peregrinam communionem interpretati ſunt de communione ſub vnica ſpecie, ſed nullatenus veriſimile videtur, illam pro tam graui & enormi crimine in pœnam infligi, quum tamen canones & Ilerdenſes citati communionem peregrinam impoſuerint in pœnam, vnde rectius Gabriel Albaſpinæus, doctiſſimus Aurelianenſium antiſtes libro I. obſeruat. III. Communio peregrina, cet. vid. ſub litt. anteced. (o).

(r) Prior. de litteris canon. titul. XI. p. 38. citante Schelſtrato l. c. Litteræ canonicæ ideo concedebantur, vt peregrinantes ſubleuarentur harum beneficio, quod communionis chriſtianæ, ſiue etiam communicationis nomine inſigniebatur. Atque in eo ſita erat illa communio, vt religionis ſocietate fruerentur & myſteriorum conſortio, modo adeſſent eiuſmodi litteræ ex antiquorum canonum decretis conſcriptæ. Qui autem hac ope deſtitutus ad iter ſe accingebat, a fratribus quidem humaniter accipiebatur, ei tamen communionis tantum peregrinæ iure frui licebat, id eſt, quod ad naturæ iura pertinet, ad omne genus ſolatii, ad ea, quæ ad vitam erant neceſſaria, benigne & comiter agebatur cum peregrinis; in iis vero, quæ ſacramentorum erant, ea ſeueritate procedebant, vt abſque litteris penitus ſacrorum communio denegaretur. Erant enim tunc quaſi ſuſpecti; nec ſatis apparebat, an vere eſſent chriſtiani; aut dubium erat, ne criminis aut ſceleris cuiuſpiam rei eſſent. Nihil euidentius in hanc rem adferri poteſt, quam id, quod habet Syneſius epiſtola LXVI. de Alexandro epiſcopo. --- Scribit igitur Syneſius: *Noſti igitur, veneránde pater, quomodo me geſſi, in eccleſiam eum non admiſi, neque ſacræ menſæ participem feci; domi tamen eumdem honorem largitus ſum, qui inſontibus impendi ſolet.*

(s) Petau. not. in Syneſii epiſt. LXVII. p. 78. Peregrina communio, qualem Regenſis concilii canon ille ſignificat, non ex eo more dicta deriuataque videtur, quo peregrini clerici, qui ſine formatis litteris aduenirent; ac de quorum ſtatu, vel iuris integritate dubitari poterat, ab epiſcopis tractabantur: ſed inde potius, quod in aliena eccleſia peregrini epiſcopi, vel clerici nullum miniſterii ac functionis ordini ſuo conſentaneæ obeundæ ius habeant. Tametſi ab earum ciuitatum, in quibus peregrinabantur, epiſcopis adhiberentur ad illa præſtanda. Sed ex eo præciſe, quod ſuis locis egreſſi, vſu ordinis ſui careant; inde peregrina communio, quæ quidem pœnalis fuit, appellata videtur, qua, ſimiliter ac peregrini, in ciuitatibus ſuis ius nullum haberent ordinis exercendi. cetera.

(t) Marc. Anton. de Dominis de communione peregrina.

(u) Sirmond. hiſtor. pœnitent. cap. vltim. (tom. IV. opp. pag. 511. edit. Pariſ.

occa-

occaſione ſtrictim facta a GVILIELMO LINDANO [x], CAESARE BARONIO [y] & PETRO DE MARCA [z], vniuerſis eccleſiæ *Romanenſis* ſcriptoribus; quos hac in cauſſa libenter nominamus, vt tanto magis vanitatem profligemus BELLARMINI eiuſque ſociorum, qui admodum confidenter mortalibus perſuadere ſatagunt, ſe communionem eccleſiæ ſuæ laicam ſub vna ſpecie, vt vocant, in hac antiqua communione peregrina detexiſſe, quum tamen illa toto, vt aiunt, cælo ab hac differat. Inter ſcriptores proteſtantes veram notionem ſcite exponit GVILIELMVS SHERLOCKIVS [a] quando ait: *Antiqua diſciplina in admittendis, qui ignoti erant, ad communionem peregrinis omnino ſeuera erat; ne forte admitterentur hæretici, vel ſchiſmatici, vel homines excommunicati: Quocirca ſi qui venirent, qui litteras com-*

MDCXCVI.) De clericis agi (in canone II. Agathenſi) liquet, qui vnum in corpus allecti ſunt, vnaque in matricula conſcripti, diuino cultui vna deſeruiunt. Quorum ſi qui ab officio per contumaciam diſceſſerint, ſynodi decreto ex matricula expuncti, graduque ſummoti, peregrinorum in ordinem rediguntur, vt peregrina cum iis communione contenti ſint. Sic tamen, vt, quando reſipiſcent, locum ſuum recipiant matriculæque, & corpori, a quo ſegregati ſunt, reſtituantur. cetera.

(x) Lindan. panopl. lib. IV. c. LVIII. Laica communio non fuit vnius ſpeciei, vti hodie videmus vſitatum ex antiquiſſima ſimul & laudatiſſima Occidentis conſuetudine, ſed cum laicis communio. Erat enim clericorum excommunicatorum propria: Quippe nondum erant ſicut nec ſui gradus redditione atque dignitatis reſtitutione digni: ita nec clericorum communione, verum ad laicorum ſocietatem adiungebantur interea, dum ſacris expiationibus atque ſaluberrimæ pœnitentiæ caſtigationibus ad amiſſæ cum clero dignitatis recuperationem (ſi ea modo contingeret) præparabantur.

(y) Baron. an. CCCC. p. 119. (p. 121. edit. Antuerp. MDCLVIII.) Peregrina tantum communione eos a Ioanne Chryſoſtomo dignatos eſſe, qua ſacrarum precum communicatio impartitur, non autem vſus ſacramentorum, Sozomenus tradit. --- Vigebat namque illa vetus in eccleſia conſuetudo, vt peregrini aduenientes, ſeque chriſtianos eſſe profitentes ad communes tantum eccleſiæ preces admitterentur; tunc vero & ſacramenta illis impertirentur, quum ſe eſſe catholicos, fide certa docuiſſent.

(z) Marca diſſert. in cap. Clericus, ad calcem Baluzii de emendatione Gratiani p. 583. (p. 369. edit. Pariſ. MDCLXXXI. cit. ſupr. ad cap. II. §. I. litt. (d) pag. 11.)

(a) Sherlock *of Church Unity, in defence of* Stillingfleet p. 602. *The ancient Diſcipline was very ſevere in admitting Strangers, who were unknown to them, to the communion; leſt they ſhould admit Hereticks, or Schiſmaticks, or excommunicated Perſons: And therefore if any ſuch came, who could not produce their commendatory Letters, but pretended to have loſt*

men-

mendatitias producere non possent, dictitantes, eas sese in itinere perdidisse, illi nec ad communionem admittebantur, nec prorsus reiiciebantur, sed, si qua esset necessitas, ecclesiae sumtibus alebantur, donec istiusmodi litterae ab ecclesia possent procurari, ex qua venerant, quod vocabatur COMMUNIO PEREGRINA.

§. VIII.

Haec notio confirmatur ex variis antiquae historiae partibus.

HAEC notio tanto magis videtur rei ipsi consentanea, quia diuersis factis in antiqua historia commendatur & confirmatur. SYNESIVS scribens ad *Theophilum*, ecclesiae *Alexandrinae* antistitem, de *Alexandro* quodam episcopo *Basinopolitano* in *Bithynia*, qui *Ptolemaide* aliquo modo suspectus erat, narrat ei, se in ecclesiam eum admittere noluisse, neque sacram cum eo mensam communem habuisse [b], domi tamen eumdem honorem largitum ei esse, qui insontibus impendi soleat. Atque hoc modo, narrantibus historicis [c], *Chrysostomus* tractauit monachos *Aegyptios*, qui vexati a *Theophilo Alexandrinorum* episcopo *Constantinopolin* venerant, vt ea, quae contra ipsos per vim & calumniam gesta erant, coram imperatore exponerent. Honorifice quidem viros illos excepit, & a precum communione minime exclusit, sacrorum vero mysteriorum communionem indulturum se negauit ante, quam caussa cognita eorum esset. Ex quibus apparet liquido, peregrinos, sine litteris commendatitiis iter facientes, communibus quidem christianae humanitatis

them by the way, they were neither admitted to communion, non wholly refused, but, if occasion were, maintained by the Church, till such Letters could be procured by the Church from whence they came, which was called the communio peregrina.

(*b*) Synes. epist. LXVI. ad Theothimum (lege Theophilum) *ἐκκλησίᾳ μὲν οὐκ ἐδεξάμην αὐτὸν, οὐδὲ τραπέζης ἱερᾶς ἐκοινώνησα· οἴκοι δὲ ἴσα καὶ τοῖς ἀναιτίοις ἐτίμησα.*

(*c*) Socrat. lib. VI. c. IX. *ἐν τιμῇ μὲν εἶχε τοὺς ἄνδρας, καὶ τῶν εὐχῶν μετέχειν οὐκ ἐκώλυσε· κοινωνίαν δὲ τῶν μυστηρίων οὐκ ἔφη πρὸ διαγνώσεως μεταδώσειν αὐτοῖς.* Sozomen. lib. VIII. c. XIII. *ὁ δὲ [Ἰωάννης] προσελθόντας αὐτῷ τοὺς ἄνδρας φιλοφρόνως ἐδέξατο, καὶ ἐν τιμῇ εἶχε, καὶ εὔχεσθαι ἐπὶ ἐκκλησίας οὐ διεκώλυσε· κοινωνεῖν δὲ μυστηρίων αὐτοῖς οὐχ ἡγήσατο, ὡς οὐ θεμιτὸν πρὸ διαγνώσεως τοῦτο ποιεῖν. Ioannes illos ad se venientes benigne excepit, & in pretio habuit, & in ecclesia orare nequaquam prohibuit: Cum illis tamen haudquaquam communicandum sibi esse existimauit, propterea quod ante caussam cognitam, id fieri non liceret.*

offi-

officiis frui, ad christianam autem communionem admitti non potuisse. Atque ita expressis verbis rem determinant canones apostolici [d]. *Nullum*, inquiunt, *peregrinorum episcoporum, aut presbyterorum, aut diaconorum, sine commendatitiis recipite: iis vero litteris allatis, interrogentur illi & examinentur: & si quidem prædicatores fuerint pietatis, recipiantur; sin minus, eis suppeditate, quæ sunt necessaria, sed ad communionem eos ne admittatis: multa enim per obreptionem fiunt.* In concilio *Carthaginensi* primo [e] similis regula data legitur; *Clericus vel laicus non communicet in aliena plebe sine litteris episcopi sui. Nisi hoc obseruatum fuerit, communio fiet passiua.* Et in omnibus fere conciliis canon aliquis in eamdem sententiam habetur. Vt adeo, qualiter peregrini, siue clerici siue laici, in peregrina tractari solebant, taliter disciplina in peccantes clericos in sua ipsorum ecclesia exerceretur. Ab officio suo & communione prohibebantur, quæ autem ad vitam sustentandam necessaria erant, percipiebant; quæ proprie erat communio peregrina.

§. IX.

Qualis pœnitentia necessaria fuerit ad restituendum istiusmodi delinquentes clericos in officium suum & stationem pristinam.

VNA tantum difficultas superest memoranda nobis hac in materia; nempe qualis pœnitentia fuerit, quam ecclesia

(*d*) Can. apostol. XXXIIII. Μηδένα τῶν ξένων ἐπισκόπων ἢ πρεσβυτέρων, ἢ διακόνων, ἄνευ συστατικῶν γραμμάτων προσδέχεσθε· καὶ ἐπιφερομένων δὲ αὐτῶν, ἀνακρινέσθωσαν· καὶ ἐὰν μὲν ὦσι κήρυκες τῆς εὐσεβείας, προσδεχέσθωσαν· εἰ δὲ μήγε, τὰ πρὸς τὰς χρείας αὐτοῖς ἐπιχορηγήσαντες, εἰς κοινωνίαν αὐτὰς μὴ προσδέξησθε· πολλὰ γὰρ καὶ κατὰ συναρπαγὴν γίνεται.

(*e*) Concil. Carth. I. can. VII.
Vid. concil. Antioch. c. VII. Μηδένα ἄνευ εἰρηνικῶν δέχεσθαι τῶν ξένων. *Nullus extraneus sine pacificis suscipiatur.*
Conc. Laodic. c. XLI. Ὅτι οὐ δεῖ ἱερατικὸν ἢ κληρικὸν ἄνευ κανονικῶν γραμμάτων ὁδεύειν, *Quod non oportet eum, qui est sacratus vel clericus, sine* canonicis litteris *iter ingredi.*
Conc. Mileuit. c. XX. (tom. II. conc. p. 1542.) Placuit, vt quicumque clericus, propter necessitatem suam alicubi ad comitatum ire voluerit, formatam ab episcopo accipiat. cetera.
Conc. Agath. c. LII. Presbytero, aut diacono, vel clerico sine antistitis sui epistolis ambulanti communionem nullus impendat. In conc. Epaon. c. VI. idem canon iisdem verbis legitur.

ab iſtiuſmodi peccantibus clericis, ad reſtituendum eos officio ſuo & ſtationi priſtinæ, requiſierit. Potuiſſe eos per pœnitentiam reſtitui, ex ante memorato concilii *Agathenſis* canone [f] manifeſtum eſt, qui id concedit; & in hoc communio peregrina præcipue diſcrepabat a communione laica, quod illa clerico peccanti reſtitutionem in officio permitteret, hæc plerumque non permitteret. Difficultas autem oritur ex aliis canonibus, qui & aliquem ordinari vetant [g], qui dum laicus eſſet, pœnitentiam publicam egerit, & clericos, qui ad publicam pœnitentiam reducti fuerint, in antiquam dignitatem & ſtationem ſuam [h] reſtitui prohibent. De quibus duobus di-

(*f*) Conc. Agath. can. II. vid. §. I. ſub litt. (c) in textu.

(*g*) Concil. Nic. can. X. Ὅσοι προεχειρίσθησαν τῶν παραπεπτωκότων κατὰ ἄγνοιαν, ἢ καὶ προειδότων τῶν προχειρισαμένων, τοῦτο οὐ προκρίνει τῷ κανόνι τῷ ἐκκλησιαστικῷ· γνωσθέντες γὰρ καθαιροῦνται. *Quicunque ex iis, qui lapſi ſunt, vel per ignorantiam, vel ſcientibus iis, qui promouerunt, ordinati ſunt, hoc eccleſiaſtico canoni non præiudicat. Ii enim cogniti deponuntur.*

Conc. Carth. IV. c. LXVIII. Ex pœnitentibus (quamuis ſit bonus) clericus non ordinetur. Si per ignorantiam epiſcopi factum fuerit, deponatur a clero, quia ſe ordinationis tempore non prodidit fuiſſe pœnitentem. Si autem ſciens epiſcopus ordinauerit talem, etiam ab epiſcopatus ſui, ordinandi duntaxat, poteſtate priuetur.

Concil. Tolet. I. c. II. Placuit, vt pœnitentes non admittantur ad clerum, niſi tantum ſi neceſſitas aut vſus exegerit, & tunc inter oſtiarios deputentur, vel inter lectores.

Conc. Agath. c. XLIII. De pœnitentibus id placuit obſeruare, quod ſancti patres noſtri ſynodali ſententia cenſuerunt, vt nullus de his clericus ordinetur, & qui iam ſunt per ignorantiam ordinati, vt ſicut bigami, aut interruptarum mariti, locum teneant, miniſtrare diaconus, aut conſecrare altare huiuſmodi presbyter non præſumat.

Concil. Epaon. c. III. Pœnitentiam profeſſi ad clericatum penitus non vocentur.

(*h*) Conc. Carth. V. c. XI. Confirmatum eſt, vt ſi quando presbyteri vel diaconi in aliqua grauiore culpa conuicti fuerint, qua eos a miniſterio neceſſe fuerit remoueri, non eis manus, tamquam pœnitentibus, vel tamquam fidelibus laicis, imponatur, neque vmquam permittendum, vt rebaptizati ad clericatus gradum promoueantur.

Leo epiſt. XCII. ad Ruſtic. c. II. (tom. III. concil. p. 1406.) Alienum eſt a conſuetudine eccleſiaſtica, vt qui in presbyteriali honore, aut in diaconi gradu fuerint conſecrati, hi pro crimine aliquo ſuo per manus impoſitionem remedium accipiant pœnitendi: quod ſine dubio ex apoſtolica traditione deſcendit, ſecundum quod ſcriptum eſt: *Sacerdos ſi peccauerit, quis orabit pro eo?* Vnde huiuſmodi lapſis ad promouendam miſericordi-

ſci-

ſciplinæ momentis, præter iſtos canones, AVGVSTINVS, quod ad praxin attinet, maius omni contradictione reddit teſtimonium, *Vt conſtitueretur in eccleſia*, inquiens [*i*], *ne quiſquam poſt alicuius criminis pœnitentiam clericatum accipiat, vel ad clericatum redeat, vel in clericatu maneat, non deſperatione indulgentiæ, ſed rigore factum eſt diſciplinæ.* Quomodo igitur dici poteſt, quod communio peregrina clericis permittat officium & dignitatem ſuam pœnitentiæ beneficio recuperare, quando hi canones pœnitentiam agentibus id tam clare denegant? Ad quod facile reſpondetur diſtinguendo inter publicam & priuatam pœnitentiam. Canones, qui clericos poſt actam pœnitentiam in officium reſtitui prohibent, de publica loquuntur pœnitentia, ſolemniter acta in eccleſia; alii autem canones, qui reos reſtitui permittunt, de priuata tantum pœnitentia loquuntur. Hanc autem diſtinctionem non eſſe arbitrariam, ſed ab ipſa eccleſia adhibitam, ex ipſis canonibus liquet. Nam concilium *Gerundenſe* [*k*] eos, qui priuatam pœnitentiam morbo quodam adfecti egerint communionemque acceperint, poſtmodum ordinari permittit, niſi ad pœnitentiam publicam in eccleſia agendam adacti fuerint, vel quibuſdam prohibitis vitiis adſtricti teneantur. Similem in modum GENNADIVS recenſens varias res, quæ quem ab ordinatione excludant, publicam pœnitentiam [*l*] eis adnumerat. De priuata autem pœnitentia mentionem nullam facit. Quocirca per hanc regulam omnes canones interpretari debemus, qui vel pœnitentes primum ordinari vetant, vel clericis poſt actam pœnitentiam libertatem abiudicant antiquam ſtationem ſuam recuperandi. De

am Dei priuata eſt expetenda ſeceſſio, vbi illis ſatisfactio, ſi fuerit digna, ſit etiam fructuoſa.

(*i*) Auguſtin. ep. L. ad Bonifac. p. 87. (tom. II. opp. p. 227. edit. Baſil. MDLXIX.)

(*k*) Concil. Gerund. c. X. Qui ægritudinis languore depreſſus, pœnitentiæ benedictionem (quam viaticum deputamus) per communionem acceperit, & poſtmodum reconualeſcens caput pœnitentiæ in eccleſia publice non ſubdiderit; ſi prohibitis vitiis non detinetur obnoxius, admittatur ad clerum.

(*l*) Gennad. de eccleſ. dogmat. c. LXXII. Clericum non ordinandum, qui publica pœnitentia mortalia crimina deflet. Vid. conc. Tolet. I. c. II. Pœnitentem dicimus, qui publicam pœnitentiam gerens, ſub cilicio, diuino fuerit reconciliatus altario.

publica videlicet intelligendi ſunt pœnitentia non de priuata. Atque ita apparens illa difficultas & contradictio canonum facile tollitur, quandoquidem concilium *Agathenſe*, quod clericis, ad communionem peregrinam reductis, libertatem indulget priſtinum officium ſuum poſt pœnitentiam reſumendi, de priuata non de publica pœnitentia explicari oportet. Atque hoc manifeſtum facit, quod reductio clericorum ad communionem peregrinam temporaria tantum eorum ſegregatio fuerit ab eorum officio, non plena & perfecta deiectio, ſiue reductio eorum ad ſtatum, ordinem & conditionem laicorum.

LIBRI DECIMI SEPTIMI

CAPVT QVARTVM

DE ALIIS QVIBVSDAM SPECIALIBVS ET PECVLIARIBVS MODIS INFLIGENDI POENAM CLERICIS.

§. I.

Clerici nonnumquam in perpetuum officio ſuo deiecti, honorem tamen & dignitatem retinere ſiti.

PRAETER hoſce generaliores vſitatioreſque puniendi clericos modos, erant quidam minus noti minuſque vſitati in eos animaduertendi modi, quos obſeruare non abs re erit, dum in hoc argumento verſamur. Hiſce adnumerare licebit iſtam ſuſpenſionem, quæ eos officii ſui exercitio plene & perfecte priuabat, honorem tamen & dignitatem retinere ſinebat. Hoc genus puniendi medium erat inter temporariam ſuſpenſionem & perpetuam degradationem. Nam adhuc communicandi inter clericos habebant libertatem, nec penitus ad communionem laicam erant reducti. Ita in concilio *Ancyrano* [a] iſtis presbyteris, qui idolis ſacrificauerant, poſtea autem certamine iterum inito confeſſores euaſerant, dignitatem & honorem

(a) Conc. Ancyr. can. I. Πρεσβυτέρους τοὺς ἐπιθύσαντας, εἶτα ἐπαναπαλαίσαντας, μήτε ἐκ μεθόδου τινὸς, ἀλλ᾽ ἐξ ἀληθείας, μήτε προκατασκευάσαντας καὶ ἐπιτηδεύσαντας καὶ πείσαντας, ἵνα δόξωσι μὲν βασάνοις ὑποβάλλεσθαι, ταύτας δὲ τῷ δοκεῖν καὶ τῷ σχήματι προσαχθῆναι· τούτους ἔδοξε τῆς μὲν τιμῆς τῆς κατὰ τὴν

presby-

presbyterorum retinendi, & inter reliquos in presbyterio ſedendi dabatur libertas; ſermonem autem habere, vel euchariſtiam conſecrare, vel aliud quoddam ſacerdotalis functionis officium obire eis non permittebatur. Idem decernebatur [*b*] de diaconis in idololatriam delapſis, vt honorem quidem ſuum retinerent, ab omni autem ſacro miniſterio ceſſarent, nec panem nec calicem offerrent, nec præconis officio in eccleſia defungerentur, niſi epiſcopus laboris eorum & humilitatis ac manſuetudinis conſcius eis aliquid amplius tribuere vellet, quod arbitrio eius in totum relinquebatur. Simile decretum faciebant patres concilii *Nicæni* [*c*] reſpectu epiſcoporum *Nouatianorum*, quos ad ordinem presbyterorum reducebant, honorem tamen epiſcoporum retinere ſinebant, ſi epiſcopo loci illis eum impertire placeret. Idem definiebatur in cauſſa *Meletii* ab eodem concilio [*d*], vt nudum honoris ſui nomen retineret, nullum autem haberet aut manus imponendi aut eli-

---

καθέδραν μετέχειν, προσφέρειν δὲ αὐτὰς, ἢ ὁμιλεῖν, ἢ ὅλως λειτουργεῖν τι τῶν ἱερατικῶν λειτουργιῶν, μὴ ἐξεῖναι. Presbyteros, qui ſacrificant, deinde contra reluctati ſunt, non fraudulenter & inſidioſe, ſed vere, nec hoc prius machinati ſunt, nec conſulto ac de induſtria id fecerunt & perſuaſerunt, vt tormentis ſubiici viderentur, cum ea ſpecie & opinione tantum inferrentur: viſum eſt, eos cathedræ quidem honoris eſſe participes, non licere autem ipſis offerre, ſeu ſermonem conferre, vel omnino ſacerdotale aliquod munus obire.

(*b*) Ibid. can. II. *Διακόνους ὁμοίως θύσαντας, μετὰ δὲ ταῦτα ἀναπαλαίσαντας, τὴν μὲν ἄλλην τιμὴν ἔχειν, πεπαῦσθαι δὲ αὐτοὺς πάσης τῆς ἱερᾶς λειτουργίας, τῆς τε τοῦ ἄρτον ἢ ποτήριον ἀναφέρειν, ἢ κηρύσσειν· εἰ μέν τοι τινὲς τῶν ἐπισκόπων τούτοις συνίδοιεν κάματόν τινα ἢ ταπείνωσιν πρᾳότητος, καὶ ἐθέλοιεν πλεῖόν τι διδόναι ἢ ἀφαιρεῖν, ἐπ' αὐτοῖς εἶναι τὴν ἐξουσίαν. Diaconos ſimiliter, qui ſacrificarunt, poſtea autem reluctati ſunt, alium quidem honorem habere, ipſos autem ab omni ſacro miniſterio ceſſare, ſiue a pane ſiue a calice offerendo, vel prædicando. Sed ſi ex epiſcopis aliqui in iis vel afflictionem aliquam, vel humilitatem ac manſuetudinem viderint, & aliquid amplius dare vel offerre voluerint, in eorum poteſtate id eſſe.*

(*c*) Concil. Nicæn. c. VIII. *ὁ δὲ ὀνομαζόμενος παρὰ τοῖς λεγομένοις καθαροῖς ἐπίσκοπος, τὴν τοῦ πρεσβυτέρου τιμὴν ἕξει· πλὴν εἰ μὴ ἄρα δοκοίη τῷ ἐπισκόπῳ τῆς τιμῆς τοῦ ὀνόματος αὐτὸν μετέχειν. Qui apud eos, qui Cathari dicuntur, nominatur epiſcopus, presbyteri honorem habebit: niſi vtique epiſcopo placeat, ipſum nominis honorem impertire.*

(*d*) Conc. Nic. epiſt. ſynod. ap. Theodoret. lib. I. c. IX. *κατὰ γὰρ τὸν ἀκριβῆ λόγον, οὐδὲ μιᾶς συγγνώμης ἄξιος ἦν· μένειν ἐν τῇ πόλει ἑαυτοῦ, καὶ μηδεμίαν ἐξουσίαν ἔχειν, μήτε προσχειρίζεσθαι, μήτε χειροθετεῖν, μήτε ἐν χώρᾳ ἢ πόλει τινὶ*

gerendi poteſtatem, nec huius rei cauſſa aut in vico aut in vrbe vlla compareret. Ita in canonibus BASILII [e] presbytero, qui certo peccato adſtrictus eſt, inter reliquos presbyteros ſedere, nullum autem ordinis ſui officium obire, permittitur. Et diaconus peccans [f] a miniſterio prohibetur, ſacramentorum tamen cum reliquis diaconis particeps eſſe ſinitur. Concilium *Agathenſe* [g] ſimile decretum habet de presbyteris & diaconis digamis, qui aliorum viduas duxerant; vt, quamuis nonnullæ regulæ patrum olim factæ ſeuerius eos tractari iubeant, ea tamen reuerentia ac lenitas eis, qui iam ordinati ſint, adhibeatur, vt presbyterorum vel diaconorum nomen retineant, officium vero conſecrandi presbyteri, & miniſtrandi diaconi ſibi non arrogent. Similis ſententia lata eſt in concilio generali *Epheſino* [h] in cauſſa *Euſtathii* metropolitani *Pamphiliæ*, qui vitæ priuatæ ſtudio ductus, quum turbas quaſdam in officio ſuo ſuſtineret, epiſcopatu ipſe ſe abdicabat, idque

φαίνεσθαι ταύτης τῆς προθέσεως ἕνεκεν, ψιλὸν δὲ τὸ ὄνομα τῆς τιμῆς κεκλῆσθαι. Vid. Socrat. lib. I. c. IX. vbi eadem habentur.

Sozom. lib. I. c. XXIV. Ἐξετασθέντων δὲ καὶ τῶν μετὰ Μελίτιον ἀνὰ τὴν Αἴγυπτον συμβάντων, κατεδίκασεν αὐτὸν ἡ σύνοδος ἐν τῇ Λυκῷ διατρίβειν, ψιλὸν ὄνομα ἐπισκοπῆς ἔχοντα· τῇ δὲ λοιπῇ, μήτε ἐν πόλει, μήτε ἐν κώμῃ χειροτονεῖν. *Porro eadem ſynodus, quum ea, quæ per Meletium in Aegypto acciderant, examinaſſet, contra illum ſententiam tulit; vt in vrbe Lyco degeret, ſolo epiſcopi nomine contentus: nec deinceps ſiue in vrbe ſiue in vico ordinationem vllam faceret.*

(e) Baſil. c. XXVII. περὶ τῦ πρεσβυτέρου τῦ κατ᾽ ἄγνοιαν ἀθέσμῳ γάμῳ περιπαρέντος ὥρισα ἃ ἐχρῆν, καθέδρας μὲν μετέχειν, τῶν δὲ λοιπῶν ἐνεργειῶν ἀπέχεσθαι. *De presbytero, qui per ignorantiam nefariis nuptiis implicatus eſt, definiui, quæ oporteat: eſſe quidem cathedræ participem, a reliquis autem actionibus abſtinere.*

(f) Ibid. c. LXX. Διάκονος ἐν χείλεσι μιανθεὶς, καὶ μέχρι τέτε ἡμαρτηκέναι ὁμολογήσας, τῆς λειτεργίας ἐπισχεθήσεται. *Diaconus, qui pollutus eſt labiis, & ſe eo vſque peccaſſe confeſſus eſt, a miniſterio prohibebitur, ſacramentorum autem cum diaconis particeps eſſe ſinetur.*

(g) Conc. Agath. c. I. Placuit de digamis, aut interruptarum maritis, quamquam aliud patrum ſtatuta decreuerint, vt qui huc vſque ordinati ſunt, habita miſeratione, presbyteri vel diaconi nomen tantum obtineant: officium vero conſecrandi presbyteri vel miniſtrandi huiuſmodi diaconi non præſumant.

(h) Concil. Epheſ. epiſt. Synod. ad ſynod. Pamphyl. conc. tom. III. p. 808. d. e. ἐδικαιώσαμεν καὶ ὡρίσαμεν δίχα πάσης ἀντιλογίας ἔχειν αὐτὸν τό τε τῆς ἐπισκοπῆς ὄνομα, καὶ τὴν τιμὴν, καὶ τὴν κοινωνίαν· ὥστε μέν τοι, ὥστε μὴ χειροτονεῖν αὐτὸν, μήτε μὴν ἐκκλησίαν καταλαβόντα ἱερουργεῖν ἐξ ἰδίας αὐθεντείας· ἀλλ᾽ ἢ

con-

contra canonem, deinde vero a concilio petebat, vt ſolum epiſcopalis honoris nomen retinere ſibi liceret. Cui illius petitioni, habita ætatis & quieti animi eius ratione, adnuebat; iuſtum rectumque eſſe definiens, vt & nomen retineret epiſcopi & honorem & communionem, ea tamen lege, vt neque ordinandi ipſe auctoritatem haberet, neque in vlla eccleſia ex propria ſacrificaret auctoritate; niſi id ſibi vel adiuuandi cauſſa, vel conceſſionis ratione, affectu amoreque chriſtiano a fratre & coëpiſcopo, ſi ita contingeret, liberaliter deferretur.

§. II.

Interdum deiecti non omnino, ſed tantum ex parte, de vno ordine ad alium.

Ex vno ante memoratorum canonum [i] apparet, fuiſſe etiam pœnam aliquam clericorum degradationem eorum ex parte; quæ erat, quando non omni prorſus gradu & officio clericali priuabantur, ſed tantum de altiore gradu ad inferiorem per modum diſciplinæ & caſtigationis deiiciebantur. Hoc modo ſynodus *Nicæna* ſchiſmaticos *Nouatianos* tractabat, permittens eis, qui epiſcopi inter eos nominati erant, vt presbyterorum officio in eccleſia catholica fungerentur, niſi forte epiſcopo alicui catholico placeret, nomen & honorem chorepiſcopi in diœceſi ſua eis impertire. Atque ita concilium *Neocæſarcenſe* [k] diaconum, qui in peccatum aliquod impudicitiæ inciderit, ad ordinem hypodiaconorum detrudi iubet. Et per hanc regulam, quemadmodum ex chronico HIERONY-

ἄρα συμπ-ρχλαμβανόμενον, εἴτꙋν ἐπιτρεπόμενον, εἰ τύχοι, παρὰ ἀδελφꙋ̃ καὶ συνεπισκόπꙋ, κατὰ διάθεσιν καὶ ἀγαπὴν τὴν ἐν χριςῷ.

(i) Conc. Nic. can. VIII. vid. litt. (c).

(k) Ὁμοίως καὶ διάκονος ἐὰν ἐν τῷ αὐτῷ ἁμαρτήματι περιπέσῃ, τὴν τꙋ̃ ὑπηρέτꙋ τάξιν ἐχέτω. *Similiter & diaconus, ſi in idem peccatum inciderit, miniſtri ordinem habeat.*

Vid. concil. Tolet. I. c. IV. Subdiaconus defuncta vxore ſi aliam duxerit, ab officio, in quo ordinatus fuerat, remoueatur & habeatur inter oſtiarios, vel inter lectores, ita vt euangelium & epiſtolam non legat.

Concil. Trull. c. XX. Μὴ ἐξέϛω ἐπισκόπῳ εἰς ἑτέραν τὴν μὴ αὐτῷ προσήκꙋσαν πόλιν δημοσίᾳ διδάσκειν· εἰ δὲ τις φωραθείη τꙋ̃το ποιῶν, τῆς ἐπισκοπῆς παυέσθω, τὰ δὲ τꙋ̃ πρεσβυτέρꙋ ἐνεργείτω. *Ne liceat epiſcopo in alia, quæ ad ſe non pertinet, ciuitate publice docere. Si quis autem hoc facere deprehenſus fuerit, ab epiſcopatu deſiſtat, presbyteri autem munere fungatur.*

MI

MI obseruat VALESIVS [*l*], factum est, vt *Cyrillus Hierosolymitanus Heraclium* de gradu episcopi ad gradum presbyteri deiiceret. Concilium autem *Chalcedonense* hanc regulam non videtur approbasse. Nam in vno quodam canone illius sacrilegium [*m*] vocatur, episcopum in presbyteri gradum deducere. Et propterea, si qua iusta caussa sit, ab episcopali cum dignitate deiiciendi, nec presbyteri locum obtinere ipsum oportere decernitur. Vnde colligere nobis licebit, hanc disciplinæ partem pro diuersis sententiis hominum in diuersis ætatibus variasse.

§. III.

Interdum aliqua muneris sui parte priuati, reliquas autem partes exercere siti.

INTERDVM etiam officio suo priuabantur, quod ad particulares quosdam eius actus, reliquas autem functionis suæ partes exercendi retinebant libertatem. Ita in concilio *Neocæsareensi* [*n*] canonem deprehendimus, hunc in modum statuentem: *Si presbyter, qui corpore prius peccauerat, promotus fuerit, & si ante ordinationem peccasse confessus fuerit: ne offerat, manens in aliis, propter aliud eius bonæ vitæ studium.* Et in concilio *Carthaginensi* quarto [*o*], decretum legitur huiusmodi: *Si sciens episcopus ordinauerit talem* (qui publice pœnitentiam egerit, quem canones ordinari vetant) *etiam ipse ab episcopatus sui, ordinandi duntaxat, potestate priuetur.* Vnde videre est, istiusmodi episcopum reliquas officii partes vniuersas exercendi retinuisse potestatem.

§. IV.

Interdum potestas eis adempta in aliquam gregis sui partem, in reliquas autem relicta.

IN Africa nonnumquam episcopos inuenimus, ob malam

(*l*) Vales. not. in Sozom. lib. IV. c. XXX. Ἡράκλειος] Hunc Heraclium -- Maximus moriens sibi successorem designauerat. Verum Cyrillus Arianorum factione ad episcopatum promotus, eum variis fraudibus appetitum ex episcopo in presbyteri locum regradauit, vt scribit Hieronymus in chronico.

(*m*) Concil. Chalcedon. c. XXIX. Ἐπίσκοπον εἰς πρεσβυτέρου βαθμὸν φέρειν, ἱεροσυλία ἐστίν· εἰ δὲ αἰτία τις δικαία ἐκείνους ἀπὸ τῆς πράξεως τῆς ἐπισκοπῆς ἀποκινεῖ, οὐδὲ πρεσβυτέρου τόπον κατέχειν ὀφείλουσι.

(*n*) Conc. Neocæsar. can. IX. Πρεσβύτερος, ἐὰν προημαρτηκὼς σώματι προαχθῇ, καὶ ὁμολογήσῃ, ὅτι ἥμαρτε πρὸ τῆς χειροτονίας, μὴ προσφερέτω, μένων ἐν τοῖς λοιποῖς, διὰ τὴν ἄλλην σπουδήν.

(*o*) Conc. Carth. IV. c. LXVIII.

et

et imprudentem officii sui administrationem, potestate in aliquam gregis sui partem priuatos, quibus tamen reliquum populum gubernare permissum fuerit. Colligi hoc potest ex iis, quæ AVGVSTINVS de eorum ratione agendi cum *Antonio* quodam episcopo iuuene narrat, qui nonnullos de populo suo indignis exactionibus oppresserat. *Sententias nostras*, inquit [p], *sic temperauimus, vt saluo episcopatu, non tamen impunita relinquerentur, quæ non deberent vel eidem ipsi deinceps iterumque facienda, vel ceteris sectanda proponi. Honorem itaque integrum seruauimus iuueni corrigendo: sed corripiendo minuimus potestatem, ne scilicet iis præesset vlterius, cum quibus sic egerat, vt dolore iusto, eum sibi præesse, ferre omnino non possent, &, cum suo illiusque periculo, in aliquod scelus forsitan erupturam impatientiam sui doloris ostenderent.* Addit AVGVSTINVS, *Antonium* quidem hac de re conquestum esse, tamquam iuris sui ac potestatis violatione, & clamasse; *Aut in mea cathedra sedere debui, aut episcopus esse non debui:* ostendit autem, non esse hoc nouum ac insolitum in *Africa*, nec in se iniquum: posse enim episcopum diuersarum rerum male gestarum reum esse, propter quod non expediat eum omnino impunitum dimittere, neque tamen prorsus episcopali honore & potestate priuare. Cuiusmodi in casibus viam mediam correctionem vtilissimam esse putat: vt nec nimia seueritas vltra naturam peccati, nec nimia lenitas, sine vlla censura illud abire sinens, adhibeatur. Et hanc methodum esse demonstrat, in puniendis leuioribus peccatis in *Africa* sæpissime vsurpari solitam.

§. V.

Episcopi in Africa *puniti ademtione prærogatiuæ ætatis & iuris succedendi in locum primatis siue metropolitani.*

SPECIATIM in *Africa* (vbi primatus metropolitanorum semper migrabat cum episcopo seniore, ita vt hic mortuo primati succederet, in quacumque diœcesi sedem suam haberet) moris erat episcopum delinquentem punire, priuando eum ætatis prærogatiua & iure primatus, ita vt omni eius aliquando adipiscendi spe deiiceretur. Hoc ab AVGVSTINO in eadem epistola [q] discimus, vbi exemplum exhibet in quodam *Pri-*

(p) Augustin. epist. CCLXI.

(q) August. ibid. Clamet Priscus prouinciæ Cæsariensis episcopus: Aut ad primatum, cetera.

sco, prouinciæ *Cæsariensis* episcopo, qui hoc modo punitus sit. Et si argumentum *Antonii* recte se habeat, *Priscum* itidem clamare potuisse dicit: *Aut ad primatum locus, sicut cæteris, & mihi patere debuit, aut episcopatus mihi remanere non debuit.* At disciplinam *Africanam* media via incedere, vt propter certa crimina nec episcopos episcopali sua potestate priuet, nec eos omnino impunitos relinquat.

§. VI.

Et prohibitione ab aliarum ecclesiarum communione.

ALIVD huius disciplinæ exemplum erat. episcopum delinquentem ad communionem suæ ipsius ecclesiæ adstringere, omnibusque reliquis episcopis interdicere, ne eum ad communionem in vlla ecclesiarum suarum admitterent. AVGVSTINVS cuiusdam *Victorii* [r] meminit, in quem hoc modo animaduersum sit; qui æque obiicere potuisset: *Aut vbique communicare debui, aut etiam in meis locis communicare non debui.* Sed hæc æqua & iusta ratio habebatur episcopos ob leuia quædam errata coërcendi, si grauissimis censuris non haberentur digni. Exempli gratia, si quis episcopus ad prouincialem synodum a primate arcessitus ire recusaret, vel alius cuiusdam episcopi clericos, sine eius permissu & auctoritate, ordinaret; quæ quædam de delictis sunt, quorum fit mentio in synodis *Africanis* [*], propter quæ episcopus hanc censuram poterat incurrere.

(*r*) August. ibid. Clamet alius eiusdem prouinciæ Victor episcopus, cui relicto in eadem pœna, in qua & Priscus fuit, nusquam nisi in diœcesi eius ab alio communicatur episcopo: Clamet, inquam, aut vbique communicare debui, aut etiam in meis locis communicare non debui.

(*) Vid. Concil. Carthag. V. c. X. Placuit, vt quotiescumque congregandum est concilium, episcopi qui neque ætate, neque ægritudine, neque alia grauiori necessitate impediuntur, competenter occurrant. --- Quod si non potuerint occurrere, excusationes suas in tractatoria subscribant: vel si post aduentum tractatoriæ aliquæ necessitates repente forsitan fuerint, nisi rationem impedimenti sui apud suum primatem reddiderint, *ecclesiæ suæ communione debere esse contentos.* Ibid. c. XIII. Placuit, vt si quis de alterius monasterio repertum, vel ad clericatum promouere voluerit, vel in suo monasterio maiorem monasterii constituere; episcopus qui hoc fecerit, a cæterorum communione seiunctus, *suæ tantum plebis communione contentus sit:* & ille neque clericus, neque præpositus perseueret. Conf. cod. Afric. can. LXXVI. LXXX. vbi eadem leguntur.

§. VII.

§. VII.

Vel translatione ex diœcesi maiori ad minorem.

AVGVSTINVS tertium aliquod huius disciplinæ exemplum in ecclesia *Africana* exhibet, quod erat negligentis episcopi de diœcesi maiori ad minorem translatio, quæ species quædam erat tacitæ infamiæ & dedecoris, istaque dignitatis imminutio pœna eius erat. Vt enim laudi erat episcopo ex diœcesi minori ad maiorem, approbante quidem & decernente synodo, (sine qua id non erat licitum) transferri: ita probro & dedecori ei erat, per synodale aliquod decretum, etsi non ad inferiorem aliquem ordinem, tamen ad inferiorem aliquam stationem deturbari. Alterum quidem argumentum erat meriti ac magnæ virtutis, alterum autem argumentum alicuius culpæ & malæ muneris administrationis; & propterea alterum instar remunerationis adhibebatur, ad altius prouehendum episcopum ob dexteritatem suam egregiamque ecclesiæ datam operam; alterum autem pœnæ loco, ad humaniter admonendum & moderate corrigendum negligentem episcopum. Atque hoc modo *Laurentium* quemdam episcopum per disciplinam ecclesiæ *Africanæ* punitum fuisse, idem AVGVSTINVS fidem nobis [s] facit.

§. VIII.

Clerici generatim puniti amissione prærogatiuæ ætatis inter reliquos sui ordinis.

MODERATA pœna erat eiusdem prorsus generis, cuius, tamquam omnibus clericorum ordinibus generatim infligi solitæ, concilium *Trullanum* [t] meminit. Quæ in eo consistebat, vt ætatis priuarentur prærogatiua, & ad infimam sedem siue gradum inter reliquos sui ordinis clericos deiicerentur. Hæc plerumque ambitiosorum & arrogantium pœna erat. Concilium exemplum dat in illis diaconis, qui quum in honorificentiore aliquo essent officio ecclesiastico, presbyterorum

(s) August. ibid. epist. CCLXI. Clamet tertius eiusdem prouinciæ Laurentius episcopus, & prorsus huius vocibus clamet: Aut in cathedra, cui ordinatus sum, sedere debui, aut episcopus esse non debui.

(t) Conc. Trull. c. VII. Ἐπειδὴ μεμαθήκαμεν, ἔν τισι τῶν ἐκκλησιῶν διακόνους τυγχάνειν ὀφφίκια ἐκκλησιαστικὰ ἔχοντας, ἐντεῦθέν τινας αὐτῶν αὐθαδείᾳ καὶ αὐθονομίᾳ κεχρημένους πρὸ τῶν πρεσβυτέρων καθέζεσθαι· ὁρίζομεν ὥστε τὸν διάκονον,

rum locum occupare & ante eos ſedere ſibi ſumebant; contra quos parabolam adlegat ſeruatoris noſtri: *Quando ab aliquo ad nuptias inuitatus fueris, ne in primo loco accubueris, ne forte quispiam honoratior ab eo inuitatus fuerit, isque qui te & ipſum inuitauit, veniat & dicat: da ei locum, & tunc incipies cum pudore vltimum locum tenere. Sed quando inuitatus fueris, in vltimo loco accumbe, vt quando venerit, qui te inuitauit, dicat tibi: Amice, adſcende altius: tunc erit tibi gloriæ coram iis, qui tecum accumbunt. Nam quiſquis ſe extollit, humiliabitur: & qui ſe humiliat, exaltabitur.* Auctor conſtitutionum apoſtolicarum eiuſdem pœnæ facit mentionem, tamquam tempore ſuo inter ipſos etiam laicos vſitatæ. Nam ſi quis honoratus in congregationem veniret, peregrinus ſcilicet, & aliquis monitus a diacono, vt honoratum illum ſedere faceret, loco cedere renueret; mouendus & poſt omnes amandandus erat in eccleſia [*u*]. Eamdem conſuetudinem no-

κἂν ἐν ἀξιώματι, τουτέστιν ὀφφικίῳ οἱῳδήποτε ἐκκλησιαστικῷ, τυγχάνῃ, τὸν τοιοῦτον μὴ πρὸ τοῦ πρεσβυτέρου καθέζεσθαι, ἐκτὸς εἰ μὴ τὸ πρόσωπον ἐπέχων τοῦ οἰκείου πατριάρχου, ἢ μητροπολίτου ἐν ἑτέρᾳ πόλει παραγένηται ἐπί τινι κεφαλαίῳ· τότε γὰρ ὡς τὸν ἐκείνου τόπον ἀναπληρῶν τιμηθήσεται· εἰ δέ τις τοῦτο τολμήσει τυραννικῷ χρώμενος θράσει διαπράξασθαι, ὁ τοιοῦτος ἐκ τοῦ οἰκείου καταβιβασθεὶς βαθμοῦ ἔσχατος πάντων γινέσθω τοῦ ἐν ᾧπερ καταλέγεται τάγματος ἐν τῇ κατ' αὐτὸν ἐκκλησίᾳ, τοῦ κυρίου ἡμῶν παραινοῦντος, μὴ χαίρειν ταῖς πρωτοκλισίαις, κατὰ τὴν ἐν τῷ ἁγίῳ εὐαγγελιστῇ Λουκᾷ, ὡς ἐξ αὐτοῦ τοῦ κυρίου ἡμῶν καὶ θεοῦ κειμένην διδασκαλίαν· ἔλεγε γὰρ πρὸς τοὺς κεκλημένους παραβολὴν ἐπάγων· ἐὰν κληθῇς κ. τ. λ. *Quoniam in nonnullis eccleſiis diaconos officia eccleſiaſtica habere didicimus, & ex hoc nonnullos eorum arrogantia & licentia fretos ante presbyteros ſedere: ſtatuimus vt diaconus, etiamſi in dignitate, id eſt, in quouis ſit officio eccleſiaſtico, ante presbyterum ne ſedeat, præterquam ſi proprii patriarchæ vel metropolitani vicem gerens adſit in alia ciuitate ſuper aliquo capite: tunc enim vt locum illius implens honorabitur. Si quis autem tyrannica adductus audacia, tale quid efficere auſus fuerit,* is ex proprio gradu deiectus omnium ſit vltimus eius ordinis, in cuius eſt catalogo in ſua eccleſia, *domino noſtro admonente, ne in primis ſedibus delectemur, ſecundum eam, quæ in ſancto euangeliſta Luca, vt ex domino noſtro & Deo profecta, poſita eſt, doctrinam. Iis enim, qui vocati erant, dicebat hanc parabolam:* Quando ab aliquo, *cetera.*

(*u*) Conſtitut. lib. II. c. LVIII. ἐκεῖνον [ἔνδοξον] καθισάτω· δίκαιον δὲ τοῦτο καὶ ἀφ' ἑαυτοῦ τὸν φιλάδελφον ποιῆσαι· ἐὰν δὲ ἀνανεύῃ, ἐγείρας αὐτὸν ἀναγκαστῶς, ὀπίσω πάντων στῆσον.

tat

tat COTELERIVS [w] obſeruatam inter monachos in regulis PACHOMII & BENEDICTI propter leuiores offenſiones. Et in concilio *Nicæno* ſecundo [x] ſimilis regula ad corrigendos clericos exſtat, in qua definitur, vt ſi quis arroganter elatus inſurgat aduerſus alios, ad infimum ordinis ſui gradum, ad diſcendam in ſtatione ſua animi ſubmiſſionem, detrudatur.

§. IX.

Et deiectione de ſpe ad altiorem ordinem adſcendendi.

NEGATIVAM quoque pœnam habebant eiuſdem generis, cui omnes inferiores clericorum ordines erant obnoxii. Hæc in eo conſiſtebat, vt omnis ad potiorem dignitatem prouectio eis negaretur, nec vlla ſpes ad altiorem quemdam in eccleſia ordinem adſcendendi relinqueretur. Concilium *Toletanum* primum diuerſos canones hanc in rem fecit. Canon primus habet [y]: *Placuit, vt diaconi, qui incontinenter cum vxoribus vixerint, presbyterii honore non cumulentur. Si quis vero ex presbyteris ante interdictum filios ſuos ſuſceperit, de presbyterio ad epiſcopatum non admittatur.* Hic primus quidam gradus erat ad conſtituendum

(w) Coteler. in loc. In regula S. Pachomii articulo LXXXV. „Si quis iracundus & furioſus frequenter iraſcatur ſine cauſſa & propter rem inanem & „vacuam; per ſex vices commonebitur, & in ſeptima facient eum ſurgere „de ordine ſeſſionis ſuæ & *inter vltimos collocabitur*„. Et in regula S. Benedicti c. XLIII. „Quod ſi quis ad nocturnas vigilias poſt gloriam pſalm. „XCIV. (quem propter hoc omnino protrahendo & moroſe volumus dici) „occurrerit, non ſtet in ordine ſuo in choro, ſed omnium vltimus ſtet, „aut in loco, quem talibus negligentibus ſeorſum conſtituerit abbas &c.„ Cuius poſterioris præcepti veſtigia premit caput CXXXI. libri I. ſynodi Aquisgranenſis anno DCCCXVI. congregatæ. Nec multum diſſimilis eſt alia cenſura concilii Trullani can. VII. & concilii Nicæni II. can. V. per quam clericus ad vltimum gradum ordinis ſui amandatur, ſitque ſociorum omnium ὑποβάθμιος.

(x) Concil. Nic. II. c. V. τοὺς ἀναιδεῖ προσώπῳ καὶ ἀπερικαλύπτῳ στόματι ὀνειδιστικοῖς λόγοις τοὺς δι' ἀρετὴν βίου ὑπὸ τοῦ ἁγίου πνεύματος ἐκλεγέντας καὶ καταχθέντας ἐκτὸς δόσεως χρυσίου ἀτιμάζοντας, πρῶτον μὲν τοῦτο ποιοῦντας τὸν ἔσχατον βαθμὸν λαμβάνειν τοῦ οἰκείου τάγματος· εἰ δὲ ἐπιμένοιεν, δι' ἐπιτιμίου διορθοῦσθαι. *Eos, qui ex imprudenti facie & non operto ore exprobrabilibus verbis eos, qui ob virtutem vitæ a ſancto ſpiritu electi & conſtituti ſine datione auri ſunt, inhonorant; primo quidem* nouiſſimum gradum accipere ſui ordinis *definimus; quod ſi permanſerint, per epitimium corrigantur.*

(y) Concil. Tolet. I. c. I.

clericorum cælibatum, qui initio introducebatur non abolitione ordinum clericorum, vxores habentium, sed reiectione eorum ab aditu & adſcenſu ad altiorem ordinem. Alius canon [z] ita ſtatuit: *Lector, ſi viduam alterius vxorem acceperit, amplius nihil ſit, ſed ſemper lector habeatur, aut forte ſubdiaconus.* Et rurſus alius eiuſdem concilii canon [a]: *Si quis poſt baptiſmum militauerit & chlamydem ſumſerit, aut cingulum ad necandos fideles, etiamſi grauia non admiſerit, ſi ad clerum admiſſus fuerit, diaconi non accipiet gradum.* Simile decretum in concilio legitur *Ilerdenſi*: *De his clericis, qui in obſeſſionis neceſſitate poſiti fuerint, id ſtatutum eſt, vt, qui altari miniſtrant, & Chriſti corpus & ſanguinem tradunt, vel vaſa ſacro officio deputata contrectant, ab omni humano ſanguine etiam hoſtili abſtineant. Quod ſi in hoc inciderint, duobus annis tam officio quam communione priuentur: ita vt his duobus annis, vigiliis, ieiuniis, orationibus & eleemoſynis pro viribus, quas dominus donauerit, expientur, & ita demum officio, vel communioni reddantur; ea tamen ratione ſeruata [b], ne vlterius ad officia potiora promoueantur.* Et alius quidam canon in eodem concilio reperitur, in quo eadem pœna delinquentibus clericis decernitur: *Hi qui altari Dei deſeruiunt, ſi ſubito in flenda carnis fragilitate corruerint, & domino reſpiciente digne pœnituerint, ita vt mortificato corpore cordis contriti ſacrificium Deo offerant, maneat in poteſtate pontificis, vel veraciter afflictos non diu ſuſpendere, vel deſidioſos prolixiore tempore ab eccleſiæ corpore ſegregare, vt ſic officiorum ſuorum loca recipiant [c], ne poſſint ad altiora officia vlterius promoueri.* Concilium primum *Arauſicanum* & concilium *Taurinenſe* [d] canones habent in eamdem ſententiam. Et LEO epiſcopus *Romanus* id tamquam regulam tradit, generali eccleſiæ praxi fundatam, quod hæretici ad eccleſiam redeuntes in magno habere debeant beneficio, ſi ademta

(z) Ibid. c. III.

(a) Ibid. c. VIII.

(b) Concil. Ilerdenſ. c. I.

(c) Ibid. can. V.

(d) Concil. Arauſic. I. c. XXIV. De his qui prius ordinati hoc ipſum inciderunt, Taurinatis ſynodi ſequendam eſſe ſententiam, qua iubentur non vlterius promoueri.

Concil. Taurin. c. VIII. Hi qui contra interdictum ſunt ordinati, vel in miniſterio filios genuerunt, ne ad maiores gradus ordinum permittantur, ſynodi decreuit auctoritas.

ſibi

ſibi omni ſpe promotionis [*e*], in quo inueniantur ordine, manere ſibi liceat. Inter *Græcos* BASILIVS [*f*] ſimilem regulam habet de lectoribus, qui cum ſponſa ſua ante matrimonium commercium habuerint, vt quilibet huius peccati reus, poſtquam per annum officio ceſſauerit, ad legendum quidem ſuſcipiatur, maneat autem in officio ſuo, nec vlterius prouehatur. IVSTINIANVS imperator in *nouella* quadam [*g*] ſimile decretum de lectoribus fecit: *Si lector ſecundam ducat vxorem, aut primam quidem viduam, aut ſeparatam a viro, aut legibus vel ſacris canonibus interdictam, nequaquam ad alium eccleſiaſticum ordinem prouehatur: ſed etſi ad maiorem ordinem perducatur, expellatur eo & priori reſtituatur.* Hæc vna erat ex hiſce pœnis negatiuis, quæ ad impedienda & corrigenda leuiora delicta conferre poterat; & quatenus eo faciebat, pro vtili diſciplinæ eccleſiaſticæ parte poteſt haberi.

§. X.

Clerici quandoque puniti prohibitione a publico officii ſui exercitio, dum priuatim munus ſuum obeundi haberent veniam.

BASILIO [*h*] alia diſciplinæ pars obſeruatur, quæ prorſus peculiaris fuit. Neque enim in præſenti vllius ſcriptoris memini, qui præter eum eius fecerit mentionem: Nimirum,

(*e*) Leo epiſt. III. ad Iulianum, al. Ianuarium. Circa quos etiam eam canonum conſtitutionem præcipimus cuſtodiri, vt in magno habeant beneficio, ſi ademta ſibi omni ſpe promotionis, in quo inueniuntur ordine, ſtabilitate perpetua maneant, ſi tamen iterata tinctione non fuerint maculati.

(*f*) Baſil. c. LXIX. *Ἀναγνώστης ἐὰν τῇ ἑαυτοῦ μνηστῇ πρὸ τοῦ γάμου συναλλάξειεν, ἐνιαυτὸν ἀργήσας εἰς τὸ ἀναγινώσκειν δεχθήσεται, μένων ἀπρόκοπος.*

(*g*) Iuſtin. nouell. CXXIII. c. XIV. *Εἰ ἀναγνώστης δευτέραν γαμετὴν ἀγάγηται, ἢ πρώτην μὲν, χήραν δὲ, ἢ διαζευχθεῖσαν ἀνδρὸς, ἢ τοῖς νόμοις ἢ τοῖς ἱεροῖς κανόσιν ἀπηγορευμένην, μηκέτι εἰς ἄλλον ἐκκλησιαστικὸν βαθμὸν προβαινέτω· εἰ δὲ οἱῳδήποτε τρόπῳ εἰς μείζονα βαθμὸν προαχθείη, ἐκβαλλέσθω αὐτοῦ, καὶ τῷ προτέρῳ ἀποκαθιστάσθω.*

(*h*) Baſil. can. XVII. *Ἠρώτησας ἡμᾶς περὶ Βιάνορος τοῦ πρεσβυτέρου, εἰ δεκτός ἐστιν εἰς τὸν κλῆρον, διὰ τὸν ὅρκον· ἐγὼ δὲ ἤδη τινὰ καὶ κοινὸν ὅρον περὶ πάντων ὁμοῦ τῶν μετ᾽ αὐτοῦ ὀμωμοκότων, τοῖς κατ᾽ Ἀντιόχειαν κληρικοῖς οἶδα ἐκτεθεικώς· ὥστε τῶν μὲν δημοσίων αὐτοὺς ἀπέχεσθαι συλλόγων, ἰδίᾳ δὲ ἐνεργεῖν τὰ τῶν πρεσβυτέρων. Interrogaſti nos de Bianore presbytero, an propter ius iurandum ſit in clerum ſuſcipiendus. Ego vero commune iam quoddam decre-*

quod

quod clerici a publicis conuentionibus se abstinere iuberentur, dum priuatim munus suum obeundi retinerent libertatem. Regula hæc erat a BASILIO facta de *Bianore* & aliis quibusdam presbyteris *Antiochenis* in *Pisidia*, qui aliqua adfecti iniuria præcipitanter iurauerant, se sacerdotalia munera non amplius obituros: deinde autem iurisiurandi pœnitentia ducti, ad officiorum suorum exercitium rursus admitti cupiebant. BASILIVS hac in re interrogatus decernebat, vt a publico functionis suæ exercitio prohiberentur, quod multorum animi hoc offendi possent, priuatim autem munera sua obirent, vnde istiusmodi scandalum non esset metuendum. Hæ erant specialiores istæ pœnæ, quas disciplina ecclesiæ clericis communiter infligebat ob leuiora peccata; quas eo lubentius recensuimus, quod in recentioribus scriptoribus, qui de disciplina ecclesiastica exposuerunt, rarior earum mentio inuenitur.

§. XI.

De relegatione ac amandatione peccantium clericorum in aliquid monasterium ad agendam inibi priuatim pœnitentiam.

HISCE omnibus addere possumus, quod sæculo quarto & quinto, vbi monasteria in mundo constitui cœpta sunt, nihil vulgatius fuerit, quam clericum peccantem in monasterium aliquod relegare atque amandare, siue ad certum temporis spatium, siue ad omnem eius vitam, prout ipsius vel temporaria vel perpetua segregatio requisierit; ad exercendum se ibi in priuatæ pœnitentiæ pro peccatis suis actibus. Hæc potius commoditas quam pœna erat, quæ opportunitatem eis dabat sese tanto magis idoneos reddendi, qui officio pristino restituerentur, vel in communionem reciperentur laicam. Et idcirco tam in plena & perfecta deiectione de officio, quam in temporaria eius interdictione indiscriminatim adhibebatur. Multi, quibus tantum ad tempus muneris administratio interdicebatur, monasterio tamen durante illo tempore, include-

tum de omnibus, qui [illegible] Antiochenis clericis [illegible] edidisse memini, vt ipsi [illegible] contineant [illegible] ad laicam, priuatim autem presbyterorum munera obeant.

ban-

bantur; quemadmodum ex *Iustiniani* nouella apparet, qua presbyteri vel diaconi, si inuenti fuerint pro pecuniaria caussa falsum perhibuisse testimonium, tribus annis a sacro ministerio separari & monasterio tradi [*i*] iubentur. Et id ipsum loco verberum erat, quæ propter hoc crimen aliis huius criminis reis infligebantur. Concilium *Hispalense* secundum idem decernit [*k*] in caussa clerici, ecclesiam suam sine episcopi venia deserentis, domiciliumque suum figentis in alia. Cingulo honoris ac ordinationis suæ eum exui & aliquamdiu in monasterium relegari iubet, vsque dum in ecclesiastici ordinis ministerium reuocari possit. Quod si autem pœna adscenderet ad plenam & perpetuam muneris interdictionem, tum sæpius monasterio ad omnem vitam includebantur, ibique reliquam ætatem in laica degebant communione. Id quod canones conciliorum *Agathensis* & *Epaonensis* [*l*] luculentissime demonstrant, ad quos eruditum lectorem in margine amandamus.

§. XII.

De pœna corporali. Quatenus tamquam pars disciplinæ ad corrigendos clericos inferiores adhibita sit.

Observare porro possumus, quod iisdem temporibus, vbi moris erat delinquentes monasterio includere, corporalis quædam pœna & carcer ecclesiasticus, tamquam disciplinæ ecclesiasticæ pars, ad corrigendos inferiorum ordinum clericos adhiberi consueuerit. Iam supra [*] habuimus occasionem ostendendi, quod maiores ecclesiæ communiter hanc in rem sua habuerint decanica; quæ non distincta ædificia erant, sed

(*i*) Iustin. nouell. CXXIII. c. XX. vid. sub litt. (t) pag. 51.

(*k*) Concil. Hispal. can. III. Desertorem clericum, cingulo honoris atque ordinationis suæ exutum, aliquo tempore monasterio relegari (al. religari) convenit: sicque postea in ministerio ecclesiastici ordinis reuocari.

(*l*) Concil. Agath. c. I. Si episcopus, presbyter, vel diaconus capitale crimen commiserit, aut chartam falsauerit, aut testimonium falsum dixerit, ab officii honore depositus in monasterium retrudatur: & ibi, quamdiu vixerit, laicam tantummodo communionem accipiat.
Conc. Epaon. c. XXII. Si diaconus aut presbyter crimen capitale commiserit, ob officii honore depositus, in monasterium retrudatur, ibi tantummodo, quamdiu vixerit, communionem sumendo.

(*) Lib. VIII. c. VII. §. IX. volum. III. p. 264. seq.

vel catechumenia vel diaconica, vel secretaria, ad ecclesiam pertinentia, & in hunc finem destinata, vt clerici delinquentes honestiori quadam custodia inibi tenerentur. Alio etiam loco [†] obseruatum nobis est, omnia monasteria habuisse flagella ad castigandos monachos iuuenes, & qui proteruius aliquid fecissent. Et certum est, ad corrigendos inferiorum ordinum clericos hanc disciplinam quoque adhibitam fuisse. Concilium *Agathense* bis eius meminit; primo quidem loco vt pœnæ illis infligendæ, qui de alia ecclesia ad aliam migrent sine antistitis sui litteris: *Clericis [m] sine commendatitiis epistolis episcopi sui licentia non pateat euagandi, quos si verborum increpatio non emendauerit, etiam verberibus statuimus coërceri.* Deinde alius canon [n] eamdem disciplinam ebrietati decernit: *Ante omnia clericis vitetur ebrietas, quæ omnis vitiorum fomes ac nutrix est. Itaque eum, quem ebrium fuisse constiterit, vt ordo patitur, aut triginta dierum spatio a communione statuimus submouendum, aut corporali subdendum supplicio.* Concilium *Epaonense* [o] hac in re diserte distinguit inter superiores & inferiores clericos: *Si superioris loci clericus hæretici cuiuscumque conuiuio interfuerit, anni spatio pacem ecclesiæ non habebit: Quod si minores clerici præsumserint, vapulabunt.* Concilium *Matisconense* primum [p] canonem habet in hanc sententiam: *Clericus, si cum indecenti veste aut cum armis inuentus fuerit, a seniore ita coërceatur, vt triginta dierum inclusione detentus aqua tantum & modico pane diebus singulis sustentetur.* Hæc inclusio superiorum clericorum pœna erat. Nam in alio canone distinctio expresse adhibetur [q] in caussa clerici, qui quemcumque alium de clericis apud magistratum sæcularem accusauerit. *Quicumque clericus hoc implere distulerit, si iunior fuerit, vno minus de quadraginta ictus accipiat; sin certe honoratior, triginta dierum conclusione multetur.* Quæ iuniores puniendi ratio ad regulam instituebatur, in lege *Mosaica* præscriptam, vt ne amplius quadraginta ictus infligerentur; tantummodo si crimen atrox esset,

(†) Lib. VII. cap. III. §. XII. ibid. p. 66.
(*m*) Concil. Agath. c. XXXVIII.
(*n*) Ibid. c. XLI.
(*o*) Conc. Epaun. c. XV.
(*p*) Conc. Matiscon. I. can. III. (al. V.)
(*q*) Ibid. can. V. (al. VIII.)

post

post aliquot dies denuo infligi poterant; quod ex vita *Caesarii Arelatensis* recentior ille *Gallicanus* auctor *historiae flagellantium* [r] obseruat, qui multos alios scriptores citat, quos heic commemorare nihil attinet. Addimus tantum AVGVSTINVM [s], qui hunc coërcitionis modum sua aetate ab episcopis in iudiciis adhiberi consueuisse dicit: vtrum vero aduersus clericos, an aduersus laicos, non ita liquet. Fortassis aduersus vtrosque adhibitus est in minoribus caussis criminalibus, quae ecclesiasticae essent cognitionis. Nam in caussis criminalibus, quae ciuilis erant generis, episcopi nullam habebant potestatem, praesertim si ad sanguinem spectarent: cuiusmodi in iudiciis episcopus nihil commercii habere poterat, quin ipse grauissimas incurreret ecclesiae censuras. Libertatem autem habebant inferiores clericos verberibus castigandi. Lex multis in casibus clericos superiores a corporali castigatione excipit: Exempli gratia, si quis presbyter vel diaconus falsum testimonium in caussa pecuniaria perhibuisset, ab officio ad tempus segregari & in monasterium contrudi poterat, non autem, vt ceteri, verberibus castigari. In caussis criminalibus aliter se res habebat. Falsum testimonium in tali casu ordinibus eos suis priuabat, & ad statum laicorum reducebat; atque tum vt alii laici corporali poenae obnoxii erant, prout leges eam requirebant. At vero siue esset caussa pecuniaria, siue caussa criminalis, si quis de inferioribus ordinibus falsum dixisset testimonium, vtrobique corporalem poenam subire cogebatur. Atque in hoc discrimen inter superiores & inferiores clericos consistebat, quod ad hanc partem disciplinae, vt in quadam *Iustiniani* nouella [t] notatur, quae ad praxin ecclesiae explanan-

(r) Historia flagellantium c. V. & VI. Paris. MDCC. 8uo.

(s) Augustin. epist. CLIX. ad Marcellinum. Qui modus coërcitionis (per virgarum verbera) & a magistris artium liberalium, & ab ipsis parentibus, & saepe etiam in iudiciis solet ab episcopis adhiberi.

(t) Iustin. nouell. CXXIII. c. XX. Τοῖς εὐλαβεστάτοις πρεσβυτέροις καὶ διακόνοις, εἰ εὑρεθεῖεν ὑπὲρ χρηματικῆς αἰτίας ψευδομαρτυρήσαντες, ἀρέσκει ἀντὶ βασάνων ἐπὶ τρεῖς ἐνιαυτοὺς χωρίζεσθαι τῆς θείας ὑπηρεσίας, καὶ μοναστηρίοις παραδίδοσθαι· ὑπὲρ δὲ ἐγκληματικῶν αἰτιῶν εἰ ψευδομαρτυρίαν εἴποιεν, τῆς ἐν τῷ κλήρῳ ἀξίας γυμνωμένους ταῖς νομίμοις ὑποβάλλεσθαι ποιναῖς προστάττομεν· τοὺς δὲ λοιποὺς τοὺς ἐν ταῖς ἄλλαις ἐκκλησιαστικαῖς τάξεσιν ἀναφερομένους, εἰ πλαστὴν μαρτυρίαν ἐν οἱῳδήποτε πράγματι, εἴτε χρηματικῷ, εἴτε ἐγκληματικῷ, εἰρηκέναι διελεγχθεῖεν ...

 dam

dam facit. Et hæc ſunt, quæ de his pœnis obſeruare habuimus, quæ per veteris diſciplinæ regulas peculiariter clericis, in delictorum ſuorum emendationem, infligi conſueuerunt.

LIBRI DECIMI SEPTIMI

CAPVT QVINTVM

DE CRIMINIBVS, PROPTER QVAE CLERICIS HAEC ILLA EX MEMORATIS POENIS INFLIGI DEBVERIT.

§. I.

Omnia crimina, excommunicatione puniri ſolita in laico, temporaria vel perpetua muneris interdictione punita in clerico.

RESTAT, vt de criminibus iam exponamus ſigillatim, propter quæ clerici puniri potuerint. Atque heic obſervandum nobis eſt, crimina eorum duplicis fuiſſe generis, talia, quæ eis cum laicis communia erant, & eiuſmodi, quorum rei eſſe poterant per violationem regularum, ad officium & functionem eorum peculiariter ſpectantium. De prioris generis criminibus hoc loco agere particulatim neceſſe non eſt, quia id ſatis fuſe fecimus libro vltimo, vbi naturam diuerſorum grandium criminum examinauimus, propter quæ laici cenſuram excommunicationis incurrere potuerunt. Hanc generalem tantum differentiam hoc loco notari oportet inter crimina laicorum & crimina eccleſiaſticorum, quod quæ in laicis excommunicatione, ea in clericis plerumque temporaria vel perpetua muneris interdictione punita fuerint, vel ſi crimen atrox eſſet & grauis plenum ſcandali, etiam excommuni-

μὴ μόνον τοῦ κλήρου καὶ τῆς ἐκκλησιαστικῆς τάξεως ἐκβάλλεσθαι, ἀλλὰ καὶ βασάνοις ὑποβάλλεσθαι. Reuerendiſſimis presbyteris aut diaconis, etiam ſi inuenti fuerint pro pecuniaria cauſſa falſum perhibuiſſe teſtimonium: ſufficiat pro verberibus tribus annis ſeparari & monaſteriis tradi. Pro criminalibus autem cauſſis ſi falſum teſtimonium dixerint, clero nudatos, legitimis ſubdi pœnis præcipimus: reliquos autem omnes in aliis etiam eccleſiaſticis ordinibus conſtitutos, ſi falſum teſtimonium cuiuslibet cauſſæ, ſiue pecuniariæ, ſiue criminalis dixiſſe conuincantur, non ſolum eccleſiaſtico officio repelli, ſed etiam verberibus ſubdi.

catio-

catione. Quam ob cauſſam magna crimina idololatriæ, diuinationis, magiæ, veneficii & incantamenti, apoſtaſiæ, hæreſeos, ſchiſmatis, ſacrilegii & ſimoniæ ſilentio heic præterimus; quæ crimina ſunt contra primum & ſecundum præceptum decalogi. Prætermittimus etiam blaſphemiam, profanam iurandi adſuetudinem, periurium, & votorum violationem, contra præceptum tertium: Omnem transgreſſionem legis iniungentis religioſam diei dominici obſeruationem, contra quartum præceptum: omnem inobedientiam & contemtum parentum, proditionem patriæ & rebellionem in ſummos imperantes, & generalem contemtum legum eccleſiæ, contra quintum præceptum: Omnes ſpecies homicidii, contra ſextum præceptum; omnes ſpecies impudicitiæ & intemperantiæ, contra ſeptimum præceptum: omnia genera furti, fraudis, oppreſſionis ac iniuſtitiæ, contra octauum præceptum: omnis generis falſum teſtimonium, libellos famoſos, delationem, calumniam & maledicentiam, contra nonum præceptum; quia de ſingulis hiſce iam loquuti ſumus & oſtendimus, quod, vti excommunicatione in laicis, ita deiectione de gradu ad tempus vel in perpetuum, & nonnumquam excommunicatione etiam, punita fuerint in clericis. Verum præter hæc crimina laicis & clericis communia, multa erant, quæ a clericis aduerſum peculiares functionis & profeſſionis ſuæ regulas committi poterant. Et de his ſpecialior nobis hoc loco inſtituenda eſt diſquiſitio. Horum nonnulla ad aditum muneris eorum, alia ad rationem illud adminiſtrandi ſpectant. De vtriſque iam ſigillatim, breuiter tamen & ſtrictim, loquemur.

§. II.

Quædam crimina ordinationem reddebant nullam & irritam ab origine, ob eaque clerici immediate obnoxii erant deiectioni poſt ipſam primam ordinationem. Vt 1. Ob ignorantiam & heterodoxiam in religione.

REQVIREBANTVR nonnulla in clericis tamquam neceſſaria ſub aditum vitæ ac functionis clericalis: adeoque certæ praſcriptæ erant regulæ, ad quas in ea inquiri oportebat, antequam ſacro muneri initiarentur; quorum ſi vnum deficeret, vel ſi qua harum regularum violata eſſet, hoc ſatis valebat ad

 ordi-

ordinationem eorum nullam & irritam reddendam ab origine; adeo vt clericos ſic ordinatos de ipſa prima ordinatione ſua ſtatim deiici oporteret. Horum requiſitorum (vti libro quodam ſuperiore [*] oſtendimus copioſius) alia ad fidem & eruditionem, alia ad vitam & mores, & alia ad externum ſtatum & conditionem eorum in mundo ſpectabant. Quorum ſi vel in vno aliquid reperiretur vitii, vel ſi quid contra præſcriptas regulas factum eſſet, in communi diſciplinæ eccleſiaſticæ exercitio idonea habebatur ratio clericum ab officio, ſimulac ei eſſet initiatus, amouendi. Quod omnium primum & maxime admodum in clerico requirebatur, orthodoxa erat fides & accommodata ad functionis ſuæ exercitium ſcripturarum & rerum omnium ad illud pertinentium, cognitio. Quod ſi epiſcopus ſine eiuſmodi examinatione, vel ſine iſtiuſmodi ornamentis ordinaretur, tum ille ipſe & qui eum ordinauerat, ſtatim epiſcopatu ſe abdicare cogebantur. Verba legis *Iuſtinianeæ* [a] hac in re id diſerte præcipiunt. *Si quis præter memoratam obſeruationem epiſcopus ordinetur, iubemus & ipſum omnibus modis epiſcopatu deiici; & eum, qui contra talem obſeruationem eum ordinare auſus fuerit.*

§. III.

2. *Ob vitam vitioſam & flagitioſam, & cuiuſdam ex notis ordinationis regulis violationem.*

INQVIRENDVM etiam ſtudioſe erat in hominum vitam & mores; & ſi qua in mali exempli re conuicti eſſent, ordinatio eorum prohibebatur; vel ſi ex ignorantia aut ſubreptitia quadam ratione ordinati eſſent, ſimul ac illud innoteſceret de eoque illi conuincerentur, ab officio ſuſpendendi erant, ſi non prorſus amouendi. Ita in concilio *Neocæſareenſi* [b] ſtatutum legimus, ſi presbyter ante ordinationem corpore peccaſſe conuictus fuerit, vt ne amplius ſacrificium ſuper altari offerat.

(*) Lib. IV. c. III. vol. II. p. 110. ſeqq.

(a) Iuſtin. nouell. CXXXVII. c. II. Εἴ τις παρὰ τὴν μνημονευθεῖσαν παραφυλακὴν ἐπίσκοπος χειροτονηθῇ, κελεύομεν καὶ αὐτὸν πᾶσι τρόποις τῆς ἐπισκοπῆς ἐκβάλλεσθαι, καὶ τὸν παρὰ ταῦτα τολμήσαντα χειροτονῆσαι.

(b) Conc. Neocæſar. can. IX. Πρεσβύτερος, ἐὰν προημαρτηκὼς σώματι προαχθῇ, καὶ ὁμολογήσῃ, ὅτι ἥμαρτε πρὸ τῆς χειροτονίας, μὴ προσφερέτω, μένων ἐν τοῖς λοιποῖς, διὰ τὴν ἄλλην σπουδήν. Τὰ γὰρ λοιπὰ ἁμαρτήματα ἔφασαν οἱ πολλοὶ καὶ

rat. Hoc impudicitiæ peccatum hominem semper faciebat, vt loqui solent, irregularem, hoc est ad sacra ministeria inhabilem, tametsi multi, vt canon indicat, reliqua peccata impositione manuum tolli existimabant. Canones porro requirunt, vt ne quis sit digamus, nec viduam, nec aliam quamcumque ab alio per diuortium dimissam vxorem, habeat in matrimonio. Et si quis istiusmodi ordinatus esset, per eamdem *Iustiniani* regulam statim munere priuandus erat. Similiter vetitum erat, aliquem ordinare ἀπολελυμένως absolute, hoc est ita, vt nulli particulari diœcesi vel ecclesiæ affigeretur; & cuiuscumque ordinatio huic regulæ contraria fuerit, a LEONE [c] papa vana declaratur; & a magno concilio *Chalcedonensi* [d] irrita & inualida. Alia huiusmodi regula erat ad conseruandum bo-

---

καὶ τὴν χειροθεσίαν ἀφιέναι, κ. τ. λ. *Si presbyter, qui corpore prius peccaverat, promotus fuerit, & si ante ordinationem peccasse confessus fuerit, ne offerat, manens in aliis propter aliud eius bonæ vitæ studium. Reliqua enim peccata dicunt multi manuum impositione tolli.*

Vid. Concil. Nic. can. IX. Εἴ τινες ἀνεξετάστως προήχθησαν πρεσβύτεροι, ἢ ἀνακρινόμενοι ὡμολόγησαν τὰ ἡμαρτημένα αὐτοῖς, καὶ ὁμολογησάντων αὐτῶν, παρὰ κανόνα κινούμενοι ἄνθρωποι τοῖς τοιούτοις χεῖρα ἐπιτεθείκασι· τούτους ὁ κανὼν οὐ προσίεται· τὸ γὰρ ἀνεπίληπτον ἐκδικεῖ ἡ καθολικὴ ἐκκλησία. *Si qui citra examinationem promoti sunt presbyteri, vel examinati peccata sua confessi sunt, eisque confessis, præter canonem moti homines manus imposuerunt, eos canon non admittit. Quod est enim a reprehensione alienum, defendit ecclesia.* Canon. X. Ὅσοι προεχειρίσθησαν τῶν παραπεπτωκότων κατὰ ἄγνοιαν, ἢ καὶ προειδότων τῶν προχειρισαμένων, τοῦτο οὐ προκρίνει τῷ κανόνι τῷ ἐκκλησιαστικῷ· γνωσθέντες γὰρ καθαιροῦνται. *Quicumque ex iis, qui lapsi sunt, vel per ignorantiam, vel scientibus iis, qui promouerunt, ordinati sunt, hoc ecclesiastico canoni non præiudicat. Ii enim cogniti deponuntur.* Vid. & concil. Illiberrit. c. LXXVI. cit. supra c. II. §. VI. sub litt. (z) pag. 18.

(c) Leo epist. XCII. ad Rustic. cap. I. Vana habenda est ordinatio, quæ nec loco fundata est, nec auctoritate munita.

(d) Concil. Chalced. can. VI. Μηδένα δὲ ἀπολελυμένως χειροτονεῖσθαι, μήτε πρεσβύτερον, μήτε διάκονον, μήτε ὅλως τινὰ τῶν ἐν ἐκκλησιαστικῷ τάγματι· εἰ μὴ ἰδικῶς ἐν ἐκκλησίᾳ πόλεως, ἢ κώμης, ἢ μαρτυρίῳ, ἢ μοναστηρίῳ, ὁ χειροτονούμενος ἐπικηρύττοιτο· τοὺς δὲ ἀπολύτως χειροτονουμένους ὥρισεν ἡ ἁγία σύνοδος ἄκυρον ἔχειν τὴν τοιαύτην χειροθεσίαν, καὶ μηδαμοῦ δύνασθαι ἐνεργεῖν ἐφ' ὕβρει τοῦ χειροτονήσαντος. Nullum absolute ordinari, *nec presbyterum, nec diaconum, nec omnino aliquem eorum, qui sunt in ordine ecclesiastico, nisi specialiter in ecclesia ciuitatis, vel pagi, vel martyrio, vel monasterio is, qui ordinetur, designetur. Eos autem, qui absolute ordi-*

num

rum ordinem in ecclesia, vt nullus episcopus alios cuiusdam episcopi clericos ordinaret, ipso quidem non consentiente; & si quis hoc facere ausus esset, concilium *Nicænum* [*e*], concilium *Sardicense* [*f*] & concilium secundum *Arelatense* [*g*] omnes istiusmodi ordinationes omnino irritas ac infirmas pronuntiant. Requirebatur in electione & ordinatione episcopi, vti hi quatuor generatim consentirent, clerus videlicet, populus, episcopi prouinciales & metropolitanus. Et ordinationes, quæ vlli huius regulæ parti derogarint, per innumeros canones absolute irritæ declarantur, & episcopi ita ordinati officio amoveri iubentur. Concilium *Antiochenum* expressis verbis præsentiam aut certe consensum episcoporum prouincialium [*h*] & metropolitani requirit; decernens, vt ordinatio contra hanc

nantur, *decreuit sancta synodus*, irritam ac inualidam *habere euismodi* manuum impositionem, *& nusquam exercere ac operari posse ad eius*, *qui ordinauit*, *iniuriam*. Vid. plura lib. IV. c. VI. §. II. vol. II. p. 170.

(*e*) Conc. Nic. c. XVI. *εἰ δὲ καὶ τολμήσειέ τις ὑφαρπάσαι τὸν τῷ ἑτέρῳ διαφέροντα, καὶ χειροτονῆσαι ἐν τῇ αὐτοῦ ἐκκλησίᾳ, μὴ συγκατατιθεμένου τοῦ ἰδίου ἐπισκόπου, οὗ ἀνεχώρησεν ὁ ἐν τῷ κανόνι ἐξεταζόμενος· ἄκυρος ἔστω ἡ χειροτονία. Sin ausus fuerit quispiam eum, qui ad alium pertinet, surripere, & in ecclesia sua, non consentiente proprio episcopo, a quo recessit, qui in canone censetur, irrita sit ordinatio.*

(*f*) Concil. Sardic. c. XV. *καὶ τοῦτο δὲ πάντες ὁρίσωμεν, ἵνα εἴ τις ἐπίσκοπος ἐξ ἑτέρας παροικίας βουληθῇ ἀλλότριον ὑπηρέτην, χωρὶς τῆς συγκαταθέσεως τοῦ ἰδίου ἐπισκόπου, εἴς τινα βαθμὸν καταστῆσαι, ἄκυρος καὶ ἀβέβαιος ἡ κατάστασις ἡ τοιαύτη νομίζοιτο. Hoc quoque omnes definimus; vt, si quis episcopus ex alia parochia velit alienum ministrum sine consensu proprii episcopi in aliquo gradu constituere*, irrita & infirma eiusmodi constitutio existimetur.

(*g*) Concil. Arelat. II. c. XIII. Nullus cuiuscumque ordinis clericus, non diaconus, non presbyter, non episcopus, quacumque occasione faciente, proprium relinquat ecclesiam: sed omnimodis aut excommunicetur, aut redire cogatur. Quod si aliquo commorationis tempore inuito episcopo suo, in aliena ecclesia habitans, ab episcopo loci clericus fuerit ordinatus, huiusmodi ordinatio irrita habeatur.

(*h*) Concil. Antioch. c. XIX. *Ἐπίσκοπον μὴ χειροτονεῖσθαι δίχα συνόδου καὶ παρουσίας τοῦ ἐν τῇ μητροπόλει τῆς ἐπαρχίας· τούτου δὲ παρόντος ἐξάπαντος βέλτιον μὲν συνεῖναι αὐτῷ πάντας τοὺς ἐν τῇ ἐπαρχίᾳ συλλειτουργοὺς, καὶ προσήκει δι' ἐπιστολῆς τὸν ἐν τῇ μητροπόλει συγκαλεῖν, καὶ εἰ μὲν ἀπαντοῖεν οἱ πάντες, βέλτιον· εἰ δὲ δυσχερὲς εἴη τοῦτο, τούς γε πλείους ἐξάπαντος παρεῖναι δεῖ, ἢ διὰ γραμμάτων ὁμοψήφους γενέσθαι· καὶ οὕτως μετὰ τῆς τῶν πλειόνων ἤτοι παρουσίας, ἢ ψήφου γίνεσθαι τὴν κατάστασιν· Εἰ δὲ ἄλλως παρὰ τὰ ὡρισμένα γίγνοιτο,* μηδὲν ἰσχύειν τὴν χειροτονίαν· *εἰ δὲ κατὰ τὸν ὡρισμένον κανόνα γίγνοιτο ἡ κατάστασις, ἀντιλέ-*

regulam facta, nihil valeat. Concilium *Regense* [*i*] hanc ob caussam *Armentarium* episcopum *Ebredunensem* episcopatu deiiciebat, quod nec generalis episcoporum prouincialium, nec metropolitani consensu, sed a duobus episcopis clandestino ordinatus fuerat, sine conscientia ceterorum, ad quos hoc negotium præcipue pertinebat. Canones, speciatim in ecclesia *Latina*, omnes in eo consentiunt, vt ordinationes episcoporum contra generalem populi consensum factas, irritas ac vanas pronuntient. *Nullus inuitis detur episcopus*, inquit concilium aliquod *Aurelianense* [*k*], *sed nec per oppressionem potentium personarum ad consensum faciendum ciues aut clerici, quod dici nefas est, inclinentur. Quod si factum fuerit, ipse episcopus, qui magis per violentiam, quam decretum legitimum ordinatur, ab indepto episcopatus honore in perpetuum deponatur.* Similiter concilium *Cabillonense* [*l*]: *Si quis episcopus de quacumque ciuitate fuerit defunctus, non ab alio nisi a comprouincialibus, clero & ciuibus suis alterius habeatur electio: sin ali-*

γοιεν δέ τινες δι' οἰκείαν φιλονεικίαν, κρατεῖν τὴν τῶν πλειόνων ψῆφον. *Episcopus ne ordinetur absque synodo & præsentia metropolitani prouinciæ. Eo autem præsente, omnino melius est, omnes vna cum eo adesse, qui sunt in prouincia eiusdem muneris officiique socii, & oportet per epistolam metropolitanum eos conuocare: & si omnes quidem accesserint, bene est; sin autem hoc fuerit difficile, plures omnino adesse oportet, vel per litteras vna cum illis suffragium ferre, & sic cum plurium præsentia vel electione fieri constitutionem. Sin autem aliter præter hæc quæ, decreta sunt, fiat,* non valeat ordinatio. *Sin autem ex præfinito canone facta fuerit constitutio, aliqui autem propter suum contentionis studium contradicant, vincat plurium suffragium.*

(*i*) Conc. Regens. c. II. Ordinationem, quam canones irritam definiunt, nos quoque vacuandam esse censuimus, in qua, prætermissa trium præsentia, nec expetitis comprouincialium litteris, metropolitani quoque voluntate neglecta, prorsus nihil, quod episcopum faceret, ostensum est.
Vid. Conc. Arelat. II. c. VI. Illud ante omnia clareat, eum, qui sine conscientia metropolitani constitutus fuerit episcopus, iuxta magnam synodum esse episcopum non debere.
Concil. Aurelian. V. c. X. Vt nulli episcopatum præmiis aut comparatione liceat adipisci, sed cum voluntate regis, iuxta electionem cleri ac plebis, sicut in antiquis canonibus tenetur scriptum, a metropolitano, vel quem in vice sua præmiserit, cum comprouincialibus pontifex consecretur. Quod si quis hanc regulam huius sanctæ constitutionis per coëmtionem excesserit, eum, qui per præmia ordinatus fuerit, statuimus remouendum.

(*k*) Concil. Aurel. V. c. XI.

(*l*) Concil. Cabillon. I. c. X.

ter, huius ordinatio irrita habeatur. Hisce congruit responsio *Leonis* [*m*] ad quæstionem cuiusdam episcopi *Gallicani*: *Nulla ratio sinit, vt inter episcopos habeantur, qui nec a clericis sunt electi, nec a plebibus expetiti, nec a prouincialibus episcopis cum metropolitani iudicio consecrati.* Et rescriptum *Honorii* de electione episcopi *Romani* [*n*]: *Si duo contra fas temeritate certantes, fuerint ordinati, nullum ex his futurum penitus sacerdotem; sed illum solum in sede apostolica permansurum, quem ex numero clericorum, noua ordinatione, diuinum iudicium & vniuersitatis consensus elegerit.* Vt adeo, si quis episcoporum contra hasce regulas ordinaretur, ordinatio eius vana & irrita, ipseque deponendus esset, simul ac esset ordinatus. Ita si quis episcopus ordinaretur, qui sententiæ depositionis iam ante subiacebat, ordinatio eius nulla erat, quemadmodum ex iis, quæ de *Timotheo Æluro* a diuersis conciliis, in acta concilii *Chalcedonensis* [*o*] relatis, declarantur, videre est. Si quis episcopus ordinaretur in sedem plenam, in quam alius ante eum ordinatus fuerat, ordinatio eius valebat nihil. Pro episcopo non habendus, sed tanquam adulter, & inuasor iurium alterius, & lupus in vestimentis ouium reiiciendus erat: Quod responsum erat, quod de *Nouatiano* dabat CYPRIANVS [*p*];

(*m*) Leo epist. XCII. ad Rustic. Narbonens. c. I.

(*n*) Honor. rescript. ad Bonifac. ap. Crab. tom. I. p. 401.

(*o*) Synod. Cappadoc. in actis conc. Chalced. part. III. c. LI. (tom. IV. concil. p. 956.) Ea, quæ de Timotheo gesta sunt, penitus non laudamus: sacerdotium habere non potest. Primum quidem, quia oportet eum, qui ex quacumque caussa deponitur, sustinere, & neque ad eum gradum accedere, neque ad maiorem currere dignitatem, antequam is, qui eum deposuit, soluat sententiam in eo prolatam, aut certe sanctorum episcoporum synodus, quæ perspexerint iusta definiant.
Synod. Galat. ibid. c. LVII. p. 970. Eum, qui ex quacumque caussa depositus est, non solum ad maiorem gradum venire lex ecclesiastica non permittit, sed neque in ordine, in quo fuit, permanere, nisi deponens propria sententia eum rursus absoluat, aut certe synodus sanctorum episcoporum aliquid de eo disponat. Vide sis & synod. Paphlagon. c. LIV. & synod. Corinth. c. LVI. ibid.

(*p*) Cyprian. epist. LV. ad Antonian. pag. 104. (p. 243. edit. Amstelod. MDCC.) Factus est Cornelius episcopus de Dei & Christi eius iudicio, de clericorum pene omnium testimonio, de plebis, quæ tunc adfuit, suffragio, & de sacerdotum antiquorum & bonorum virorum collegio; quum nemo ante se factus esset, quum Fabiani locus, id est, quum locus Petri & gradus cathe-

et

et concilium *Sardicense* [*q*] apud HILARIVM; & episcopi ac synodi orientales [*r*] in ante memorata caussa *Timothei Aeluri* apud LIBERATVM & in actis suis sub finem concilii *Chalcedonensis*. Similiter regula erat in ecclesia, vt ne quis energumenus, hoc est a malo dæmone agitatus, ordinaretur: vel si quis casu vel errore aliquo esset ordinatus, vt statim amoueretur. Hoc expressis verbis decretum legitur in concilio primo *Arausicano* [*s*]: *Energumeni non solum non assumendi sunt ad vllum ordinem clericatus, sed & illi, qui ordinati iam sunt, ab imposito officio sunt repellendi.* GELASIVS [*t*], *Necessario remouendi sunt* (dæmoniaci), inquit, *ne quibuslibet, pro quibus Christus est mortuus, scandalum generetur infirmis.* Alia regula erat ecclesiæ, ne quis, qui voluntarie corpus suum dilacerasset vel truncasset [*u*], ad vllum vmquam munus sacrum admitteretur. Hinc si quis iam esset ordinatus, per canonem magnæ synodi *Nicænæ* [*w*] & decretum GELASII [*x*] ab officio cessare debebat; vel, vt conci-

diæ sacerdotalis vacaret. Quo occupato de Dei voluntate, atque omnium nostrum consensione firmato; quisquis iam episcopus fieri voluerit, foris fiat necesse est; nec habeat ecclesiasticam ordinationem, qui ecclesiæ non tenet vnitatem; quisquis ille fuerit, multum licet de se iactans & sibi plurimum vindicans; profanus est, alienus est, foris est. Et ibid. p. 240. Nisi si episcopus tibi videtur, qui, episcopo in ecclesia a sedecim coëpiscopis facto, adulter atque extraneus episcopus fieri a desertoribus per ambitum nititur, &c.

(*q*) Hilar. de synodis p. 128.

(*r*) Liberat. breuiar. cap. XV. tot. (apud Labb. tom. V. concil. p. 763. 764.) Et acta concil. Chalced. part. III. epist. XXXVIII. XXXIX. XLI.

(*s*) Conc. Arausic. I. c. XVI.

(*t*) Gelas. epist. IX. ad episc. Lucaniæ c. XIX.

(*u*) Can. apostol. XXI. *ὁ ἑαυτὸν ἀκρωτηριάσας, μὴ γινέσθω κληρικός· αὐτοφόνευτης γάρ ἐστι, καὶ τῆς τοῦ θεοῦ δημιουργίας ἐχθρός. Qui se ipsum exsecuit; non fiat clericus: est enim sui homicida & hostis diuini opificii.*
Conc. Arelat. II. c. VII. Hos, qui se carnali vitio repugnare nescientes abscindunt, ad clerum peruenire non posse.

(*w*) Conc. Nic c. I. *εἴ τις ὑγιαίνων ἑαυτὸν ἐξέτεμε, τοῦτον καὶ ἐν τῷ κλήρῳ ἐξεταζόμενον πεπαῦσθαι προσήκει· καὶ ἐκ τοῦ δεῦρο μηδένα τῶν τοιούτων χρῆναι προάγεσθαι. Si quis, quum esset sanus, se ipsum execuit, eum etiam in clero examinatum cessare conuenit, & deinceps nullum talem oportet promoueri.*

(*x*) Gelas. epist. IX. c. XIX. Si corpore sauciatum fortassis aut debilem nequaquam sancta contingere lex diuina permittit: quanto magis doni cælestis dispensatores esse non conuenit, quod est deterius, mente perculsos?

lium *Romanum* ſub *Hilario* [*y*] definit, ſi quis iſtiuſmodi irrepſiſſet in ordines, epiſcopus, qui eum conſecrauerat, factum ſuum diſſoluere debebat, ſimul ac fraus detecta eſſet. Alia regula erat, vt ne quis, nondum vel irregulariter ſine debita baptiſmi formula baptizatus, ad ſanctos ordines admitteretur: quam ob cauſſam concilium *Nicænum* [*z*] eos, qui a *Paulianiſtis* ordinati erant, de nouo baptizari & ordinari iubebat, ſi alioquin apti eſſe ad functionem ſuam deprehenderentur. Idem decretum factum de omnibus inter hæreticos baptizatis vel rebaptizatis ab eis; vt ne quis eorum ordinaretur; & ſi qui ſubreptitia ratione ad ordines admiſſi eſſent, deponendi erant, pœna depoſitionis ipſi epiſcopo denuntiata, qui tales ordinare auſus eſſet, aut remouere eos, qui ab aliis fraudulenter eſſent ordinati, recuſaret [*a*]. Si quis ſæcularibus principibus vſus gradum in eccleſia obtinuiſſet, ſecundum canonem quemdam apoſtolicum [*b*] deponendus, & omnes a communione chriſtianorum ſegregandi erant, qui illi communicarent. Si quis epiſcopus aliquem minus dignum de propinquis ſuis ex mere humano adfectu ordinaſſet, per regulam eorumdem canonum

(*y*) Concil. Rom. c. III. Inſcii litterarum, nec non & aliqua membrorum damna perpeſſi, & hi qui ex pœnitentibus ſunt, ad ſacros ordines aſpirare non audeant. Quiſquis talium conſecrator exſtiterit, factum ſuum diſſoluet.

(*z*) Conc. Nic. can. XIX. *Περὶ τῶν Παυλιανισάντων, εἶτα προσφυγόντων τῇ καθολικῇ ἐκκλησίᾳ, ὅρος ἐκτέθειται ἀναβαπτίζεσθαι αὐτοὺς ἐξάπαντος· εἰ δέ τινες ἐν τῷ παρεληλυθότι χρόνῳ ἐν τῷ κλήρῳ ἐξητάσθησαν, εἰ μὲν ἄμεμπτοι καὶ ἀνεπίληπτοι φανεῖεν, ἀναβαπτισθέντες χειροτονείσθωσαν ὑπὸ τοῦ τῆς καθολικῆς ἐκκλησίας ἐπισκόπου· εἰ δὲ ἡ ἀνάκρισις ἀνεπιτηδείους αὐτοὺς εὑρίσκοι, καθαιρεῖσθαι αὐτοὺς προσήκει. κ. τ. λ.* *De Paulianiſtis, qui deinde ad eccleſiam confugerunt, ſtatutum eſt, vt ii omnino rebaptizentur. Si qui vero tempore præterito in clericorum numero erant, ſi quidem a culpa & reprehenſione alieni viſi fuerint, rebaptizati ordinentur a catholicæ eccleſiæ epiſcopo. Si vero examinatio eos non eſſe aptos deprehendit, deponi eos oportet. cetera.*

(*a*) Felic. III. epiſt. I. c. V. Qui in qualibet ætate, alibi quam in eccleſia catholica, aut baptizati aut rebaptizati ſunt, ad eccleſiaſticam militiam prorſus non admittantur. --- Quoniam de ſuo ordine & communione videbitur ferre iudicium, quiſquis hoc violauerit inſtitutum, vel qui non remouerit eum, quem ex eis ad miniſterium clericale obrepſiſſe cognouerit.

(*b*) Can. apoſt. can. XXX. Εἴ *τις ἐπίσκοπος κοσμικοῖς ἄρχουσι χρησάμενος, δι' αὐτῶν ἐγκρατὴς ἐκκλησίας γένηται, καθαιρείσθω, καὶ ἀφοριζέσθωσαν καὶ οἱ κοινωνοῦντες αὐτῷ πάντες.*

apo-

apostolicorum [c] ordinatio irrita habenda, & episcopus segregatione puniendus erat. Et huic regulæ conuenit decretum, in concilio *Toletano* decimo [d] ad eumdem finem factum. Si quis episcopus successorem suum ordinasset, per canonem concilii *Antiocheni* [e] ordinatio erat irrita, quod clandestine sine prouincialis synodi consensu facta esset. Vel si quis episcopus a duobus tantum episcopis ordinatus esset, ob eamdem rationem deponendus erat, quia id factum erat contra regulam, quæ præsentiam metropolitani & episcoporum prouincialium

(c) Can. apost. c. LXXVI. *ὅτι μὴ χρὴ τὸν ἐπίσκοπον τῷ ἀδελφῷ, ἢ τῷ υἱῷ, ἢ ἑτέρῳ συγγενεῖ χαριζόμενον τὸ ἀξίωμα τῆς ἐπισκοπῆς, χειροτονεῖν οὓς αὐτὸς βούλεται· κληρονόμους γὰρ τῆς ἐπισκοπῆς αὐτοῦ ποιεῖσθαι οὐ δίκαιον, τὰ τοῦ θεοῦ χαριζόμενον πάθει ἀνθρωπίνῳ· οὐ γὰρ τὴν τοῦ χριστοῦ ἐκκλησίαν ὑπὸ κληρονομίαν ὀφείλει τιθέναι· εἰ δέ τις τοῦτο ποιήσοι, ἄκυρος μὲν ἔστω ἡ χειροτονία, αὐτὸς δὲ ἐπιτιμάσθω ἀφορισμῷ. Non oportet episcopum, fratri, vel filio, vel alteri propinquo dignitatem episcopatus largiendo, ordinare quos ipse vult: non enim æquum est, vt episcopatus sui hæredes faciat, humano adfectu largiens quæ Dei sunt: nam Christi ecclesiam non debet hæreditati subiicere. Si quis autem hoc fecerit; irrita quidem sit eius ordinatio; ipse vero puniatur segregatione.*

(d) Conc. Toletan. X. can. III. Agnouimus quosdam pontifices præcepti principis apostolorum, qui ait: *Pascite, qui in vobis est, gregem &c.* ita esse immemores, vt quibusdam monasteriis, parochialibusque ecclesiis, aut suæ consanguinitatis personas, aut sui sanguinis participes inique sæpe statuant in prælatum; ita illis prouidentes commoda inhonesta, vt eisdem deferantur, aut quæ proprio episcopo dare iussus ordo poposcerit, aut quæ rapere deputati exactoris violentia potuerit. Proinde decenter omnibus placet, & in præsenti tale rescindere factum, & non esse de cetero faciendum. Nam quisquis pontificum deinceps, aut sanguine propinquis, aut fauore sibi personis quibuscumque deuinctis talia commodare lucra tentauerit ausu nefandæ præsumtionis; & quod visum fuerit, deuocetur in irritum, & qui ordinarit, annuæ excommunicationis ferat excidium.

(e) Conc. Antioch. c. XXIII. *Ἐπίσκοπον μὴ ἐξεῖναι ἀντ᾽ αὐτοῦ καθιστᾶν ἕτερον ἑαυτοῦ διάδοχον, κἂν πρὸς τῇ τελευτῇ τοῦ βίου τυγχάνει· εἰ δέ τι τοιοῦτο γίγνοιτο, ἄκυρον εἶναι τὴν κατάστασιν, φυλάττεσθαι δὲ τὸν θεσμὸν τὸν ἐκκλησιαστικὸν, περιέχοντα, μὴ δεῖν ἄλλως γίνεσθαι, ἢ μετὰ συνόδου καὶ ἐπικρίσεως ἐπισκόπων, τῶν μετὰ τὴν κοίμησιν τοῦ ἀναπαυσαμένου τὴν ἐξουσίαν ἐχόντων τοῦ προάγεσθαι τὸν ἄξιον. Nec liceat episcopo alium pro se successorem constituere, etiam si sit in fine vitæ. Si quid autem fiat eiusmodi, irrita sit constitutio. Seruetur autem ritus ecclesiasticus, qui continet, non aliter debere fieri, quam cum synodo & iudicio episcoporum, qui post defuncti dormitionem potestatem habent dignum prouehendi.*

requirebat. Hinc concilium *Arausicanum* primum [*f*] in tali casu hoc habebat decretum: *Duo si præsumserint ordinare episcopum, placuit de præsumtoribus, vt, sicubi contigerit, duos episcopos inuitum episcopum facere, auctoribus damnatis, vnius eorum ecclesiæ ipse, qui vim passus est, substituatur: si voluntarium duo fecerint, & ipse damnabitur, quo cautius ea, quæ sunt antiquitus instituta, seruentur.* Et concilium *Regense* [*g*] *Armentarium* episcopum *Ebredunensem* hanc ipsam ob caussam re vera deponebat, quia non habuerat tres episcopos ad se ordinandum. Hæc omnia contra cognitas ordinationis regulas fiebant, hominibusque dabantur crimini, quia bonas regulas & decreta, ad bonum regimen & in beneficium ecclesiæ sapientissime facta, violabant. Et idcirco si quo in huiusmodi casu crimen committeretur, ordinatio per disciplinam ecclesiæ irrita declaranda erat ab origine; & clerici sic ordinati deponi poterant, simul ac ordinati essent, ob vitium in ipsorum ordinatione commissum. Equidem id manifestum est, ecclesiam non semper eos re ipsa deposuisse: tunc vero a suis ipsius regulis discedebat, & talis agendi ratio ad fauorem duntaxat & indulgentiam in specialioribus quibusdam casibus impertiendam spectabat, quum ecclesia iustis de caussis disciplinam suam laxandam, & hominibus istiusmodi commoda concedenda duceret, quæ rigore legis sibi postulare haud poterant. Generalibus disciplinæ regulis sua constabat vis & auctoritas, etiamsi ecclesia non semper e re sua esse iudicaret, eas seuere exsequi.

§. IV.

Nullum remedium hoc in casu per publicæ pœnitentiæ pro criminibus actionem permissum.

NEQVE vllum hoc in casu remedium erat, vt quis solemnem criminum suorum expiationem coram ecclesia, publicam pro eis agendo pœnitentiam, faceret. Hoc enim viam

(*f*) Concil. Arausic. I c. XXI.

(*g*) Conc. Regens. c. II. Ordinationem, quam canones irritam definiunt, nos quoque euacuandam esse censuimus, in qua, prætermissa trium præsentia, nec expetitis comprouincialium litteris, metropolitani quoque voluntate neglecta, prorsus nihil, quod episcopum faceret, ostensum est. Itaque placuit in voluntate domini, remoto eo, qui perperam assumtus erat episcopus, fieri omnino fratrum constitutionem, ecclesiastica traditione seruata.

ad

ad regularem ordinationem adeo non aperiebat, vt de eis rebus esset, quæ eos a munere ecclesiastico plane reiiciebant. Si vero clandestinis artibus ordinationem obtinuissent, idonea credebatur ratio ordinibus eos suis priuandi deque gradu deiiciendi. *Ex pœnitentibus*, inquit concilium *Carthaginense* quartum [h], *quamuis sit bonus, clericus non ordinetur. Si per ignorantiam episcopi factum fuerit, deponatur a clero, quia se ordinationis tempore non prodidit fuisse pœnitentem.* Eumdem in modum concilium *Romanum* sub *Hilario* pœnitentes [i] non minus, quam inscios litterarum & aliqua membrorum damna passos, ab ordinatione arceri iubet: Et declarat, vt quisquis episcoporum tales consecrauerit, factum suum dissoluat; hoc est, ordinibus eos suis, simul ac ordinati fuerint, deiiciat. Idem ab *Innocentio* episcopo *Romano* definitum est in caussa cuiusdam *Modesti*, qui, postquam pro multis criminibus pœnitentiam egisset, non tantum clericus ordinatus fuerat, quod legi erat contrarium, sed episcopatum etiam ambiebat. Decretum eius hac in re ita habet; *Non* [k] *sola ab episcopatus ambitione, sed etiam* (secundum canones *Nicanos* [l]) *a clericatus remoueatur officio.* Concilium *Aurelianense* tertium idem sanxit [m]: *De ipsis, qui ordinandi sint clerici, regulari custodiatur studio, ne aut duarum vxorum vir; aut renuptæ maritus, aut pœnitentiam professus -- ad ordines promoueatur. Quod si sciens episcopus contra hæc statuta agendum esse crediderit, is quidem qui ordinatur, suscepto iuxta anteriores canones priuetur officio: sed & pro ordinationis temeritate sex mensibus a celebrandis officiis sequestretur.* Concilium *Agathense* [n] pœnam quodam modo mitigat, talibus presbyteris & diaconis nomen & honorem tenere permittens, diaconis autem calicem ministrare, & presbyteris oblationem altaris consecrare interdicens. Et concilium primum *Toletanum* [o] eos de gradu quidem deiicit, non

(*h*) Conc. Carth. IV. c. LXVIII.

(*i*) Conc. Rom. can. III. cit. sub litt. anteced. (*y*) pag. 60.

(*k*) Innocent. epist. VI. ad episcopos Apuliæ.

(*l*) Concil. Nic. can. IX. & X. cit. §. III. litt. (b) pag. 54. 55.

(*m*) Concil. Aurelian. III. can. VI.

(*n*) Concil. Agath. c. XLIII. vid. cap. III. §. IX. sub litt. (g) pag. 34.

(*o*) Concil. Tolet. I. c. II. Placuit, pœnitentes non admittantur ad clerum. -- Si qui autem ante ordinati sunt diacones, inter subdiaconos habeantur.

omni-

omnino tamen, ſed diaconis, qui ita de pœnitentibus ordinati fuerint, locum inter hypodiaconos, hoc eſt in proximo inferiore ordine, habere permittit. Hac vel illa ratione quilibet clericus, qui pœnitentiam egerat, dum eſſet laicus, corrigebatur & plectebatur eo, quod quum ordinaretur, non declaraſſet, ſe in iſtiuſmodi ſtatu eſſe, qui per eccleſiæ regulas iuſto impedimento ordinationi ipſius eſſet. Et ſemper res plena ſcandali & offenſionis habebatur, ſi cui, qui publice pœnitentiam in eccleſia egiſſet, permitteretur inſtar publici miniſtri officia celebrare. Eccleſia admittere eos ad veniam & pacem poſt pœnitentiam poterat, ſed vt ad aliquam dignitatem adſpirarent, vel in vllo clericali officio perſeuerarent, eis permittere nolebat.

§. V.

Impedimenta quædam ordinationis, ab externo hominum ſtatu & conditione in mundo oriunda, deiectioni eorum nonnumquam dabant occaſionem.

ALIVD genus erat impedimentorum ordinationis, quæ, vt obſeruo, non ex vlla criminali actione in hominibus, ſed ex externo tantum eorum ſtatu & conditione in mundo oriebantur; quia cum ſacri ordinis officiis conſiſtere non poterat. Quocirca plures accuratæ regulæ datæ, ad iſtiuſmodi hominum ordinationem impediendam, eoſque de clericali ad ſæcularem ſtatum deiiciendos, ſi forte contra iſtiuſmodi interdicta imprudenter eſſent ordinati. Ita, vt paucis rem exemplis illuſtremus, militia (ſub qua, vt alio loco [*] oſtendimus, non tantum armati milites, ſed omnes etiam miniſtri palatii imperatoris, & omnes apparitores iudicum ſiue gubernatorum prouinciarum comprehendebantur) militia, inquam, hoc ſenſu latiore accepta, cum officiis vitæ clericalis conſiſtere non poſſe credebatur: quia homines, in iſtiuſmodi vitæ genere conſtituti, per leges ſeruitio imperii tenebantur, idcirco leges tam eccleſiaſticæ quam ciuiles eos ad ordinem aliquem eccleſiæ admitti vetabant; et ſi quam per fraudem vel errorem admiſſi eſſent, amouendi & ad priſtinum ſtatum reuocandi erant. Eccleſia aliam etiam habebat rationem reiiciendi mi-

(*) Lib. IV. c. IV. §. I. vol. II. pag. 144. 145.

lites

lites bellicos, quod probabile esset, eos manus suas sanguine maculasse, cuiusmodi ordinationem accipere non poterant. Hinc quum nonnulli tales in ecclesiis *Hispanicis* in ordines adsciti essent, *Innocentius* pontifex *Romanus*, data ad synodi *Toletanae* episcopos acriore epistola, narrabat, expedire propter numerum sic ordinatorum, vt in officio tolerarentur, ne perturbationes mouerentur quam plurimis ecclesiis, & vt ea, quae facta essent, Dei potius iudicio dimitterentur: sed si deinceps istiusmodi ordinarentur, tam hos ipsos, quam qui eos ordinassent [*p*], ordine & honore priuandos esse pronuntiabat. Cui eius admonitioni concilium *Toletanum* [*q*] eatenus morem gerebat, vt canonem faceret in hanc sententiam: *Si quis post baptismum militauerit & chlamydem sumserit, aut cingulum; etiamsi grauiora non admiserit, si ad clerum admissus fuerit, diaconii non accipiat dignitatem.* Seruos & clientes beneficiarios ordinari ex eadem ratione prohibitum erat, quia per legem ministerio dominorum suorum temporalium obligati erant: Ita similiter omnia membra ciuilis cuiusdam societatis, vel sodalitii opificum, quia ministerio reipublicae tenebantur: Et omnes, qui nomine veniebant curialium siue decurionum in imperio *Romano;* vtpote qui membra erant curiae, siue communis concilii in aliqua ciuitate, cui per facultates & possessiones suas operam suam commodare debebant. Horum omnium ordinatio generatim tum per ecclesiasticas tum ciuiles leges interdicta erat: & si qui eorum irregulariter essent ordinati, domini libertatem habebant repetendi seruos suos; imperium milites suos; & curia

(*p*) Innocent. epist. XXIII. ad synod. Toletan. cap. IV. De ordinationibus, quas prauae consuetudinis vitio Hispanienses episcopos celebrare cognoscimus, fuerat aliquid secundum maiorum traditionem statuendum, nisi perpenderemus, ne perturbationes quam plurimis ecclesiis moueremus. Quorum factum ita reprehendimus, vt propter numerum corrigendorum ea, quae quoquo modo facta sunt, in dubium non vocemus, sed Dei potius iudicio dimittamus. --- Sed ne deinceps similia committantur, dilectionis vestrae maturitas prouidere debebit, vt tantae vsurpationi saltem nunc finis necessarius imponatur: eo videlicet constituto, vt si qui posthac aduersus formas canonum vel ad ecclesiasticum ordinem, vel ad ipsum sacerdotium venire tentauerint, vna cum creatoribus suis ipso, in quo inuenti fuerint, ordine & honore priuentur.

(*q*) Concil. Tolet. I. c. VIII.

decuriones ſuos deſertores: Et eccleſia, excepto in quibuſdam ſpecialibus caſibus, eos deponere debebat & ſtatim conſentire, vt ad antiquam ſuam ſtationem & functionem ſæcularem reducerentur. De quibus omnibus libro quodam [*] anteriore copioſius expoſuimus, hoc autem loco ea tantum ad explanandum diſciplinam eccleſiæ attingimus.

§. VI.

Quænam crimina depoſitionem, vel alias cenſuras clericis in officii ſui adminiſtratione adferre potuerint. 1. Clerici cenſura eccleſiaſtica adficiendi ob contemtum canonum.

HACTENVS cauſſas & occaſiones deiectionis clericorum ex vitio aliquo, ſub clericalis muneris aditum commiſſo, oriundas ſpectauimus. Iam videbimus, quænam crimina deiectionem parere, vel aliis cenſuris in officii ſui adminiſtratione obnoxios eos reddere potuerint. Atque heic generatim notandum fuerit, clericum cenſuris ſemper fuiſſe obnoxium ob quemuis contemtum canonum. Qua de re in concilio primo *Carthaginenſi* [r], *Taurinenſi* & *Bracarenſi* & diuerſis aliis regulæ præſcriptæ leguntur. Verum vt hæ clericos & laicos pariter adficiunt, eas heic longo ordine recenſere nihil attinet, quum id libro quodam ſuperiore [†], in generaliore diſciplinæ conſideratione, factum ſit.

§. VII.

2. Ob negligentiam in officio ſuo.

SPECIALIVS cenſuræ obnoxii erant ob negligentiam in officio ſuo, vel actionem aliquam in eius adminiſtratione, rectæ legum normæ minime conuenientem. *Epiſcopus aut presbyter*, inquiunt canones apoſtolici [ſ], *clerum vel populum negli-*

(*) Lib. IV. c. IV. §. II. ſeqq. volum. II. p. 142. ſeqq.

(r) Concil. Carthag. I. c. XIV. Si quis ſtatuta ſupergreſſus corruperit, vel pro nihilo habenda putauerit, ſi laicus eſt, communione, ſi clericus eſt, honore priuetur.

Conc. Taurin. c. II. †

Conc. Brac. I. c. XI. (ap. Labb. conc. II. can. XXII. tom. V. conc. p. 842.) Placuit, vt quæcumque præcepta antiquorum canonum modo in concilio recitata ſunt, nullus audeat præterire. Si quis autem quaſi contumax transgreditur, illum neceſſe eſt vt de ſuo degradetur officio.

(† Lib. XVI. cap. IX. §. V. volum. VII. pag.

(ſ) Canon. apoſt. c. LVIII. Ἐπίσκοπος ἢ πρεσβύτερος, ἀμελῶν τοῦ κλήρου, ἢ τοῦ λαοῦ,

gens

gens & non docens eos pietatem, segregetur: si autem in socordia perseveret, deponatur. Hæc negligentia in ciuili lege [t] sacrilegium audit, & hoc nomine puniri iubetur.

§. VIII.

3. *Ob neglectum vsum publicæ liturgiæ, orationis dominicæ, hymnorum &c.*

Si clerici publicam liturgiam, vel vllam eius partem, orationem dominicam, statos & receptos hymnos, cetera, prætermitterent, censuræ & condemnationi obnoxii erant. Concilium *Toletanum* quartum diuersos hanc in rem canones habet. *Quisquis sacerdotum vel subiacentium clericorum*, inquit vnus canon [u], *orationem dominicam quotidie aut in publico aut in priuato officio præterierit, propter superbiam iudicatus, ordinis sui honore priuetur.* Alius [w] vsum precum communium, doxologiæ, & hymnorum HILARII atque AVGVSTINI, in laudem Dei atque apostolorum & martyrum triumphos compositorum stabilit, & tandem concludit: *Sicut igitur orationes, ita & hymnos in laudem Dei compositos nullus nostrum vlterius improbet, sed pari modo Gallicia Hispaniaque celebrent, excommunicatione plectendi, qui hymnos reiicere fuerint ausi.* Alius vsum hymni trium puerorum confirmat, eamdem pœnam negligentibus eum [x] denuntians. Quartus quidam canon [y] definit, quemadmodum doxologia illa *Glo-*

καὶ μὴ παιδεύων αὐτοὺς τὴν εὐσέβειαν, ἀφοριζέσθω· ἐπιμένων δὲ τῇ ῥᾳθυμίᾳ, καθαιρείσθω.

(t) Cod. Theodos. lib. XVI. tit. II. de episcopis leg. XXV. Qui diuinæ legis sanctitatem aut nesciendo confundunt, aut negligendo violant, sacrilegium committunt.

(u) Concil. Tolet. IV. c. X.

(w) Ibid. can. XIII.

(x) Ibid. can. XIV. Hymnum quoque trium puerorum, in quo vniuersa cæli terræque creatura dominum collaudat, & quem ecclesia catholica per totum orbem diffusa celebrat, quidam sacerdotes in missa dominicorum dierum & in solemnitatibus martyrum canere negligunt: proinde hoc sanctum concilium instituit, vt per omnes ecclesias Hispaniæ vel Galliciæ in omnium missarum solemnitate idem in pulpito decantetur: communionem amissuri, qui & antiquam huius hymni consuetudinem nostramque definitionem excesserint.

(y) Ibid. c. XV. In fine psalmorum non, sicut a quibusdam huc vsque, Gloria patri, sed, Gloria & honor patri dicatur, Dauid propheta dicente: *Afferte domino gloriam & honorem:* & Ioannes euangelista in apocalypsi: *Audiui*

ria patri, &c. ab omnibus ecclesiasticis cani debeat: & quintus quidam [z] lectionem apocalypseos certo anni tempore fieri iubet, inter pascha scilicet & pentecosten, eamdem sententiam & pœnam excommunicationis denuntians omnibus, qui vel librum tamquam non canonicum reiecturi, vel in diuino officio secundum datam regulam adhibere prætermissuri sint.

§. IX.

4. Ob mutationem in forma baptismi factam.

Si quis ecclesiæ minister materialem mutationem faceret in administrandis sacramentis, propter istam audaciam officio deiiciendus erat: Verbi gratia, si vel generalem verborum formulam in baptismo vsitatam mutaret, vel trinam immersionem, vniuersali consuetudine in omnibus ecclesiis receptam. *Si quis episcopus aut presbyter*, inquit canon quidam apostolicus [a], *secundum domini constitutionem non baptizauerit in patrem & filium & spiritum sanctum; sed in tres principio carentes, vel in tres filios, vel in tres paracletos, deponatur.* Et proximus canon [*] ait: *Si quis episcopus aut presbyter non tres mersiones vnius initiationis seu baptismi fecerit; sed vnam mersionem, quæ detur in mortem domini, deponatur. Non enim dixit dominus; In mortem meam baptizate: sed, Euntes docete omnes gentes; baptizantes eos in nomine patris & filii & spiritus sancti.*

---

vocem cælestis exercitus dicentem: Honor & gloria Deo nostro sedenti in throno: ac per hoc hæc duo sic oportet in terris dici, sicut in cælis resonant. Vniuersis igitur ecclesiasticis hanc obseruantiam damus, quam quisquis præterierit, communionis iacturam habebit.

(z) Ibid. can. XVII. Apocalypsin librum multorum conciliorum auctoritas & synodica sanctorum præsulum Romanorum decreta Ioannis euangelistæ esse perscribunt, & inter diuinos libros recipiendum [hic deest aliquid] atque in ecclesia Dei prædicare contemnunt. Si quis eum deinceps aut non receperit, aut a pascha vsque ad pentecosten missarum tempore in ecclesia non prædicauerit, excommunicationis sententiam habebit.

(a) Can. apost. XLIX. (al. XLI.) Εἴ τις ἐπίσκοπος, ἢ πρεσβύτερος κατὰ τὴν τοῦ κυρίου διάταξιν μὴ βαπτίσῃ εἰς πατέρα καὶ υἱὸν καὶ ἅγιον πνεῦμα, ἀλλὰ εἰς τρεῖς ἀνάρχους, ἢ εἰς τρεῖς υἱοὺς, ἢ εἰς τρεῖς παρακλήτους, καθαιρείσθω.

(*) Can. apost. XLII. (al. L.) Εἴ τις ἐπίσκοπος, ἢ πρεσβύτερος μὴ τρία βαπτίσματα μιᾶς μυήσεως ἐπιτελέσῃ, ἀλλὰ ἓν βάπτισμα τὸ εἰς τὸν θάνατον τοῦ κυρίου διδόμενον, καθαιρείσθω· οὐ γὰρ εἶπεν ὁ κύριος, εἰς τὸν θάνατόν μου βαπτίσατε· ἀλλὰ, πορευθέντες κ. τ. λ.

§. X.

§. X.

5. *Si non frequentarent quotidianum Dei cultum.*

Si quis clericus ecclesiam frequentare & diuino cultui adesse negligeret, etiam quando ipse non celebrabat sacrificium, deponendus erat, si admonitus in contemtu persisteret. Hunc in finem decretum legimus a concilio *Toletano* primo [*b*] factum: *Presbyter, vel diaconus, vel subdiaconus, vel quilibet ecclesiæ deputatus clericus, si intra ciuitatem fuerit, vel in loco, in quo ecclesia est, aut castella, aut vici sunt, aut villæ, si ad ecclesiam aut ad sacrificium quotidianum non venerit, clericus non habeatur, si castigatus, per satisfactionem veniam ab episcopo noluit promereri.* Concilium *Agathense* tales ad communionem peregrinam reducit [*c*], hoc est, officio ad tempus amouet. Et lex IVSTINIANI [*d*] eos extra clerum iubet constitui, propter scandalum, quod per istiusmodi neglectum & contemtum diuini cultus detur laicis.

§. XI.

6. *Si sæcularibus officiis sese implicarent.*

Si quis clericus se admisceret atque implicaret sæcularibus officiis, quum hoc minus necessaria auocatio esset a propria eius functione, & proprium vocationis eius impediret negotium, munere suo priuandus erat. *Non oportet*, inquit vnus e canonibus apostolicis [*e*], *vt episcopus se* εἰς δημοσίας διοικήσεις *in publicas administrationes demittat, sed ecclesiasticis vsibus vacet. Aut igitur persuadeatur hoc non facere, aut deponatur. Nemo e-*

(*b*) Concil. Tolet. I. c. V.

(*c*) Conc. Agath. c. II. Contumaces clerici, prout dignitatis ordo permiserit, ab episcopis corrigantur: & si qui prioris gradus elati superbia communionem fortasse contemserint, aut ecclesiam frequentare, vel officium suum implere neglexerint, peregrina eis communio tribuatur: ita, vt quum eos pœnitentia correxerit, rescripti in matricula gradum suum dignitatemque recipiant.

(*d*) Cod. Iustin. lib. I. tit. III. de episcopis leg. XLII. §. X. τοὺς μὴ εὑρισκομένους ἀμέμπτως ταῖς λειτουργίαις προσκαρτεροῦντας ἔξω τοῦ κλήρου καθίστασθαι, *Eos, qui inuenti non fuerint inculpate in liturgiis perseuerantes, extra clerum constitui (iubemus).*

(*e*) Can. apostol. LXXXI. ὅτι μὴ χρὴ ἐπίσκοπον καθιέναι ἑαυτὸν εἰς δημοσίας διοικήσεις, ἀλλὰ προσευκαιρεῖν ταῖς ἐκκλησιαστικαῖς χρείαις· ἢ πειθέσθω οὖν τοῦτο μὴ

nim potest duobus dominis seruire; iuxta dominicam admonitionem. Alius canon [*f*] ait: *Episcopus, aut presbyter, aut diaconus, militiæ vacans, & vtrumque retinere volens, Romanum magistratum & sacram administrationem; deponatur. Quæ enim sunt Cæsaris, Cæsari; & quæ sunt Dei Deo.* Concilium *Carthaginense* primum [*g*] clericis interdicit, ne administrationem vel procurationem domorum in se recipiant, quia apostolus dicat: *Nemo militans Deo, ingerit se negotiis sæcularibus.* Et concludit: *Proinde aut clerici sint sine actionibus domorum, aut actores sint sine officio clericorum.* Enimuero quum necessitas vel caritas videri posset postulare a clericis, vt in casibus quibusdam specialibus negotiis sæcularibus sese implicarent, concilium *Chalcedonense* [*h*] regulam cum quadam distinctione tradit: *Peruenit,* inquiens, *ad sanctam synodum, quod eorum, qui in clerum cooptati sunt, quidam propter turpe lucrum alienas possessiones conducunt, & sæcularia negotia exercent, diuinum ministerium negligentes, sæcularium vero domos subeuntes, & eorum facultatum tractationem ac curationem propter auaritiam suscipientes. Definiit ergo sancta synodus, neminem deinceps, nec episcopum, nec clericum, nec monachum vel possessiones conducere, vel sæcularibus possessionum administrationibus se ipsum ingerere: nisi vtique ex lege ad inexcusabilem impuberum tutelam vocetur, vel ciuitatis episcopus eum rerum ecclesiasticarum curam gerere permittat, vel orphanorum, vel viduarum, quibus prouideri non potest, & personarum, quæ ecclesiastico auxilio maxime indigent, propter*

ποιεῖν, ἢ καθαιρείσθω· ὀυδεὶς γὰρ δύναται δυσὶ κυρίοις δουλεύειν, κατὰ τὴν κυριακὴν παρακέλευσιν.

(*f*) Ibid. can. LXXXIII. Ἐπίσκοπος, ἢ πρεσβύτερος, ἢ διάκονος, στρατείᾳ σχολάζων, καὶ βουλόμενος ἀμφότερα κατέχειν, Ῥωμαϊκὴν ἀρχὴν καὶ ἱερατικὴν διοίκησιν, καθαιρείσθω· τὰ γὰρ Καίσαρος, Καίσαρι· καὶ τὰ τοῦ Θεοῦ, Θεῷ. Vid. can. VII. ibid. κοσμικὰς φροντίδας μὴ ἀναλαμβανέτω· εἰ δὲ μὴ, καθαιρείσθω.

(*g*) Conc. Carth. I. c. VI.

(*h*) Concil. Chalced. can. III. Ἦλθεν εἰς τὴν ἁγίαν σύνοδον, ὅτι τῶν ἐν τῷ κλήρῳ κατειλεγμένων τινὲς δι' οἰκείαν αἰσχροκέρδειαν ἀλλοτρίων κτημάτων γίνονται μισθωταὶ, καὶ πράγματα κοσμικὰ ἐργολαβοῦσι, τῆς μὲν τοῦ Θεοῦ λειτουργίας καταῤῥαθυμοῦντες, τοὺς δὲ τῶν κοσμικῶν ὑποτρέχοντες οἴκους, καὶ ὀυσιῶν χειρισμοὺς ἀναδεχόμενοι διὰ φιλαργυρίαν· ὥρισε τοίνυν ἡ ἁγία σύνοδος, μηδένα τοῦ λοιποῦ, μὴ ἐπίσκοπον, μὴ κληρικὸν, μὴ μονάζοντα, ἢ μισθοῦσθαι κτήματα, ἢ πράγματα, ἢ ἐπεισάγειν ἑαυτὸν κοσμικαῖς διοικήσεσι· πλὴν εἰ μή που ἐκ νόμων καλοῖτο εἰς ἀφηλίκων, ἀπαραίτητον ἐπιτροπὴν, ἢ ὁ τῆς πόλεως ἐπίσκοπος ἐκκλησιαστικῶν ἐπιτρέψοι φροντίζειν πραγμάτων, ἢ ὀρφανῶν, καὶ χηρῶν ἀπρονοήτων, καὶ τῶν προσώπων τῶν μάλιστα τῆς ἐκκλησιαστικῆς δεομένων βοηθείας, διὰ τὸν φόβον τοῦ κυ-

timo-

timorem domini. Si quis autem, quæ statuta sunt, deinceps transgredi adgressus fuerit, is pœnis ecclesiasticis subiiciatur. Dantur multæ aliæ leges, quæ clericis pro aliis spondere vel caussam in iudicio agere, vel sæcularem negotiationem exercere interdicunt; sed tamen cum aliqua limitatione & exceptione. De quibus quum libro quodam antecedente [*] copiose disseruimus, hoc loco plura dicere nihil attinet.

§. XII.

7. *Si propriam ecclesiam sine venia desererent, ad migrandum ad aliam.*

ALIVD eiusdem generis crimen erat in clerico, si ecclesiam suam, cui initio per ordinationem adfixus erat, sine venia episcopi, ad cuius iurisdictionem pertinebat, desereret. Licet enim hoc proprie non esset absoluta quædam & vniuersalis abdicatio & desertio ministerii ecclesiastici; manifesta tamen boni ordinis violatio erat, & transgressio vtilis regulæ, per sæpius iteratas præceptiones in vniuersa ecclesia stabilitæ, qua clerici episcopi sui ecclesiam vel diœcesin sine eius consensu deserere, & in alia quacumque in fraudem episcopi, qui initio eos ordinauerat, recipi prohibentur. *Si quis presbyter aut diaconus*, inquit canon quidam apostolicus [i], *relicta paræcia sua ad aliam abierit; & quum migrauerit penitus, in alia paræcia præter episcopi sui voluntatem manserit; hunc iubemus non amplius sacris ministrare; præsertim si episcopo ad reditum hortanti non obtemperauerit, in ordinis desertione perseuerans: illic tamen veluti laicus communicet. Sin vero episcopus, apud quem versatur, pro nihilo ducens aduersum eos decretam cessationem a ministerio, receperit eos tamquam clericos; segregetur, vt magister turbati ordinis.* Eadem regula

ρίᾳ· εἰ δέ τις παραβαίνειν τὸ ὡρισμένα τοῦ λοιποῦ ἐπιχειρήσει, ὁ τοιοῦτος ἐκκλησιαστικοῖς ὑποκείσθω ἐπιτιμίοις.

(*) Lib. VI. cap. IV. §. IX. X. XI. seq. volum. II. p. 401. seqq.

(i) Can. apostol. XII. (al. XV. XVI.) Εἴ τις πρεσβύτερος, ἢ διάκονος, ἢ ὅλως τοῦ καταλόγου τῶν κληρικῶν, ἀπολείψας τὴν ἑαυτοῦ παροικίαν, εἰς ἑτέραν ἀπέλθῃ, καὶ παντελῶς μεταστὰς διατρίβῃ ἐν ἄλλῃ παροικίᾳ παρὰ γνώμην τοῦ ἰδίου ἐπισκόπου· τοῦτον κελεύομεν μηκέτι λειτουργεῖν, εἰ μάλιστα, προσκεκλημένου αὐτὸν ἐπανελθεῖν ἐπισκόπου, οὐχ ὑπήκουσεν, ἐπιμένων τῇ ἀταξίᾳ· ὡς λαϊκὸς μέντοι ἐκεῖσε κοινωνείτω· εἰ δὲ ὁ ἐπίσκοπος, παρ' ᾧ τυγχάνουσιν, παρ' οὐδὲν ἡγησάμενος τὴν κατ' αὐτῶν ὁρισθεῖσαν ἀργίαν, δέξηται αὐτοὺς ὡς κληρικούς, ἀφοριζέσθω ὡς διδάσκαλος ἀταξίας.

sæpi-

sæpius repetitur in antiquis canonibus, ad quos alio loco lectorem [†] amandauimus.

§. XIII.

8. *Si ministerium obire auderent, a synodo iam condemnati.*

Si quis clericus ministerium obire auderet, postquam a synodo condemnatus, nec dum ab ea vel alia quadam synodo absolutus esset, ob contemtum suum deiiciendus erat sine vlla spe restitutionis. Ita primum in canonibus apostolicis [*k*] decretum est: *Si quis episcopus, aut presbyter, aut diaconus, iuste propter manifesta crimina depositus, attingere sibi quondam traditum ministerium ausus fuerit; is penitus ab ecclesia exscindatur.* Concilium *Antiochenum* [*l*] hanc regulam paullo explicitius repetit: *Si quis episcopus a synodo depositus, vel presbyter, vel diaconus a proprio episcopo, sacrum celebrare ausus fuerit, siue episcopus secundum præcedentem consuetudinem, siue presbyter, siue diaconus, nullam amplius spem restitutionis in alia synodo, neque defensionis locum ei habere liceat. Sed & omnes, qui ei communicant, ex ecclesia eiiciantur, & maxime si quam sententiam aduersus prædictos prolatam didicerunt, eis communicare ausi fuerint.* Hic canon in magno concilio *Chalcedonensi* [*m*] repetitur & confirmatur, tamquam firma & stata regula, tunc vniversalis ecclesiæ codici inserta.

§. XIV.

9. *Si a censura synodi prouincialis ad extraneas appellarent ecclesias.*

Hoc in casu ecclesia appellationem permittebat, vt, si quis iniuriam passus, vel oppressus esset per violentam aliquam secum agendi rationem, coram prouinciali synodo ius postu-

(†) Lib. VI. c. IV. §. IV. vol. II. p. 387. seqq.

(*k*) Can. apostol. XXIX. (al. XXI.) Εἴ τις ἐπίσκοπος, ἢ πρεσβύτερος, ἢ διάκονος, καθαιρεθεὶς δικαίως ἐπὶ ἐγκλήμασι φανεροῖς, τολμήσειεν ἐφάψασθαι τῆς ποτὲ ἐγχειρισθείσης αὐτῷ λειτουργίας· οὗτος παντάπασιν ἐκκοπτέσθω τῆς ἐκκλησίας.

(*l*) Conc. Antioch. can. IV. Εἴ τις ἐπίσκοπος ὑπὸ συνόδου καθαιρεθεὶς, ἢ πρεσβύτερος, ἢ διάκονος ὑπὸ τοῦ ἰδίου ἐπισκόπου, τολμήσειέν τι πρᾶξαι τῆς λειτουργίας, εἴτε ὁ ἐπίσκοπος κατὰ τὴν προάγουσαν συνήθειαν, εἴτε ὁ διάκονος· μηκέτι ἐξὸν εἶναι αὐτῷ, μηδ' ἐν ἑτέρᾳ συνόδῳ ἐλπίδα ἀποκαταστάσεως, μήτε ἀπολογίας χώραν ἔχειν· ἀλλὰ δὲ τοὺς κοινωνοῦντας αὐτῷ πάντας ἀποβάλλεσθαι τῆς ἐκκλησίας, καὶ μάλιστα εἰ μαθόντες τὴν ἀπόφασιν τὴν κατὰ τῶν προειρημένων ἐξενεχθεῖσαν τολμήσειαν αὐτοῖς κοινωνεῖν.

(*m*) Concil. Chalced. act. IV. (concil. tom. IV. p. 538.)

lare posset. Tum vero hæc appellandi libertas ad locum siue prouinciam, in qua ille viuebat, adstricta erat, nec ad aliam poterat confugere regionem, hanc quidem huic rei prætexendo caussam, quod illic alieniores a partium studio iudices se habiturum consideret. Equidem episcopi *Romani* interdum peculiarem hac in re prærogatiuam sibi arrogabant, quasi potestatem haberent appellationes ab aliis ecclesiis accipiendi, caussasque, in extraneis regionibus iisque remotissimis & diuersæ iurisdictioni subiacentibus subnatas, audiendi atque decidendi. At vero *Augustinus* & reliqui patres *Africani* huic iniquæ vsurpationi mascule sese opponebant, clericisque ad exteras ecclesias appellare interdicebant, facto hanc in rem tali decreto: *Placuit, vt presbyteri, diaconi vel ceteri inferiores clerici, in caussis, quas habuerint, si de iudiciis episcoporum suorum questi fuerint, vicini episcopi eos audiant, & inter eos, quicquid est, finiant, adhibiti ab eis ex consensu episcoporum suorum. Quod & si ab eis prouocandum putauerint, non prouocent nisi ad Africana concilia, vel ad primates prouinciarum suarum. Ad transmarina autem* (*Romam* intelligunt) *qui putauerint appellandum, a nullo inter Africam in communionem suscipiantur.* Decretum hoc primum factum est in concilio *Mileuitano* [n], & postmodum confirmatum diuersis actibus generalium synodorum, celebratarum occasione decantatissimæ appellationis *Apiarii* presbyteri *Africani*, quem, ab *Africano* quodam concilio honoris sui gradu deiectum, *Zosimus* pontifex *Romanus* communioni restituere conabatur. Quemadmodum hisce conatibus obuiam ierint patres *Africani*, quamdiu tres pontifices *Zosimus*, *Bonifacius*, & *Calestinus* sedi *Romanæ* alius post alium præfuerunt, & quibus argumentis contra eos pugnauerint, iam supra [*] e canonibus codicis *Africani* ostendimus. Hoc loco id tantum breuissime notamus, vt antiquam disciplinam hac in re ex communi tenore & praxi ecclesiæ explanemus.

(*n*) Concil. Mileuitan. c. XXII.

(*) Cod. Afric. CXXXV. CXXXVI. CXXXVII. CXXXVIII. vid. lib. IX. cap. I. §. XI. volum. III. p. 393. seqq.

§. XV.

10. *Si controuersias coram episcopis finire recusarent, & ad sæculare confugerent iudicium.*

ALIA res, propter quam clerici pœnis ecclesiasticis subiiciebantur, erat, si controuersias suas coram episcopis finire recusarent, & ad sæcularia potius aufugerent iudicia. Leges imperiales permittunt, & leges ecclesiasticæ præcipiunt eis, vt omnes lites, quas inter se habeant, ad ecclesiastici tribunalis cognitionem deferant. Occasionem alio in loco [*] habuimus hac de re, tamquam priuilegio & immunitate, clericis per leges imperiales indulta, loquendi, & quæ hoc loco de ea adhuc notabimus, tantum ea sunt, quæ ad disciplinam ecclesiæ spectant. Quo pertinet decretum, quod in concilio legimus *Chalcedonensi* [o]: *Si quis clericus habet cum clerico litem aut negotium, primum episcopum ne relinquat, & ad sæcularia iudicia ne excurrat: sed caussam prius apud proprium episcopum agat: vel de episcopi sententia apud eos, quos vtraque pars elegerit, iudicium agitetur: Si quis autem præter hæc fecerit, canonicis pœnis subiiciatur.* Quæ pœnæ in ecclesia *Africana* in eo consistebant, vt locum suum, hoc est dignitatem, amitteret, siue episcopus esset, siue presbyter, siue diaconus, siue alius quicumque inferior clericus, qui sententiam fori ecclesiastici in caussa criminali declinaret, & ad iudicium confugeret sæculare: Vel si caussa ciuilis esset, perdere debebat quicquid emolumenti ex ista actione consequutus erat; quemadmodum concilium *Carthaginense* tertium [p] hac in re definiuit, quia vniuersam ecclesiam despiciebat in eo,

(*) Lib. V. cap. I. §. IV. vol. II. p. 207. seqq.

(o) Concil. Chalced. c. IX. Εἴ τις κληρικὸς πρὸς κληρικὸν πρᾶγμα ἔχοι, μὴ καταλιμπανέτω τὸν οἰκεῖον ἐπίσκοπον, καὶ ἐπὶ κοσμικὰ δικαστήρια κατατρεχέτω· ἀλλὰ πρότερον τὴν ὑπόθεσιν γυμναζέτω παρὰ τῷ ἰδίῳ ἐπισκόπῳ, ἤγουν γνώμῃ κατὰ τοῦ ἐπισκόπου, παρ' οἷς ἂν τὰ ἀμφότερα μέρη βούλεται, τὰ τῆς δίκης συγκροτείσθω· εἰ δέ τις παρὰ ταῦτα ποιήσει, κανονικοῖς ὑποκείσθω ἐπιτιμίοις.

Vid. conc. Venetic. c. IX. Clerici, nisi ex permissu episcoporum suorum sæcularia iudicia adire non liceat. Sed si quis fortassis episcopi sui iudicium crediderit habere suspectum, aut ipsi de proprietate aliqua aduersus ipsum episcopum fuerit nata contentio, aliorum episcoporum audientiam, non sæcularium potestatem, debebit audire. Aliter a communione habeatur alienus.

(p) Concil. Carth. III. c. IX. Placuit, vt quisquis episcoporum, presbyterorum

quod

quod nullum e viris ecclesiasticis caussam suam diiudicare posse, opinaretur. Et concilium *Mileuitanum* hisce addit [q], quod nulli clerico liceat ab imperatore petere, vt sibi in aliqua caussa iudices sæculares adsignet, sed tantum ecclesiasticos, nisi honore ille suo priuari velit. Et hic genuinus sensus videtur esse duorum celebratissimorum canonum concilii *Antiocheni*, qui generatim a recentioribus auctoribus eo perperam accipiuntur, quasi constituti sint duntaxat clandestino consilio *Arianorum* contra *Athanasium*, quum re vera nihil nisi antiquam disciplinæ regulam, per ecclesiam vniuersaliter obseruatam, contineant. Verba prioris canonis hæc sunt [r]: *Si quis episcopus, vel presbyter, vel omnino ex canone, citra sententiam & litteras episcoporum prouinciæ & maxime metropolitani ad imperatorem proficisci adgressus fuerit, is abdicetur & eiiciatur non solum a communione, sed etiam a dignitate, cuius est particeps, vt qui religiosissimi imperatoris nostri auribus molestiam adferre audeat præter ritum ecclesiæ. Si autem necessarius vsus exigat, vt ad imperatorem se conferat, id agat cum deliberatione & sententia metropolitani prouinciæ, & eorum, qui sunt in ea, eorumque litteris munitus, iter inuadat.* Posterior canon ita habet [s]: *Si quis a proprio episcopo depositus presbyter, vel dia-*

& diaconorum seu clericorum, quum in ecclesia ei crimen fuerit intentatum, vel ciuilis caussa fuerit commota, si relicto ecclesiastico iudicio, publicis iudiciis purgari voluerit, etiam si pro ipso fuerit prolata sententia, locum suum amittat, & hoc in criminali iudicio. In ciuili vero perdat, quod euicit, si locum suum obtinere voluerit. Cui enim ad eligendos iudices vndique patet auctoritas, ipse se indignum fraterno consortio iudicat, qui de vniuersa ecclesia male sentiendo, de iudicio sæculari poscit auxilium, quum priuatorum christianorum caussas apostolus ad ecclesiam deferri, atque ibi determinari præcipiat.

(q) Concil. Mileuit. c. XIX. Quicumque ab imperatore cognitionem iudiciorum publicorum petierit, honore proprio priuetur. Si autem episcopale iudicium ab imperatore postulauerit, nihil ei obsit.

(r) Concil. Antioch. c. XI. Εἴ τις ἐπίσκοπος, ἢ πρεσβύτερος, ἢ ὅλως τῶ κανόνος, ἄνευ γνώμης καὶ γραμμάτων τῶν ἐν τῇ ἐπαρχίᾳ ἐπισκόπων, καὶ μάλιστα τῶ κατὰ τὴν μητρόπολιν, ὁρμήσειεν πρὸς βασιλέα ἀπελθεῖν, τῶτον ἀποκηρύττεσθαι καὶ ἀπόβλητον γίνεσθαι, ὁ μόνον τῆς κοινωνίας, ἀλλὰ καὶ τῆς ἀξίας, ἧς μετέχων τυγχάνει, ὡς παρενοχλεῖν τολμῶντα τὰς τῶ θεοφιλεστάτω βασιλέως ἡμῶν ἀκοὰς, παρὰ τὸν θεσμὸν τῆς ἐκκλησίας· εἰ δὲ ἀναγκαία καλοίη χρεία πρὸς βασιλέα ὁρμᾷν, τῶτο πράττειν μετὰ σκέψεως καὶ γνώμης τῶ κατὰ τὴν μητρόπολιν τῆς ἐπαρχίας ἐπισκόπω, ἢ τῶν ἐν αὐτῇ, τοῖς τε τῶτων γράμμασιν ἐφοδιάζεσθαι.

(s) Ibid. c. XII. Εἴ τις ὑπὸ τῶ ἰδίω ἐπισκόπω καθαιρεθεὶς πρεσβύτερος, ἢ διάκονος,

conus,

conus, vel episcopus a synodo, ausus fuerit imperatoris auribus molestiam exhibere, quum oporteat ad maiorem synodum conuerti, & ius, quod se habere putat, ad plures episcopos referre, eorumque examinationem & iudicium suscipere: qui itaque iis contemtis imperatori molestus fuerit, is nulla venia dignus, neque sui defendendi locum habeat, nec restitutionis futuræ spem exspectet. Recentiores scriptores plerique omnes, sequentes animaduersionem, factam in hunc canonem ab ANTONIO AVGVSTINO [t] & BARONIO [u], canonem conflatum esse putant a factione *Ariana* aduersus *Athanasium*; & eumdem ipsum canonem esse dicunt, ad quem prouocarint contra *Chrysostomum* aduersarii eius, & quem ipse atque aduocati ipsius reiecerint temporibus sequentibus. Verum eruditus SCHELSTRATVS, qui concilii *Antiocheni* ex instituto vindicauit auctoritatem [w], errorem vulgarem esse ostendit; demonstrans canonem *Arianum* ab hoc omnino diuersum, & hunc *Antiochenum*

ἢ καὶ ἐπίσκοπος ὑπὸ συνόδου, ἐνοχλῆσαι τολμήσειε τὰς βασιλέως ἀκοὰς, δέον ἐπὶ μείζονα ἐπισκόπων σύνοδον τρέπεσθαι, καὶ ἃ νομίζει δίκαια ἔχειν, προσαναφέρειν πλείοσιν ἐπισκόποις, καὶ τὴν αὐτῶν ἐξέτασίν τε καὶ ἐπίκρισιν ἐκδέχεσθαι· εἰ δὲ τούτων ὀλιγωρήσας, ἐνοχλήσειεν τῷ βασιλεῖ, καὶ τοῦτον μηδεμιᾶς συγγνώμης ἀξιοῦσθαι, μηδὲ χώραν ἀπολογίας ἔχειν, μηδὲ ἐλπίδα ἀποκαταστάσεως προσδοκᾷν.

(t) Anton. August. de emendatione Gratiani lib. I. dial. XI. p. 123. Hoc esse caput arbitror contra b. Athanasium scriptum, quod reprehendit Iulius in epistola ad hos eosdem episcopos Antiochiæ congregatos; idem contra Ioannem Chrysostomum dum obiiceretur, ab eo responsum est, hæreticorum canonem fuisse.

(u) Baron. an. CCCXLI. n. XXVIII. (al. XXX.) Hic canon aduersus Athanasium, vt apparet, editus; quippe quem dicerent Eusebiani, litteris tantum imperatoris subnixum, qui depositus fuerat in conciliabulo Tyrio, in suam ecclesiam Alexandrinam reuersum esse. Quum igitur idem ipse canon aduersus Ioannem Chrysostomum ab eius aduersariis adduceretur; qui ipsum defendebant, libera voce dicebant, canonem ab Arianis sancitum & per Sardicense concilium penitus esse sublatum, atque irritum omnino redditum, cetera.

(w) Schelstrat. de concilio Antioch. p. 541. Grauem peritorum errorem primum aperui parte II. antiquitatis illustratæ, vbi canonem a Theophilo quondam D. Chrysostomo obiectum, quem Socrates, Sozomenus, Georgius patriarcha Alexandrinus, aliique in odium D. Athanasii ab Arianis confectum testantur, in medium attuli ex Palladio Helenopolitano episcopo, ipsius Ioannis Chrysostomi discipulo, & est sequens: *Si quis episcopus aut presbyter siue iuste siue iniuste depositus ex se ipso absque synodo in ecclesiam redierit, hic iam excusationis non habeat locum, sed omnino expellatur.* Hic quondam oculos lectoris aduocabam, nunc iisdem peritorum omnium expe-

con-

conformem esse receptæ disciplinæ veteris ecclesiæ. Nam vt talem vniuersalis ecclesiæ codici insertum & a concilio *Chalcedonensi*, & ab omnibus canonum collectoribus, FERRANDO, *Carthaginensi* diacono, MARTINO, episcopo *Bracarensi* & *capitularibus* CAROLI MAGNI imperatoris agnitum esse. Accedit, quod concilium *Veneticum* [x] canonem habeat eiusdem argumenti: *Clericus, si fortasse episcopi sui iudicium cœperit habere suspectum, aut ipsi de proprietate aliqua aduersus ipsum episcopum fuerit nata contentio, aliorum episcoporum audientiam, non sæcularium potestatum, debebit ambire. Aliter a communione habebitur alienus.* Ex quibus omnibus manifestum est, concilium *Antiochenum* nihil amplius intendisse, quam clericis imponere necessitatem omnes controuersias suas coram synodo episcoporum finiendi, quod generali regulæ & disciplinæ ecclesiæ conuenit.

§. XVI.

II. Si iterum baptizati vel ordinati essent.

LEGES ecclesiæ itidem seueræ erant, aduersus omnem iterationem ordinationis in clericis, & aduersus omnem baptismi iterationem in clericis & laicis: adeoque quilibet clericus, qui vel sponte sua vel per vim alterutri sese submitteret, grauissimæ pœnæ sese reddebat obnoxium. *Si quis episcopus, aut presbyter, aut diaconus*, inquiunt canones apostolici [y], *secundam ordinationem acceperit ab aliquo; deponatur & ipse, & qui eum ordinauit; nisi ostendat, se ordinationem habere ab hæreticis: qui enim a talibus baptizati, vel ordinati fuerunt; neque fideles neque clerici esse possunt.*

to, an post adductum e tenebris canonem illum, quem Chrysostomus, Innocentius, aliique antiquiores ab Arianis promanasse indicabant, quisquam inueniri possit, qui eum canonem inter Antiochenos duodecimum merito sustineat? Tantum re vera abest, cuiquam videri id vlterius posse, vt neminem posthac inueniri existimem, quin exclamaturus sit, vtrumque canonem toto cælo differre. Canon a Chrysostomo reiectus agit de illis, qui damnati iuste vel iniuste sine noua synodo sedem suam recuperant: canon vero XII. Antiochenus agit de illis, qui depositi imperatoris auribus molestiam adferunt, vt euidens sit, canones illos eadem de re non egisse, multo minus eodem sensu idem pertractasse. cetera.

(x) Concil. Venetic. can. IX.

(y) Can. apostol. LXVIII. *Εἴ τις ἐπίσκοπος, ἢ πρεσβύτερος, ἢ διάκονος, δευτέραν χειροτονίαν δέξηται παρά τινος, καθαιρείσθω καὶ αὐτὸς, καὶ ὁ χειροτονήσας· εἰ μὴ δείξοι, παρὰ αἱρετικῶν αὐτὸν ἔχειν τὴν χειροτονίαν· τοὺς δὲ παρὰ τοιούτων βαπτισθέντας, ἢ χειροτονηθέντας, οὔτε πιστοὺς, οὔτε κληρικοὺς εἶναι δυνατόν.*

OPTATVS [z] narrat, quod inter alias cauſſas, ob quas *Donatus* a concilio *Romano* ſub *Melchiade* damnatus & officio pulſus ſit, hæc aliqua fuerit, quod epiſcopis, tempore perſecutionis lapſis, manum impoſuiſſet, quod ab eccleſia alienum ſit. Si manum imponere heic ſignificat ordinare, tum crimen eius fuit, quod eos reordinarit: ſi vero, vt ALBASPINAEVS [*] in notis ad hunc locum & in *obſeruationibus* ſuis putat, de manus impoſitione in pœnitentia intelligendum eſt, tunc ex hoc loco nihil roboris habet argumentatio, quia ad diuerſam materiam ſpectat. Quod ad rebaptizationem attinet, res eodem modo ſe habebat. Nam canon quidam apoſtolicus [a] de ea ſic ſtatuit: *Epiſcopus, aut presbyter, eum, qui vere habet baptiſmum, ſi denuo baptizauerit, deponatur.* Et concilium *Romanum* ſub *Felice III.* decreuit, quod ſi quis epiſcopus, presbyter vel diaconus paſſus ſit ſe rebaptizari [b], deiici & per omnem vitam pœnitentiam agere, nec orationi fidelium nec orationi catechumenorum intereſſe, ſed tantum ad communionem laicam in hora mortis admitti debeat; quia talis non ſolum ordinem ſuum deſerat, ſed etiam ſe chriſtianum palam neget, & profiteatur ſe

(z) Optat. lib. I. p. 44. (p. 27. edit. Pariſ. MDCLXXIX.) In Donatum ſunt hæ ſententiæ latæ; Quod confeſſus ſit, ſe rebaptizaſſe & epiſcopis lapſis manum impoſuiſſe: quod ab eccleſia alienum eſt.

(*) Albaſpin. in loc. De pœnitentiæ manus impoſitione, non autem de reordinatione hæc verba explicanda eſſe, docuimus in obſeruationibus.

(a) Can. apoſtolic. XLVII. (al. XXXIX.) *Εἴ τις ἐπίσκοπος ἢ πρεσβύτερος τὸν κατὰ ἀλήθειαν ἔχοντα βάπτισμα, ἐὰν ἄνωθεν βαπτίσῃ --- καθαιρείσθω.*

(b) Vid. Felic. epiſt. I. c. II. (epiſt. VII. ad vniuerſos epiſcopos, tom. IV. conc. p. 1076.) Vt ab eccleſiæ ſummitatibus inchoemus, eos quos epiſcopos, presbyteros, vel diaconos fuiſſe conſtiterit, & ſeu optantes forſitan, ſeu coactos lauacri illius vnici ſalutiferique clarnerit feciſſe iacturam, & Chriſtum, quem non ſolum dono regenerationis, verum etiam gratia percepti honoris induerant, exuiſſe, quum conſtet, neminem ad ſecundam tinctionem venire potuiſſe, niſi palam ſe chriſtianum negauerit, & profeſſus fuerit, ſe eſſe paganum. Quod quum generaliter ſit in omnibus exſecrandum, multo magis in epiſcopis, presbyteris, diaconibus auditu ſaltem dictuque probatur horrendum. Sed quia idem dominus atque ſaluator clementiſſimus eſt, & neminem vult perire, vſque ad exitus ſui diem in pœnitentia, (ſi reſipiſcunt) iacere conueniet: nec orationi non modo fidelium, ſed ne catechumenorum omnino his intereſſe, quibus communio laica tantum in morte reddenda eſt. Quam rem diligentius explorare vel facere probatiſſimi ſacerdotis cura debebit.

esse paganum. Lex ciuilis hasce censuras ecclesiæ confirmat additque temporales quasdam pœnas, vt maius illis robur conciliet; qua de re lector libro quodam superiore [*] plura videre potest.

§. XVII.

12. Si se clericos esse negassent.

CRIMEN eiusdem generis erat in clerico, si ordinem suum verbis negaret, vel professionem suam coram iudæo aliquo vel gentili dissimularet, quia hoc tantummodo gradus quidam erat abnegatione inferior. *Si quis clericus*, inquit canon quidam apostolicus [c], *propter metum hominum, iudæi, vel gentilis, vel hæretici, negauerit; si quidem nomen Christi, segregetur; si vero nomen clerici, deponatur: si autem pœnitentiam egerit, vt laicus recipiatur.*

§. XVIII.

13. Si diuulgassent libros apocryphos.

SI quis clericus libros apocryphos, siue falso inscriptos hominum impiorum libros, tamquam sanctos & pios, ad perniciem populi & cleri diuulgasse conuictus esset, per alium canonem apostolicum [d] deponendus erat. TERTVLLIANVS [e] exemplum nobis suggerit disciplinæ, hoc in casu administratæ in presbyterum quemdam *Asiaticum*, qui librum, *Acta Pauli & Theclæ* inscriptum, sub ficto huius apostoli nomine ediderat. Amore *Pauli* se hoc fecisse profitebatur, sed hoc ecclesiæ non faciebat satis. Postquam enim librum scripsisse conuictus & confessus fuerat, loco suo decedere cogebatur.

(*) Lib. XII. cap. V. §. VII. vol. IV. p. 403. seqq.

(c) Can. apost. LXII. (al. LIV.) Εἴ τις κληρικὸς διὰ φόβον ἀνθρώπινον, ἰουδαίου, ἢ Ἕλληνος, ἢ αἱρετικοῦ, ἀρνήσηται· εἰ μὲν τὸ ὄνομα τοῦ Χριστοῦ, ἀφοριζέσθω· εἰ δὲ τὸ ὄνομα τοῦ κληρικοῦ, καθαιρείσθω· μετανοήσας δὲ, ὡς λαϊκὸς δεχθήτω.

(d) Ibid. LX. (al. LII.) Εἴ τις τὰ ψευδεπίγραφα τῶν ἀσεβῶν βιβλία, ὡς ἅγια, ἐπὶ τῆς ἐκκλησίας δημοσιεύει, ἐπὶ λύμῃ τοῦ λαοῦ καὶ τοῦ κλήρου, καθαιρείσθω.

(e) Tertull. de baptismo c. XVII. Quod si quæ, mulieres, Pauli perperam scripta legunt, exemplum Theclæ ad licentiam mulierum docendi tinguendique defendunt; sciant in Asia presbyterum, qui eam scripturam construxit, quasi titulo Pauli de suo cumulans, conuictum atque confessum, id se amore Pauli fecisse, loco decessisse.

§. XIX.

§. XIX.

14. *Si superstitiose a carne, vino & aliis istiusmodi rebus se abstinerent.*

CLERICI similiter depositioni obnoxii erant ob quamcumque superstitiosam a carne, vino, matrimonio aliisque rebus innocentibus & licitis abstinentiam; si quidem ab illis se abstinerent non exercitationis caussa, sed ex falsa & hæreticæ opinione, quod pollutæ essent & impuræ. Magna semper contentio de esculentis & potulentis & coniugio fuit ecclesiæ cum diuersis sectis, quæ hoc de capite ei sese numquam non opposuerunt. Multi hæretici, vt *Manichæi*, *Priscillianistæ* & alii magis spirituales & puriores se esse opinabantur, eo quod a vino & carne, tamquam rebus immundis & illicitis, sese abstinerent; & ex hoc capite ecclesiam tamquam impuram & carnalem increpabant, quia hominibus iustum & moderatum eorum vsum concedebat. Si quis igitur clericus eatenus hæreticis adstipularet, vt vel iudicio suo errores eorum hac in re approbaret, vel praxi sua, dum vniuersalem abstinentiam exerceret, suspicionem ecclesiæ daret, quod ab eorum staret partibus; grauissimis censuris sese reddebat obnoxium. Canones apostolici hanc in rem ita statuunt [f]: *Si quis episcopus, aut presbyter, aut diaconus, aut omnino ex numero clericorum, a nuptiis & carne, & vino, non propter exercitationem, verum propter detestationem abstinuerit, oblitus, quod omnia sint bona, & quod masculum & feminam Deus fecerit hominem; sed blasphemans accusauerit creaturam; vel corrigat se, vel deponatur, atque ex ecclesia eiiciatur. Itidem & laicus.* Alius canon simul rationem huius censuræ reddit, ita [g] decernens: *Si quis episcopus, aut presbyter, aut diaconus in diebus festis non sumit carnem aut vinum abominans, & non propter exercitatio-*

(f) Can. apost. LI. (al. XLIII.) Εἴ τις ἐπίσκοπος, ἢ πρεσβύτερος, ἢ διάκονος, ἢ ὅλως τοῦ καταλόγου τοῦ ἱερατικοῦ, γάμου καὶ κρεῶν καὶ οἴνου, οὐ δι᾽ ἄσκησιν, ἀλλὰ διὰ βδελυρίαν ἀπέχεται, ἐπιλαθόμενος, ὅτι πάντα καλὰ λίαν, καὶ ὅτι ἄῤῥεν καὶ θῆλυ ἐποίησεν ὁ θεὸς τὸν ἄνθρωπον, ἀλλὰ βλασφημῶν διαβάλλει τὴν δημιουργίαν, ἢ διορθούσθω, ἢ καθαιρείσθω καὶ τῆς ἐκκλησίας ἀποβαλλέσθω, ὡσαύτως καὶ λαϊκός.

(g) Ibid. can. LIII. (al. XLV.) Εἴ τις ἐπίσκοπος, ἢ πρεσβύτερος, ἢ διάκονος, ἐν ταῖς ἡμέραις τῶν ἑορτῶν οὐ μεταλαμβάνει κρεῶν ἢ οἴνου, βδελυσσόμενος, καὶ οὐ δι᾽

nem,

nem, deponatur; vt qui cauteriatam habeat ſuam conſcientiam, multisque ſit cauſſa ſcandali. Concilium *Ancyranum* [h] eumdem errorem damnat, ſimilemque pœnam clericis, qui hoc errore teneantur, denuntiat, decreto facto in hanc ſententiam: *Qui in clero ſunt, presbyteros vel diaconos a carnibus abſtinentes, viſum eſt eas attingere, & ſic, vt velint, ab eis abſtinere. Si autem nolint olera, quæ cum carnibus apponuntur, comedere, & canoni non cedant, ab ordine ceſſare.* Et in concilio primo *Bracarenſi* [i] regulam datam invenimus iſtiuſmodi: *Placuit, vt quicumque in clero cibo carnium non vtuntur, pro amputanda ſuſpicione Priſcillianæ hæreſis, vel olera cocta cum carnibus prægustare cogantur. Quod ſi contemſerint, ſecundum quod de his talibus ſancti patres antiquitus ſtatuerunt, neceſſe eſt, eos, pro ſuſpicione hæreſis huius, officio excommunicatos omnibus modis remoueri.*

§. XX.

15. *Si ſanguinem comediſſent.*

Ab alia autem parte, quia mos erat eccleſiæ catholicæ, vſque ad AVGVSTINI fere ætatem, vt ab eſu ſanguinis ſecundum regulam ab apoſtolis datam conuerſis gentilibus, ſe abſtinerent: igitur per antiquiſſimas eccleſiæ leges omnes clerici ſub pœna abrogationis officii ab eo ſe abſtinere debebant. Hoc e canonibus apoſtolicis [k], ex concilio *Gangrenſi* [l],

---

ἄσκησιν, καθαιρείσθω, ὡς κεκαυστηριασμένος τὴν ἰδίαν συνείδησιν, καὶ αἴτιος σκανδάλου πολλοῖς γινόμενος.

(*h*) Concil. Ancyran. c. XIV. Τοὺς ἐν κλήρῳ πρεσβυτέρους, ἢ διακόνους ὄντας, καὶ ἀπεχομένους κρεῶν, ἔδοξεν ἐφάπτεσθαι, καὶ οὕτως, εἰ βούλοιντο, κρατεῖν ἑαυτῶν· εἰ δὲ βούλοιντο ὡς μηδὲ τὰ μετὰ κρεῶν βαλλόμενα λάχανα ἐσθίειν, καὶ εἰ μὴ ὑπείκοιεν τῷ κανόνι, πεπαῦσθαι αὐτοὺς τῆς τάξεως.
Vid. conc. Gangrenſ. c. II. ſub litt. ſequ. (l).

(*i*) Concil. Bracar. I. c. XXXII. (Labbeo conc. II. c. XIV. tom. V. p. 841)

(*k*) Can. apoſt. LXIII. (al. LV.) Εἴ τις ἐπίσκοπος, ἢ πρεσβύτερος, ἢ διάκονος, ἢ ὅλως τοῦ καταλόγου τοῦ ἱερατικοῦ, φάγῃ κρέας ἐν αἵματι ψυχῆς αὐτοῦ, ἢ θηριάλωτον ἢ θνησιμαῖον, καθαιρείσθω· τοῦτο γὰρ καὶ ὁ νόμος ἀπεῖπεν· ἐὰν δὲ λαϊκὸς ᾖ, ἀφοριζέσθω. *Si quis epiſcopus, aut presbyter, aut diaconus, aut omnino ex catalogo clericorum, manducauerit carnem in ſanguine animæ eius, vel captum a beſtia, vel morticinum; deponatur: id enim lex quoque interdixit. Quod ſi laicus ſit, ſegregetur.*

(*l*) Concil. Gangrenſ. c. II. Εἴ τις ἐσθίοντα κρέα χωρὶς αἵματος καὶ εἰδωλοθύτου καὶ πνικτοῦ, μετ' εὐλαβείας καὶ πίστεως, κατακρίνοι, ὡς ἂν διὰ τὸ μεταλαμβάνειν, ἐλπίδα μὴ ἔχοντα, ἀνάθεμα ἔστω. *Si quis eum, qui carnem præter ſangui-*

concilio secundo *Aurelianensi* [m] & concilio *Trullano* [n] liquet. Verum vt hoc nonnulli pro temporario tantum interdicto habuerunt, ita ex AVGVSTINO [o] apparet, quod ætate ipsius nullius roboris in ecclesia *Africana* fuerit. Dicit enim, quod

nem & idolothytum & suffocatum, cum pietate & fide comedit, condemnat, tamquam eo, quod ea vescatur, spem non habeat, sit anathema.

(*m*) Concil. Aurel. II. c. XX. Catholici --- qui cibis idolorum cultibus immolatis gustu illicitæ præsumtionis vtuntur, ab ecclesiæ cœtibus arceantur. Similiter & hi, qui bestiarum morsibus extincta, vel quolibet morbo aut casu suffocata vescuntur.

(*n*) Conc. I. Trull. c. LXVII. Ἡ θεία ἡμῖν γραφὴ ἐνετείλατο ἀπέχεσθαι αἵματος καὶ πνικτοῦ, καὶ πορνείας· Τοὺς οὖν διὰ τὴν λίχνον γαστέρα αἷμα οἱουδήποτε ζώου τέχνῃ τινὶ κατασκευάζοντας ἐδώδιμον, καὶ οὕτω τοῦτο ἐσθίοντας, προσφόρως ἐπιτιμῶμεν· εἴ τις οὖν ἀπὸ τοῦ νῦν αἷμα ζώου ἐσθίειν ἐπιχειροίη οἱῳδήτινι τρόπῳ, εἰ μὲν κληρικὸς εἴη, καθαιρείσθω· εἰ δὲ λαϊκὸς, ἀφοριζέσθω. *Diuina nobis scriptura mandauit, a sanguine & suffocato, & fornicatione abstinere. Eos ergo, qui propter lucrum & delicatum ventrem cuiuscumque animalis sanguinem arte aliqua esculentum condiunt ac instruunt; atque ita illo vescuntur, conuenienter punimus. Si quis deinceps animalis sanguinem quovis modo comedere adgrediatur, si sit quidem clericus, deponatur: sin autem laicus, segregetur.*

(*o*) Augustin. contr. Faust. lib. XXXII. c. XIII. (tom. VI. opp. p. 483. 484 edit. Basil. MDLXIX.) In actibus apostolorum hoc lege praeceptum ab apostolis, vt abstinerent gentes tantum a fornicatione & ab immolatis & sanguine: id est, nequaquam ederent carnem, cuius sanguis non esset effusus. Quod alii non sic intelligunt, sed a sanguine præceptum esse abstinendum, ne quis homicidio se contaminet. Hoc nunc discutere longum est, & non necessarium: quod si & hoc tunc apostoli præceperint, vt ab animalium sanguine abstinerent christiani, ne præfocatis carnibus vescerentur, elegisse videntur pro tempore rem facilem & nequaquam obseruantibus onerosam, in qua cum Israëlitis etiam gentes propter angularem illum lapidem, duos parietes in se condentem, aliquid communiter obseruarent: simul & admonerent, in ipsa arca Noë, quando Deus hoc iussit, ecclesiam omnium gentium fuisse præfiguratam: cuius tunc prophetia iam gentibus ad fidem accedentibus, incipiebat impleri. Transacto vero illo tempore, quo illi duo parietes, vnus ex circumcisione, alter ex præputio venientes, quamvis in angulari lapide concordarent, tamen suis quibusdam proprietatibus distinctius eminebant: & vbi ecclesia gentium talis effecta est, vt in ea nullus Israëlita carnalis appareat, quis iam hoc christianus obseruat, vt turdos vel minutiores auiculas non attingat, nisi quorum sanguis effusus est? aut leporem non edat, si manu a ceruice percussus, nullo cruento vulnere occisus est? Et qui forte pauci adhuc tangere ista formidant, a ceteris irridentur. Ita omnium animos in hac re tenuit illa sententia veritatis, Non quod intrat in os vestrum, vos coinquinat, sed quod exit, nullam cibi na-

pauci

pauci homines suo tempore hac lege se teneri crediderint, aut sanguinem edere dubitarint. Vt adeo hæc regula disciplinæ accipienda sit cum hac limitatione & restrictione, quatenus ad praxin veteris ecclesiæ spectat. Qui plura hac de re videre cupit, is CVRCELLAEVM [p] consulat, qui longam dissertationem de hoc argumento edidit.

§. XXI.

16. *Si ieiunia & dies festos contemnerent ecclesiæ.*

VETERIS ecclesiæ mos erat, magna cum diligentia observare stata ieiunia & dies festos: cuiusmodi erant anniuersarium ieiunium quadragesimale, ieiunia hebdomadalia dierum stationariorum, hoc est feriæ quartæ & sextæ per singulas hebdomades, & anniuersariæ magnorum factorum seruatoris nostri & apostolorum eius & martyrum commemorationes. Et idcirco quidam canones magnam pœnam maxime clericis irrogant, qui voluntaria neglectione eos flocci fecerint. *Si quis episcopus, aut presbyter, aut diaconus, aut lector, aut cantor*, (inquit canon quidam apostolicus [q]), *sanctam quadragesimam non ieiunat, vel feriam quartam, vel parasceuen, deponatur; præterquam si per imbecillitatem corporalem impediatur.* Concilium *Gangrense* paullo vlterius progreditur, & ieiunia despicientibus ac martyrum congregationes negligentibus anathema denuntiat; *Si quis* [r] *eorum*, inquiens, *qui exercentur, absque corporali necessitate se insolenter gerat, & tradita ieiunia, quæ communiter seruantur ab ecclesia, dissoluat, perfecta in ea residente ratione, sit anathema.* Et in alio canone: *Si quis arrogantia vtens* [s] *& martyrum congregationes ab-*

---

turam, quam societas admittit humana, sed quæ iniquitas committit, peccata condemnans.

(p) Curcell. de esu sanguinis cap. XIII. inter opera, Amstelod. MDCLXXV. pag. 974. seqq.

(q) Can. apostol. LXIX. (al. LXI.) Εἴ τις ἐπίσκοπος, ἢ πρεσβύτερος, ἢ διάκονος, ἢ ἀναγνώστης, ἢ ψάλτης, τὴν ἁγίαν τεσσαρακοστὴν οὐ νηστεύει, ἢ τετράδα, ἢ παρασκευήν, καθαιρείσθω· ἐκτὸς εἰ μὴ δι' ἀσθένειαν σωματικὴν ἐμποδίζοιτο.

(r) Concil. Gangr. c. XIX. Εἴ τις ἀσκουμένων χωρὶς σωματικῆς ἀνάγκης ὑπερηφανεύοιτο, καὶ τὰς παραδεδομένας νηστείας εἰς τὸ κοινὸν, καὶ φυλασσομένας ὑπὸ τῆς ἐκκλησίας, παραλύοι, ὑποικουροῦντος ἐν αὐτῷ τελείου λογισμοῦ, ἀνάθεμα ἔστω.

(s) Ibid. c. XX. Εἴ τις αἰτιῷτο, ὑπερηφάνῳ διαθέσει κεχρημένος καὶ βδελυσσόμε-

nor-

horrens, & sacra, quæ in eis celebrantur, & eorum memorias accusat, sit anathema. Similis canon in concilio primo *Carthaginensi* [t] habetur: *Si quis ad iniuriam martyrum claritati eorum adiungat infamiam, placet eos, si laici sint, ad pœnitentiam redigi: Si autem sunt clerici, post commonitionem & post cognitionem, honore priuari.* Et alii quidam canones a concilio *Laodiceno* [u] in rem eamdem sanciti sunt.

§. XXII.

17. *Si regulam de celebrando paschate datam non obseruarent.*

NONNVLLI canones id etiam magnum crimen faciunt in clericis, si non obseruarent regulam, ab ecclesia in concilio *Nicæno* de tempore, celebrationi paschatis constituto, præscriptam. Etsi enim magna libertas antea hac in re indulta erat, propter contentiones, quæ inter ecclesias *Romanam* & *Asiaticam* hac de materia mouebantur: tamen quum magna illa synodus *Nicæna* interposita auctoritate sua controuersiam diremisset, non amplius res indifferens esse credebatur; sed omnes ecclesias in eius decisione acquiescere oportebat. Hinc concilium *Antiochenum* non multo post seuere hunc in modum statuebat [w]: *Omnes, qui audent dissoluere decretum sanctæ & magnæ synodi, quæ Nicææ coacta est in præsentia pietatis religiosissimi imperatoris Constantini de sancto festo salutiferi paschatis, esse excommunicatos & ecclesia eiectos statuimus, si aduersus ea, quæ recte decreta sunt, contentiosius insistere perrexerint. Et hæc quidem de laicis dicta sint. Si*

νος, τὰς συνάξεις τῶν μαρτύρων, ἢ τὰς ἐν αὐτοῖς γινομένας λειτεργίας, καὶ τὰς μνήμας αὐτῶν, ἀνάθεμα ἔστω.

(*t*) Conc. Carth. I. c. II.

(*u*) Conc. Laodicen. c. XXXIV. Ὅτι ἐ δεῖ πάντα χριστιανὸν ἐγκαταλείπειν μάρτυρας χριστε, κ. τ. λ. *Non oportet omnem christianum Christi martyres relinquere &c.* Can. XXXV. Ὅτι ἐ δεῖ χριστιανὰς ἐγκαταλείπειν τὴν ἐκκλησίαν τε θεε, καὶ ἀπιέναι, καὶ ἀγγέλες ὀνομάζειν, καὶ συνάξεις ποιεῖν. κ. τ. λ. *Quod non oportet christianos, relicta dei ecclesia, abire & angelos nominare, vel congregationes facere, cetera.*

(*w*) Concil. Antioch. c. I. Πάντας τὰς τολμῶντας παραλύειν τὸν ὅρον τῆς ἁγίας καὶ μεγάλης συνόδε τῆς ἐν Νικαίᾳ συγκροτηθείσης ἐπὶ παρεσίᾳ τῆς εὐσεβείας τε θεοφιλεστάτε βασιλέως Κωνσαντίνε, περὶ τῆς ἁγίας ἑορτῆς τε σωτηριώδες πάσχα, ἀκοινωνήτες καὶ ἀποβλήτες εἶναι τῆς ἐκκλησίας, εἰ ἐπιμένοιεν φιλονεικότερον ἐνιστάμενοι πρὸς τὰ καλῶς δεδογμένα· καὶ ταῦτα εἰρήσθω περὶ τῶν λαϊκῶν· εἰ δέ τις

quis

quis autem eorum, qui præsunt ecclesiæ, episcopus, vel presbyter, vel diaconus audebit, post hoc decretum ad populorum subuersionem & ecclesiarum perturbationem seorsim agere, & pascha cum iudæis peragere, sancta synodus eum abhinc alienum esse ab ecclesia iudicauit, vt qui non sibi solum peccati, sed & multis exitii & subuersionis caussa fuerit: & non solum eos a ministerio deponit, sed & eos, qui audent iis communicare post depositionem. Depositos autem etiam externo honore priuari, quem sanctus canon & Dei sacerdotium promeruit. Alia etiam ratio erat celebrandi cum iudæis pascha, per falsam computationem, quæ faciebat, vt ante æquinoctium vernum incideret, atque ita sæpius duo paschata in eumdem annum inferebat. Quæ praxis tamquam iudaica ab auctore *constitutionum* [x] damnatur, & quicumque clericus ei sese conformaret, per canones apostolicos [y] deponendus erat.

§. XXIII.

18. *Si cum indecentibus vestibus procederent.*

Si quis clericus cum vestibus, ordinem ac stationem ipsius in ecclesia minus decentibus, prodiret in publicum, ipse sese censuræ canonicæ reddebat obnoxium. Ita regulam in concilio *Matisconensi* primo [z] inuenimus, quæ ita decernit: *Nullus clericus sagum, aut vestimenta, vel calceamenta secularia, nisi quæ religionem deceant, induere præsumat. Quod si post hanc definitionem clericus cum indecenti veste, aut cum armis inuentus fuerit, a seniore coërceatur, vt triginta dierum inclusione detentus, aqua tantum & modico pane diebus singulis sustentetur.* Sed vero hæc regula tan-

τῶν προεστώτων τῆς ἐκκλησίας, ἐπίσκοπος, ἢ πρεσβύτερος, ἢ διάκονος, μετὰ τὸν ὅρον τοῦτον τολμήσειεν ἐπὶ διαστροφῇ τῶν λαῶν, καὶ ταραχῇ τῶν ἐκκλησιῶν, ἰδιάζειν καὶ μετὰ τῶν ἰουδαίων ἐπιτελεῖν τὸ πάσχα· τοῦτον ἡ ἁγία σύνοδος ἐντεῦθεν ἤδη ἀλλότριον ἔκρινεν τῆς ἐκκλησίας· ὡς οὐ μόνον ἑαυτῷ ἁμαρτίας, ἀλλὰ πολλοῖς διαφθορᾶς καὶ διαστροφῆς γινόμενον αἴτιον· καὶ οὐ μόνον τοὺς τοιούτους καθαιρεῖ τῆς λειτουργίας, ἀλλὰ καὶ τοὺς τολμῶντας τούτοις κοινωνεῖν μετὰ τὴν καθαίρεσιν· τοὺς δὲ καθαιρεθέντας ἀποστερεῖσθαι καὶ τῆς ἔξωθεν τιμῆς, ἧς ὁ ἅγιος κανὼν καὶ τὸ τοῦ θεοῦ ἱεράτειον μετείληφεν.

(x) Constit. lib. V. c. XVII. vid. infra lib. XX. cap. V. §. IV. sub litt. (c).

(y) Can. apost. V. al. VIII. *Εἴ τις ἐπίσκοπος, ἢ πρεσβύτερος, ἢ διάκονος, τὴν ἁγίαν τοῦ πάσχα ἡμέραν πρὸ τῆς ἐαρινῆς ἰσημερίας μετὰ ἰουδαίων ἐπιτελέσῃ, καθαιρείσθω. Si quis episcopus, aut presbyter, aut diaconus, sanctum paschæ diem ante vernale æquinoctium cum iudæis celebrauerit, abdicatur.*

(z) Concil. Matiscon. I. c. V.

 tum

tum pro communibus & ordinariis casibus erat, non pro casibus magnæ necessitatis aut temporibus persecutionis. Vnde quum celebris ille *Eusebius Samosatensis*, militari sumto habitu, quemadmodum historici [a] tradunt, *Syriam*, *Phœnicen* ac *Palæstinam*, feruente persecutione *Ariana*, peragraret, presbyteros ordinans ac diaconos, aliosque ecclesiæ ordines supplens; licet hoc contra litteram alius legis esset, quæ episcopo in alterius diœcesi quemquam ordinare interdicebat; numquam tamen ab vllo bono catholico accusatus fuit, quod alterutram legem violasset, quia necessitas rei factum illud excusabat; & hæ regulæ, ad bonum ordinem & decentiam seruandam datæ, hoc in casu per regulam maioris necessitatis infirmabantur. Nam fidei ac ministerii ecclesiastici conseruatio res maioris ponderis erat, magisque ad rem pertinebat ecclesiæ isthac tempestate, quam gestatio vestis; neque vitium in illo erat vestem gerere militarem, in isto rerum statu ad conseruandam ecclesiam, & sine animaduersione fieri sinebatur; tametsi aliis in casibus grauis regularum ordinis & decentiæ violatio fuisset. Sed hæc obiter. Pergimus iam ad reliquas disciplinæ leges, quæ ad clericos spectant.

§. XXIV.

19. *Si accipitres alerent & canes venaticos, vanisque & illicitis oblectamentis animum pascerent.*

EAEDEM regulæ ecclesiæ, quæ clericos iubent vitare munera sæcularia, cum idonea ratione spectari possunt tamquam prohibitio sæcularium oblectamentorum, qualia a venatione & aucupio, ludis equestribus, lusu aleæ, histrionum & mimorum actione, frequentatione spectaculorum circi ac theatri captabantur. Hæc omnia sub prohibitione rerum sæcularium comprehendi possunt. Dantur autem quidam canones, qui ea clericis disertius interdicunt sub comminatione pœnæ canonicæ. *Episcopis, presbyteris, diaconibus canes ad venandum, aut accipi-*

(a) Vid. Theodoret. lib. IV. c. XIII. Ἔτος πολλὰς τῶν ἐκκλησιῶν ἐρήμους εἶναι ποιμένων μαθὼν, στρατιωτικὸν ἀμπεχόμενος σχῆμα, καὶ τιάρᾳ καλύπτων τὴν κεφαλὴν, τὴν Συρίαν περιῄει καὶ τὴν Φοινίκην καὶ τὴν Παλαιστίνην, πρεσβυτέρους χειροτονῶν καὶ διακόνους, καὶ τὰ ἄλλα τάγματα τῆς ἐκκλησίας ἀναπληρῶν.

tres

tres habere non liceat, (inquit concilium *Agathense* [b],) *Quod si quis talium personarum in hac voluntate detectus fuerit, si episcopus est, tribus mensibus se suspendat a communione: presbyter duobus mensibus se abstineat; diaconus vero ab omni officio vel communione cessabit.* Concilium *Illiberritanum* generalem habet canonem [c], qui laicis alea ludere interdicit, eosque, qui id facere ausi fuerint, per integrum annum abstineri iubet a communione. Atqui hic maiori vi clericos ferire existimandus est. Alii canones [d] sub CAROLO MAGNO diserte nominant clericos, & ad antiquam ecclesiæ regulam hoc prohibentem prouocant. Et concilium *Trullanum* [e] clericis & laicis alea ludere interdicit, illis quidem, si hoc facere deprehensi fuerint, deiectionem de dignitate, his autem segregationem a communione denuntians. Idem concilium [f] statuit, vt clerici ne mimos agant, nec

(*b*) Concil. Agath. c. LV.

Vid. conc. Matiscon. II. c. XIII. Tractatis omnibus, quæ diuinæ legis vel humani iuris fuerunt & ad finem vsque perductis, putauimus congruum esse, de canibus etiam vel accipitribus aliqua statuere. Volumus igitur, quod episcopalis domus, quæ ad hoc Deo fauente instituta est, vt sine personarum acceptione omnes in hospitalitate accipiat, canes non habeat. -- Vbi igitur Dei est assiduitas cantilenæ, monstrum est & dedecoris nota, canes ibi vel accipitres habitare. Et concil. Mogunt. c. XIV. Canes & aues sequi ad venandum, in omnibus quibuslibet sit caussis, superfluum esse.

(*c*) Concil. Illiberritan. c. LXXIX. Si quis fidelis alea, id est tabula luserit nummos, placuit, eum abstineri: & si emendatus cessauerit, post annum poterit reconciliari communioni.

(*d*) Conc. Mogunt. c. XIV. Ministri altaris domini vel monachi nobis placuit, vt a negotiis sæcularibus omnino abstineant. Multa sunt ergo negotia sæcularia. --- Quidquid plus iusto appetit homo, turpe lucrum est munera iniusta accipere --- *aleas amare*, cetera.

Can. apost. XLII. ἐπίσκοπος, ἢ πρεσβύτερος, ἢ διάκονος, κύβοις σχολάζων καὶ μέθαις, ἢ παυσάσθω, ἢ καθαιρείσθω· ὑποδιάκονος, ἢ ἀναγνώστης, ἢ ψάλτης ὅμοια ποιῶν, ἢ παυσάσθω, ἢ ἀφοριζέσθω, ὡσαύτως καὶ λαϊκός. *Episcopus, aut presbyter, aut diaconus, aleæ atque ebrietati deseruiens aut desinat, aut certe damnetur. Subdiaconus, aut lector, aut cantor similia faciens, aut desinat, aut communione priuetur. Similiter etiam laici.*

(*e*) Concil. Trullan. c. L. Μηδένα τῶν ἁπάντων εἴτε λαϊκῶν, εἴτε κληρικῶν κυβεύειν ἀπὸ τοῦ νῦν· εἰ δέ τις τοῦτο φωραθείη πράττων, εἰ μὲν κληρικὸς εἴη, καθαιρείσθω· εἰ δὲ λαϊκός, ἀφοριζέσθω. *Nullum omnium, siue clericum, siue laicum, ab hoc deinceps tempore alea ludere. Si quis autem hoc deinceps facere deprehensus fuerit, si sit quidem clericus, deponatur: si laicus, segregetur.*

(*f*) Ibid. can. LI. Καθόλου ἀπαγορεύει ἡ ἁγία καὶ οἰκουμενικὴ σύνοδος αὕτη τοὺς λε-

specta-

ſpectacula edant, nec venationibus aut ſaltationibus in ſcena operam dent, eamdemque pœnam interdicto morem non gerentibus decernit. Concilium *Laodicenum* [g] eis vlla ſpectacula contemplari interdicit. Et concilium *Carthaginenſe* ſcitam reddit rationem [h], cur nec ipſos nec ipſorum liberos deceat exhibere vel frequentare iſtiuſmodi ſpectacula; quoniam videlicet omnes laici a blaſphemia impiorum iſtorum hominum, quibus in eis eſt negotium, prohibeantur. Intolerandum eſſe credebant, quempiam e clericis has res præſentia ſua approbare & adiuuare, quas ne laicus quidem innocenter videre, nec ſine cenſura eccleſiæ ſpectare poterat.

§. XXV.

20. Si ſuſpecti eſſent de extraneis mulieribus.

ANTIQVISSIMAE leges eccleſiæ clericis non abſolute imponebant cælibatum, nec eos vniuerſaliter a ſtatu & vita coniugali prohibebant, quemadmodum libro quodam ſuperiore [*] fuſius demonſtrauimus. Duo autem erant in conuerſatione clericorum, habito reſpectu ad mulieres, quæ admodum improbabant puniebantque. Vnum erat ſuſpicioſa & plena offendiculi vanorum & temerariorum quorumdam virorum cohabitatio cum mulieribus alienis, quæ non eſſent ipſis propinqua cognatione coniunctæ. Licentia, qua iſti vteban-

γομένους μίμους, καὶ τὰ τούτων θέατρα· εἶτά γε μὴν καὶ τὰ τῶν κυνηγιῶν θεώρια, καὶ τὰς ἐπὶ σκηνῶν ὀρχήσεις ἐπιτελεῖσθαι· εἰ δέ τις τοῦ παρόντος κανόνος καταφρονήσει, καὶ πρός τι ἑαυτὸν τῶν ἀπηγορευμένων τούτων ἐκδῷ, εἰ μὲν κληρικὸς εἴη, καθαιρείσθω· εἰ δὲ λαϊκὸς, ἀφοριζέσθω. Omnino prohibet hæc ſancta & vniuerſalis ſynodus eos, qui dicuntur, mimos & eorum ſpectacula; deinde venationum quoque ſpectationes, atque in ſcena ſaltationes fieri. Si quis autem præſentem canonem contemſerit & ſe alicui eorum, quæ ſunt vetita, dederit, ſi ſit quidem clericus, deponatur: ſi vero laicus, ſegregetur.

(g) Concil. Laodicen. c. LIV. *Ὅτι οὐ δεῖ ἱερατικοὺς ἢ κληρικούς τινας θεωρίας θεωρεῖν ἐν γάμοις ἢ δείπνοις, ἀλλὰ πρὸ τοῦ εἰσέρχεσθαι τοὺς θυμελικοὺς, ἐγείρεσθαι αὐτοὺς καὶ ἀναχωρεῖν. Quod non oportet ſacratos & clericos in nuptiis vel conuiuiis aliqua ſpectacula contemplari, ſed priuſquam ingrediantur thymelici, ſurgere & ſecedere.*

(h) Concil. Carth. III. c. XI. Vt filii ſacerdotum vel clericorum ſpectacula ſæcularia non exhibeant, ſed nec ſpectent, quoniam a ſpectaculo & omnes laici prohibeantur. Semper enim chriſtianis omnibus hoc interdictum eſt, vt vbi blaſphemi ſunt, non accedant.

(*) Lib. IV. c. V. §. V. ſeq. vol. II. p. 158. ſeqq.

tur,

tur, ecclesiam compellebat non tantum interdicere clericis, vt ne cohabitarent cum eis, quas συνεισάκτους, extraneas & subintroductas, vocabant, quatenus matri, sorori, amitæ, vel materteræ opponuntur, de quibus propter sanguinis propinquitatem iusta suspicio esse non poterat; sed eam etiam inducebat, vt huic regulæ, extrema disciplinæ seueritate in delinquentes vtendo, vim conciliaret atque efficacitatem. CYPRIANVS [i] laudat *Pomponium*, quod diaconum excommunicasset, qui huiusmodi criminis reus fuerat deprehensus. Et inter alias rationes, quas de *Pauli Samosateni* depositione reddit concilium *Antiochenum*, hæc vna est, quod semper mulieres quasdam συνεισάκτους, subintroductas, habuerit sibi ministrantes, suisque presbyteris & diaconis idem facere permiserit [k], vt ne ab eis accusaretur. Concilium *Arelatense* [l] secundum clericum quemcumque supra diaconorum ordinem excommunicat, qui domi suæ mulierem retinuerit præter auiam, matrem, filiam, neptem, vel vxorem secum conuersam. Et concilium *Ilerdense* [m] eos officii sui dignitate priuari iubet, vsque dum post primam vel

---

(*i*) Cypr. epist. LXII. al. IV. ad Pompon. Consulte & cum vigore fecisti, frater carissime, abstinendo diaconum, qui cum virgine sæpe mansit, sed & ceteros, qui cum virginibus dormire consueuerunt.

(*k*) Euseb. lib. VII. c. XXX. *τὰς δὲ συνεισάκτους αὐτοῦ γυναῖκας, ὡς Ἀντιοχεῖς ὀνομάζουσι, καὶ τῶν περὶ αὐτὸν πρεσβυτέρων καὶ διακόνων, οἷς καὶ τοῦτο καὶ τὰ ἄλλα ἁμαρτήματα ἀνίατα ὄντα συγκαλύπτει, συνειδὼς καὶ ἐλέγξας, ὅπως αὐτοὺς ὑπόχρεως ἔχῃ, περὶ ὧν λόγοις καὶ ἔργοις ἀδικεῖ, μὴ τολμῶντας κατηγορεῖν τῷ καθ' ἑαυτοὺς φόβῳ. Quid heic referre attinet subintroductas, vt Antiocheni vocant, mulieres, tam ipsius quam presbyterorum eius ac diaconorum? In quibus non hoc solum, sed etiam alia insanabilia crimina, quorum conscius est & quorum ipsos reos esse conuicit, nihilominus tegit & dissimulat, vt illos sibi obnoxios habeat: vtque, dum sibi ipsis metuunt, ipsum ob ea, quæ impie agit ac loquitur, accusare non audeant.*

(*l*) Concil. Arelat. II. c. III. Si quis de clericis a gradu diaconatus in solatio suo mulierem, præter auiam, matrem, sororem, filiam, neptem vel vxorem secum conuersam, habere præsumserit, alienus in communione habeatur.

(*m*) Concil. Ilerdens. c. XV. Familiaritatem extranearum mulierum, licet ex toto sancti patres antiquis monitionibus præceperint ecclesiasticis euitandam, id nunc tamen nobis visum est, vt qui talis probabitur, si post primam & secundam commonitionem se emendare neglexerit, donec in vitio perseuerat, officii sui dignitate priuetur. Quod si se, Deo iuuante, correxit, sancto ministerio restauretur.

 secun-

ſecundam admonitionem emendati ſancto miniſterio reſtaurentur.

§. XXVI.

21. Si poſt ordinationem vxorem duxiſſent.

ALTERVM, quod generatim improbatur, erat, ſi clericus ſecundam vxorem duxiſſet poſt ordinationem. Non reiiciebant, vti diximus, maritos ab ordinibus, neque eos poſt ordinationem ab vxoribus ſeparatos viuere cogebant: quinimmo ſi quis diaconus ante ordinationem teſtificaretur, in cælibatu ſe perſeuerare non poſſe, poſtea [n] ex decreto concilii *Ancyrani*, vxorem ducere poterat, nec officio decedere cogebatur. Alii autem canones presbyteris & epiſcopis poſt ordinationem matrimonium inire interdicunt, ſiue in coniugio ſiue extra coniugium antea vixerint, idque ſub comminatione depoſitionis. *Presbyter, ſi vxorem duxerit*, inquit concilium *Neocæſareenſe* [o], *ordine ſuo moueatur.* Concilium *Illiberritanum* [p] & alia quædam in eccleſia *Latina* ſeuerius agebant contra clericos, in matrimonio conſtitutos, & non tantum poſt ordina-

(n) Concil. Ancyran. c. X. Διάκονοι, ὅσοι καθίσανται, παρ' αὐτὴν τὴν κατάστασιν εἰ ἐμαρτύραντο καὶ ἔφασαν χρῆναι γαμῆσαι, μὴ δυνάμενοι οὕτως μένειν· οὗτοι μετὰ ταῦτα γαμήσαντες, ἔστωσαν ἐν τῇ ὑπηρεσίᾳ, διὰ τὸ ἐπιτραπῆναι αὐτοὺς ὑπὸ τοῦ ἐπισκόπου, τοῦτο δὲ εἴ τινες σιωπήσαντες, καὶ καταδεξάμενοι ἐν τῇ χειροτονίᾳ μένειν οὕτως, μετὰ ταῦτα ἦλθον ἐπὶ γάμον, πεπαῦσθαι αὐτοὺς τῆς διακονίας. *Quicumque diaconi conſtituti, in ipſa conſtitutione teſtificati ſunt & dixerunt, oportere ſe vxores ducere, quum non poſſint ſic manere, ii ſi vxorem poſtea duxerint, ſint in miniſterio, eo quod hoc ſit illis ab epiſcopo conceſſum. Si qui autem hoc ſilentio præterito, & in ordinatione, vt ita manerent, ſuſcepti ſunt, poſtea autem ad matrimonium venerint, ii a diaconatu ceſſent.*

(o) Concil. Neocæſar. c. I. πρεσβύτερος ἐὰν γήμῃ, τῆς τάξεως αὐτὸν μετατίθεσθαι.

(p) Concil. Illiberritan. c. XXXIII. Placuit in totum prohiberi epiſcopis, presbyteris & diaconibus, vel omnibus clericis poſitis in miniſterio, abſtinere ſe a coniugibus ſuis & non generare filios: quicumque vero fecerit, ab honore clericatus exterminetur.

Vid. concil. Agath. c. IX. Placuit, vt, ſi diacones aut presbyteri coniugati ad locum vxorum ſuarum redire voluerint, papæ Innocentii ordinatio & Siricii epiſcopi auctoritas, quæ eſt his canonibus inſerta, conſeruetur.

EPISTOLA S. INNOCENTII PAPAE.

Dilectiſſimo fratri Exuperio Innocentius. Conſulenti tibi, frater cariſſime, & *poſt alia*: Propoſuiſti, quid de his obſeruari debeat, quos in diaconii mitio-

tionem eis coniugium inire interdicebant, ſed, quas ante iam duxerant, vxores cogebant deſerere. Verum vt hæc praxis primitiuæ regulæ violatio eſt, nec vnquam in eccleſia *Graca* inualuit; ita inter ſtatas diſciplinæ regulas, quæ ad totam eccleſiam ſpectant, referenda non eſt.

§. XXVII.

22. Si vxorem adulteram retinuiſſent.

VERVMTAMEN vnus caſus erat, in quo clericos oportebat vxores ſuas dimittere, qui caſus erat adulterii. *Si alicuius vxor*, inquit concilium *Neocæſareenſe* [q], *quum eſſet laicus, adulte-*

niſterio, aut in officio presbyterii poſitos incontinentes eſſe aut fuiſſe, generati filii prodiderint. De his & diuinarum legum manifeſta eſt diſciplina, & beatæ recordationis viri Siricii epiſcopi monita euidentia commearunt, vt incontinentes in officiis talibus poſiti omni eccleſiaſtico honore priuarentur, nec admitterentur accedere ad miniſterium, quod ſola continentia oportet impleri. & *poſt alia*: Nam ſi ad aliquos forma illa eccleſiaſticæ vitæ pariter & diſciplinæ, quæ a Siricio epiſcopo ad prouincias commeauit, non probabitur perueniſſe, his ignorationis venia remittatur; ita vt de cetero penitus incipiant abſtinere. Et ita gradus ſuos, in quibus inventi fuerint, ſic retentent, vt ad potiora eis non liceat adſcendere. Quibus in beneficio eſſe debet, quod hunc ipſum locum, quem retinent, non amittant. Si qui autem ſciſſe formam viuendi miſſam a Siricio epiſcopo deteguntur, neque ſtatim cupiditates libidinis abieciſſe, illi ſunt modis omnibus ſubmouendi, qui poſt admonitionem cognitam præponendam arbitrati ſunt voluptatem.

Conc. Arauſic. I. can. XXIII. Si quis poſt acceptam benedictionem leuiticam cum vxore ſua incontinens inuenitur, ab officio abiiciatur.

Concil. Carthag. V. can. III. Quum de quorundam clericorum, quamuis erga vxores proprias, incontinentia referretur, placuit epiſcopos & presbyteros & diaconos, ſecundum propria ſtatuta, etiam ab vxoribus continere. Quod niſi fecerint, ab eccleſiaſtico remoueantur officio. &c.

Concil. Matiſcon. I. c. XI. Epiſcopi, presbyteri, vel vniuerſi honoratiores clerici, quum ſublimi dignitatis apice ſublimantur, actibus omnino renuntient ſæculi, & ſacro electi miniſterio repudient carnale conſortium, ac permixtionis priſtinæ contubernium permutent germanitatis adſectu. Et quiſquis ille eſt, diuino munere benedictione percepta, vxori prius ſuæ frater illico efficiatur ex coniuge. Eos vero, quos reperimus ardore libidinis inflammatos, abiecto religionis cingulo, ad vomitum priſtinum & inhabita prorſus coniugia repetiiſſe, atque inceſti quodammodo crimine clarum decus ſacerdotii violaſſe, quod nati etiam filii prodiderunt: Quod quiſquis feciſſe cognoſcitur, omni in perpetuum, quam admiſſo iam crimine perdidit, dignitate priuabitur.

(q) Concil. Neocæſar. c. VIII. γυνή τινος μοιχευθεῖσα λαϊκοῦ ὄντος ἐὰν ἐλεγχθῇ φα-

rata fuisse conuicta fuerit, is non potest ad ministerium accedere. Sin autem etiam post ordinationem adulterata fuerit, debet eam dimittere. Quod si cohabitet, non potest sibi commissum ministerium exsequi. Et concilium *Illiberritanum* [r] paullo vlterius progreditur, in hunc modum decernens: *Si cuius clerici vxor fuerit mœchata, & sciat eam maritus suus mœchari, & eam non statim proiecerit, nec in fine accipiat communionem: ne ab his, qui exemplum bonæ conuersationis esse debent, videantur magisteria scelerum procedere.*

§. XXVIII.

23. *Si non residerent, hoc est, si in loco domicilii sui non essent adsiduo præsentes.*

ERANT etiam leges quædam de residentia, vt vocant, clericorum, hoc est de adsidua præsentia in loco domicilii sui, quæ seuere requirebatur cum pœnæ canonicæ in delinquentes denuntiatione. Diuersas leges residentiam requirentes alio loco [*] adnotauimus: Heic earum tantum mentionem faciemus, quæ pœnas huiusmodi offensoribus infligendas enarrant. Inter hasce canon ille concilii *Agathensis* [s] omnium maxime notari meretur, qui decernit, vt si presbyter vel diaconus tres hebdomadas ab ecclesia sua defuerit, triennio a communione suspendatur. Et per leges *Iustiniani* [t] quilibet episcopus, qui ab ecclesia sua abfuerit, præterquam ad certum tempus idque in grandioribus negotiis & vrgente necessitate, aut volente

νεϱῶς, ὁ τοιῦτος εἰς ὑπηϱεσίαν ἐλθεῖν ᾽ δύναται. Ἐὰν δὲ καὶ μετὰ τὴν χειϱοτονίαν μοιχευθῇ, ὀφείλει ἀπολῦσαι αὐτήν· ἐὰν δὲ συζῇ, ᾽ δύναται ἔχεσθαι τῆς ἐγχειϱισθείσης αὐτῷ ὑπηϱεσίας.

(r) Concil. Illiberrit. c. LXV.

(*) Lib. VI. c. IV. §. VII. vol. II. p. 305. seq.

(s) Concil. Agath. c. LXIV. Si quis in clero constitutus ab ecclesia sua diebus solemnibus defuerit, id est, natiuitate, epiphania, pascha, vel pentecoste, dum potius sæcularibus lucris studet, quam seruitio Dei paret, conuenit, vt triennio a communione suspendatur. Similiter diaconus, vel presbyter si tres hebdomadas ab ecclesia sua defuerint, huic damnationi succumbant.

(t) Iustin. nouell. VI. c II. κἀκεῖνο γενικῶς πϱοσδιοϱίζομεν, ὥστε μηδένα τῶν θεοφιλεστάτων ἐπισκόπων ἔξω τῆς καθ᾽ ἑαυτὸν ἐκκλησίας πλεῖον ἢ κατ᾽ ἐνιαυτὸν ὅλον ἀπολιμπάνεσθαι, πλὴν εἰ μὴ τῦτο κατὰ βασιλικὴν γένοιτο κέλευσιν. (τότε γὰϱ μόνον ἐστὶν ἀνεύθυνον) τῶν ὁσιωτάτων πατϱιαϱχῶν ἑκάστης διοικήσεως ἀναγκαζόντων τὰς θεοφιλεστάτας ἐ-

prin-

principe, collegio episcoporum expelli iubetur, tamquam statione sua indignus. Et ad melius praecauendam hanc offensionem, vti nulli clericorum licebat sine venia & litteris commendatitiis episcopi sui proficisci; ita nulli episcopo iter facere vel in aula imperatoris comparere permittebatur sine metropolitani sui venia & approbatione. Ita diserte prouisum est per easdem leges *Iustiniani* [u] & ante eum a concilio *Carthaginensi* tertio, quod canonem habet in hunc modum decer-

---

πισκόπους ταῖς αὐτῶν ἐγκαθέζεσθαι ἁγιωτάταις ἐκκλησίαις, καὶ μὴ μακρὰν ὁδὸν στέλλεσθαι, μηδὲ ἐν ξένῃ διατρίβειν ἐθέλειν, μηδὲ τῶν ἁγιωτάτων ἐκκλησιῶν ἀμελεῖν, μηδὲ τὸν ἐνιαυτὸν ὑπερβαίνειν, ὃν δὴ καὶ αὐτὸν διὰ φιλανθρωπίαν ἐτάξαμεν· Εἰ μέντοιγε καὶ ὑπὲρ τὸν ἐνιαυτὸν πλανῷτο καὶ ἀλητεύοι, καὶ μήτε πρὸς τὴν ἐπισκοπὴν ἐπανίοι τὴν οἰκείαν, μηδὲ βασιλική τις αὐτὸν, καθάπερ εἰπόντες ἔφθημεν, κατέχοι κέλευσις· τηνικαῦτα, εἰ μὲν εἴη μητροπολίτης, πρὸς τὴν ἐκκλησιαστικὴν σύνταξιν ἀφορῶν ὁ τοῦ κλίματος πατριάρχης καλείτω μὲν αὐτὸν τοῖς νενομισμένοις κηρύγμασιν, φυλάττων πανταχοῦ τὴν τῶν ἱερῶν κανόνων παρατήρησιν· εἰ δὲ μένοι μέχρι παντὸς ἀπειθῶν, καὶ ἐξωθείτω τοῦ θείου τῶν ἐπισκόπων χοροῦ, καὶ ἕτερον ἀντεισαγέτω, τῆς τοιαύτης αἰδοῦς τε καὶ σεμνότητος ἄξιον· εἰ δὲ οὐ μητροπολίτης, ἀλλὰ τῶν ἄλλων τις ἐπισκόπων ὁ πλανώμενος εἴη, ταῦτα παρὰ τοῦ μητροπολίτου γινέσθω. κ. τ. λ. *Et illud etiam definimus*, vt nemo Deo amabilium episcoporum foris a sua ecclesia plus quam per totum annum deesse audeat: nisi hoc per imperialem fiat iussionem: (*tunc enim solum erit inculpabile*) *sacratissimis patriarchis vniuscuiusque dioeceseos compellentibus Deo amabiles episcopos suis inhaerere sanctissimis ecclesiis: & non longo itinere separari; neque in peregrinis demorari velle, neque sanctissimas ecclesias negligere, neque annum excedere, quem & ipsum propter misericordiam constituimus. Si vero vltra annum errauerit & dereliquerit, & non ad episcopatum remeauerit proprium, neque imperialis aliqua eum,* (*sicut praediximus*) *detineat iussio: tunc si quidem sit metropolita, circa ecclesiasticam dispositionem segregatus regionis illius patriarcha vocet quidem eum legitimis inclamationibus, seruans vtique sacrarum regularum obseruationem. Si vero maneat per omnia inobediens*, expellat a sacro episcoporum choro, *& alium introducat huiusmodi & reuerentia & verecundia & honestate dignum. Si vero non metropolita, sed aliorum episcoporum aliquis sit, qui errauerit: haec omnia a metropolitano fiant. &c.*

(u, Iustin. nouell. VI. c. III. Μὴ ἄλλως δέ τινα τῶν θεοφιλεστάτων ἐπισκόπων θαῤῥεῖν στέλλεσθαι πρὸς ταύτην τὴν εὐδαίμονα πόλιν, πρὶν ἄν, εἰ μέν τις ἐπίσκοπος εἴη, γράμματα λάβοι τοῦ οἰκείου μητροπολίτου πρὸς τὴν βασιλείαν, ταῦτα δὴ κατὰ τοὺς θείους κανόνας συστατικὰ καλούμενα, τὰ μαρτυροῦντα τῷ ἀναγκαίῳ τῆς αὐτοῦ παρουσίας· εἰ δέ γε μητροπολίτης εἴη ὁ παραγίνεσθαι βουλόμενος, γράμματα κομίζοιτο τοῦ διοικήσεως πατριάρχου, τὴν αὐτοῦ παρουσίαν ἀναγκαίαν εἶναι λέγοντα. κ. τ. λ. *Non autem aliter aliquem Deo amabilium episcoporum praesumere*

nentem [w] : *Placuit, vt episcopi trans mare non proficiscantur, nisi consulto primæ sedis episcopo, siue cuiusque prouinciæ primate, vt ab eo præcipue possint sumere formatam siue commendationem.* Et ante hoc concilium *Antiochenum* [x] decreuit, vt ne quis episcopus vel presbyter, vel alius omnino de ecclesiasticis ad imperatorem proficisci auderet sine consensu & litteris episcoporum prouincialium, maxime metropolitani, nisi abdicari & eiici vellet non solum a communione, sed etiam a dignitate, cuius particeps sit in ecclesia. Et his consonant regulæ & decreta pontificum *Romanorum* HILARII [y] & GREGORII MAGNI [z], ad antiquas regulas disciplinæ in ecclesia accommodate facta.

§. XXIX.

24 *Si beneficium ecclesiasticum in duabus ecclesiis simul retinere ausi essent.*

OPORTEBAT etiam clericos ad vnam sese adstringere ecclesiam, hoc est, vt alio iam loco explanauimus, ad vnam dioecesin, siue ecclesiam dioecesanam, sub vnius episcopi iurisdictione; nec petere vel retinere audere beneficia sub duobus episcopis in duabus distinctis ecclesiis, diuersæ iurisdictioni subiacentibus. Hoc sensu in duarum vel plurium ecclesiarum

dirigere se ad hanc felicissimam ciuitatem, priusquam (si quidem episcopus sit) litteras acceperit proprii metropolitæ ad imperium, & quæ secundum diuinas regulas probabilia vocantur, testimonium perhibentia necessitatis eius præsentiæ. Si vero metropolita sit, qui proficisci vult, litteras sumat eiusdem dioeceseos patriarchæ, eius præsentiam necessariam esse, dicentes. cetera.

(w) Concil. Carthag. III. c. XXVIII.

(x) Concil. Antiochen. c. XI. cit. ad §. XV. sub litt. (r) pag. 75.

(y) Hilar. epist. VIII. ad episcopos Galliæ. c. III. Illud etiam non possumus præterire, quod sollicitudine diligentiore curandum sit, ne præter metropolitanorum suorum litteras aliqui ad quamlibet prouinciam audeant proficisci, quod etiam in omni genere officii clericalis per singulas debet ecclesias custodiri.

(z) Gregor. lib. VII. epist. VIII. Additur, quod ex vobis aliqui pro ecclesiæ suæ emergentibus caussis transmarina petentes, sine prædicti metropolitani sui cognitione, vel epistolis, sicut canonum ordo constituit, audeant ambulare. Hortamur igitur fraternitatem vestram, vt antiquam ecclesiarum vestrarum consuetudinem exsequentes --- si quemdam vestrum pro caussis propriis vbicumque compulerit ambulare necessitas, ab eodem metropolitano vestro secundum indictam vobis regulam petere licentiam debeatis, nec eum postponere in aliquo præsumamus &c.

cata-

catalogo describi, sub pœna deiectionis de honoris loco vetatur. Concilium *Chalcedonense* [a] expressis verbis hoc prohibet: *Non liceat*, inquiens, *clericum in duarum ciuitatum ecclesiis eodem tempore in catalogum referri, & in ea, in qua a principio ordinatus est, & in ea, in quam, tamquam ad maiorem, confugit propter inanis gloriæ cupiditatem: eos autem qui hoc faciunt, propriæ ecclesiæ restitui, in qua ab initio ordinati sunt, vt illic solum ministrent: sed si iam quispiam ex alia in aliam ecclesiam translatus est, nihil prioris ecclesiæ vel eorum, quæ sub ea sunt martyriorum, vel ptochotrophiorum, vel xenodochiorum rebus communicare. Eos, qui ausi fuerint post magna huius & vniuersalis synodi definitionem aliquid eorum, quæ sunt prohibita, facere, statuit sancta synodus, eos proprio gradu excidere.*

§. XXX.

25. *Si præter necessitatem publica diuersoria & cauponas frequentarent.*

CANONES multam etiam habebant rationem externæ & publicæ conuersationis clericorum; iubentes eos circumspecte & accurate ambulare, & se abstinere a rebus malæ famæ, vt vt alioquin in se innocentibus ac indifferentibus; vt omnem occasionem præciderent maledicentiæ, deuitando omnes istiusmodi suspiciosas actiones & speciem mali. Quocirca non solum ob intemperantiam & ebrietatem censuræ eos subiiciebant (quippe quæ vitia ne in laicis quidem tolerabantur) sed etiam edere vel apparere in publico diuersorio cum pœnæ ecclesiasticæ denuntiatione vetabant, nisi essent in itinere, vel alia istiusmodi necessitate id facere cogerentur. Concilia *Laodicenum* [b] & *Carthaginense* tertium [c] omnibus clerico-

(a) Concil. Chalcedon. c. X. Vid. Græca lib. VI. c. IV. §. VIII. sub litt. (f) volum. II. p. 309.

(b) Concil. Laodic. c. XXIV. Ὅτι οὐ δεῖ ἱερατικοὺς ἀπὸ πρεσβυτέρων ἕως διακόνων, καὶ ἑξῆς τῆς ἐκκλησιαστικῆς τάξεως ἕως ὑπηρετῶν, ἢ ἀναγνωστῶν, ἢ ψαλτῶν, ἢ ἐπορκιστῶν, ἢ θυρωρῶν, ἢ τοῦ τάγματος τῶν ἀσκητῶν, εἰς καπηλεῖον εἰσιέναι. *Quod non oportet sacratos, a presbyteris vsque ad diaconos, & deinceps quemlibet ecclesiastici ordinis vsque ad ministros, vel lectores, vel cantores, vel exorcistas, vel ostiarios, vel exercitatorum ordinis, in cauponam ingredi.*

(c) Concil. Carth. III. c. XXVII. Vt clerici, edendi vel bibendi caussa, tabernas non ingrediantur, nisi peregrinationis necessitate compulsi.

rum

rum ordinibus id interdicunt generatim, & canones apostolici [*d*] adhuc clarius ἀφορίζεσθαι excommunicari vel ab officio suspendi iubent eos vniuersos, qui cauponam ingressi fuerint, præterquam quum itineris & rerum suarum necessitate compulsi in eam diuertissent.

§. XXXI.

26. Si cum iudæis, hæreticis vel gentilibus philosophis familiariter viuerent.

Ob eamdem rationem canones illis interdicebant familiariter viuere cum iudæis, hæreticis & paganis, maxime cum gentilibus philosophis, eo quod scandalum ex eiusmodi familiaritate existeret. Leges, quæ omnem consuetudinem cum iudæis & hæreticis vetant, alia occasione [*] produximus in medium. Hoc loco tantum dignam notatu historiam addemus, quam de *Theodoto* episcopo *Laodiceæ* in *Syria* narrat SOZOMENVS [*e*], quemadmodum duos *Apollinares*, patrem & filium, ecclesia eiecerit, quod *Epiphanium* sophistam, hymnum in

(*d*) Can. apost. LIII. al. LIV. Εἴ τις κληρικὸς ἐν καπηλείῳ φωραθείη ἐσθίων, ἀφοριζέσθω· παρὲξ τοῦ ἐν πανδοχείῳ ἐν ὁδῷ δι' ἀνάγκην καταλύειν. *Si quis clericus in caupona comedens deprehensus fuerit, segregetur; præterquam quum ex necessitate de via diuertit ad hospitium*

(*) Lib. XVI. cap. VI. §. III. & X. vol. VII. pag. 274. & p. 296.

(*e*) Sozom. lib. VI. c. XXV. Ἔτι Θεοδότου τοῦ πρὸ αὐτοῦ τὴν Λαοδικέων ἐκκλησίαν ἰθύνοντος, κατ' ἐκεῖνο καιροῦ διαπρέπων Ἐπιφάνιος, ὁ σοφιστὴς, ὕμνον εἰς τὸν Διόνυσον παρῄει· διδασκάλῳ δὲ αὐτῷ χρώμενος Ἀπολλινάριος, ἔτι γὰρ νέος ἦν, παρεγένετο τῇ ἀκροάσει σὺν τῷ πατρί· ὁμώνυμος δὲ ἦν αὐτῷ, γραμματικὸς οὐκ ἄσημος· ἐπεὶ δὲ τοῦ λόγου ἀρχόμενος Ἐπιφάνιος, ὡς ἔθος τοῖς τοιάδε ἐπιδεικνυμένοις λέγειν, τοὺς ἀμυήτους καὶ βεβήλους ἐξιέναι θύραζε ἐκέλευεν· οὔτε δὲ Ἀπολλινάριος ὁ νέος, οὔτε ὁ πρεσβύτης, οὔτε ἕτερός τις τῶν παρόντων χριστιανῶν τῆς ἀκροάσεως ἀπεχώρησε· μαθὼν ταῦτα Θεόδοτος ὁ ἐπίσκοπος, χαλεπῶς ἤνεγκε· καὶ τοῖς μὲν ἄλλοις ἐν λαῷ τεταγμένοις μετρίως ἐγκαλέσας, συγγνώμην ἔνειμεν· Ἀπολλιναρίω ἐλέγξας, τῆς ἐκκλησίας ἀφώρισεν· ἤστην γὰρ κληρικώ, ὁ μὲν πατὴρ, πρεσβύτερος· ὁ δὲ παῖς, ἀναγνώστης ἔτι τῶν ἱερῶν γραφῶν. *Quo tempore Theodotus decessor Georgii Laodicenam regebat ecclesiam, quum Epiphanius Sophista nobilis hymnum in laudem Bacchi recitaret, Apollinaris, qui eo præceptore vtebatur, erat enim adhuc adolescens, ei recitationi interfuit vna cum patre, eiusdem cum ipso nominis, qui grammaticus erat non obscurus. Quumque Epiphanius in ipso carminis exordio, sicut moris est iis, qui eiusmodi hymnos publice recitant, cunctos profanos homines nec sacris illis initiatos, foras abire iussisset, nec iunior Apollinaris, nec senior, nec vllus omnino ex christianis, qui aderant, discessit ex auditorio: Id quum re-*

lau-

laudem *Bacchi* recitantem, audiſſent; quum hoc perſonis eorum minus dignum eſſet, vtpote quorum alter presbyteri alter lectoris ſacrarum ſcripturarum munere fungeretur in eccleſia chriſtiana.

§. XXXII.

27. *Si nimia ſeueritate in lapſos vſi eſſent.*

QVEMADMODVM clerici debita ſeueritate vti debebant in peccatores impœnitentes, exſequendo contra eos leges diſciplinæ: Ita ab altera parte nimia ſeueritas & duritas in recuſando recipere & reconciliare lapſos pœnitentes, poſtquam ex canonum præſcripto eccleſiæ ſatisfeciſſent, grandis erat offenſio, & tam manifeſta poteſtatis miniſterialis abuſio, vt eccleſia eam in clericis ſuis acrius caſtigandam duceret. *Si quis epiſcopus aut presbyter*, inquit canon quidam apoſtolicus [*f*], *eum, qui ſe conuertit a peccato, non receperit, ſed eiecerit, deponatur: quia contriſtat Chriſtum dicentem; Gaudium oritur in cælo ſuper vno peccatore, pœnitentiam agente.* Hoc non erat verum diſciplinæ exercitium, ſed imperioſa moroſitas & mera dominatio in hæreditatem Dei per nimis extenſæ miniſterialis poteſtatis vſurpationem. Eadem res erat, pro qua contendebant *Nouatiani* hæretici, & quam in illis ſemper oppugnabat damnabatque eccleſia: Et proinde ſi qui de clericis illius hanc enormem poteſtatem ſibi arrogarent, eos hoc crudeli *Nouatianorum* dogmate infectos eſſe recte iudicabat, & vt tales ſententiæ depoſitionis faciebat obnoxios.

§. XXXIII.

28. *Si officium benefici & liberalis hominis erga pauperes clericos intermiſiſſent.*

ALIA crudelitatis ſpecies erat, quam eccleſia etiam in clericis ſuis valde puniebat, nimirum beneficentiæ & liberalitatis erga pauperes & calamitoſos ordinis ſui homines præter-

ſciuiſſet Theodotus epiſcopus, grauiter commotus eſt. Ac reliquis quidem, qui ex plebe erant, leuiter obiurgatis veniam conceſſit. Vtrumque autem Apollinarem publice conuictum, eccleſia eiecit. Erant enim clerici: pater quidem presbyter; filius vero lector ſacrarum ſcripturarum.

(*f*) Can. apoſt. LII. Εἴ τις ἐπίσκοπος, ἢ πρεσβύτερος, τὸν ἐπιστρέφοντα ἀπὸ ἁμαρτίας οὐ προσδέχεται, ἀλλ' ἀποβάλλεται, καθαιρείσθω· ὅτι λυπεῖ τὸν Χριστὸν, εἰπόντα· χαρὰ γίνεται ἐν οὐρανῷ ἐπὶ ἑνὶ ἁμαρτωλῷ μετανοοῦντι.

missio. Vt caritas homines iubet esse beneficos erga omnes, dum tempus opportunum habent, maxime vero erga domesticos fidei: Ita clerici multo magis illis debebant succurrere, qui in eodem secum ministerio constituti & arctioribus fraterni amoris vinculis in eadem functione coniuncti erant. Vnde canones apostolici [g] hoc tamquam graue delictum puniri iubent, ita seuere decernendo: *Si quis episcopus, aut presbyter, quum aliquis clericorum inopia laborat, ei non suppeditat necessaria; segregetur: quod si perseueret, deponatur, vt qui occiderit fratrem suum.*

§. XXXIV.

29. Si in caussis criminalibus iudicassent.

ALIQVA etiam crudelitatis species, aut certe res clericum minime decens, esse credebatur, in caussis criminalibus iudicare. In caussis ciuilibus leges sinebant eos eligi arbitros. At in caussis criminalibus nullam omnino potestatem habebant, nisi essent mere ecclesiasticæ; minime autem omnium in talibus caussis criminalibus, quæ ad vitam & necem spectarent. Hinc multi canones facti sunt, sub grauissimæ pœnæ depositionis denuntiatione id ipsum prohibentes. Concilium *Tarraconense* clericis vniuersam iudicandi licentiam in negotiis criminalibus [h] denegat. Concilium *Antissiodorense* [i] specialius presbyteris in illo iudicio sedere interdicit, vnde homo ad mortem tradatur. Et in alio canone [k] presbyterum vel diaconum stare vetat ad trepalium, vbi rei torqueantur. Concilium *Toletanum* quartum [l] sacerdotibus non permittit iudi-

(g) Can. apost. LIX. *Εἴ τις ἐπίσκοπος, ἢ πρεσβύτερος, τινὸς τῶν κληρικῶν ἐνδεῶς ὄντος, μὴ ἐπιχορηγῇ τὰ δέοντα, ἀφοριζέσθω· ἐπιμένων δὲ, καθαιρείσθω, ὡς φονεύσας τὸν ἀδελφὸν αὐτοῦ.*

(h) Concil. Tarracon. c. IV. Habeant licentiam iudicandi, exceptis criminalibus negotiis.

(i) Conc. Antissiodor. c. XXXIV. Non licet presbytero in illo iudicio sedere, vnde homo ad mortem tradatur.

(k) Ibid. c. XXXIII. Non licet presbytero, nec diacono, ad trepalium, vbi rei torquentur, stare.

(l) Concil. Tolet. IV. c. XXXI. Sæpe principes contra quoslibet maiestatis obnoxios, sacerdotibus negotia sua committunt. Et quia sacerdotes a Christo ad ministerium salutis electi sunt, ibi consentiant regibus fieri iudices, vbi iureiurando supplicii indulgentia promittitur; non vbi discriminis (al.

care

care in caussis, quæ ad crimen læsæ maiestatis pertineant, etiamsi a principe id facere iubeantur, nisi hic iureiurando supplicii indulgentiam promiserit. Qui secus fecerint, effusi sanguinis rei apud Christum futuri & apud ecclesiam proprium gradum perdituri dicuntur. Concilium vndecimum *Toletanum* [*m*] paullo longius progreditur, non solum tales excludens ordinis & stationis honore, sed omni etiam communione quoad vixerint, quam in hora demum mortis eis impertiendam esse decernit.

§. XXXV.

Episcopis officii sui administratio ad tempus vel in perpetuum interdici poterat, 1. Si ordinationes darent canonibus contrarias.

HAE præcipuæ erant veteris disciplinæ regulæ, quæ ad clericos spectabant generatim: præter quas nonnullæ erant, quæ specialius ad particularis cuiusuis ordinis personas pertinebant. Episcopis officii sui administratio ad certum tempus vel in perpetuum etiam interdici poterat ob varia peccata, quæ contra muneris ecclesiastici regulas ac officia, functioni ipsorum peculiaria, commisissent. Vt, *primo* quidem propter voluntariam cognitarum legum ordinationis transgressionem. Si qui episcopi quempiam ordinare auderent in plenam sedem, in quam alius secundum consuetas regulas ordinatus fuerat ante eum; vel si duo tresue episcopi episcopum clandestino ordinarent sine reliquorum episcoporum prouincialium & me-

sanguinis) sententia præparatur. Si quis ergo sacerdotum discussor in alienis periculis exstiterit, si reus effusi sanguinis, apud Christum & apud ecclesiam perdat proprium gradum.

(*m*) Concil. Tolet. XI. c. VI. His, a quibus domini sacramenta tractanda sunt, iudicium sanguinis agitare non licet: & ideo magnopere talium excessibus prohibendum est, ne indiscretæ præsumtionis motibus agitati, aut quod morte plectendum est, sententia propria iudicare præsumant, aut truncationes quaslibet membrorum quibuslibet personis aut per se inferant, aut inferendas præcipiant. Quod si quisquam horum immemor præceptorum, aut ecclesiæ suæ familiis (al. famulis) aut in quibuslibet personis tale aliquid fecerit, & concessi ordinis honore priuatus, & loco suo, perpetuo damnationis teneatur ergastulo: cui tamen communio exeunti ex hac vita non neganda est; propter domini misericordiam, qui non vult peccatoris mortem, sed vt conuertatur & viuat.

tropolitani consensu; non solum episcopus hoc modo ordinatus, sed ipsi quoque episcopi, qui sic eum ordinare ausi erant, statione sua pelli debebant [*]. Ita cum *Trophimo* & duobus aliis obscuris episcopis, qui *Nouatianum* ordinarant, actum est. Nam, vt CYPRIANVS & CORNELIVS saepius narrant, de gradu dignitatis suae deiecti ad communionem laicam reducebantur. Si quis episcopus eos ordinaret, qui ab haereticis baptizati vel rebaptizati erant, ob hoc delictum a ministerio clericali [*n*] excludendus erat. Si quis ex humano adfectu fratrem, vel filium, vel alterum propinquum indignum ordinaret, per regulam in canonibus apostolicis [*o*] datam, segregatione puniendus erat. Si quis episcopus in alterius dioecesi quempiam ordinaret, per eosdem canones apostolicos & ipse [*p*] deponendus erat, & qui ab illo erat ordinatus. Haec omnia plenius demonstrauimus sectione huius capitis tertia, quo lectorem nostrum amandamus. Quibus solum addimus, quod, si quis episcopus quempiam ordinasset, qui publicam poenitentiam egerat in ecclesia, ipse potestate ordinationis priuandus fuerit [*q*].

(*) Vid. conc. Arausic. I. c. XXI. In nostris prouinciis placuit de praesumtoribus, vt, sicubi contigerit duos episcopos episcopum inuitum facere, auctoribus damnatis, vnius eorum ecclesiae ipse, qui vim passus est, substituatur, si tamen vita respondet; & alter in alterius deiecti loco nihilo minus ordinetur. Si voluntarium duo fecerint, & ipse damnabitur, quo cautius ea, quae sunt antiquitus statuta, seruentur.

(*n*) Vid. Felic. III. epist. I. c. V. (ap. Labb. tom. IV. concil. p. 1077. epist. VII.) Illo per omnia custodito, ne ex eis vmquam, qui in qualibet aetate alibi quam in ecclesia catholica aut baptizati aut rebaptizati sunt, ad ecclesiasticam militiam prorsus non permittantur accedere. Quibus satis esse debeat, quod in catholicorum numero sint recepti: quoniam de suo ordine & communione videbitur ferre iudicium, quisquis hoc violauerit institutum, vel qui non remouerit eum, quem ex eis ad ministerium clericale obrepsisse cognouerit.

(*o*) Can. apost. LXXVI. Vid. supr. §. III. sub litt. (c) pag. 61.

(*p*) Ibid. c. XXXVI. ἐπίσκοπον μὴ τολμᾷν ἔξω τῶν ἑαυτῦ ὅρων χειροτονίαν ποιεῖσθαι εἰς τὰς μὴ ὑποκειμένας αὐτῷ πόλεις ἢ χώρας· εἰ δὲ ἐλεγχθείη τῦτο πεποιηκὼς, παρὰ τὴν τῶν κατεχόντων τὰς πόλεις ἐκείνας ἢ τὰς χώρας γνώμην, καθαιρείσθω καὶ αὐτὸς καὶ οὓς ἐχειροτόνησεν. *Episcopus non audeat extra fines suos ordinationes facere in ciuitatibus aut pagis ipsi non subiectis. Quod si conuictus fuerit hoc fecisse praeter eorum sententiam, qui ciuitates illas & pagos obtinent, deponatur, & ipse, & ii quos ordinauit.*

(*q*) Concil. Carth. IV. c. LXVIII. Ex poenitentibus (quamuis sit bonus) cleri-

§.XXXVI.

§. XXXVI.

2. *Si leges disciplinæ ad effectum dare neglexissent.*

Secundo, SI episcopi leges disciplinæ ad effectum dare neglexissent, qui peculiaris muneris ipsorum actus erat, ob istiusmodi neglectum contemtumque disciplinæ, sententiæ depositionis obnoxii erant non minus quam ii, quos censura ecclesiastica adficere debebat. Manifestum hoc est ex iis, quæ de quibusdam, qui ab hæreticis baptizati vel rebaptizati, & deinde more regulæ ecclesiæ contrario in ecclesia ordinati erant, statuit *Felix* [r] pontifex *Romanus*. Non illi tantum, qui eos ordinarant, officio pellendi erant, sed isti etiam episcopi, qui eos sic ordinatos norant, nec officium eis, leges disciplinæ contra illos ad effectum dando, abrogarant. Ita quoque si quis presbyter vel diaconus sibi officium aliquod assumeret sine episcopi auctoritate, quod ad eos non spectaret, & episcopus in tali vsurpatione conniueret, censuræ canonicæ ipse sese reddebat obnoxium [*], eo quod audaciam eorum corrigere ex quadam animi abiectione neglexisset.

§. XXXVII.

3. *Si diœcesim suam diuiderent nouosque erigerent episcopatus sine venia: vel si in aliorum iura, vltra proprios limites & iurisdictionem, inuolarent.*

Tertio, EPISCOPI canonicæ pœnæ sese faciebant obnoxios, si ecclesiæ terminos & fines, antiqua lege & consuetudine constitutos, sine prouincialis synodi conscientia & consen-

cus non ordinetur. Si per ignorantiam episcopi factum fuerit, deponatur a clero, qui se ordinationis tempore non prodidit fuisse pœnitentem. Si autem sciens episcopus ordinauerit talem, etiam ab episcopatus sui ordinandi duntaxat potestate priuetur.

(r) Felic. III. epist. I. c. V. vid. sub anteced. litt. (n).

(*) Vid. Gelasii epist. IX. ad episcop. Lucaniæ c. VI. VII. (tom. IV. conc. p. 1189.) Nec minus etiam presbyteros vltra modum suum tendere prohibemus; nec episcopali fastigio debita sibimet audacter assumere, ---- Si quidquam ad episcopale ministerium specialiter pertinens suo motu putauerint exsequendum, continuo se presbyterii dignitate & sacra communione priuari. Quod fieri necesse esse censeamus, si eorum præsule deserente, huiusmodi fuerit præuaricatio comprobata, nec ipso eorum episcopo a culpa conniuentiæ & vltione vacaturo, si immoderata facientem dissimulauerit vindicare. Diaconos quoque propriam constituimus seruare mensuram &c.

ſu mutare auſi eſſent. Diœceſes ex idoneis rationibus diuidi ex illiſque nouæ quædam erigi poterant; ſi vel ampliores eſſent, quam vt vnius epiſcopi cura eis ſufficeret; (quæ res *Auguſtinum* induxit, vt diœceſin *Hipponenſem* diuideret, nouumque ex ea conſtitueret epiſcopatum *Fuſſalenſem*) vel ſi princeps præcipuum quemdam pagum vel vicum ciuitatis honore & priuilegiis donare conſultum duceret; tum iſta ciuitas, conſentiente concilio prouinciali, nouus epiſcopatus fieri poterat. At vero ſi quis in vico quodam, in quo ante eum nullus vnquam epiſcopatus fuerat, epiſcopatum ambitioſe obtinuiſſet; vel principem ambitioſe ſollicitaſſet, vt vicum in ciuitatem converteret, quo ipſe in ea epiſcopus poſſet fieri; in iſtiuſmodi caſibus eccleſia ſublimes ambitioſorum hominum cogitationes corrigendas, eorumque conatus reprimendos ducebat, denegando illis eos honores, quos iſtiuſmodi peruerſis artibus obtinere adlaborarant, ipſoſque ſubmittendo pœnæ depoſitionis. Multi dantur canones ac regulæ diſciplinæ, hanc praxin prohibentes: at regula, in concilio quodam *Toletano* facta, omnium maxime notabilis eſt, quandoquidem concluſio eſt in ſpeciali quodam caſu facta ex omnibus antiquis canonibus (epiſcopos in villis & vicis ordinari vetantibus), qui ibi recitantur. *Wamba* rex quibuſdam epiſcopis imperioſe mandauerat, vt in diuerſis villulis & monaſteriis, in ſuburbanis *Toleti* alibique iacentibus, alios ordinarent epiſcopos: contra quem auſum & vſurpationem concilium primo vetuſtos citat canones, & tum concludit nouo decreto in hunc modum [*s*]: *Si quis contra hæc canonum interdicta venire conatus fuerit, vt in locis illis epiſcopum eligat fieri, vbi epiſcopus numquam fuit, ſit in conſpectu omnipotentis Dei anathema: & inſuper tam ordinans quam ordinatus gradum ſui honoris perdat: quia non ſolum antiquorum patrum decreta, ſed & apoſtolica auſus eſſet conuellere inſtituta.* Concilium *Chalcedonenſe* ſimile decretum [*t*] fecit contra eos, qui principem rogare auſi fuerint, vt vna prouincia in duas diuiſa nouam metropolim

(*s*) Concil. Tolet. XII. c. IV. (tom. VI. concil. p. 1229.)

(*t*) Concil. Chalcedon. c. XII. *Ἦλθεν εἰς ἡμᾶς, ὥς τινες παρὰ τοὺς ἐκκλησιαστικοὺς θεσμοὺς προσδραμόντες δυναστείαις, διὰ πραγματικῶν βασιλικῶν τὴν μίαν ἐπαρχίαν εἰς δύο κατέτεμον, ὡς ἐκ τούτου δύο μητροπολίτας εἶναι ἐν τῇ αὐτῇ ἐπαρχίᾳ·*

in

in ea constituat. Hoc præter ritus ecclesiasticos esse dicunt, adeoque eis, qui tale quid postea ausi fuerint, denuntiant fore, vt suo gradu excidant.

§. XXXVIII.

4. Si conciliis prouincialibus interesse negligerent.

Quarto, EPISCOPOS conciliis prouincialibus interesse oportebat; quod si facere sine idonea caussa recusarent vel negligerent, suspensioni ab officio obnoxii erant. Hanc in rem decretum habetur in concilio secundo *Arelatensi* [u]: *Si quis adesse* (synodo) *neglexerit, aut cœtum fratrum, antequam concilium dissoluatur, crediderit deserendum, alienatum se a fratrum communione cognoscat, nec eum recipi liceat, nisi in sequenti synodo fuerit absolutus.* Idem decretum repetitur a concilio *Tarraconensi* [w], & patrum statutis conuenire dicitur: *Si quis episcoporum, commonitus a metropolitano, ad synodum, nulla graui intercedente necessitate corporali, venire contemserit, sicut statuta patrum censuerunt, vsque ad futurum concilium cunctorum episcoporum caritatis communione priuetur.* Synodi *Africanæ* [x] dicunt, contentum eum esse debere ecclesiæ suæ communione.

§. XXXIX.

5. Si populum iniquis exactionibus opprimerent.

Quinto, SI quis episcopus populum suum, vel aliquam eorum partem, dura tractatione, iniustis postulatis & iniquis ex-

ὥρισε τοίνυν ἡ ἁγία σύνοδος, τοῦ λοιποῦ μηδὲν τοιοῦτον τολμᾶσθαι παρὰ ἐπισκόπων· ἐπεὶ τὸν τοῦτο ἐπιχειροῦντα ἐκπίπτειν τοῦ οἰκείου βαθμοῦ. Peruenit ad nos, quod quidam, quum præter ritus ad potentatus accessissent, per pragmaticos imperiales vnam prouinciam in duas diuiserunt, vt ex eo duo essent metropolitani in eadem prouincia. Statuit ergo sancta synodus, ne episcopus deinceps tale quid audeat: quoniam is, qui hoc adgreditur, a suo gradu excidit.

(*u*) Concil. Arelat. II. c. XIX.

(*w*) Conc. Tarracon. c. VI.

(*x*) Concil. Carth. V. c. X. Quod si non potuerint occurrere (ad concilium) excusationes suas in tractatoria subscribant: vel si post aduentum tractatoriæ aliquæ necessitates repente forsitan ortæ fuerint, nisi rationem impedimenti sui apud suum primatem reddiderint, ecclesiæ suæ communione debere esse contentos.
Cod. Afric. c. LXXVII. *εἰ μὴ τὸν λόγον τοῦ οἰκείου ἐμποδισμοῦ παρὰ τῷ οἰκείῳ πρωτεύοντι ἀποδώσωσιν, ὀφείλειν τοὺς τοιούτους τῇ κοινωνίᾳ τῆς ἰδίας αὐτῶν ἀρκεῖσθαι ἐκκλησίας.*

actio-

actionibus opprimeret; per leges ecclesiæ *Africanæ* hoc in casu peculiariter prouisum erat, vt amissione illius partis populi sui multaretur, quæ de oppressione eius caussam habebat conquerendi. Iam superiore capite [*] ex epistola AVGVSTINI hoc adnotauimus, vbi hanc agendi rationem cum episcopis scite defendit, si eorum delicta nec tam grauia sint, vt deiectionem de officio commereant; nec tam leuia, vt perfecte condonari, vel omnino sine censura prætermitti possint.

§. XL.

6. *Si eos hospitio exciperent, qui ex alia diœcesi sine venia fugerant.*

Sexto, DENIQVE quum per quosdam canones cautum esset, ne quis episcopus hospitium præberet vel animum adderet clericis, ex diœcesi sua fugientibus, nec monachis, monasterium suum deserentibus: nonnulla concilia huic abusui occurrere studebant, non solum clericum desertorem honoris sui gradu priuando, sed episcopo etiam, qui eum receperat & obfirmauerat, pœnam canonicam infligendo. Concilium *Antiochenum* [y] generatim permittit communi synodo, vt istiusmodi episcopum puniat. Canones apostolici [z] distinctius ei segregationem decernunt, tamquam magistro interturbati ordinis. In *Africa* autem magis peculiaris puniendi eiusmodi episcopum ratio obtinebat, quæ erat, vt a ceterorum episcoporum prouincialium communione seiunctus suæ tantum plebis [a] communione frueretur: Quæ, vt obseruatum nobis est,

(*) Augustin. epist. CCLXI. vid. cap. IV. § IV. sub litt. (p) pag. 41.

(y) Conc. Antioch. c. III. εἰ δὲ καθαιρεθέντα διὰ ταύτην τὴν αἰτίαν δέχοιτο ἕτερος ἐπίσκοπος, κἀκεῖνον ἐπιτιμίας τυγχάνειν ὑπὸ κοινῆς συνόδου, ὡς παραλύοντα τοὺς θεσμοὺς τοὺς ἐκκλησιαστικούς. *Si eum, qui propter hanc caussam depositus est, alius episcopus receperit, ille quoque a communi synodo puniatur, vt qui ritus ecclesiasticos dissoluit.*

(z) Can. apostol. XVI. εἰ ὁ ἐπίσκοπος, παρ᾽ ᾧ τυγχάνουσιν, παρ᾽ οὐδὲν ἡγησάμενος τὴν κατ᾽ αὐτῶν ὁρισθεῖσαν ἀργίαν, δέξηται αὐτοὺς ὡς κληρικούς, ἀφοριζέσθω ὡς διδάσκαλος ἀταξίας. *Si episcopus, apud quem versantur, pro nihilo ducens aduersum eos decretam cessationem a ministerio, receperit eos tamquam clericos, segregetur, vt magister interturbati ordinis.*

(a) Concil. Carthag. V. c. XIII. Placuit, vt si quis de alterius monasterio repertum, vel ad clericatum promouere voluerit, vel in suo monasterio maiorem monasterii constituere; episcopus, qui hoc fecerit, a ceterorum com-

mo-

moderata pœna erat, infligi ſolita ob leuioris momenti offenſiones, quæ nec plena deiectione de munere puniri, nec plane impunitæ, quaſi nullæ offenſiones eſſent, dimitti poterant.

§. XLI.

Chorepiſcopi cenſuræ obnoxii erant, ſi præter acceptum mandatum egiſſent.

PROXIME poſt epiſcopos genus quoddam hominum eccleſiaſticorum erat, quos antiqua eccleſia chorepiſcopos vocabat, quia ſacra faciebant in certis officiis epiſcopalibus ſub epiſcopo ciuitatis in eccleſiis ruralibus. Hi agebant limitata quadam & aliunde pendente poteſtate, ſæpenumero autem poteſtatem ſibi aſſumere conabantur præter acceptum mandatum. Vnde eccleſia certas leges & regulas facere neceſſe habebat ad vſurpationem eorum reprimendam atque corrigendam. Inferiorum ordinum clericos ordinare poterant, hypodiaconos, lectores & exorciſtas ex generali quodam accepto mandato, non autem presbyteros vel diaconos ſine ſpeciali licentia. Nonnumquam tamen hoc etiam facere ſibi ſumebant, ciuitatis epiſcopo non conſulto; propter quod delictum per canones [*b*] amiſſioni officii & degradationi obnoxii erant.

---

munione ſeiunctus, ſuæ tantum plebis communione contentus ſit: & ille neque clericus, neque præpoſitus perſeueret.

(*b*) Concil. Antioch. c. X. *τοὺς ἐν ταῖς κώμαις, ἢ ταῖς χώραις, ἢ τοὺς καλουμένους χωρεπισκόπους, εἰ καὶ χειροθεσίαν εἶεν ἐπισκόπων εἰληφότες, ἔδοξε τῇ ἁγίᾳ συνόδῳ εἰδέναι τὰ ἑαυτῶν μέτρα, καὶ διοικεῖν τὰς ὑποκειμένας αὐτοῖς ἐκκλησίας, καὶ τῇ τούτων ἀρκεῖσθαι φροντίδι καὶ κηδεμονίᾳ, καθιστᾷν δὲ ἀναγνώστας, καὶ ὑποδιακόνους, καὶ ἐφορκιστὰς, καὶ τῇ τούτων ἀρκεῖσθαι προαγωγῇ· μήτε πρεσβύτερον, μήτε διάκονον χειροτονεῖν τολμᾷν, δίχα τοῦ ἐν τῇ πόλει ἐπισκόπου, ᾗ ὑπόκειται αὐτός τε καὶ ἡ χώρα· εἰ δὲ τολμήσειέ τις παραβῆναι τὰ ὁρισθέντα, καθαιρεῖσθαι αὐτὸν καὶ ἧς μετέχει τιμῆς. Ii qui ſunt in vicis vel pagis, qui dicuntur chorepiſcopi; etiamſi epiſcopi ordinationem manuumue impoſitionem acceperint, viſum eſt, vt ſuum modum ſciant, & ſibi ſubiectas eccleſias adminiſtrent, earumque cura & ſollicitudine gerenda contenti ſint: conſtituant autem lectores, hypodiaconos & exorciſtas & eorum promotionem ſufficere exiſtiment, nec presbyterum, nec diaconum ordinare audeant abſque vrbis epiſcopo, cui ſubiicitur ipſe & regio. Si quis autem ea, quæ definita ſunt, tranſgredi audeat, ipſe quoque deponatur ab eo honore, quem habet.*

§. XLII.

Et presbyteri, ſi officium epiſcopale vſurpaſſent.

IDEM de presbyteris obſeruari poteſt, qui epiſcoporum adiutores erant in peragendo ipſorum officio, ſed cum certa limitatione, vt ne ſeſe ingererent in tales eius partes, quas ſibi ipſis abſolute reſeruarant; cuiuſmodi erat ordinatio, conſecratio chriſmatis in vſum confirmationis, & conſecratio eccleſiarum atque altarium. Et ſi presbyteri vmquam accepti mandati limites migrarent, aſſumendo ſibimet ipſis iſtarum rerum exercitium atque poteſtatem, per leges eccleſiæ ordinaria ſua poteſtate exuendi erant, qua alioquin frui poterant, & plenæ ac perfectæ deiectioni ſubiiciebantur. Sic quum *Eutychianus* & *Muſæus*, qui epiſcopi non erant, diuerſos clericos ordinaſſent, concilium *Sardicenſe* [c] ſtatuebat, vt propter hanc audaciam ordinibus ſuis priuarentur, & prorſus ad communionem reducerentur laicam. Et in concilio primo *Bracarenſi* [d] decretum habetur in hanc ſententiam: *Si quis presbyter poſt hoc interdictum auſus fuerit chriſma benedicere, aut eccleſiam aut altare conſecrare, a ſuo officio deponatur. Nam & antiqui canones hoc vetuerunt.*

§. XLIII.

Et diaconi, ſi functiones & priuilegia ſupra ordinem & ſtationem ſuam ſibi arrogaſſent.

DIACONI ſimiliter ad certas functiones & ſtationes, ordini ipſorum adſignatas, adſtricti erant; ſupra quas ſi ambitioſe

(c) Concil. Sardic. c. XIX. Ὅσιος ἐπίσκοπος εἶπε· τῆς ἐμῆς μετριότητος ἡ ἀπόφασίς ἐστιν αὕτη· ἐπειδὰν ἥσυχοι καὶ ὑπομονητικοὶ ὀφείλομεν εἶναι, καὶ διηνεκῶς τὸν πρὸς πάντας ἔχειν οἶκτον, ἅπαξ τοὺς εἰς κλῆρον ἐκκλησιαστικὸν προαχθέντας ὑπό τινων ἀδελφῶν ἡμῶν, ἐὰν μὴ βούλοιντο ἐπανελθεῖν εἰς ἃς κατωνομάσθησαν ἐκκλησίας, τοῦ λοιποῦ μὴ ὑποδέχεσθαι· Εὐτυχιανὸν δὲ μήτε ἐπισκόπου ἑαυτῷ ἐκδικεῖν ὄνομα· ἀλλ' οὐδὲ Μουσαῖον ὡς ἐπίσκοπον νομίζεσθαι· εἰ δὲ λαϊκὴν κοινωνίαν ἀπαιτοῖεν, μὴ χρῆναι αὐτοῖς ἀρνεῖσθαι· πάντες εἶπον· ἀρέσκει. *Oſius epiſcopus dixit: Meæ mediocritatis hæc eſt ſententia; quia quieti & patientes eſſe debemus, & perennem in omnes habere miſericordiam, eos qui ſemel in clerum eccleſiaſticum ab aliquibus fratribus noſtris promoti ſunt, ſi nolint redire ad eas, ad quas nominati ſunt, eccleſias, deinceps non admitti: Eutychianum autem ne epiſcopi quidem ſibi nomen vſurpare: ſed neque Muſæum vt epiſcopum exiſtimari. Si autem laicam communionem petiuerint, non oportere eis denegari.*

(d) Concil. Bracar. I. c. XXXVII.

ad-

adſpirare, & ſeſe ipſos in officia presbyterorum ingerere, vel vllo modo illis inſultare auderent; grauiſſimas quoque pœnas incurrebant. Concilium *Nicænum* [*e*] vſurpationum quarumdam & abuſuum mentionem facit, qui committantur a diaconis; quod in nonnullis locis & ciuitatibus diaconi dent presbyteris euchariſtiam; eamque ante ipſos epiſcopos recipiant; & in medio presbyterorum ſedeant: quod quum fiat præter canonem & ordinem, iſtiuſmodi diaconi a miniſterio deſiſtere iubentur. Concilium ſecundum *Arelatenſe* [*f*] canonem habet eiuſdem argumenti: *In ſecretario diaconos inter presbyteros ſedere non liceat; vel corpus Chriſti, præſente presbytero, tradere non præſumant. Quod ſi fecerint, ab officio diaconatus abſcedant.*

ITA ſinguli ordines inter clericos ſua ſibi peculiariter adſignata habebant officia; neque tantum ſi deeſſent officio ſuo, verum etiam ſi functionibus, ad ſe non pertinentibus, ſe immiſcerent, poteſtatemque ſibi arrogarent ordine ſuo alienam, ſatis idonea cauſſa erat temporariæ vel plenæ & perfectæ deiectionis. Atque ita pertractauimus, quæ ſpecialius ad diſciplinam pertinent clericorum.

(*e*) Concil. Nic. c. XVIII. Ἦλθεν εἰς τὴν ἁγίαν καὶ μεγάλην σύνοδον, ὅτι ἔν τισι τόποις καὶ πόλεσι, τοῖς πρεσβυτέροις τὴν εὐχαριστίαν οἱ διάκονοι διδόασιν· ὅπερ οὔτε ὁ κανὼν, οὔτε ἡ συνήθεια παρέδωκε, τοὺς ἐξουσίαν μὴ ἔχοντας προσφέρειν, τοῖς προσφέρουσι διδόναι τὸ σῶμα τοῦ χριστοῦ· κἀκεῖνο δὲ ἐγνωρίσθη, ὅτι ἤδη τινὲς τῶν διακόνων καὶ πρὸ τῶν ἐπισκόπων τῆς εὐχαριστίας ἅπτονται· ταῦτα μὲν οὖν ἅπαντα περιῃρήσθω· καὶ ἐμμενέτωσαν οἱ διάκονοι τοῖς ἰδίοις μέτροις, εἰδότες ὅτι τοῦ μὲν ἐπισκόπου ὑπηρέται εἰσὶ, τῶν δὲ πρεσβυτέρων ἐλάττους τυγχάνουσι· λαμβανέτωσαν δὲ κατὰ τὴν τάξιν τὴν εὐχαριστίαν μετὰ τοὺς πρεσβυτέρους, ἢ τοῦ ἐπισκόπου διδόντος αὐτοῖς, ἢ τοῦ πρεσβυτέρου· ἀλλὰ μηδὲ καθῆσθαι ἐν μέσῳ τῶν πρεσβυτέρων ἐξέστω τοῖς διακόνοις· παρὰ κανόνα γὰρ καὶ παρὰ τάξιν ἐστὶ τὸ γινόμενον· εἰ δέ τις μὴ θέλοι πειθαρχεῖν καὶ μετὰ τούτους τοὺς ὅρους, πεπαύσθω τῆς διακονίας. *Peruenit ad ſanctam ſynodum, quod in nonnullis locis & ciuitatibus diaconi dant presbyteris euchariſtiam, quod nec canon neque conſuetudo tradidit, vt qui offerendi poteſtatem non habent, iis qui offerunt, dent corpus Chriſti. Iam vero illud etiam cognitum eſt, quod iam quidam ex diaconis etiam ante epiſcopos euchariſtiam attingant. Hæc ergo omnia auferantur & diaconi inter ſuas menſuras permaneant, ſcientes, quod ſint quidem epiſcopi miniſtri, presbyteris vero minores. Accipiant autem ſuo ordine euchariſtiam poſt presbyteros, eis præbente epiſcopo vel presbytero. Sed nec in medio quidem presbyterorum liceat diaconis ſedere. Id fit enim præter canonem & ordinem. Si quis autem non vult obedire poſt has conſtitutiones, a diaconatu deſiſtat.*

(*f*) Concil. Arelat. II. c. XV.

LIBER DECIMVS OCTAVVS
DE DIVERSIS POENITENTIVM ORDINIBVS, ET DE RATIONE AGENDI PVBLICAM POENITENTIAM IN ECCLESIA.

CAPVT PRIMVM
DE DIVERSIS POENITENTIVM ORDINIBVS IN ECCLESIA.

§. I.
Pœnitentes in quatuor ordines siue classes diuisi.

HACTENVS disciplinam spectauimus ecclesiæ, quatenus in obstinatos & publicos peccatores administrata sit, vt ad pœnitentiam eos perduceret: Iam iterum in progressu suo eam debemus considerare, quatenus in pœnitentes solita sit exerceri, qui regulis disciplinæ sese submiserunt, & videre, quemadmodum hi in pœnitentiæ suæ actione tractati fuerint ab eo tempore, quo excommunicati fuerunt, vsque dum in ecclesiam denuo admitterentur. Pœnitentiæ actio olim res erat longi temporis, vt in hominum consilium & sinceritatem inquiri posset, eisque daretur spatium ad edendum idoneum veræ sollicitudinis suæ & detestationis peccatorum suorum testimonium, atque ad fidem faciendam ecclesiæ, quod morum institutorumque suorum mutationi sincere studerent, dum longum pœnitentiæ cursum non recusarent, quem ecclesia pro sapientia sua eis duceret iniungendum. Et hanc ob rationem ecclesia pœnitentes suos in quatuor ordines siue classes diuersorum graduum diuidere solebat, quæ a *Græcis* vocabantur προσκλαίοντες, ἀκροώμενοι, ὑποπίπτοντες & συνιστάμενοι; & a *Latinis*, *flentes*, *audientes*, *substrati* & *consistentes*, quorum nominum & distinctionum ratio mox dabitur. Sunt, qui hisce quintum ordinem ad-

addunt, ſed ſine vlla idonea cauſſa & fundamento. BELLARMINVS [a] quintum locum eorum pœnitentium dicit fuiſſe, qui iam pœnitentiam expleuiſſent & ſolum exſpectarent tempus reconciliationis. Et locum hunc pœnitentiæ dictum fuiſſe *μέϛωσιν*, id eſt, *impletionem*. Eruditus noſter GVILIELMVS CAVEVS [b] in eumdem errorem imprudens labitur, quinque faciens pœnitentium ordines, quorum quintum & vltimum communicantes vocatos & proxime ad participationem ſacramenti admiſſos fuiſſe dicit. Sed vero certiſſimum eſt, numquam eiuſmodi ordinem pœnitentium, ſub nomine communicantium, in eccleſia fuiſſe cognitum. Nam communicantes, abſolute ſic dicti, prout denotant participantes ſacram euchariſtiam, vbique diſtinguuntur a pœnitentibus, & aliis nominibus inſigniuntur, vocati *πιϛοὶ, τέλειοι, fideles, perfecti*, hoc eſt, homines, non ſub diſciplina & publica pœnitentia, qui imperfectus communionis ſtatus erat, ſed in perfecta, quieta & plena eccleſiæ communione conſtituti: quorum nulli in vllo vetuſto ſcriptore pœnitentes appellantur. Nonnulli quidem pœnitentes imperfecte eccleſiæ communicare dicuntur in rebus quibuſdam peculiaribus. Sic quartus ordo pœnitentium, quos *conſiſtentes* vocant, ſæpe dicuntur communicare in precibus ſine oblatione, ſiue euchariſtia. Verum hi, vti non participes erant euchariſtiæ, ita numquam pro perfecte communicantibus habebantur in eccleſia, vſque dum ad *τὸ τέλειον*, hoc eſt ad plenam communionem fidelium ad altare, denuo admitterentur. Vt adeo nulla prorſus ratio nullumque fundamentum huius quinti ordinis pœnitentium reperiatur, cuius inuentio errori omnino debetur & contradictionem inuoluit.

(a) Bellarmin. de pœnitent. lib. I. c. XXII. tom. III. p. 950. (p. 408. e. edit. Colon. MDCXV.) Quintus locus eorum erat, qui iam pœnitentiam expleuerant, & ſolum exſpectabant tempus reconciliationis: non enim reconciliabantur pœnitentes ſolemni cærimonia, niſi feria V. in cœna domini --- dicebatur locus horum pœnitentium *μέϛωσις*, id eſt expletio.

(b) Caue prim. chriſt. lib. I. c. VIII. p. 27. (p. 178. edit. Germ. Lipſ. MDCCXXIII.) *Die vierte gattung hieſſen συνιϛάμενοι, -- -- dieſe wurden hernachmals mit der zeit zur fünften und letzen Claſſe derer communicanten gezehlet, und endlich hernach zur genieſſung des heil. ſacraments zugelaſſen.*

§. II.

Prima origo huius distinctionis.

QVOD ad reliquos quatuor pœnitentium ordines attinet, viri docti generatim consentiunt, quod ecclesia istiusmodi distinctionem obseruarit; quo autem tempore adhibere eam cœperit, non adeo certo liquet. IOANNES BONA [c] cardinalis pœnitentium in varias classes distinctionem post *Nouati* demum hæresin, hoc est sæculo tertio medio, incepisse putat. Et SVICERVS [d], loquens de ordine pœnitentium, qui audientes dicebantur, nullam eius mentionem fieri dicit ante exortam *Nouati* hæresin; licet alioquin locus ad audiendum scripturas & sermonem in ecclesia assignatus fuerit ethnicis, iudæis, hæreticis, schismaticis & secundi ordinis pœnitentibus, qui propterea communi nomine vocati sint audientes pridem ante, quam id nominis vllis pœnitentibus, tamquam distincto ordini, datum sit.

§. III.

De flentibus.

TERTIO autem & quarto sæculo pœnitentes communiter in quatuor ordines distingui reperimus, quorum primus erant *flentes*, qui potius candidati pœnitentiæ erant, quam pœnitentes, si stricte loquamur. Statio eorum erat in ecclesiæ vestibulo, vbi prostrati iacebant, expetentes fidelium preces, quando ecclesiam ingrediebantur, & cupientes admitti ad a-

(c) Bon. de reb. liturgic. lib. I. c. XVII. §. III. Obseruant eruditi, in scriptis Tertulliani, Cypriani & aliorum patrum, qui ducentis & quinquaginta annis post Christum floruerunt, nullam reperiri pœnitentium in varias classes distinctionem, siue episcoporum prudentiæ commissa tunc fuerit, siue revera post Nouati hæresin inceperit, quod probabilius existimo cetera.

(d) Suicer. thesaur. eccles. tom. I. p. 171. voce ἀκρόασις. Secundus pœnitentium gradus, seu ἐπιτιμίων τόπος, vocatur ἀκρόασις, *auditio*. ------ Hæc statio sex hominum genera complectebatur; teste Morino de administrat. pœnit. lib. VI. c. IV. ethnicos, iudæos, hæreticos, schismaticos, primi generis catechumenos, & audientes pœnitentes: his enim omnibus, quum ad ecclesiam sese conferebant, hic locus assignabatur, iisque omnibus psalmorum cantum, sacræ scripturæ lectionem, & sermones episcoporum audire licebat: neminem enim ab horum auscultatione prohibebant. Ante exortam Nouati hæresin numquam vsurpata legitur hæc statio. Vid. constit. apost. lib. II. c. XVI. tot.

gen-

gendam publicam pœnitentiam in ecclefia. Hoc eft, quod TERTVLLIANVS [*e*] intelligit, quando dicit, eos folitos effe presbyteris aduolui, caris Dei adgeniculari, omnibus fratribus legationes deprecationis fuæ iniungere. Atque in hunc modum hiftorici praxin repræfentant [*f*] *Ecebolii* fophiftæ, qui quum *Iuliani* temporibus ad gentilium fuperftitionem reuertiffet, poft obitum *Iuliani* rurfus chriftianam religionem profiteri, & pœnitentiam agere volebat. Quam ad rem primus gradus erat, quod pro foribus ecclefiæ fe pronum obiiciens his vocibus vteretur: *Calcate me vt falem infipidum.* Quidam canones [*g*] hunc actum prætereunt, vtpote pœnitentiæ tantum præmitti folitum. At GREGORIVS THAVMATVRGVS & BASILIVS difertam eius in canonibus fuis faciunt mentionem. GREGORIVS [*h*] quidem ait: *Fletus feu luctus eft extra portam oratorii, vbi peccatorem ftantem oportet fideles ingredientes orare, vt pro fe precentur.* Et BASILIVS quatuor pœnitentium ftationes defcribit in hunc modum [*i*]: *Oportet eos anno primo a precibus expelli, & ipfos deflere ad fores ecclefiæ: fecundo autem ad auditionem admitti: tertio admitti ad pœnitentiam: quarto ad congregationem (ad* σύστασιν, *confiftentiam) cum populo, abftinentes ab oblatione.* Et hoc fenfu accipiendus eft locus ille AMBROSII [*k*], vbi loquens ad non neminem, qui virginem corruperat, dicit: *Sanctorum (in-*

(*e*) Tertull. de pœnit. c. IX. Vid. et. lib. de pudicit. c. XIII. Tu quidem pœnitentiam mœchi ad exorandam fraternitatem in ecclefiam inducens, conciliatum & concineratum cum dedecore & horrore compofitum proftenens in medium ante viduas, ante presbyteros, omnium lacrimas fuadentem, omnium veftigia lambentem, omnium genua detinentem &c.

(*f*) Socrat. lib. III. c. XIII. ὅςις [Ἐκηβόλιος] τοῖς ἤθεσι τῶν βασιλέων ἑπόμενος, ἐπὶ μὲν Κωνςαντίου διαπύρως χριςιανίζειν ὑπεκρίνατο· ἐπὶ δὲ Ἰουλιανοῦ, γοργὸς Ἕλλην ἐφαίνετο· καὶ αὖθις μετὰ Ἰουλιανὸν, χριςιανίζειν ἤθελε· ῥίψας γὰρ αὑτὸν πρηνῆ πρὸ τῆς πύλης τοῦ εὐκτηρίου οἴκου, πατήσατέ με, ἐβόα, τὸ ἅλας τὸ ἀναίσθητον.

(*g*) Concil. Nic. can. XI. & XII. tot. Concil. Ancyran. c. IV. VI. IX. tot.

(*h*) Gregor. Thaumat. c. XI. ἡ πρόσκλαυσις ἔξω τῆς πύλης τοῦ εὐκτηρίου ἐςὶν, ἔνθα ἑςῶτα τὸν ἁμαρτάνοντα, χρὴ τῶν εἰσιόντων δεῖσθαι πιςῶν, ὑπὲρ αὐτοῦ εὔχεσθαι.

(*i*) Bafil. can. XXII. χρὴ δὲ τῷ πρώτῳ ἐκβάλλεσθαι τῶν προσευχῶν, καὶ προσκλαίειν αὐτοὺς τῇ θύρᾳ τῆς ἐκκλησίας· τῷ δευτέρῳ δεχθῆναι εἰς ἀκρόασιν· τῷ τρίτῳ δεχθῆναι εἰς μετάνοιαν· τῷ τετάρτῳ, εἰς σύςασιν μετὰ τοῦ λαοῦ, ἀπεχομένους τῆς προσφορᾶς. Vid. can. LVI. LVII. LVIII. LIX. LXIV. LXVI. LXXV. ibid.

(*k*) Ambrof. ad virgin. lapfum c. VIII.

telli-

telligens non ſanctos in cælo, ſiue in eccleſia triumphante, ſed ſanctos in terra, ſiue in eccleſia militante) *petas auxilium, iaceas ſub pedibus clericorum.* Quæ verba ad hanc conſuetudinem manifeſto adludere videntur. Similiter EVSEBIVS [l] narrans, quemadmodum *Natalis* confeſſor, ab hæreticis *Theodotianis*, (qui ipſi perſuaſerant, vt accepto ſalario hæreſis ſuæ epiſcopus crearetur) ad eccleſiam reuerſus, ſe geſſerit, ait: *Primo diluculo conſurgens ſaccum induit, & cinere conſperſus confeſtim cum lacrimis ad pedes Zephyrini epiſcopi ſeſe obiecit, non ſolum cleri, verum etiam ſæcularium veſtigiis aduolutus; & Chriſti miſericordis eccleſiam ipſam quoque miſericordem fletibus ſuis commouit atque concuſſit. Multiſque precibus vſus, oſtenſis etiam vibicibus plagarum, quas pro Chriſti confeſſione pertulerat, tandem ad communionem admiſſus eſt.* Vbi aduolui veſtigiis non ſolum cleri, ſed etiam populi, vix ad rem aliam referri poteſt, quam ad præparatoriam introductionem ad pœnitentiam, qua flentes vti ſolebant in veſtibulo eccleſiæ, quando ſeſe pronos abiiciebant ante populum, ad expetendas eorum preces, & obtinendam ſui admiſſionem in primam partem eccleſiæ.

§. IV.

De audientibus.

QVVM precibus eorum ita relictus eſſet locus, ad pœnitentiam admitti, hoc eſt, libertatem habere debere dicebantur eundi per diuerſæ pœnitentiæ ſtationes, quas eccleſia probationi & examini præſtituerat eorum, qui acerbum animi ſenſum & dolorem de grauiore quodam & publico delicto & ſcandalo eccleſiæ dato præ ſe ferebant. Hic genuinus ſenſus eſt communium illarum phraſium, toties in veterum ſcriptis occurrentium, *pœnitentiam dare*, et, *pœnitentiam accipere.* Iam ſi homines ad hunc ſtatum admiſſi eſſent, *audientes* vocabantur, qui ſecundus ordo pœnitentium erat; vel, ſi placet, primus eorum, quibus priuilegium erat ingrediendi eccleſiam. Hi libertatem

(l) Euſeb. lib. V. c. XXVIII. *ὥστε ἕωθεν ἀναστῆναι, καὶ ἐνδυσάμενον σάκκον, καὶ σποδὸν καταπασάμενον, μετὰ πολλῆς σπουδῆς καὶ δακρύων προσπεσεῖν Ζεφυρίνῳ τῷ ἐπισκόπῳ, κυλιόμενον ὑπὸ τοὺς πόδας οὐ μόνον τῶν ἐν τῷ κλήρῳ, ἀλλὰ καὶ τῶν λαϊκῶν· συγχέαι τε τοῖς δάκρυσι τὴν εὔσπλαγχνον ἐκκλησίαν τοῦ ἐλεήμονος Χριστοῦ· πολλῇ τε τῇ δεήσει χρησάμενον, δείξαντά τε τοὺς μώλωπας ὧν εἰλήφει πληγῶν, μόλις κοινωνηθῆναι.*

habe-

habebant consistendi & audiendi scripturas, quæ legebantur, atque sermonem, qui recitabatur; sed exire debebant ante, quam preces communes inchoarentur, cum reliquis catechumenis & aliis, qui generali nomine audientes tantum appellabantur. Frequens horum mentio est in antiquis canonibus, [*m*] præscribentibus, quam diu pœnitentes in hac statione perseuerare debeant, annum vnum, vel duo, vel tres, pro eo ac delictum eorum requirebat. GREGORIVS THAVMATVRGVS speciatim eis adsignat stationem in narthece [*n*], h.e. infima ecclesiæ parte, vbi steterint ad audiendum cum primi vel secundi ordinis catechumenis, vocatis audientibus, & dimissi fuerint cum illis, simulac sermo esset finitus, antequam vllæ preces caperent initium. BASILIVS [*o*] expressis verbis dicit, ad solam auditionem eos admitti, nec oratione dignos haberi. Quod exacte respondet præceptioni in *constitutionibus* [*p*], vbi diaconus finito sermone statim in locum excelsum adscendere & proclamare iubetur, *Ne quis audientium! Ne quis infidelium!*

(*m*) Conci. Nic. c. XI. ὅσοι γνησίως μεταμέλονται, τρία ἔτη ἐν ἀκροωμένοις ποιήσουσιν οἱ πιστοί, κ. τ. λ. *Quicumque germane & vere pœnitentia ducuntur, tres annos inter auditores exigent vt fideles &c.* Can. XII. δέκα ἔτη ὑποπιπτέτωσαν μετὰ τὸν τῆς τριετοῦς ἀκροάσεως χρόνον, *Decem annis prosternantur supplices, etiam post triennii auditionis tempus.* -- οὗτοι πληρώσαντες τὸν χρόνον τὸν ὡρισμένον τῆς ἀκροάσεως, εἰκότως τῶν εὐχῶν κοινωνήσουσι, *hi impleto auditionis tempore, quod præfinitum est, merito orationum communionem habebunt.*

(*n*) Gregor. Thaumat. c. XI. ἡ ἀκρόασις ἔνδοθι τῆς πύλης ἐν τῷ νάρθηκι· ἔνθα ἑστάναι χρὴ τὸν ἡμαρτηκότα, ἕως τῶν κατηχουμένων, καὶ ἐντεῦθεν ἐξέρχεσθαι· ἀκούων γάρ, φησί, τῶν γραφῶν καὶ τῆς διδασκαλίας, ἐκβαλλέσθω, καὶ μὴ ἀξιούσθω προσευχῆς. *Auditio est intra portam, in loco, quem* νάρθηκα *vocant, in ferula, vbi oportet eum, qui peccauit, stare post catechumenos, vsque ad catechumenos, & illinc egredi. Audiens enim, inquit, post scripturas & doctrinam eiiciatur, & precatione ne dignus censeatur.*

(*o*) Basil. can. LXXV. μετὰ τοῦτο ἄλλην τριετίαν εἰς ἀκρόασιν μόνην παραδεχθήτω, καὶ ἀκούων τῆς γραφῆς καὶ τῆς διδασκαλίας ἐκβαλλέσθω καὶ μὴ καταξιούσθω προσευχῆς. *Postea alio triennio ad solam auditionem admittatur, & scripturam ac doctrinam audiens eiiciatur, nec oratione dignus habeatur.*

(*p*) Constitut. lib. VIII. c. V. πληρώσαντος αὐτοῦ τὸν τῆς διδασκαλίας λόγον, ὁ διάκονος, ἐφ' ὑψηλοῦ τινὸς ἀνελθών, κηρυττέτω· μή τις τῶν ἀκροωμένων, μή τις τῶν ἀπίστων.

§. V.

De genu flectentibus siue substratis.

Et in hoc distincti erant a tertii ordinis pœnitentibus, qui a *Graecis* appellabantur γονυκλίνοντες & ὑποπίπτοντες, & a *Latinis*, *genu flectentes* vel *substrati*, quia subsistere eis licebat seque in certis precibus, pro ipsis fieri solitis, iungere, dum in genua essent nixi. BELLARMINVS insignem errorem committit magnamque *Graecae* linguae prodit ignorantiam, quando vocabulum ὑπόπτωσις interpretatur locum eorum, qui in contemplatione [q] rerum supernarum fuerint occupati; deriuans vocabulum illud ab ὄπτομαι *video* vel *contemplor*; quum tamen omnes illud norint descendere ab ὑποπίπτω, *genua flecto*, vel *pronum me abiicio*, vnde proprie dicti fuerunt *genu flectentes*. Hisce semper licebat consistere in ecclesia, postquam audientes essent dimissi, & audire preces, quae pro ipsis speciatim offerebantur ab omni populo, & recipere impositionem manuum ab episcopo, qui & ipse peculiarem pro eis precationem faciebat, quae vocabatur impositio manuum super pœnitentes & episcopi benedictio. Concilium *Laodicenum* [r] de his precibus loquitur sub hoc ipso titulo, vocans eas preces eorum, qui sint sub pœnitentia & impositione manuum. CHRYSOSTOMVS quoque earum plus vice simplici meminit [s], vocans eas preces pro iis, qui in pœnitentia sint, & preces misericordia plenas, quia in illis deprecatio pro pœnitentibus ad Deum

(q) Bellarmin. de pœnit. lib. I. c. XXII. tom. III. p. 959. (p. 400. edit. Colon. MDCXV.) Tertius locus eorum erat, qui admittebantur, tum ad audiendum, tum etiam ad orandum cum competentibus, non tamen ad sacrificium missae cum fidelibus: & hic locus dicebatur ὑπόπτωσις, *quasi contemplatio rerum supernarum.*

(r) Can. Laodic. c. XIX. μετὰ τὸ ἐξελθεῖν τοὺς κατηχουμένους, τῶν ἐν μετανοίᾳ τὴν εὐχὴν γίνεσθαι· καὶ τούτων προσελθόντων ὑπὸ χεῖρα καὶ ὑποχωρησάντων, οὕτως τῶν πιστῶν τὰς εὐχὰς γίνεσθαι τρεῖς. κ. τ. λ. *Postquam exierint catechumeni, eorum qui pœnitentiam agunt, fieri orationem: & quum ii sub manum accesserint & secesserint, fidelium preces sic ter fieri &c.*

(s) Chrysost. homil. XIIX. in 2 Cor. p. 873. (p. 673. edit. Francof. MDCXCVII.) ὑπὲρ τῶν ἐνεργουμένων, ὑπὲρ τῶν ἐν μετανοίᾳ, κοινὰ καὶ παρὰ τοῦ ἱερέως καὶ παρ' αὐτῶν γίνονται αἱ εὐχαί. *Pro energumenis & pro iis, qui in pœnitentia sunt, communia & a sacerdote & ab ipsis vota fiunt.* Id. homil. LXXII. in Matth. p. 624. (p. 768. edit. Francof.) ἡ δευτέρα δέησις, ὑπὲρ ἑτέρων, τῶν ἐν

com-

communi ministri & populi voce fiebat. Auctor *constitutionum* [t] formulas harum precum recitat, quas heic omittimus, quia eas iam alio loco commodiore [*] recitauimus, quando de antiqua ecclesiæ liturgia sumus loquuti. Statio huius ordinis pœnitentium intra templi portam [u], siue in naui ecclesiæ erat, prope ambonem, vbi impositionem manuum & benedictionem recipiebant ab episcopo. Quidam canones [w] hunc ordinem simpliciter *τοὺς ἐν μετανοίᾳ pœnitentes* cum emphasi vocant, sine vlla alia distinctione: quia erant notissimi, & maxima actuum pœnitentialium pars ad eos pertinebat, dum in hac essent statione; qua de re distinctius loquuturi sumus capitibus sequentibus.

§. VI.

De consistentibus.

VLTIMVS pœnitentium ordo erant *συνιστάμενοι*, *consistentes*, sic vocitati, quod libertatem habebant, (reliquis pœnitentibus, energumenis, & catechumenis dimissis) consistendi cum fidelibus ad altare, & in communibus precibus se iungendi, videndique oblationem fieri; nec dum autem oblationes suas facere, nec eucharistiæ participes cum eis fieri poterant. Concilium *Nicænum* [x] id vocat, communicare cum populo in precibus sine oblatione; id quod ob crimen idololatriæ ad minimum duobus annis facere debebant; postquam tres annos inter audientes & septem annos inter substratos compleuissent. Concilium *Ancyranum* [y] eadem phrasi com-

μετανοίᾳ, πολὺ τὸ ἔλεος ἐπιζητοῦσα. Secunda oratio, qua pro his oramus, qui pœnitentiam agunt, misericordiam humiliter quæritat.

(t) Constit. lib. VIII. c. VIII. & IX.

(*) Lib. XIV. cap. V. §. X. volum. VI. p. 224. 225.

(u) Gregor. Thaumat. c. XI. *ἡ δὲ ὑπόπτωσις, ἵνα ἔσωθεν τῆς πύλης τοῦ ναοῦ ἱστάμενος, μετὰ τῶν κατηχουμένων ἐξέρχεται. Subiectio seu substratio est, vt intra templi portam stans, cum catechumenis egrediatur.*

(w) Concil. Laodic. c. XIX. Vid. sub anteced. lit. (r).

(x) Concil. Nicæn. c. XI. *δύο ἔτη χωρὶς προσφορᾶς κοινωνήσουσι τῷ λαῷ τῶν προσευχῶν.*

(y) Concil. Ancyr. c. IV. *Περὶ τῶν πρὸς βίαν θυσάντων, ἐπὶ δὲ τούτοις καὶ τῶν δειπνησάντων εἰς τὰ εἴδωλα, ὅσοι μὲν ἀπαγόμενοι, καὶ σχήματι φαιδροτέρῳ ἀνῆλθον, καὶ ἐσθῆτι ἐχρήσαντο πολυτελεστέρᾳ, καὶ μετέσχον τοῦ παρασκευασθέντος δείπνου ἀδιαφόρως· ἔδοξεν ἐνιαυτὸν ἀκροᾶσθαι, ὑποπεσεῖν δὲ τρία ἔτη, εὐχῆς δὲ μόνης*

 muni-

municandi in ſolis precibus, & communicandi ſine oblatione, ſæpe vtitur: Et in vno quodam canone[z] hunc ordinem pœnitentium diſerte vocat *συνεςῶτας*, *conſiſtentes*; quo nomine etiam in canonibus GREGORII THAVMATVRGI [a] & frequentius in canonibus BASILII [b] diſtinguuntur. In quibus omnibus obſeruare licet, quod vocabulum *communicare* non ſemper ſignificet euchariſtiæ participem eſſe, ſed communicare tantum in precibus ſine oblatione, quod genus quoddam imper-

---

κοινωνῆσαι ἔτη δύο, καὶ τότε ἐλθεῖν ἐπὶ τὸ τέλειον. *De iis, qui vi ſacrificarunt & præterea ad idola pranſi ſunt, quicunque abducti quidem, & lætiore habitu acceſſerunt, & veſte ſumtuoſiore vſi ſunt, & parati prandii, non ægre id ferentes, participes fuerunt, viſum eſt anno audire, tribus autem annis ſubſterni ac ſupplices eſſe,* ſoli *autem* orationi duobus annis communicare, *& tunc ad id, quod eſt perfectum, accedere.* Can. VIII. οἱ δὲ δεύτερον καὶ τρίτον θύσαντες μετὰ βίας, τετραετίαν ὑποπεσέτωσαν, δύο δὲ ἔτη χωρὶς προσφορᾶς κοινωνησάτωσαν, καὶ τῷ ἑβδόμῳ τελείως δεχθήτωσαν. *Qui bis vel ter ſacrificarunt per vim, triennio ſubſternantur, duobus autem annis* ſine oblatione communicent, *& ſeptimo perfecte ſuſcipiantur.* Can. XVI. πέντε καὶ δέκα ἔτεσιν ὑποπεσόντες κοινωνίας τυγχανέτωσαν τῆς εἰς τὰς προσευχάς. *Poſtquam quindecim annis ſubſtrati ac ſupplices fuerint*, communionem ad preces adſequantur. Can. XXIV. οἱ καταμαντευόμενοι --- ὑπὸ τὸν κανόνα πιπτέτωσαν τῆς πενταετίας κατὰ τοὺς βαθμοὺς ὡρισμένους, τρία ἔτη ὑποπτώσεως, καὶ δύο ἔτη εὐχῆς χωρὶς προσφορᾶς. *Qui vaticinantur ---- in quinquennii canonem incidant, ſecundum gradus præfinitos, tres annos ſubſtrationis & duos annos* orationis ſine oblatione.

(z) Concil. Ancyr. c. XXV. οἱ συνειδότες ἐκελεύσθησαν ἐν δεκαετίᾳ δεχθῆναι εἰς τοὺς συνεςῶτας, κατὰ τοὺς ὡρισμένους βαθμούς. *Qui conſcii fuerunt, iuſſi ſunt decennio in eos*, qui conſiſtunt, *recipi per gradus definitos.*

(a) Gregor. Thaumat. c. XI· ἡ σύςασις, ἵνα συνίςαται τοῖς πιςοῖς, καὶ μὴ ἐξέρχηται μετὰ τῶν κατηχουμένων. *Congregatio ſiue* conſiſtentia *eſt, vt cum fidelibus conſiſtat & cum catechumenis non egrediatur.*

(b) Baſil. c. XXII. vid. §. III. ſub litt. (i) pag. 111. Ibid. c. LVI. συςήσεται μόνον τοῖς πιςοῖς, προσφορᾶς δὲ οὐ μεταλήψεται. *In quatuor annis ſolum* ſtabit *cum fidelibus, ſed non erit oblationis particeps.* Can. LVII. ἐν ἐνιαυτῷ ςαθήσεται μόνον, *anno ſolum* conſiſtet. Can. LVIII. ἐν δ΄. μὲν ἔτεσι προσκλαίων ἔςαι· ἐν ε΄. δὲ ἀκροώμενος· ἐν δ΄. ὑποπίπτων· ἐν δυσὶ συνεςὼς ἄνευ κοινωνίας. *Quatuor annis erit deflens, quinque audiens, quatuor ſubſtratus, in duobus* conſiſtens *ſine communione.* Vid. et can. LIX. LXI. LXVI. LXXV.

fectum

fectum communionis erat; cuius in oppositionem, si ad eucharistiæ participationem denuo admitterentur, dicebantur *ἐλθεῖν ἐπὶ τὸ τέλειον* [c], *venire ad id, quod perfectum est;* quandoquidem eucharistiæ participatio summus status siue consummatio & perfectio hominis christiani erat. Hæc breuis recensio est horum diuersorum ordinum pœnitentium, eorumque stationum in ecclesia. Vt autem integrum conspectum antiquæ rationis peragendi pœnitentiam habeamus, necesse erit considerare cærimoniam admissionis ad hunc statum, & varios actus pœnitentiæ, quos perfecerint, dum per diuersos eius gradus iuerunt; nec non temporis spatium, quod in hoc exercitio transegerint; quod sæpe multorum annorum decursus erat, & nonnumquam ad ipsam mortis horam sine vlla relaxatione extendebatur. Quorum omnium consideratio claram & dilucidam veteris disciplinæ imaginem nobis repræsentabit, sub vnoque conspectu sistet seueritatem, prudentiam & puritatem ecclesiæ, in tam aspera tractandi grandes peccatores ratione, quam tum ad examinandum pœnitentiæ eorum sinceritatem, tum ad tollendum scandalum, quod in religionem deuolutum erat, tum ad præueniendum apostasiam & futuros relapsus iniit. De his igitur rebus in sequentibus capitibus.

LIBRI DECIMI OCTAVI
CAPVT SECVNDVM.
DE CAERIMONIIS, IN ADMISSIONE POENITENTIVM AD AGENDAM PVBLICAM POENITENTIAM OBSERVATIS, ET DE RATIONE AGENDI EAM IN ECCLESIA.

§. I.
Pœnitentes primum admissi ad pœnitentiam per impositionem manuum.

QVANDO pœnitens aliquis admitti cupiebat ad agendam publicam pœnitentiam, & petitioni eius locus relinque-

(c) Concil. Ancyran c. IV. vid. præced. cap. §. VI. sub litt. y) p. 11. seq. Can. V. τῷ τρίτῳ κοινωνησάτωσαν χωρὶς προσφορᾶς, ἵνα τὸ τέλειον τῇ τετραετίᾳ λάβωσι, *tertio anno communicent sine oblatione, vt id,* quod perfectum *est, triennio accipiant.* Can. VI. ἔτως ἐλθεῖν ἐπὶ τὸ τέλειον.

batur, prima quæ adhibebatur cærimonia, erat pœnitentiam ei dare, vti formula loquendi habebat, per impositionem manuum. Nam hæc cærimonia erat, in plerisque omnibus religiosis actionibus vsitata, quum quis solemniter Deo per preces esset commendandus. Erant multæ aliæ manuum impositiones, quotidie eis tributæ, quando in tertium pœnitentium ordinem recipiebantur; hæc autem admissioni eorum præmittebatur, vel potius forma & cærimonia eius erat, quum primum inter sic dictos audientes in ecclesia adsciscerentur. Pro hac re planum testimonium habemus concilii *Agathensis* [a], hunc in modum statuentis: *Pœnitentes tempore, quo pœnitentiam petunt, impositionem manuum & cilicium super caput a sacerdote consequantur.*

§. II.

Et comparere iussi in cilicio & cinere super capite suo.

Qvo in canone alium ritum & consuetudinem communiter vsitatam hac in materia obseruare licebit: Quæ erat, quod pœnitentes in cilicio comparere deberent, ad indicandum & testandum magnum mærorem suum & indignationem in semet ipsos. Alii scriptores cilicium siue saccum & cinerem coniungunt. Nam EVSEBIVS pœnitentialem gestum *Natalis* confessoris, a *Theodotianis* hæreticis ad ecclesiam redeuntis, describens, sacco indutum & cinere conspersum [b] venisse eum dicit. Et AMBROSIVS scribens ad virginem lapsam, manifesto ad vtramque consuetudinem respicit, quando [c] dicit: *Totum corpus incuria maceratur, cinere adspersum & opertum cilicio.* Similiter TERTVLLIANVS [d], disserens de publica pœnitentia, compelli per eam dicit peccatorem habitum atque victum mutare, corpus sordibus obscurare, & sacco & cineri

(a) Concil. Agath. c. XV.

(b) Euseb. lib. V. c. XXVIII. Vid. cap. praeced. §. II. sub litt. (l) pag. 113.

(c) Ambros. ad virgin. lapsf. c. VIII.
Vid. Cyprian. de lapsis p. 135. (p. 98. edit. Fell. Amstelod. MDCC.) Orare oportet impensius & rogare, diem luctu transigere, vigiliis noctes & fletibus ducere, tempus omne lacrimosis lamentationibus occupare, stratos solo adhærere *cineri*, in cilicio & sordibus volutari.

(d) Tertull. de pœnit. c. IX. De ipso quoque habitu atque victu mandat, sacco & cineri incubare, corpus sordibus obscurare.

neri

neri incubare. Neque ſummo loco nati homines ab hac cærimonia immunes erant. Nam HIERONYMVS [*e*] *Fabiolæ*, cuiuſdam e præcipuis feminis *Romanis*, pœnitentiam deſcribens, ſacco indutam eam dicit in baſilica *Laterani*, tota vrbe ſpectante *Romana*, ſtetiſſe in ordine pœnitentium, vt errorem publice fateretur. Et hoc quidem habitu vtebantur, durante ipſorum per omnes pœnitentiæ gradus curriculo. Nam in ipſo extremo pœnitentiæ momento in cilicio comparebant, quum vniuerſæ pœnitentiæ ipſorum curſus eſſet confectus; & ſub hoc habitu abſoluebantur, & (vt concilium *Toletanum* [*f*] loquitur) diuino reconciliabantur altario. Et hæc ſemper illorum ſcriptorum eſt ſententia, qui pœnitentes veſtitum mutare & lugubrem pœnitentiæ habitum ſumere dicunt. Sunt, qui hoc ſemper factum eſſe putant feria quarta ante primam dominicam quadrageſimæ, quæ inde dicta ſit *dies cinerum* & *caput ieiunii*. Verum hoc, quantum mihi licuit obſeruare, incerta traditione & recentiorum ſcriptorum auctoritate nititur; quum in vetuſtioribus ſcriptoribus altum de eo ſit ſilentium. BELLARMINVS teſtimonium concilii *Agathenſis* pro hac ſententia adlegat [*g*]: at hoc apud ſolum GRATIANVM [*h*] reperitur, neque enim iſtiuſmodi canon in tomis conciliorum habetur. Et correctores *Romani* [*] id fatentur, remittentes nos, quod ad ſententiam eius, ad pœnitentiale *Romanum*, & *pontifi-*

(*e*) Hieron. epiſt. XXX. epitaph. Fabiolæ. Quis hoc crederet, vt ſaccum indueret, vt errorem publice fateretur, & tota vrbe ſpectante Romana, ante diem paſchæ, in baſilica Laterani --- ſtaret in ordine pœnitentium.

(*f*) Concil. Tolet. I. c. II. Qui ſub cilicio diuino reconciliatus eſt altario.

(*g*) Bellarmin. de pœnitent. lib. I. c. XXII. Quod attinet ad tempus, imponebatur pœnitentia publica feria quarta ante primam dominicam quadrageſimæ, quæ dicitur, In capite ieiunii, vt teſtatur concilium Agathenſe cap. XV. teſte Gratiano diſt. L. can. In capite: nam ea verba non inueniuntur in vulgatis canonibus eius concilii. Habemus adhuc veſtigium huius ritus in conſecratione & adſperſione cineris, quæ eo die fieri ſolet. Et quamuis tempus pœnitendi aliis longius, aliis breuius præſcriberetur, vt trium, ſeptem, decem aut plurium annorum: tamen ſingulis annis in V. feria maioris hebdomadæ omnes reconciliabantur, & communicabant. cetera.

(*h*) Grat. diſtinct. L. cap. LXIV. In capite quadrageſimæ &c.

(*) Correct. Roman. ad h. l. Ex Agathenſi etiam citant Burchardus & Iuo, & Rhebaldus cardinalis (qui tempore Paſchalis pontif. claruit) in libro ſuo, de pœnitentia publice non iteranda. In vno tamen manuſcripto Burchar-

cale

cale & ordinem Romanum. Atque ita BALVZIVS [*i*] dicit, *Burchardum* habere eum ex *pœnitentiali Romano*, quod est recentioris æui. Neque canon, vti a GRATIANO citatur, rem, qua de iam disputatur, probat, sed cærimoniam tantum describit, quæ pœnitentibus ineunte ieiunio quadragesimali adhibita fuerit, siue tunc primum ad pœnitentiam admitterentur, siue iam antea essent admissi. Quæ res satis innuit, pœnitentiam aliis temporibus non minus, quam primo die quadragesimæ, potuisse imponi, quemadmodum vetus glossa in GRATIANVM recte obseruat. Cærimonia, prout a GRATIANO describitur, videtur esse duntaxat enarratio disciplinæ, in pœnitentes administratæ in quadragesima, discrepantis ab eorum tractatione, aliis anni temporibus visitata. Verba apud ipsum sic habent: „In capite quadragesimæ, (siue in die cinerum) omnes „pœnitentes, qui publicam suscipiunt aut susceperunt pœni„tentiam, ante fores ecclesiæ se repræsentent episcopo ciuita„tis sacco induti, nudis pedibus, vultibus in terram demissis, „reos se esse ipso habitu & vultu protestantes. Ibi adesse de„bent decani, id est, archipresbyteri parochiarum, & presby„teri pœnitentium, qui eorum conuersationem diligenter in„spicere debent, & secundum modum culpæ pœnitentiam per „præfatos gradus iniungere. Post hæc eos in ecclesiam intro„ducant & cum omni clero septem pœnitentiales psalmos in „terra prostratus episcopus cum lacrimis pro eorum absolutio„ne decantet: tunc resurgens ab oratione, iuxta quod cano„nes iubent, manus eis imponat, aquam benedictam super „eos spargat, cinerem prius mittat, deinde cilicio capita eo„rum operiat: & cum gemitu & crebris suspiriis denuntiet eis,

di exemplari citatur ex pœnitentiali Romano. Sententia vero huius capitis magna ex parte habetur in pontificali & ordine Romano a pag. 24. vsque ad 30.

(*i*) Baluz. not. ad Gratian. p. 464. (p. 745. edit. Duisburg. MDCLXXVII. 8uo.) *In capite*] Regino lib. I. cap. 91. citat illud caput ex eodem concilio ex quo retulerat caput, quod præcedit, id est, ex concilio Agathensi, vbi non exstat. Item Burchardus lib. 9. c. 26. in editis. Admonent tamen correctores Romani, in vno manuscripto Burchardi exemplari citari ex pœnitentiali Romano. Quo etiam modo citatur in alio antiquissimo Burchardi exemplari, quod exstat in bibliotheca illustrissimi viri Dionysii Talorii regii advocati in parlamento Parisiensi.

„quod

„quod ficut *Adam* proiectus eft de paradifo, ita ipfi ab ecclefia „pro peccatis abiiciuntur: pofthæc iubeat miniftris, vt eos ex- „tra ianuas ecclefiæ expellant; Clerus vero profequatur eos cum „refponforio: *In fudore vultus tui vefceris pane tuo* &c. vt videntes „fanctam ecclefiam pro facinoribus fuis tremefactam atque „commotam, non parui pendant pœnitentiam. In facra au- „tem domini cœna (hoc eft feria quarta magnæ hebdomadæ) „rurfus ab eorum decanis & eorum presbyteris ecclefiæ limi- „nibus præfententur„. Hactenus GRATIANI narratio, qua manifefto non definitur tempus imponendi pœnitentiam, quafi primo die quadragefimæ id fieri debeat, fed defcribitur, quemadmodum omnes pœnitentes in quadragefima tractari oporteat, quocumque demum tempore pœnitentia eis impofita fuerit. Et vt funt in ea nonnulla, quæ antiquæ difciplinæ refpondent; ita multa in ea funt, quæ eam ad recentiorem praxin refpicere fatis produnt. Nullus enim aquæ benedictæ vfus in antiqua difciplina fuit; neque feptem pfalmi pœnitentiales in antiqua liturgia, fed vnus tantum pfalmus pœnitentialis, qui eft quinquagefimus primus, communiter diftinctus nomine pfalmi exomologefeos, pfalmi pœnitentialis, vel pfalmi confeffionis. Neque dies cinerum olim primus dies ieiunii quadragefimalis fuit, vfque dum GREGORIVS MAGNVS eum ieiunio adderet, vt numerum dierum ieiunii efficeret perfecte quadraginta, qui antea tantum triginta fex fuerant. Neque patet, olim tempus imponendi pœnitentiam quadragefimalis ieiunii exordio fuiffe adftrictum; fed pœnitentia data eft omnibus temporibus, quandocumque epifcopus peccatorem ad eam fufcipiendam idoneum iudicarit. Ita AMBROSIVS *Theodofium* imperatorem ad pœnitentiam admittebat in natalitiis *CHRISTI*; & dantur plura alia iftiufmodi exempla. Circumftantia igitur temporis, tamquam incerta nec definita, prætereunda eft. Tantummodo, quocumque tempore pœnitentia imponebatur, peccator veftes fuas mutare debebat, & habitum fumere lugubrem, ftatui pœnitentiali accommodatum. Atque hoc eft, quidquid ex vllo veterum canonum, qui de pœnitentiæ circumftantiis loquuntur, concludi poteft.

§. III.

Et tondere capillos, vel incedere velato capite, ad aliud tristitiæ & luctus sui faciendum indicium.

EODEM tempore, quo vestes mutabant pœnitentes, quidam canones capillos suos tondere vel capita radere, si quidem mares essent, eos iubebant, ad dandum aliud tristitiæ & mœroris sui signum. Mulieres autem velum pœnitentiale gestare oportebat, & vel crines suos tondere, vel illis passis & per humeros sparsis & confusis incedere; quod aliud acerbi luctus & adflictionis signum erat. Concilium *Agathense* [*k*] hac de re in hunc modum statuit: *Pœnitentes si comas non deposuerint, aut vestimenta non mutauerint, abiiciantur.* Et concilium tertium *Toletanum* [*l*] similem habet canonem: *Quicumque ab episcopo pœnitentiam postulat, prius eum tondeat, aut in cinere & cilicio habitum mutare faciat, & sic pœnitentiam ei tradat.* OPTATVS ad hanc consuetudinem adludit, quando loquens de *Donatistarum* insolentia, qua aduersus episcopos quosdam catholicos vsi fuerant, dum adigendo eos ad agendam pœnitentiam [*m*], capita raserant eorum, in hunc modum rogat: *Vbi vobis mandatum est radere capita sacerdotum?* Et paucis interiectis: *Qui parare debebas aures ad audiendum, parasti nouaculam ad delinquendum*; Vult dicere, *Donatistas* compulisse catholicos sacerdotes agere publicam pœnitentiam, vt clericale officium suum retinerent; quod fieri non oportuerit. Nam si cui clerico publica agenda esset pœnitentia, primum de dignitatis suæ gradu deturbari eum oportebat, atque pœnitentiam agere tantum vt laicum. Quod ad mulieres attinet, mos erat, velamen pœnitentiale eis imponere, quod expressis verbis a concilio *Toletano* [*n*] tertio requiritur, in hunc modum statuente: *Si mulier fuerit, non accipiat pœnitentiam, nisi prius aut velata fuerit, aut mutauerit habitum.* Vnde OPTATVS istiusmodi velamina *velamina pœnitentiæ* vocat [*o*]; in-

(*k*) Concil. Agath. c. XV.

(*l*) Concil. Tolet. III. c. XII.

(*m*) Optat. lib. II. p. 58. (p. 54. edit. Paris. MDCLXXIX.)
Vid. Cyprian. p. 135. (p. 98. edit. Amstelod.) In cilicio & sordibus volutari post indumentum Christi perditum, *nullum* heic iam *velle vestitum* &c.

(*n*) Concil. Tolet. III. c. XII.

(*o*) Optat. lib. II. p. 59. (p. 54. edit. cit.) Extendistis manum, & super omne ca-

cu-

cuſans *Donatiſtas*, quod virgines catholicas innocentes coëgerint ſeſe ſubmittere impoſitioni manuum, & gerere in capitibus ſuis velamina pœnitentiæ. AMBROSIVS innuere videtur, quod capita ſua nonnumquam raſerint. Scribens enim ad virginem, quæ fornicata erat, iubet eam crines [*p*] amputare, qui per vanam gloriam occaſionem ei peccandi dediſſent. Verum hæc conſuetudo non generatim obtinuit. HIERONYMVS [*q*] enim pœnitentiam deſcribens *Fabiolæ*, ſparſo crine in ordine pœnitentium eam ſtetiſſe dicit, epiſcopo, presbyteris & omni populo collacrimantibus. Vnde obſeruare etiam nobis licet, quanta cum ſeueritate, grauitate & cura hoc totum negotium tractatum fuerit. Nam non tantum ipſe pœnitens rubore & verecundia ſuffuſus per haſce cærimonias mœrorem ſuum lacrimis declarabat; ſed vniuerſa etiam eccleſia eius caſu adficiebatur, patiens cum membro patiente, vnaque cum illo lugens ac lacrimas profundens. In hunc modum eccleſiæ *Romanæ* praxin in hoc exercitio repræſentat SOZOMENVS [*r*]. „Pœnitentes, inquit, peractis iam miſſarum ſolemni„bus, excluſi a communione ſacrorum, quæ initiatis præberi „mos eſt, cum gemitu ac lamentis pronos ſe in terram abiici„unt. Tum epiſcopus cum lacrimis ex aduerſo occurrens, „pariter ipſe humi prouoluitur: & vniuerſa eccleſiæ multitudo „ſimul confitens, lacrimis perfunditur. Poſthæc vero primus „conſurgit epiſcopus, ac proſtratos erigit: factaque, vt de„cet, precatione pro peccatoribus pœnitentiam agentibus, e„os dimittit„. Hæc admodum ſolemnis pœnitentiam agendi

put *mortifera velamina* prætendiſtis. Et pag. 61. (p. 58. cit. edit.) Vtique ſub cubito & ſub manibus veſtris, quum ſuper earum capita *velamina pœnitentiæ* tenditis.

(*p*) Ambroſ. ad virgin. lapſam c. VIII. *Amputentur crines*, qui per vanam gloriam occaſionem luxuriæ præſtiterunt.

(*q*) Hieron. epiſt. XXX. Vt ſtaret in ordine pœnitentium, epiſcopo, presbyteris & omni populo collacrimantibus, *ſparſo crine*, ora lurida, & ſqualidas manus, ſordida colla ſubmitteret,

(*r*) Sozom. lib. VII. c. XVI. *ἤδη δὲ πληρωθείσης τῆς τοῦ θεοῦ λειτουργίας, μὴ μετασχόντες ὧν μύσταις θέμις, σὺν οἰμωγῇ καὶ ὀδυρμῷ πρηνεῖς ἐπὶ γῆς ῥίπτουσι σφᾶς· ἀντιπρόσωπος δὲ δεδακρυμένος ὁ ἐπίσκοπος προσδραμὼν, ὁμοίως ἐπὶ τοῦ ἐδάφους πίπτει· σὺν ὀλολυγῇ καὶ τὸ πᾶν τῆς ἐκκλησίας πλῆθος δακρύων ἐμπιπλᾶται· τὸ μετὰ τοῦτο δὲ, πρῶτος ὁ ἐπίσκοπος ἐξανίσταται, καὶ τοὺς κειμένους ἀνίστησι· καὶ ᾗ προσῆκεν ὑπὲρ ἡμαρτηκότων μεταμελουμένων εὐξάμενος, ἀποπέμπει.*

ratio erat, quæ vniuerſam eccleſiam valde commouebat, dum ſinguli ſenſu ſtoliditatis fratrum ſuorum tangebantur, eorumque peccata non materiam ludibrii faciebant, ſed occaſionem teſtandi affectum miſerationis ergo illos, tamquam eiuſdem corporis membra; flentes cum flentibus, preceſque & lacrimas eorum precibus & lacrimis iungentes, ad cælum vi vnita oppugnandum gratiamque & veniam a Deo illis impetrandam.

§. IV.

Pœnitentes debebant abſtinere a lauationibus, conuiuiis aliiſque innocentibus oblectationibus.

SOZOMENVS eodem loco meminit, quod pœnitentes a lauationibus aliiſque innocentibus oblectationibus ſe abſtinere conſueuerint. Dicit enim, priuatim ſua ſponte ſe macerare ieiuniis, illuuie, ciborum abſtinentia, vel aliis quibus iuſſi ſint modis, & tempus, quantumcumque ipſis ab epiſcopo conſtitutum ſit, exſpectare [*]. Quod a PACIANO [ſ] etiam indicatur, quando pœnitentem introducit declarantem; ſi quis ad balneum vocet, ſe recuſare iſtas delicias; ſi quis ad conuiuium vocet, dicentem: *Iſta felicibus, Ego deliqui in dominum, & periclitor in æternum perire.*

§. V.

Obſeruare omnes dies feſtos & publicas ſolemnitates eccleſiæ.

QVEMADMODVM priuata abſtinentia, mortificatione & ieiunio ſic ſeſe exercebant; ita ſpecialius omnes dies feſtos & ſolemnitates publicas eccleſiæ obſeruare debebant. Rationes eſſe poterant, quæ alios excuſarent & a rigore atque ſeueritate huius exercitii in nonnullis caſibus & circumſtantiis abſoluerent, requirentes aliquod laxamentum in legibus ieiu-

(*) Sozomen. ibid. *καθ' ἑαυτὸν δὲ ἔχοντι ταλαιπωρέμενος ἕκαστος, ἢ νηστείαις, ἢ ἀλυσίαις, ἢ ἐδεσμάτων ἀποχῇ, ἢ ἑτέροις οἷς προστέτακται, περιμένει τὸν χρόνον, εἰς ὅσον αὐτῷ τέταχεν ὁ ἐπίσκοπος.*

(ſ) Pacian. paræneſ. ad pœnitent. bibl. patr. tom. III. p. 73. (tom. IV. p. 317. c. edit. Lugd. MDCLXXVII.)

Vid. Tertull. de pœnit. cap. IX. Plerumque vero *ieiuniis* preces alere &c. Cyprian. de lapſis p. 135. (p. 93. edit. Amſtel. Fell.) Orare oportet impenſius & rogare --- poſt diaboli cibum malle *ieiunium* &c.

nii: pœnitentes autem accuratiſſime eas obſeruare oportebat. Et propterea concilium quartum *Carthaginenſe* [t] decreto ſanciebat, vt pœnitentes omni tempore ieiunii in eccleſia adeſſent, manuſque impoſitionem reciperent a ſacerdotibus.

§. VI.

Cohibere ſe in vſu coniugii.

NONNVLLA quoque monita dantur, ad minimum a privatis ſcriptoribus, vt pœnitentes ab vſu tori genialis ſe abſtineant, dum in publicæ pœnitentiæ ſtatu ſint conſtituti. Regula hæc eſt, quam præſcribit HIERONYMVS [u], *In tempore ieiunii*, inquiens, *non ſeruiat ſponſus & ſponſa operi nuptiali.* Et paullo poſt: *Qui in caſtigatione victus, & ieiunio & eleemoſynis dicit ſe agere pœnitentiam, fruſtra hoc ſermone promittit, niſi egrediatur de cubili ſuo, & ſanctum primumque ieiunium pudica expleat pœnitentia.* Atque ita AMBROSIVS [w] hoc pro neceſſaria abnegationis ſui, tali occaſione teſtandæ, parte habet: *An quiſquam illam pœnitentiam putat, vbi acquirendæ ambitio dignitatis, vbi vini effuſio, vbi ipſius copulæ coniugalis vſus? Renuntiandum ſaeculo eſt, ſomno ipſi minus indulgendum, quam natura poſtulat, interpellandus eſt gemitibus, interrumpendus eſt ſuſpiriis, ſequeſtrandus eſt gemitibus, viuendum ita, vt vitali huic moriamur vſui, ſe ipſum homo abneget & totus immutetur.*

§. VII.

Quam ob cauſſam coniugati ad pœnitentiam non admiſſi, niſi ex vtriuſque partis conſenſu.

ID IPSVM tamen certum non habeo, neque adeo abſolute adfirmare mihi ſumo, quod illud per publicam aliquam eccleſiæ regulam iniunctum fuerit, quia in præſenti non memini canonem, qui hoc ſimpliciter præſcribat. Res vna ſola, quæ inducere quem poteſt, vt talem regulam fuiſſe credat, eſt, quod alia regula propinqui argumenti reperiatur, quæ iſtiuſmodi praxin ſupponere eaque fundari videtur. Decretum hoc eſt,

(t) Concil. Carth. IV. can. LXXX. Omni tempore ieiunii manus pœnitentibus a ſacerdotibus imponatur.

(u) Hieron. in Ioël cap. II.

(w) Ambroſ. de pœnit. lib. II. c. X.

quod in concilio secundo *Arelatensi* [x] inuenimus: *Pœnitentiam coniugatis non nisi ex consensu dandam.* Hoc videtur fundari supposito, quod pœnitentes, durante pœnitentiæ suæ tempore, abstinere ab vsu coniugii debuerint; & si pars innocens noluerit consentire, nulla vis cogere eos potuerit. Nam leges matrimonii potiores sunt omnibus regulis, quæ de publicæ disciplinæ exercitio ab ecclesia ferri vmquam possunt.

§. VIII.

Pœnitentibus tempore pœnitentiæ suæ matrimonium inire haud permissum.

ALIA eiusdem concilii regula est, ex simili ratione creditæ perfectæ continentiæ in publicis pœnitentibus oriunda. *Pœnitentes* [y], *quæ defuncto viro aliis nubere præsumserint, vel suspecta vel interdicta familiaritate se cum extraneo iunxerint, cum eodem ab ecclesiæ liminibus arceantur. Hoc etiam de viro in pœnitentia posito placuit obseruari.* Istiusmodi enim omnia cum conditione eorum ac solemnis & acerbæ pœnitentiæ professione haud consistere posse credebantur.

§. IX.

Pœnitentes omnibus diebus festis & diebus remissionis flexis genibus orare iussi.

ET quum reliqui vniuersi omnibus diebus festis & dominicis, & commemorationi martyrum sacris, nec non per quinquaginta dies inter pascha & pentecosten, (qui dies remissionis vocabantur) stantes orare possent, & per leges ecclesiæ deberent: pœnitentes ab hoc priuilegio peculiariter excipiebantur, & non minus his temporibus quam vllo tempore alio, flexis genibus orare debebant. Nam hic corporis situs conuenientissimus erat conditioni eorum, quorum deuotio tantum consistebat in profundæ humilitatis atque acerbi doloris de peccatis declaratione, ad quam rem genuum flexio accommodatissimus habitus censebatur. Igitur vt reliquis diebus stationum & ieiuniorum flexis poplitibus orare debebant, quia solemnioris humiliationis tempora erant: ita pœnitentes

(x) Concil. Arelat. II. c. XXII.

(y) Concil. Arelat. II. c. XXI.

sin-

ſingulis diebus [z], ipſis etiam remiſſionis diebus, genua flectere oportebat; quia quilibet dies dies humiliationis eis erat, & vnum ac ſolum negotium in eccleſia miſericordiam implorare, atque ad recipiendam ſolemnem manuum impoſitionem & benedictionem humi ſeſe abiicere.

§. X.

Et liberalitate vti in pauperes.

ET quum liberalitas erga pauperes magnum pœnitentiæ argumentum eſſet & teſtimonium, hæc ſemper in excellentiore quodam gradu ab eis requirebatur. CYPRIANVS [a] eam in aliis pœnitentiæ ſignis ponit. „Lamentari eum putamus, „inquit, ex toto corde, ieiuniis, fletibus, planctibus domi„num deprecari, qui ex primo criminis die lauacra quotidie „celebrat, qui epulis adfluentibus paſtus, & ſagina largiore di„ſtentus, cruditates ſuas poſtridie ructat, nec cibos & potus „ſuos cum pauperum neceſſitate communicat? Qui hilaris ac „lætus incedit, quomodo mortem ſuam deflet? Quumque ſcri„ptum ſit: *Non corrumpetis effigiem barbæ veſtræ*; barbam vellit & „faciem ſuam comit? Et placere nunc cuique ſtudet, qui Deo „diſplicet? An illa ingemiſcit & plangit, cui vacat cultum „pretioſæ veſtis induere, nec indumentum Chriſti, quod per„didit, cogitare? accipere pretioſa ornamenta & monilia ela„borata, nec diuini & cæleſtis ornatus damna deflere?„ In tali caſu liberalitatem in pauperes multo decentius ornamentum fore putat, quam aurum, margaritas & gemmas: & idcirco monet pœnitentes mulieres induere ornatum *CHRISTI*, ne nudæ coram ipſo compareant.

§. XI.

Et operam ſuam eccleſiæ addicere in ſepeliendis mortuis.

DENIQVE in nonnullis eccleſiis pœnitentes officium & curam ſepeliendi mortuos in ſe ſuſcipere debebant: Et hoc ex ratione diſciplinæ, atque ad exercendum ſe in humilitate ac caritate, quæ ſtationem eorum tantopere decebat. In multis eccleſiis, præcipue celebrioribus, hoc negotium certo ordini ho-

(z) Concil. Carthag. IV. c. LXXXII. Pœnitentes etiam diebus remiſſionis genua flectent.

(a) Cyprian. de lapſis p. 135. (p. 96. cit. edit.)

minum

minum demandatum erat, quos vocitabant *parabolanos*, quorum maxime erat ægrotis ministrare, & curam [*] sepeliendi mortuos gerere. Probabile autem est, non fuisse istiusmodi certum fixumque officium in multis ecclesiis, adeoque hoc negotium pœnitentibus dabatur, vtpote exercitatio talis conditionis hominibus apprime apta. In ecclesiis *Africanis* ita fuisse certum est. Concilium enim quartum *Carthaginense* [*b*] peculiare hoc in casu decretum habet: *Mortuos pœnitentes ecclesiæ efferant & sepeliant.* Hæ quædam erant ex salutaribus istis exercitationibus, quas ecclesia pœnitentes suos suscipere iubebat, vtpote in conditione constitutos substratorum, qui notissimus pœnitentium ordo erat in ecclesia. Verum superest adhuc eminens quidam pœnitentiæ actus, ad hunc ordinem spectans; hoc est exomologesis siue confessio: Quæ quum ab ecclesia *Romana* in rem nouam conuersa sit & magnas pepererit contentiones, de industria ad distinctam & peculiarem tractationem reseruatur, fietque nobis peculiaris dissertationis in capite sequente argumentum.

LIBRI DECIMI OCTAVI
CAPVT TERTIVM
DE EXOMOLOGESI SIVE CONFESSIONE IN VETERIS ECCLESIAE DISCIPLINA VSITATA; QVAE RES AB ARCANA SIVE AVRICVLARI CONFESSIONE, AB ECCLESIA ROMANENSI INVENTA, DIVERSA ESSE OSTENDITVR.

§. I.

Magnus eorum error, qui exomologesin veteris ecclesiæ auricularem confessionem significare contendunt.

NIHIL inter polemicos ecclesiæ *Romanensis* scriptores vulgatius est, quam vt, vbicumque vocabulum *exomologesis* in scriptore quodam vetusto deprehendant, illud interpretentur arcanam siue auricularem confessionem, qualis hodie in istius

(*) Lib. III. c. IX. vol. II. p. 47.
(*b*) Concil. Carth. IV. c. LXXXI.

eccle-

ecclesiæ communione obtinet & hominibus tamquam simpliciter ad salutem necessaria imponitur. Enimuero qui maiori cum iudicio, candore & studio inter eos ipsos materiam considerarunt, fateri non dubitant, exomologesin veterum rem prorsus aliam denotare, nimirum vniuersum publicæ pœnitentiæ exercitium, cuius publica confessio nota pars erat. ALBASPINAEVS, vir eruditus, hunc errorem in partis suæ scriptoribus strenue impugnat. „Multi, inquit [a], vt cardinales „BELLARMINVS & BARONIVS anno domini MDLVI, MAL„DONATVS in suis controuersiis, PAMELIVS suis ad TERTVL„LIANVM & diuum CYPRIANVM commentariis, pro certo „adseiunt, patres vt plurimum hac voce confessionem pecca„torum arcanam & auricularem intellexisse; verum diu mul„tumque pensitatis omnibus, vbi ea habetur, locis, illorum o„pinioni non possum accedere. -- Mihi videntur semper pa„tres hanc vocem exomologesis adhibuisse, quum significare „vellent ritus exteriores, vtpote flendi, ingemiscendi, se ipsum „incusandi, & id genus alia pœnitentibus visitata; atque vt „perfectius istius vocabuli vsus innotescat, neminem præterit, „illis prioribus sæculis pœnitentes longa admodum & labori„osa defunctos esse pœnitentia, per quam assiduis fletibus se „ipsos conficerent, pro vestibulis ædium sacrarum starent ad „testandum publici erroris sui dolorem: quin & humi iacen„tes episcoporum pedibus, martyrum genibus aduoluerentur, „ceterorum quoque fidelium, identidem orantes vnumquem„que, vt sibi apud Deum deprecator adesset, operti sacco, hor„rore squaloreque prorsus obsiti: peractaque vero pœnitentia „episcopus eos ex aditu in medium templi deductos, coram „presbyteris, diaconis, viduis & populo sistebat, vbi rursus hu„mi procumbebant, crimina sua detestabantur, vbertim fle„bant, omnium se precibus commendantes, nec vmquam eo„dem se relapsuros sancte deierantes. Comperio itaque, (per„git ille) vltimum hunc ritum ob id sæpe exomologesin a pa„tribus nuncupatum, quod in se plurimos actus haberet, dolo„rem admissæ culpæ præferentes, non secus ac omnis actio &

(a) Albaspin. obseruat. lib. II. c. XXVI. p. 153. (p. 90. ad calc. Opt. edit. Paris. MDCLXXIX.)

„ratio vitæ pœnitentium inter pœnitentiam agendam perinde „exomologesis aliquando dicitur„. Hoc porro probat & confirmat multis perspicuis & indubitatis testimoniis ex TERTVLLIANO, CYPRIANO aliisque vetustis scriptoribus, quæ heic non interponemus, sed vnum tantum locum adlegabimus TERTVLLIANI, qui in rem præsentem facit. *Exomologesis*, inquit [*b*], *prosternendi & humilificandi hominis disciplina est, conuersationem iniungens misericordiæ illicem. De ipso quoque habitu atque victu mandat, sacco & cineri incubare, corpus sordibus obscurare, animum mœroribus deiicere, illa, quæ peccauit, tristi tractatione mutare: ceterum pastum & potum pura nosse, non ventris scilicet sed animæ caussa: plerumque vero ieiuniis preces alere, ingemiscere, lacrimari & mugire dies noctesque ad dominum Deum tuum, presbyteris aduolui & caris Dei adgeniculari, omnibus fratribus legationes deprecationis suæ iniungere. Hæc omnia exomologesis, vt pænitentiam commendet, vt de periculi timore dominum honoret, vt in peccatore ipsa pronuntians pro Deo indignatione fungatur, & temporali adflictatione æterna supplicia non dicam frustretur, sed expurget.* Heic ne verbum quidem de arcana siue auriculari confessione habetur, sed omnia ad publicam coram ecclesia confessionem respiciunt; idque non tam in verbis, quam in actionibus, resipiscentiam publica tristitiæ demonstratione & consimili pœnitentis conuersationis tenore exprimentibus; quod multo plus momenti habebat ad significandam & demonstrandam eorum conuersionem, quam verba adfectus plenissima in mere verbali vel arcana confessione.

§. II.

Nulla vmquam confessionis auricularis necessitas antiquæ ecclesiæ ciuibus imposita.

ET hoc vnum argumentum est, quo probari potest, doctrinam de confessionis auricularis necessitate veteri ecclesiæ incognitam fuisse. Quando enim disciplina publica generatim obtinebat, & omnes homines ita adfecti erant, vt sese ei submitterent, confessioni arcanæ exiguus locus esse poterat, cuius rationi ac fundamento magis respondebat publica. Sed præterea res plana & euidens est ex testimoniis veterum, nulli vmquam homini necessitatem confitendi sacerdoti peccata sua

(*b*) Tertull. de pœnit. c. IX.

secre-

ſecreta fuiſſe impoſitam, tamquam rem, qua immunis nemo eſſe poſſit, ſiue euchariſtiæ vſu dignus fieri, ſiue titulum communionis eccleſiæ & vitæ æternæ habere cupiat. Iam oſtendimus illud, habito peculiari reſpectu ad receptionem euchariſtiæ, ex perſpicuis quibuſdam CHRYSOSTOMI, GENNADII, LAVRENTII epiſcopi *Nouarienſis* [*] aliorumque antiquorum ſcriptorum locis; quibus heic alia teſtimonia addemus, quæ euidenter oſtendant, eos nullam priuatam peccatorum confeſſionem hominibus edendam requiſiuiſſe, niſi in ſingularibus quibuſdam caſibus. CHRYSOSTOMVS [c] homines exhortans ad pœnitentiam ait: *Non tibi dico, vt peccata tamquam pompam in publicum proferas, neque vt te accuſes; ſed vt pareas prophetæ dicenti, Reuela domino vitam tuam. Apud Deum ea confitere, apud iudicem confitere peccata tua, orans, ſi non lingua, ſaltem memoria: & ita roga, vt tui miſereatur. --- Melius eſt, vt nunc peccatorum mordeatur memoria, quam cruciatu, qui futurus eſt illo tempore. Nunc ſi eorum memineris, & ea adſidue Deo offeras, & pro eis roges, cito ea delebis. Sin autem nunc eorum ſis oblitus, tunc vel inuitus eorum recordaberis, quum in medium proferentur, & tamquam in pompam producentur coram omnibus, & amicis & inimicis & angelis.* Alio loco [d]: *Neceſſe non eſt, te confiteri præſentibus teſtibus; fiat diſquiſitio peccatorum tuorum in propriis cogitationibus tuis; ſit hoc iudicium ſine teſtibus; videat ſolus Deus te confitentem.* Ruſus alio loco [e]: *Hortor vos & rogo, fratres cariſſimi, crebrius Deo immortali confiteamini, & enumeratis ve-*

(*) Lib. XV. cap. VIII. §. VI. volum. VI. p. 536. ſeq.

(c) Chryſoſtom homil. XXXI. in Hebr. p. 1916. (p. 913. edit. Frf. MDCLXXXXVII.) οὐ λέγω σοι, ἐκπόμπευσον σεαυτὸν, οὐδὲ παρὰ τοῖς ἄλλοις κατηγόρησον, ἀλλὰ πείθεσθαι συμβουλεύω τῷ προφήτῃ λέγοντι, Ἀποκάλυψον πρὸς κύριον τὴν ὁδόν σου· ἐπὶ τοῦ θεοῦ ταῦτα ὁμολόγησον, ἐπὶ τοῦ δικαστοῦ ὁμολόγει τὰ ἁμαρτήματα, εὐχόμενος, εἰ καὶ μὴ τῇ γλώττῃ, ἀλλὰ τῇ μνήμῃ, καὶ οὕτως ἀξίου ἐλεηθῆναι --- βέλτιον δάκνεσθαι αὐτῶν τῇ μνήμῃ νῦν, ἢ κατ' ἐκεῖνον τὸν καιρὸν τῇ τιμωρίᾳ· νῦν ἐὰν ᾖς αὐτῶν μεμνημένος, καὶ συνεχῶς αὐτὰς προσφέρῃς τῷ θεῷ, καὶ ὑπὲρ αὐτῶν δέῃ, ταχέως ἐξαλείψεις αὐτάς· ἐὰν δὲ νῦν ἐπιλάθῃ, τότε αὐτῶν ἀναμνησθήσῃ καὶ ἄκων, ἐπὶ τῆς οἰκουμένης ἁπάσης εἰς μέσον φερομένων αὐτῶν, καὶ ἐκπομπευομένων ἐπὶ πάντων, καὶ φίλων, καὶ ἐχθρῶν, καὶ ἀγγέλων.

(d) Chryſoſt. homil. de pœnitent. tom. V. edit. Latin. (Hæc mihi quum ad manus non ſit, verba auctoris noſtri Anglicana Latine reddere neceſſe habui.)

(e) Chryſoſt. homil. XXX. ſiue V. de incomprehenſibili Dei natura. Tom. I. p. 392. (p. 348. edit. Francof.) παρακαλῶ καὶ δέομαι καὶ ἀντιβολῶ ἐξομολογεῖ-

ſtris delictis veniam petatis & numen propitium. Non te in theatrum conſeruorum tuorum duco, non hominibus peccata tua detegere cogo: repete coram Deo conſcientiam tuam & explica: oſtende Deo medico præſtantiſſimo vulnera, & pete ab eo medicamentum: oſtende ei, qui nihil opprobret, ſed humaniſſime curet. Licet enim taceas, cuncta optime ille nouit. Dic atque enumera, vt fructum maximum conſequaris; dic, vt abſterſis heic tuis maculis, abeas illic mundus & ſine vllo dedecore, vt intolerabili promulgatione illa delictorum tuorum libereris. Et in alia homilia [f]: *Cur, te quæſo,* inquit, *pudeſcit & erubeſcis dicere peccata tua? Num enim homini dicis, vt te probro adſiciat? Num enim conſeruo, vt in publicum proferat? Immo vero ei, qui dominus eſt, ei qui tui curam gerit, ei qui humanus eſt, ei qui medicus eſt, oſtendis vulnera. Neque enim ignorat, etiamſi tu non dixeris, qui ſciebat etiam antequam perpetrares. Quid igitur eſt cauſſæ, quo minus dicas? Non enim ex accuſatione tua ſit grauius peccatum: immo vero mitius ac leuius. Et hoc ipſum Deus vult, te dicere: non vt puniaris, ſed vt relaxeris: non vt ipſe ſciat peccatum: cur enim id poſtulet, quum iam ſciat? ſed vt ſcias, quantum tibi debitum remittatur. Ideo vero vult te ſcire beneficii magnitudinem, vt perpetuo gratias agas, vt ſegnior fias ad peccandum, vt ad virtutem promtior. Niſi dixeris debiti magnitudinem, non agnoſces donationis eminentiam. Non, inquit, cogo te in medium prodire theatrum,*

θαι τῷ Θεῷ συνεχῶς· οὐδὲ γὰρ εἰς θέατρόν σε ἄγω τῶν συνδούλων τῶν σῶν, οὐδὲ ἐκκαλύψαι τοῖς ἀνθρώποις ἀναγκάζω τὰ ἁμαρτήματα, τὸ συνειδὸς ἀνάπτυξον ἔμπροσθεν τοῦ Θεοῦ, καὶ αὐτῷ δεῖξον τὰ τραύματα, καὶ παρ' αὐτοῦ τὰ φάρμακα αἴτησον· δεῖξον τῷ μὴ ὀνειδίζοντι, ἀλλὰ θεραπεύοντι· κἂν γὰρ σιγήσῃς, οἶδεν ἐκεῖνος ἅπαντα. εἰπὲ τοίνυν, ἵνα κερδάνῃς, εἰπὲ ἵνα ἐνταῦθα ἀποθέμενος ἀπέλθῃς ἐκεῖ καθαρὸς, καὶ τῆς ἀφορήτου δημοσιεύσεως ἐκείνης ἀπαλλαγῇς.

(*f*) Chryſoſt. homil. IV. de Lazaro tom. V. p. [illegible] p. 51. edit. Francof.) τίνος ἕνεκεν αἰσχύνῃ καὶ ἐρυθριᾷς, εἰπέ μοι, τὰ ἁμαρτήματα εἰπεῖν; μὴ γὰρ ἀνθρώπῳ λέγεις, ἵνα ὀνειδίσῃ σε; μὴ γὰρ τῷ συνδούλῳ ὁμολογεῖς, ἵνα ἐκπομπεύσῃ; τῷ δεσπότῃ, τῷ κηδεμόνι, τῷ φιλανθρώπῳ, τῷ ἰατρῷ τὸ τραῦμα ἐπιδείκνυς· μὴ γὰρ, κἂν σὺ μὴ εἴπῃς, ἐκεῖνος οὐκ οἶδεν, ὅς γε καὶ πρὸ τοῦ πραχθῆναι ἠπίστατο; τίνος οὖν ἕνεκεν οὐ λέγεις; μὴ γὰρ ἐκ τῆς σῆς κατηγορίας φορτικώτερον γίνεται τὸ ἁμάρτημα, ἡμερώτερον μὲν οὖν καὶ κουφότερον· καὶ διὰ τοῦτο βούλεταί σε εἰπεῖν, οὐχ ἵνα κολάσῃ, ἀλλ' ἵνα συγχωρήσῃ· οὐχ ἵνα αὐτὸς μάθῃ τὴν ἁμαρτίαν· πῶς γὰρ, ὁ εἰδώς; ἀλλ' ἵνα σὺ μάθῃς, πόσον σοι συγχωρεῖ χρέος· βούλεται δέ σε μαθεῖν τῆς χάριτος τὸ μέγεθος, ἵνα εὐχαριστῶν διατελῇς, ἵνα ὀκνηρότερος πρὸς ἁμαρτίαν ᾖς, ἵνα προθυμότερος εἰς ἀρετήν· ἂν μὴ εἴπῃς τοῦ χρέους τὸ μέγεθος, οὐκ ἐπιγνώσῃ τῆς χάριτος τὴν ὑπερβολήν· οὐκ ἀναγκάζω, φησὶν, εἰς μέσον ἐλθεῖν

trum, ac multos adhibere testes. Mihi soli dic peccatum priuatim, vt sanem vlcus, teque dolore liberabo. Prope viginti loca [g] in eodem auctore satis ampla & copiosa reperiuntur in eamdem sententiam, quae lector eruditus ipse euoluere, vel collecta videre potest a IOANNE DALLAEO in excellenti libro [h] de *confessione auriculari*, vbi non solum haec CHRYSOSTOMI loca a sophisticis glossis & deprauatione *Romanensium* vindicat, sed etiam non minus triginta argumentis & nube vetustorum testium solidissime demonstrat, non potuisse esse talem rem, qualis est arcana, auricularis & sacramentalis confessio, in ecclesia primitiua. Neque vero CHRYSOSTOMVS vnus solus est, qui hoc adsertum tueatur. BASILIVS [i] idem dixit ante eum. *Non, vt multis manifestus fiam, ore fateor, sed corde ipso clausis oculis tibi soli respicienti arcana, mecum ipse rugiens, ostendo meos gemitus. Non enim multis verbis mihi opus erat ad confessionem, ad quam & cordis mei suspiria, & ex animae penetralibus imis ad te Deum meum transmissi questus sufficiebant.* Similiter HILARIVS confessionem soli Deo faciendam esse dicit. Interpretans enim psalmum quinquagesimum secundum, *Confessionis caussam*, inquit, *addidit* [k] *(David) dicens, Quia fecisti; auctorem scilicet vniuersitatis huius dominum esse confessus, nulli alii docens confitendum, quam qui fecit oliuam fructiferam spe misericordiae in saeculum saeculi.* Et AM-

σε θέατρον, καὶ μάρτυρας περιστῆσαι πολλούς· ἐμοὶ τὸ ἁμάρτημα εἰπὲ μόνῳ κατ' ἰδίαν, ἵνα θεραπεύσω τὸ ἕλκος, καὶ ἀπαλλάξω τῆς ὀδύνης.

(g) Chrysost. homil. LVII. Quod peccata non sint euulganda, tom. V. p. 754. Homil. LVIII. Non esse ad gratiam concionandum. tom. V. p. 772. Homil. LXVIII. de poenitentia Achab, tom. V. p. 1003. Homil. XXI. ad popul. Antioch. tom. I. p. 270. Homil. VIII. de poenitent. tom. I. p. 700. Hom. IX. de poenitent. ibid. pag. 708. Homil. LXXII. de paralytico tom. V. pag. 927. Homil. XX. in Genes. tom. II. p. 222. Homil. II. in psalm. L. tom. III. p. 1004 & 1005. Homil. XX. in Matth. p. 200. Homil. XXVIII. in 1 Cor. p. 569.

(h) Dall. de confess. auricular. lib. IV. c. XXV.

(i) Basil. in psalm. XXXVII, 9. οὐ γὰρ ἵνα τοῖς πολλοῖς φανερὸς γένωμαι, τοῖς χείλεσιν ἐξομολογοῦμαι· ἀλλ' ἔνδον ἐν αὐτῇ τῇ καρδίᾳ τὰ ὄμματα μύων, σοὶ μόνῳ τῷ βλέποντι τὰ ἐν κρυπτῷ, τὰ ἐν ἐμαυτῷ στεναγμοὺς ἐπιδεικνύω, ἐν ἐμαυτῷ ὠρυόμενος· οὐδὲ γὰρ μακρῶν μοι λόγων χρεία ἦν πρὸς τὴν ἐξομολόγησιν· ἀπήρκουν γὰρ οἱ στεναγμοὶ τῆς καρδίας μου πρὸς ἐξομολόγησιν, καὶ οἱ ἀπὸ βάθους ψυχῆς πρὸς σὲ τὸν Θεὸν ἀναπεμπόμενοι ὀδυρμοί.

(k) Hilar. in psalm. LI. p. 208. (p. 81. edit. Paris. MDCXCIII.)

BROSIVS non minus plane & perſpicue dicit, lacrimas coram Deo fuſas veniam peccatorum impetrare poſſe, ſine facta homini cuidam confeſſione. Verba eius ſic habent [*l*]: *Lauant lacrimæ delictum, quod voce pudor eſt confiteri. Et veniæ fletus conſulunt & verecundiæ. Lacrimæ ſine horrore culpam loquuntur; Lacrimæ crimen ſine offenſione verecundiæ confitentur.* Ita rurſus ex occaſione [*m*] lacrimarum *Petri* ait: *Petrus doluit & fleuit, qui errauit vt homo. Non inuenio, quid dixerit; inuenio, quod fleuerit. Lacrimas eius lego; ſatisfactionem non lego.* Intelligit nimirum, confesſionem oris non ſimpliciter & abſolute ad obtinendam veniam eſſe neceſſariam. Atque hoc ſenſu AVGVSTINVS, exponens verba illa pſalmiſtæ, *Dixi, pronuntiabo aduerſum me iniuſtitias meas domino, & tu remiſiſti impietatem cordis mei*, ait [*n*]: *Non iam pronuntiat, ſed promittit ſe pronuntiaturum, & ille iam dimittit. Attendite, fratres, magna res eſt. Dixit, Pronuntiabo. Non dixit, Pronuntiaui, & tu dimiſiſti. Dixit, Pronuntiabo, & tu dimiſiſti; quia eo ipſo, quod dixit, Pronuntiabo; oſtendit, quia nondum pronuntiauerat, ſed corde pronuntiauerat. Hoc ipſum dicere, pronuntiabo, pronuntiare eſt; ideo & tu remiſiſti impietatem cordis mei; confeſſio vero mea ad os nondum venerat. Dixeram enim, pronuntiabo aduerſum me; verumtamen Deus audiuit vocem cordis mei. Vox mea in ore nondum erat, ſed auris Dei iam in corde erat.* Hæc ille; quibus docet, Deum corde contritis atque pœnitentibus, etiam ante vocalem confeſſionem, Deo vel homini factam, peccata remittere. Alio loco [*o*] de confeſſione loquitur, vt nequaquam facienda hominibus. *Quid mihi*, inquit, *eſt cum hominibus, vt audiant confeſſiones meas, quaſi ipſi ſanaturi ſint omnes languores meos?* Sæpius etiam meminit [*] vna cum reliquis antiquis ſcriptoribus vniuerſis, quod plurima ex peccatis illis, quæ *Romanenſes* hodie vocant mortalia, quotidie condonentur, nulla interueniente confeſſione, niſi ea, quæ in oratione dominica cum deuoto animi adfectu pronuntiatur: *Dimitte nobis debita noſtra, ſicut & nos dimitti-*

(*l*) Ambroſ. lib. X. in Luc. XXII. p. 157. (p. 216. I. edit. Pariſ. MDCXLII.)

(*m*) Ambroſ. ibid.

(*n*) Auguſtin. ſerm. II. in pſalm. XXXI.

(*o*) Auguſt. confeſſ. lib. X. c. III.

(*) Vide hoc plenius probatum lib. XVI. c. III. §. XIV. volum. VII. pag. 174. ſeqq.

mitti-

mittimus debitoribus nostris. Quod euidenter ostendit, ipsum auricularem confessionem non credidisse ad expianda omnis generis peccata mortalia esse necessariam. MAXIMVS TAVRINENSIS [p] opinionem suam iisdem pene verbis, quibus AMBROSIVS, declarat: *Lauat lacrima delictum, quod voce pudor est confiteri. Lacrimæ ergo verecundiæ consulunt pariter & saluti, nec erubescunt in petendo, & impetrant in rogando. -- Lacrimæ quodammodo preces sunt; veniam non postulant & merentur* (id est, ex stilo eius, impetrant;) *caussam non dicunt, & misericordiam consequuntur; nisi quod vtiliores lacrimarum preces sunt, quam sermonum; quia sermo in precando forte fallit, lacrima omnino non fallit. Sermo enim interdum non totum profert negotium; lacrima semper totum prodit adfectum.* PROSPER, discipulus AVGVSTINI, doctrinam eius sectatur. Loquens enim de peccatis, quæ, qui in aliquo gradu ecclesiastico constituti sunt, occulte admittunt, ait [q]: *Deum sibi facilius placabunt illi, qui non humano conuicti iudicio, sed vltro crimen cognoscunt: qui aut propriis illud confessionibus produnt, aut nescientibus aliis, quibus occulti sunt, ipsi in se voluntariæ excommunicationis sententiam ferunt, & ab altari, cui ministrabant, non animo sed officio separati, vitam tamquam mortuam plangunt, certi, quod reconciliato sibi efficacis pœnitentiæ fructibus Deo, non solum amissa recipiant, sed etiam ciues supernæ ciuitatis effecti, ad gaudia sempiterna perueniant.* CASSIANVS etiam fidem nobis facit, fuisse hanc patrum per *Ægyptum* doctrinam. Dicit enim, *Pinuphium* abbatem *Aegyptium* monachos sibi subiectos hunc in modum instituisse: *Quis est, qui non possit simpliciter dicere: Peccatum meum tibi cognitum feci, & iniustitiam meam non operui? vt per hanc confessionem etiam illud confidenter subiungere mereatur: Et tu remisisti impietatem cordis mei. Quod si verecundia retrahente reuelare ea coram* [r] *hominibus erubescis, illi, quem latere non possunt, confiteri ea iugi supplicatione non desinas ac dicere: Iniquitatem meam cognosco, & peccatum meum contra me est semper, tibi soli peccaui & malum coram te feci, qui & absque vllius verecundiæ publicatione curare & sine improperio peccata donare consueuit.* Plana hæc sunt testimonia, & euidenter demonstrant, non cre-

(p) Maxim. Taurin. homil. III. de pœnitent. Petri.
(q) Prosper. de vita contemplat. lib. II. c. VII.
(r) Cassian. collat. XX. c. VIII.

di-

didisse veteres auricularis confessionis necessitatem, nec vsisse eam, tamquam rem ad absolutionem & salutem simpliciter & absolute necessariam.

§. III.

Hoc porro probatur ex consuetudine veterum, quando omnem absolutionem quibusdam relapsis peccatoribus denegabant, non excludentes eos a misericordia & venia Dei, si ipsi soli peccata confiterentur.

PRAETEREA autem praxis veterum in certo quodam casu luculentissime ostendit, non credidisse eos auricularis confessionis necessitatem. Multis enim peccatoribus relapsis non permittebant, vt secundam aliquam pœnitentiam publice agerent, neque vllam eis sacerdotalem absolutionem ad finem vsque vitæ impertiebant: Id quod capite proxime sequente euidenter demonstrabimus. Ex quibus manifesto consequitur, nullam pœnitentialem confessionem, siue publicam siue arcanam, tamquam factam hominibus, ab eis recipi consueuisse in ordine ad sacerdotalem absolutionem eis impertiendam. Nihilo minus tamen eos hortabantur, vt priuatim resipiscerent, Deoque priuatim & occulte peccata sua confiterentur, sub spe obtinendi misericordiam & veniam in magno illo retributionis & iudicii die. Hoc inter omnes constat, istiusmodi relapsos numquam habuisse priuilegium publicam faciendi confessionem in ecclesia, ad obtinendam publicam absolutionem. Certum quoque est, numquam eos fuisse admissos ad reconciliationem priuatæ alicuius confessionis beneficio ad obtinendam priuatam absolutionem a sacerdote. Quamquam enim PERRONIVS cardinalis mirum consilium iniit ad soluendam huius argumenti difficultatem, fingendo priuatæ confessionis beneficio recipi in communionem eos potuisse, quum publica id fieri non potuerit; Ipse tamen DIONYSIVS PETAVIVS[r] hanc opinionem tamquam somnium, omni fundamento destitutum,

(r) Petau. not. in Epiphan. p. 233. Perdifficilis exsistit quæstio, Quid illis tandem hominibus factum sit, qui post priorem pœnitentiam in eadem scelera rursus incurrerent; verumne sit, ab ecclesia reiectos illos penitus, nec ad priuatam saltem aliquem receptum habuisse, cuius beneficio in integrum restituti ad diuinorum mysteriorum communinem redirent. Qui

refel-

refellit, & ſolidam rationem adfert in contrarium. Argumentatur enim, ſi per priuatam pœnitentiam reconciliari potue-

Qui antiquioris eccleſiæ formam ac conſuetudinem ex hodiernis inſtitutis & moribus æſtimare voluerit, facile mitiorem in partem inclinabit, nec ab omni eccleſiæ, ſacramentorumque conſortio repudiatos illos perſuadere ſibi poterit. Quam in ſententiam copioſe quidam nuper ita diſſeruit. Triplicem ait apud antiquos fuiſſe pœnitentiam: publicam vnam ob publica peccata: alteram priuatam ac ſecretam propter occulta: tertiam ob eadem occulta crimina publice ſuſceptam. Hanc vero poſtremam non eum tantum habuiſſe fructum, vt peccatorum culpam ac ſempiterni ſupplicii noxam abſtergeret; ſed vt temporarias inſuper pœnas dilueret, ac peccatores in integrum cumulatiſſime reſtitueret. Proinde non eius copiam promiſcue eſſe factam, neque quoties quiſque peteret, facile permiſſam; ſed in omni vita ſemel duntaxat. Hæc ille: Ex quibus & ex iis, quæ conſequenter diſputat, velle iſtud videtur; iſtiuſmodi criminum reos poſt priorem pœnitentiam ad priuatam confugiſſe, eiuſque beneficio nihilominus communionem adſecutos eſſe: ſed ad veterum patrum teſtimonia, ac priſcæ illius eccleſiæ normam, & communem adeo ſenſum animum adiicienti mihi, parum commode pleraque explicata videntur. Etenim ſi grauiorum delictorum conſcii citra publicam illam, quam antea ſuſcepiſſent, pœnitentiam emergere, & ad communionem pacemque reuerti alterius ac priuatæ beneficio potuerint; nonne melior illorum, quam ceterorum, conditio fuit, quibus ſine publica pœnitentia reditus in eccleſiam non patuit? Atqui nemo tam vecors erit, qui humanius cum illis actum putet, qui in eadem ſæpius incurriſſent, & quidem horrenda flagitia, quam cum eis, qui ſemel ea commiſiſſent: quod ex illa opinione conſequitur. Cuiuſmodi vero iſtud eſt; velut gratiæ, ac beneficii loco publicam illam pœnitentiam ſpiſſe ac difficiliter indultam? Nam ſi priuata & occulta defungi poſſent, & in eodem ac ceteri loco eſſe; quis non tanto moleſtiarum ac temporis compendio mallet vti, cupidiſſimeque ſe, publica illa contemta, ad commodiorem alteram, breuioremque transferret? Volo enim illud mihi reſpondeant: qui atrocioris culpæ conſcius tum primum ad pœnitentiam accederet, vtrum abſque publica per priuatam reſtitui potuerit, an neceſſario vſurpanda illa fuerit. Si prius dixerint; ſi, inquam, neceſſariam iliis publicam pœnitentiam negauerint, antiquitatis totius memoria teſte refellentur. Siquidem vetera omnia concilia, omneſque canonum conditores ita publicam lapſis pœnitentiam præſcribunt, ac tempus rationemque definiunt; ita porro Tertullianus, Cyprianus, Pacianus, antiqui ad vnum omnes eoſdem illos hortando, comminando, obiurgando vel inuitos vrgent, & impellunt; vt minime hoc illis integrum fuiſſe ſignificent. Reſtat igitur, nullo vt alio, ac ne priuatæ quidem pœnitentiæ ſubſidio recipi in communionem eccleſiæ potuiſſe concedant. Quod quum dederint; tum de illis quid ſentiant requiram, qui ſecundo in grauiora peccata lapſi publica vti pœnitentia non poterant; ecquid eos cenſeant per priuatam pœnitentiam reconciliari potuiſſe? Nam ſi iſtud aſſerant, neceſſe erit vna fateantur, fe-

rint iſtiuſmodi relapſi, fatendum eſſe, feliciorem multo conditionem eorum exſtitiſſe, qui ſæpius, quam eorum, qui ſemel in vita deliquiſſent. Quod difficulter ſibi perſuaderi paſſuros eſſe dicit, qui res vllo cum iudicio & ratione conſiderent. Si igitur conceſſeris, quod veteres iſtiuſmodi relapſis nec publicæ nec priuatæ abſolutionis beneficium poſt quamcumque editam confeſſionem indulſerint: ſequitur omnino, eos haud vllam abſolutam auricularis credidiſſe neceſſitatem; ſiquidem iſtiusmodi peccatores nihilo minus ad ſpem obtinendæ miſericordiæ & veniæ, ſi priuatim agerent pœnitentiam, Deoque ſoli peccata ſua confiterentur, excitarunt. Quod vt demonſtremus, ſatis fuerit, vnum locum ex AVGVSTINO adferre, vbi generalem eccleſiæ conſuetudinem, omniumque fratrum ſuorum ſententiam loquitur. „In tantum hominum aliquando „iniquitas, inquit [t], progreditur, vt etiam poſt actam pœni„tentiam, poſt altaris reconciliationem vel ſimilia vel gravio„ra committant, & tamen Deus facit ſuper tales oriri ſolem „ſuum: nec minus tribuit quam ante tribuebat largiſſima mu„nera vitæ ac ſalutis. Et quamuis eis in eccleſia locus humil„limæ pœnitentiæ non concedatur, Deus tamen ſuper eos ſuæ „patientiæ non obliuiſcitur. Ex quorum numero ſi quis no„bis dicat: Aut date mihi eumdem pœnitendi locum, aut de„ſperatum me permittite, vt faciam quidquid libuerit, quan„tum meis opibus adiuuor, & humanis legibus non prohi„beor, in ſcortis omnique luxuria damnabili quidem apud „dominum, ſed apud homines pleroſque etiam laudabili: aut „ſi me ab hac nequitia reuocatis, dicite, vtrum mihi aliquid „proſit ad vitam futuram: ſi in iſta vita illecebroſiſſimæ volu„ptatis blandimenta contemſero, ſi libidinum irritamenta fre„nauero, ſi ad caſtigandum corpus meum multa mihi etiam li„cita & conceſſa ſubtraxero, ſi me pœnitendo vehementius „quam prius excruciauero, ſi miſerabilius ingemuero, ſi fleue„ro vberius, ſi vixero melius, ſi pauperes ſuſtentauero largius, „ſi caritate (quæ operit multitudinem peccatorum) flagrauero

liciorem multo conditionem eorum exſtitiſſe, qui ſæpius, quam eorum qui ſemel in vita deliquiſſent. Quod quibus tandem perſuadere poterunt?

(t) Auguſtin. epiſt. LIV. ad Macedon. pag. 92. (tom. II. opp. pag. 241. edit. Baſil. MDLXIX.)

„ar-

„ardentius: quis nostrum ita desipit, vt huic homini dicat, „Nihil tibi ista proderunt in posterum, vade saltem, vitæ huius „suauitate perfruere: Avertat Deus tam inanem sacrilegamque dementiam. Quamuis ergo caute salubriterque prouisum sit, vt locus illius humillimæ pœnitentiæ semel in ecclesia concedatur, ne medicina vilis minus vtilis esset ægrotis, „quæ tanto magis salubris est, quanto minus contemtibilis fuerit; quis tamen audeat, dicere Deo: Quare huic homini, „qui post primam pœnitentiam rursus se laqueis iniquitatis „obstringit, adhuc iterum parcis? Quis audeat dicere, erga „istos non agi, quod apostolus ait: *Ignoras, quia patientia Dei* „*ad pœnitentiam te adducit?* Aut istis exceptis esse definitum, quod „scriptum est: *Beati omnes, qui confidunt in eum?* Aut ad istos „non pertinere, quod dicitur: *Viriliter agite, & confortetur cor* „*vestrum, omnes qui speratis in dominum?*„ Si AVGVSTINVS heic ex vero nobis depingit ecclesiæ praxin, in hoc vno casu, nullus vsus vel publicæ vel priuatæ confessionis coram hominibus fuit ad obtinendam grauissimorum peccatorum veniam; sed homines ad aliam methodum ablegati sunt petendi veniam a Deo per priuatæ pœnitentiæ exercitium. Consequenter heic nulla potuit esse absoluta necessitas confessionis auricularis, quam probabilissimum est hoc in casu præscriptam fuisse, vbi publica confessio locum non haberet, si qua talis necessitas credita fuisset, vel imponi solita, quemadmodum hodie obtinet per imperiosam & dictatoriam ecclesiæ *Romanensis* auctoritatem.

§. IV.

Et ex diuersis aliis similibus rationibus.

IOANNES DALLAEVS [u] vir eruditus multas alias magni ponderis rationes & argumenta vrget, quibus heic immorari non possumus, sed summa tantum eorum capita, in gratiam lectorum indoctorum, vel eorum, qui doctum & elaboratum eius librum non habent, memoramus.

ARGVMENTVM illius I. inde sumtum, quod confessionis *Latinæ* vsus nullus fuerit apud alias vetustissimas christianismi præter *Latinam* sectas; vt apud *Aethiopes*, apud *Indos* sancti *Tho-*

(u) Dall. de confess. auricular. lib. IV. c. I. seqq.

mæ, apud *Babylonios* siue *Chaldæos*, apud *Armenios*, apud *Iacobitas*, immo ne apud *Græcos* quidem plane is sit, qui apud *Latinos*.

ARGVMENTVM II. inde ductum, quod pastores de confessione apud *Latinos* quidem instruantur, eamque & doceant & ministrent adsidue, velut nobilissimum sui muneris actum; apud veteres vero nihil fecisse simile vspiam reperiantur in veris antiquitatis monumentis.

ARGVMENTVM III. inde ductum, quod confessio arcana inter religiosos quorumuis fidelium actus, clericorum, monachorum, laicorum, principum, priuatorum, procerum, virorum, mulierum &c. apud *Latinos* quidem recentiores præcipuo passim & vbique loco, apud veteres vero christianos nullo vmquam vel vspiam censeatur, aut memoretur.

ARGVMENTVM IV. inde ductum, quod in veteri ecclesia fideles nulla, vt nunc apud *Latinos*, lege obligarentur apud sacerdotem ante in arcano confiteri, quam ad mensam dominicam, eucharistiæ sumendæ gratia, accederent. Idque octo rationibus, & aliquot CHRYSOSTOMI, PELAGII, AVGVSTINI, DOROTHEI, patrum *Cabilonensium* & HINCMARI testimoniis confirmat.

ARGVMENTVM V. inde ductum, quod in vitæ supremis confessionem auricularem facere aut expetere fideles apud *Latinos* quidem cuncti, apud veteres vero christianos nulli in vtrorumque libris reperiantur.

ARGVMENTVM VI. inde ductum, quod in describendis suis suorumue morbis, calamitatibus, bellis, naufragiis, itineribus & profectionibus & ceteris periculosis, confessionis sacramentalis *Latini* quidem recentiores scriptores passim ac pene semper, veteres vero numquam meminerint.

ARGVMENTO VII. non fuisse apud veteres vsitatam confessionem auricularem, vt nunc est apud *Latinos*, inde ostenditur, quod quæ ab horum fidelibus in persecutione, & ab ipsis martyribus in vltimo agone, plurimum vsurpata legitur; ea in priscis libris nuspiam reperiatur vel in ecclesiæ persecutione, vel in confessorum & martyrum certaminibus memorata.

ARGVMENTVM VIII. a temporibus confessionis nunc solemnibus ductum, vt pascha, natali, maioribus festis, quadragesi-

gesima, sabbatis, sextis feriis &c. ad quæ confessionis arcanæ mentionem *Latini* quidem passim ac fere semper, veteres fere numquam facere deprehendantur.

ARGVMENTVM IX. ductum a miraculis, quæ vel a confessione, vel ad confessionem a *Latinis* quidem multa passim, a veteribus vero nulla vspiam fieri dicantur.

ARGVMENTVM X. ex eo; quod confessionem arcanam pagani *Latinis* quidem non semel, veteribus vero christianis numquam vel obiecisse vel gratulati esse legantur.

ARGVMENTVM XI. inde ductum; quod confessionem quinque quidem retro proximis sæculis, (ex quo a concilio *Lateranensi* an. MCCXV. firmata fuit) ex ipsis christianis multi semper oppugnarint, hæreseos hoc nomine a *Latinis* damnati, ex omni vero veterum ante illa sæcula hæreticorum multitudine, nemo eam pulsasse reperiatur.

ARGVMENTVM XII. contra *Innocentianam* confessionem, ex eo, quod priscæ ecclesiæ pastoribus ignota fuerint ouium suarum delicta, ex CHRYSOSTOMO & AVGVSTINO, item INNOCENTIO I. & LEONE *Romanis* episcopis.

ARGVMENTVM XIII. ex eo ductum, quod *Antonius* ab *Athanasio* instituisse memoretur, vt ascetæ suas singuli cogitationes perscriberent, & alii cum aliis communicarent. Ea fuisse *Innocentianæ* confessionis prima rudimenta.

ARGVMENTVM XIV. ex eo ductum, quod veteribus indictæ, ignotæque fuerint illæ tam multæ, quæ ex *Innocentiana* disciplina necessario oriuntur, quæstiones ac disputationes, & quarum hodie pleni sunt omnes *Latinorum* libri.

ARGVMENTVM XV. inde ductum, quod nullum ex iis scripturæ locis, quibus nunc *Latini* confessionem firmant, hoc sensu patres intellexerint; pleraque vero plane contra interpretentur.

ARGVMENTVM XVI. inde sumtum, quod patres in libris de pœnitentia ex professo scriptis, istius confessionis arcanæ, quæ pœnitentiæ pars necessaria putatur, nulli meminerint.

ARGVMENTO XVII. demonstratur, *Innocentianam* confessionem fuisse veteribus ignotam, ex eo quod, quum veteres tres tantum agnouerint pœnitentiæ species, antebaptisma-

lem, quotidianam fidelium, & publicam lapſorum, confeſſionem *Innocentianam* ad nullam ex his pertinuiſſe certum ſit.

ARGVMENTVM XVIII. ex inſigni quodam GREGORII NYSSENI [w] teſtimonio ſumtum, quo demonſtratur, non, quæcumque letalia peccata nunc priuata confeſſione apud *Latinos* procurantur, ea olim omnia publicæ pœnitentiæ ſubiici, ſed tantum per publicas exhortationes verbi ac doctrinæ curari conſueuiſſe: Quod cum dogmate de auriculari confeſſione non poſſe conſiſtere.

ARGVMENTVM XIX. ex *Nectarii* facto ſumtum, qui pœnitentiarii presbyteri munus ex quadam occaſione *Conſtantinopoli* abrogarit. Quod arguat, nullam heic fuiſſe auricularis confeſſionis neceſſitatem.

ARGVMENTVM XX. ſumtum ex teſtimoniis CHRYSOSTOMI, HILARII, BASILII, AMBROSII, MAXIMI TAVRINENSIS, & AVGVSTINI (a nobis iam memoratis) quæ ſola contritione ſine oris confeſſione peccatorum a Deo remiſſionem impetrari doceant.

ARGVMENTO XXI. patres peccata a Deo, etiam ſine ſacerdotis abſolutione remitti, clariſſime inde ſenſiſſe probatur, quod de relapſorum ſalute, quibus abſolutio ſacerdotis negata, non tamen deſperabant. Quod argumentum iam ſupra conſiderauimus.

ARGVMENTA eius XXII. XXIII. & XXIV. petita ſunt e te-

(w) Gregor. Nyſſen. epiſt. ad Letoium. Dallæus l. c. cap. XXIII. hæc habet: Gregorius Nyſſenus quum obſeruaſſet peccata auaritiæ, quæ ab apoſtolo & *idololatria & omnium malorum radix* vocatur, παρωφθῆναι ἀνεπίσκεπτά τε καὶ ἀπημελητά, *inconſiderata & abſque cura prætermiſſa eſſe a patribus*, hoc eſt (vt optime interpretatur Balſamo) relicta eſſe ἀνεπιτίμητά τε καὶ ἀκόλαστα *impunita & incaſtigata*, nullis adeo pœnitentiæ cenſuris pœniſque ſubiecta, poſtquam hoc, inquam obſeruauit, continenter addit, ἀλλὰ περὶ μὲν τούτων διὰ τὸ παρεῖσθαι τοῖς πατράσιν ἡμῶν, ἀρκεῖν ἡγούμεθα τῷ δημοσίῳ τῆς διδασκαλίας λόγῳ, ὅπως ἂν οἷόν τε ᾖ θεραπεύειν, ὥσπερ τινὰ πληθωρικὰ, τὰς πλεονεκτικὰς ἀῤῥωστίας διὰ τοῦ λόγου καθαίροντας. *Sed de his quidem, quoniam id a patribus prætermiſſum eſt, ſufficere exiſtimo, publico doctrinæ, ſiue inſtructionis ſermone eas, quomodo fieri poteſt, curare auaritiæ adfectiones, veluti quoſdam ex repletione ortos morbos, oratione purgantes.* Locus palmarius; qui totum confeſſionis Innocentianæ myſterium illo ſæculo (id eſt quarto pene præcipiti) eccleſiæ chriſtianæ adhuc incognitum fuiſſe, plane liquidoque demonſtrat. cetera.

ſtimo-

ſtimoniis CASSIANI, IVLIANI POMERII ſiue PROSPERI & LAVRENTII, epiſcopi *Nouarienſis*, quæ ante in medium produximus.

ARGVMENTVM XXV. duobus inſignibus BEDAE teſtimoniis conſtat.

ARGVMENTVM XXVI. deſumtum ab ERASMI & BEATI RHENANI & RIGALTII teſtimoniis, qui vi veritatis victi *Innocentianam* confeſſionem apud veteres in vſu non fuiſſe fateantur.

ARGVMENTO XXVII. oſtendit, veteris diſciplinæ mutationem circa noni ſæculi initia contigiſſe, quo tempore priuata a ſacerdote indicta pœnitentia communis ac notiſſima eſſe cœperit.

ARGVMENTO XXVIII. aperit aliquot inter hodiernam *Innocentianam* & mediam illam noni ſæculi pœnitentiam ac confeſſionem diſcrimina, inter quod vnum præcipue obſervandum eſſe dicit, in eo ſitum, quod hi etiam ſine ſacerdotali iudicio pœnitentibus peccata remitti a Deo putarint.

ARGVMENTO XXIX. oſtendit, erroris ex illis initiis progreſſum ſequentibus poſt nonum & decimum tertium vſque ſæculis, ne quidem ſic inualuiſſe, vt non multi eſſent, qui peccata contritis a Deo, etiam a nullo ſacerdote abſolutis, dimitti crederent. Id probat teſtimoniis GOFFRIDI VINDOCIENSIS [x], PETRI LOMBARDI & in primis GRATIANI, qui

(x) Goffrid. lib. V. epiſt. XVI. apud Dall. p. 553. qui ita eum adducit: Ex Coffrido Vindocienſ. ſupra (p. 534.) recitauimus, fuiſſe eo tempore (id eſt vndecimo deſinente, vel ineunte duodecimo ſæculo) Guilielmum quemdam, virum doctum, qui diceret, *ſolummodo quatuor peccata confeſſione indigere, errorem videlicet gentilem, ſchiſma fraternum, hæreticam prauitatem & iudaicam perfidiam;* quod iis vniuerſalis eccleſiæ caſtitas commaculatur; *cetera autem peccata a domino ſine confeſſione ſanari.*
Lombard. diſtinct. lib. IV. §. XVII. Apud Dall. p. 554. Lombardus propoſita hac quæſtione, *Vtrum ſufficiat peccata confiteri ſoli Deo, an oporteat confiteri ſacerdoti*, hæc ſtatim ſubiicit, *Quibuſdam viſum eſt, ſufficere, ſi ſoli Deo fiat confeſſio ſine iudicio ſacerdotali & confeſſione eccleſiæ.* Mox illorum fundamenta ex ſcripturis & patribus exponit, Tum, *His* (inquit) *auctoritatibus innituntur, qui ſufficere contendunt Deo confiteri peccata ſine ſacerdote. Dicunt enim, quod ſi quis timens detegere culpam ſuam apud homines, ne inde opprobrio habeatur, vel alii ſuo exemplo ad peccandum accingantur, & ideo tacet homini & reuelat Deo, conſequitur veniam.* &c.

citatis

citatis in vtramque partem testimoniis lectoris iudicio reseruet, cui harum opinionum adhærendum sit, quia vtraque fautores habeat sapientes & religiosos viros [†]. Hoc arguere docet, *Gratiani* ætate quæstionem de necessitate confessionis auricularis non ita fuisse decisam, vt postea in concilio *Laterano* & concilio *Tridentino*. Idem probat THOMAE AQVINATIS, BONAVENTVRAE & ANTONINI testimoniis, qui dicant, tempore GRATIANI & LOMBARDI quæstionem de istius confessionis necessitate fuisse in opinione, id est dubiam & problematicam, ita vt liceret vtramuis quæstionis partem tueri, confessionisque necessitatem vel adfirmare, vel negare sine hæresis crimine: sed post determinationem ecclesiæ sub *Innocentio III.* in *Laterano* concilio factam, hæresin reputandam esse, si quis statuat sufficere, si soli Deo fiat confessio sine iudicio sacerdotali & confessione ecclesiæ.

ARGVMENTO XXX. ostendit, fuisse etiam post *Innocentianam* decretalem, id est post annum MCCXV, qui senserint, sine sacerdotali absolutione adeoque & confessione, peccata fidelibus contritis remitti; idque probat ex VICLEFO, IOANNE HVS, SEMECA, GRATIANI glossatore, MICHAELE *Bononiensi* & PETRO *Oxoniensi*.

HAEC breuis recensio est horum triginta argumentorum, quibus doctissimus DALLAEVS, ad ostendendam doctrinæ *Romanensis* de auriculari confessione nouitatem, vtitur, quæ lector studiosus, qui ea plenius deducta & confirmata videre gestit, in elaborato auctoris nostri opere ipse potest euoluere.

§. V.

Certis tamen in casibus priuata confessio permissa & commendata. 1. De peccatis leuioribus homines admoniti, vt alii aliis ea confiterentur, quo mutuum precum auxilium haberent.

VERVM ENIM VERO quæcumque ab hoc vel quolibet alio ecclesiæ protestantis scriptore dicta sunt, non eo spectant, vt priuatam confessionem in quibusdam casibus & specialibus

(†) Gratian. de pœnit. distinct. II. c. LXXXIX. Cui harum potius adhærendum sit, lectoris iudicio reseruatur. Vtraque enim fautores habet sapientes & religiosos viros.

occa-

occaſionibus a veteribus permiſſam & commendatam eſſe negent. Nam de peccatis leuioribus omnes admonebant, vt ea alii aliis confiterentur, quo mutuum precum auxilium haberent. Monitum hoc in *Iacobi* apoſtoli epiſtola c. V, 16. eſt: *Confitemini alii aliis offenſas, & precamini alii pro aliis, vt ſanemini: multum enim valet deprecatio iuſti efficax.* Qui locus etſi a *Romanenſibus* pro auriculari confeſſione ſacerdoti facienda adduci ſolet, antiquis tamen temporibus nihil amplius præcipere chriſtianis generatim creditus eſt, quam vt alii aliis peccata ſua confiterentur. Ita certe AVGVSTINVS eum intellexit. Scribens enim in verba ſeruatoris noſtri apud *Ioannem* euangeliſtam, *Si ergo ego laui pedes veſtros dominus & magiſter, debetis & vos alter alterius lauare pedes*; iſta & *Iacobi* verba ſimul ita exponit [*y*]: „Num quid dicere poſſumus, quod etiam frater fratrem a de„licti poterit contagione mundare? Immo vero id etiam nos „eſſe admonitos in huius dominici operis altitudine noueri„mus, vt confeſſi inuicem delicta noſtra, oremus pro nobis, „ſicut & *CHRISTVS* interpellat pro nobis. Audiamus apoſto„lum *Iacobum*, hoc ipſum euidentiſſime præcipientem & dicen„tem, *Confitemini inuicem delicta veſtra & orate pro vobis*, quia & ad „hoc dominus nobis dedit exemplum. Si enim ille, qui vl„lum peccatum nec habet, nec habuit, nec habebit, orat pro „peccatis noſtris, quanto magis nos inuicem pro peccatis no„ſtris orare debemus? Et ſi dimittit nobis ille, cui non habe„mus, quod dimittamus, quanto magis dimittere nobis debe„mus inuicem, qui ſine peccato heic viuere non valemus. --- „Itaque nobis delicta donemus, & pro noſtris delictis inuicem „oremus, atque ita quodam modo pedes noſtros lauemus„. Similem in modum ERADIVS, vel ipſe AVGVSTINVS alio loco [z], ait: „In omnibus ſcripturis diuinis vtiliter ac ſalubri„ter admonemur, vt peccata noſtra debeamus iugiter & hu„militer non ſolum Deo ſed etiam ſanctis & Deum timentibus „confiteri. Sic enim per *Iacobum* apoſtolum nos admonet ſpi„ritus ſanctus, dicens, *Confitemini alterutrum peccata veſtra, & orate*

(*y*) Auguſtin. tract. LVIII. in Ioan. tom. IX. p. 164. (p. 401. edit. Baſil. MDLXIX.)

(z) Auguſtin. homil. XII. ex L. tom. X. p. 161. (p. 438. cit. edit.)

„*pro inuicem, vt saluemini*„. HINCMARVS[a], doctus episcopus *Gallicanus* sæculo nono, eamdem dat interpretationem. „Quo„tidiana leuiaque peccata, secundum *Iacobi* apostoli hortamen„tum, alterutrum coæqualibus confitenda sunt. Quæ quoti„diana eorum oratione cum quotidianis piis actibus credenda „sunt mundari, si cum benignitate mentis in oratione domi„nica veraciter dicitur: *Dimitte nobis debita nostra, sicut & nos re„mittimus debitoribus nostris*„. Et MALDONATVS [b] ad hunc modum omnes fere veteres intellexisse eum locum dicit, adlegans non solum AVGVSTINVM, sed HESYCHIVM etiam, GREGORIVM MAGNVM, BEDAM & auctorem *glossæ interlinearis*. Quibus alii [c] addunt SCOTVM, BIEL, DIONYSIVM CARTHVSIANVM, CAIETANVM, GAGNAEVM & ANTONIVM GODELLVM, episcopum *Grassensem* in *Gallia*; tametsi BELLARMINVS huic *Iacobi* loco innitatur, tamquam plano confessionis auricularis documento, qui tamen in memorato casu ex tot veterum & recentiorum auctorum opinione non aliam iniungit confessionem, quam quæ cuilibet pio christiano fieri potest.

(a) Hincmar. epist. ad Hileboldum tom. II. n. XL. p. 688.

(b) Maldonat. controuers. tom. II. de confessione, cap. II. p. 36. Illud quod ait Iacobus cap. V. *Confitemini alterutrum peccata vestra*, non videtur de confessione sacramentali intelligendum esse, nec esse necessarium. Primum, quia, quum dicit *alterutrum*, indicat, se loqui de ea confessione, quæ fit inter omnes christianos, etiam laicos, ad petendum alterius consilium & orationes. Deinde quod addit, idem significat, *Orate pro inuicem*. Nam de iisdem loquitur, quum ait, *Confitemini alterutrum*, & quum ait, *Orate pro inuicem*. Quum autem dicit, *Orate pro inuicem*, non loquitur de solis sacerdotibus, sed de omnibus. Ergo & quum dicit, *Confitemini alterutrum*. Præterea græce est, *ὅπως ἰαθῆτε*, id est, *vt curemini*, & a *morbo liberemini*. Ex quo verbo intelligitur, non esse sermonem de ea confessione, quæ fit sacerdotibus ad obtinendam remissionem peccatorum, sed ea, quæ fit omnibus christianis ad obtinendas preces. Idem colligitur ex eo, quod sequitur, *multum valet oratio iusti assidua*, vbi non tantum loquitur de iusto sacerdote, sed de quolibet iusto, vt declarat exemplum illud; *Elias homo erat similis nobis, passibilis; oratione orauit, vt non plueret &c.* Ad hunc modum omnes fere veteres intellexerunt eum locum: Hesychius lib. I. in Leuitic. cap. IV. D. Augustinus lib. L. homil. homil. XII. D. Gregorius lib. XXII. moral. cap. XIV. Beda commentario in eumdem locum & commentario in 1 Ioan. cap. V. & auctor glossæ interlinearis.

(c) Vid. Dall. de confess. lib. I. c. XII.

§. VI.

§. VI.

2. Si quis alicui priuato iniuriam fecisset, id confiteri veniamque ab offensa parte petere debebat.

Si quis alicui priuato iniuriam fecisset, nullum vmquam dubium fuit, quin pars offendens culpam suam parti offensæ confiteri, priuatimque satisfacere potuerit. Ita enim *CHRISTVS* præcepit Matth. V, 23. *Si obtuleris munus tuum ad altare, & illic recordatus fueris, quod frater tuus habeat aliquid aduersum te, relinque ibi munus tuum ad altare, & vade prius reconciliare fratri tuo, & tunc veniens offer munus tuum.* Quæ in verba AVGVSTINVS [d] ait: *Poteris eum* (fratrem) *non simulato animo lenire, atque in gratiam reuocare, veniam postulando, si hoc prius coram Deo feceris.* Et paucis interpositis: *Hoc est vnum remedium, supplici animo veniam deprecetur: quod quisquis non fecerit, inanis iactantiæ spiritu inflatur.*

§. VII.

3. Si quis impeditam ab onere peccatorum haberet conscientiam, peccata sua sacerdoti priuatim confiteri monebatur; vt ab ipso per salubria consilia & monita curaretur.

Si quis anxio esset animo & impeditam ab onere peccatorum haberet conscientiam; id ipsum alius casus erat, in quo istiusmodi homo sapientem quemdam & prudentem pastorem adire monebatur, vt ipsius tamquam cuiusdam mediatoris & deprecatoris pro ipso sub Christo, consilio, monito, auxilio & precibus subleuaretur. Scriptores pontificii multa loca ex antiquis scriptoribus adlegare solent, quæ studiose diligenterque considerata examinataque nihil amplius quam hoc ipsum velle intelliguntur. Istiusmodi monitum CLEMENS ROMANVS, vel auctor, qui sub ipsius nomine scripsit, suggerit: *Quod si in alicuius cor*, inquiens, *vel liuor, vel infidelitas, vel aliud malum latenter irrepserit, non erubescat, qui animæ suam curam gerit, hæc confiteri* [e] *ei, qui præest, vt ab ipso per verbum Dei & consilium salubre curetur.* Atque ita MALDONATVS [f] hoc non referen-

(d) Augustin. de sermone domini in monte lib. I. c. X. (tom. IV. opp. p. 1112. edit. Basil. MDLXIX.)

(e) Clem. epist. I. ad Iacob.

(f) Maldonat. tom. II. de confess. cap. II. p. 40. Vnus (ex variis confessionis fi-

dum esse ad sacramentalem confessionem ingenue agnoscit. Idem simili occasione monent ORIGENES, GREGORIVS NYSSENVS [g] & BASILIVS [h], vt peccata sua sacerdotibus enuntient, qui donis necessariis instructi sint, & rationem, qua curanda sint, teneant.

§. VIII.

4. Admonebantur etiam ad rogandum sacerdotis consilium, num consultum esset pro priuatis peccatis publicam agere pœnitentiam.

ALIAM rationem, cur peccata priuata sacerdoti confitenda sint, reddit ORIGENES, quia ille omnium optime iudicare possit, num consultum sit pro talibus peccatis homines ad publicam in ecclesia agendam pœnitentiam admittere; quæ res illis temporibus non insolita erat. „Vide, inquit [i], quid „docet nos scriptura diuina, quia oportet peccatum non ce„lare intrinsecus. Fortassis enim, sicut ii, qui habent intus „inclusam escam indigestam, aut humoris vel phlegmatis sto„macho grauiter & moleste imminentia, si vomuerint reuelan„tur: etiam hi, qui peccauerint, siquidem occultant, & reti-

nibus) erat, vt peccatores peterent consilium a confessario. Hoc est, quod scribit Clemens epist. I. D. Petrum docuisse, vt peccatores exponerent sacerdoti suas cogitationes malas, vt ab illo acciperent remedium; & quod Dionysius Areopagita indicat in epistola ad Demophilum, reprehendens Demophilum, quia calce abiecerat peccatorem accedentem ad presbyterum, vt ab illo peteret remedium peccatorum.

(g) Gregor. Nyssen. de pœnitent. tom. III. p. 176. tot.

(h) Basil. Regul. breu. resp. CCXXIX. ἡ ἐξαγόρευσις τῶν ἁμαρτημάτων τοῦτον ἔχει τὸν λόγον, ὃν ἔχει ἡ ἐπίδειξις τῶν σωματικῶν παθῶν· ὡς οὖν τὰ πάθη τοῦ σώματος οὐ πᾶσιν ἀποκαλύπτουσιν οἱ ἄνθρωποι, ἀλλὰ τοῖς ἐμπείροις τῆς τούτων θεραπείας· οὕτω καὶ ἡ ἐξαγόρευσις τῶν ἁμαρτημάτων γίνεσθαι ὀφείλει ἐπὶ τῶν δυναμένων θεραπεύειν, κατὰ τὸ γεγραμμένον, ὑμεῖς οἱ δυνατοὶ τὰ ἀσθενήματα τῶν ἀδυνάτων βαστάζετε, τουτέστιν αἴρετε διὰ τῆς ἐπιμελείας. *Omnino in peccatorum reuelatione, siue enuntiatione eadem ratio est, quæ etiam in apertione vitiorum corporis. Vt igitur vitia corporis nequaquam quibusuis temere homines aperiunt, sed iis tantummodo, qui rationem, qua ea curanda sint, teneant; eodem modo etiam peccatorum reuelatio fieri debet, apud eos videlicet, qui ea possint curare: consentaneum in modum illi, quod scriptum est;* Vos qui firmiores estis, imbecillitates infirmorum portate, *hoc est tollite diligentia & cura vestra.*

(i) Origen. homil. II. in psalm. XXXVII. tom. I. p 472. (p. 293. f. edit. Paris. MDCIIII.)

nent

„nent intra ſe peccatum, intrinſecus vrgentur, & propemo-„dum ſuffocantur a phlegmate, vel humore peccati. Si autem „ipſe ſui accuſator fiat, dum accuſat ſemet ipſum & confitetur, „ſimul euomit & delictum, atque omnem morbi digerit cauſ-„ſam. Tantummodo circumſpice diligentius, cui debeas con-„fiteri peccatum tuum! Proba prius medicum, cui debeas „cauſſam languoris exponere, qui ſciat infirmari cum infir-„mante, flere cum flente, qui condolendi & compatiendi no-„verit diſciplinam: vt ita demum, ſi quid ille dixerit, qui ſe „prius & eruditum medicum oſtendit & miſericordem, ſi quid „conſilii dederit, facias & ſequaris: ſi intellexerit & præuide-„rit, talem eſſe languorem tuum, qui in conuentu totius ec-„cleſiæ exponi debeat & curari, ex quo fortaſſis & ceteri ædi-„ficari poterunt, & tu ipſe facile ſanari, multa hoc deliberati-„one & ſatis perito medici illius conſilio procurandum eſt„. Planum eſt hoc in caſu, huiuſmodi priuatam confeſſionem fa-ctam fuiſſe ideo, vt ab ſacerdote peteretur conſilium de agen-da publica pœnitentia pro peccato quodam priuato; homi-neſque ad eum adiiſſe priuatim, vtpote qui omnium optime iudicare poſſet, num peccata ipſorum eſſent eiuſmodi, vt pu-blicam humiliationem & pœnitentiam requirerent. Nam hoc, vt antea diximus, illis temporibus non erat inuſitatum homi-nibus, publicam agere velle pœnitentiam pro priuatis pecca-tis; immo pro ipſa intentione & propoſito grauiora quædam crimina perpetrandi, etiamſi ea numquam in ipſum actum de-ducerentur. De quibuſdam iſtiuſmodi peccatoribus loquitur CYPRIANVS, *Quamuis*, inquiens [k], *nullo ſacrificii aut libelli fa-cinore conſtricti, quoniam tamen de hoc vel cogitauerunt, hoc ipſum a-pud ſacerdotes Dei dolenter & ſimpliciter confitentes, exomologeſin conſci-entiæ faciunt, animi ſui pondus exponunt, ſalutarem medelam paruis licet & modicis vulneribus exquirunt, ſcientes ſcriptum eſſe, Deus non irridetur.* Hæc peccata priuata, poſt ſecretam confeſſionem, nonnumquam publice declarabantur, & de libello recitaban-tur in congregatione: at non omnes epiſcopi [l] hoc appro-bant. Hinc quum LEO pontifex *Romanus* epiſcopos aliquot,

(k) Cyprian. de lapſis p. 134. (p. 95. edit. Feil. Amſtelod. MDCC.)

(l) Leo epiſt. LXXX. al. LXXVIII. ad epiſc. Campan. (tom. III. concil. p. 1373.)

per

per *Campaniam*, *Samnium* & *Picenum* conſtitutos, hac methodo vti percepiſſet, datis ad eos litteris querebatur grauiter hac de re, eamque conſuetudinem abrogari iubebat, inter alia ita ſcribens: *Illam etiam contra apoſtolicam regulam præſumtionem, quam nuper agnoui a quibuſdam illicita vſurpatione committi, modis omnibus conſtituo ſubmoueri; ne de ſingulorum peccatorum genere libellis ſcripta profeſſio publice recitetur: quum reatus conſcientiarum ſufficiat ſolis ſacerdotibus indicari confeſſione ſecreta. Quamuis enim plenitudo fidei videatur eſſe laudabilis, quæ propter Dei timorem apud homines erubeſcere non veretur: tamen quia non omnium huiuſmodi ſunt peccata, vt ea, quæ pœnitentiam poſcunt, non timeant publicare, remoueatur tam improbabilis conſuetudo, ne multi a pœnitentiæ remediis arceantur, dum aut erubeſcunt aut metuunt inimicis ſuis ſua facta reſerari, quibus poſſint legum conſtitutione percelli.* Quæ vltima LEONIS verba aliam rationem ſuggerunt, cur veteres quibuſdam in caſibus priuatam confeſſionem permiſerint, etiam quando pœnitentia ipſa in exercitio ſuo publica eſſe debuit. Nam obſeruare licet,

Vid. Baſil. can. LXI. *ὁ κλέψας, εἰ μὲν ἀφ᾽ ἑαυτῦ μεταμεληθεὶς κατηγορήσει ἑαυτῦ, ἐνιαυτὸν κωλυθήσεται μόνης τῆς κοινωνίας τῶν ἁγιασμάτων. Qui furatus eſt, ſi ſponte pœnitentia motus ſe ipſum accuſauerit, per annum a ſola ſacramentorum communione arcebitur.* Can. LXIII. *Ὁ ἐν ἀλόγοις τὴν ἑαυτῦ ἀσέβειαν ἐξαναγορεύων, τὸν αὐτὸν λόγον ἐξομολογούμενος παραφυλάττεται, Qui ſuam in brutorum concubitu impietatem confitetur, eamdem pœnitentiæ rationem obſeruet.*

Paulin. vit. Ambroſ. p. 10. (p. 87. h. i. edit. Pariſ. MDCXLII.) Quotieſcumque illi aliquis ob percipiendam pœnitentiam lapſus ſuos confeſſus eſſet, ita flebat, vt & illum flere compelleret. Videbatur enim ſibi cum iacente iacere. Cauſſas autem criminum, quas illi confitebantur, nulli niſi domino ſoli, apud quem intercedebat, loquebatur: bonum relinquens exemplum poſteris ſacerdotibus, vt interceſſores apud Deum magis ſint, quam accuſatores apud homines &c.

Ambroſ. de pœnit. lib. I. c. XVI. Si quis occulta crimina habens, propter Chriſtum tamen ſtudioſe pœnitentiam egerit, quomodo iſtic recipit, ſi ei communio non refunditur? cetera.

Gennad. de dogmat. eccleſ. c. LIII. (inter opera Auguſtin. tom. III. p. 205. ed. Baſil. MDLXIX.) Quem mortalia crimina poſt baptiſmum commiſſa premunt, hortor prius publica pœnitentia ſatisfacere, & ita ſacerdotis iudicio reconciliatum communioni ſociari.

§. IX.

§. IX.

5. *Si quod esset periculum mortis ex legibus reipublicæ, contra certa crimina latis.*

QVOD, si periculum aliquod vitæ hominum immineret ex legibus ciuilibus, pœnam capitalem certis criminibus infligentibus, hoc in casu satis habuerit ecclesia, si priuatam a peccatoribus reciperet confessionem, eosque a periculosa criminum publicatione immunes esse siuerit. Hac de re AVGVSTINVS loquitur, quando ait: *In secreto* [m] *debemus corripere, in secreto arguere: ne volentes publice arguere, prodamus hominem. Nos volumus corripere & corrigere: quid si inimicus quærit audire quod puniat? Nouit enim, nescio quem homicidam episcopus, & alius illum nemo nouit, ego volo illum publice corripere, & tu quæris inscribere. Prorsus nec prodo nec negligo: corripio in secreto, pono ante oculos Dei iudicium, terreo cruentam conscientiam, persuadeo pœnitentiam.* Fieri etiam interdum solebat, vt peccata istiusmodi secreta confiterentur homines, quæ, quamquam in ordinario legis cursu vitam eorum periculo non expositura erant, alterum tamen illis offensum, si in eius venirent notitiam, ad subitam vlciscendi ipsosque destruendi libidinem concitare poterant. Tali in casu satius esse credebatur, confessionem & pœnitentiam in secreto fieri, ne istiusmodi aliquod incommodum exsisteret. BASILIVS [n] exemplum adfert mulieris, quæ se adulterii ream confiteatur: Leges marito non permittunt eam occidere, nisi in ipso actu deprehensam: Fieri autem poterat, vt hic zelo & furore inflammatus contra legem occidere eam conaretur, si quo modo intelligeret, eam istiusmodi scelere esse adstrictam. Hinc ad præripiendam occasionem tale quid audendi, sacerdotibus interdicebatur δημοσιεύειν, publicare crimen mulierum, sub pœnitentia adulterii ex propria confessione constitutarum, ne mortis caussa eis præberetur; hoc est, ne ipsæ furori expo-

(m) Augustin. serm. XVI. de verbis domini c. VIII. (tom. X. opp. p. 72. ed. Basil. MDLXIX.)

(n) Basil. c. XXXIV. τὰς μοιχευθείσας γυναῖκας, καὶ ἐξαγορευούσας δι' εὐλάβειαν, ἢ ὁπωσοῦν ἐλεγχομένας, δημοσιεύειν μὲν ἐκώλυσαν οἱ πατέρες ἡμῶν, ἵνα μὴ θανάτου αἰτίαν παράσχωμεν ἐλεγχθείσαις. *Adulterio pollutas mulieres & confitentes ob pietatem, vel quomodocumque conuictas, publicare quidem patres nostri prohibuerunt, ne conuictis mortis caussam præbeamus.*

ne-

nerentur maritorum suorum, qui ad id forte adeo accenderentur indignatione, vt ruptis omnibus vinculis facerent, quod per legem defendere non possent.

§. X.

6. Priuata confessio requisita ab eis, qui priuatim de peccatis suis admonebantur.

VNVS adhuc casus succurrit, in quo aliquid, quod instar confessionis priuatæ erat, requirebatur. Si quis a spirituali suo ductore de crimine aliquo admoneretur, cuius ille manifesto reus erat, aut de eo valde suspectus; tali in casu gloriam Deo dare debebat, sibi vero pudorem tribuere, peccatum suum ingenue confitendo & agnoscendo, vt vero priuatæ admonitionis fini responderet. De huiusmodi confessione loquitur AMBROSIVS [o] in persona *Dauidis*, quando ait: *Quum a priuato homine corriperetur, quod grauiter deliquisset, non indignatus infremuit, sed confessus ingemuit culpæ dolore.*

§. XI.

Officium presbyteri pœnitentiarii multis in ecclesiis institutum, ad recipiendas & dirigendas istiusmodi priuatas confessiones.

OMNIA illa priuatæ confessionis genera antiquis temporibus permissa erant, vt quæ cum instituta & ordinaria publicæ confessionis & pœnitentiæ disciplina in ecclesia poterant consistere. Quæ vt eo melius ad præscriptas regulas dirigerentur, hominesque docerentur, quid in eiusmodi casibus agendum esset, multis in ecclesiis peculiaris quidam minister institutus erat sub nomine presbyteri pœnitentiarii. Huius officium non erat, priuatas confessiones in publicæ disciplinæ fraudem recipere; multo minus priuatam absolutionem impertire ad nudam confessionem & ante actam pœnitentiam; (quæ praxis veteri ecclesiæ prorsus ignota erat, quemadmodum pluribus posthæc videbimus;) sed spectabat illud ad facilius reddendum promouendumque publicæ disciplinæ exercitium; dum homines condocebantur, quæ peccata leges ecclesiæ publica pœnitentia expiari iuberent, & quemadmodum in eius actione sese deberent gerere; & ad iniungendam tantum priuatam

(o) Ambros. de apolog. Dauid. cap. II.

pœni-

pœnitentiam pro istiusmodi priuatis criminibus, quæ in publicam scenam proferri non expediebat, dum metuendum erat, ne hoc ipsis pœnitentibus detrimento esset, vel ecclesiæ offendiculo.

§. XII.

Hoc officium postea abrogatum, & homines, quod ad priuatam attinet confessionem libertati suæ omnino relicti.

VNIVERSA historia instituti primum huius officii tempore persecutionis *Diocletianeæ*, & abrogati a *Nectario* episcopo *Constantinopolitano* tempore *Theodosii* imperatoris, narrationi debetur duorum historicorum, SOCRATIS & SOZOMENI, qui eadem tempestate floruerunt, vbi hoc officium abolitum est; adeoque proderit eam eorum verbis primum commemorare, & deinde pauca quædam in illam animaduertere. SOCRATES [p] de imperio loquens *Theodosii*: „Sub idem tempus, inquit, presbyteros ecclesiarum (τοὺς ἐπὶ τῆς μετανοίας πρεσβυτέρους,) „qui pœnitentiæ præerant, placuit aboleri, idque ob huiusmodi caussam. Postquam *Nouatiani* se ab ecclesia seiunxissent, eo quod cum illis, qui persecutione *Deciana* lapsi fuerant, communicare noluissent, ex illo tempore episcopi pœnitentiarium presbyterum albo ecclesiastico adiecerunt, vt, qui „post baptismum lapsi essent, coram presbytero, ad eam rem „constituto, delicta sua confiterentur. Et apud alias quidem „sectas hæc regula etiamnum perseuerat. Soli vero *Homousiani* „&, qui cum illis in fide consentiunt, *Nouatiani* presbyterum „pœnitentiæ præpositum reiecerunt. Nam *Nouatiani* ne initio quidem supplementum hoc admiserunt. *Homousiani* vero, qui nunc ecclesias obtinent, quum hoc institutum diu retinuissent, tandem *Nectarii* episcopi temporibus abrogarunt,

(p) Socrat. lib. V. c. XIX. Ὑπὸ τὸν αὐτὸν χρόνον, ἔδοξε καὶ τοὺς ἐπὶ τῆς μετανοίας περιελεῖν πρεσβυτέρους τῶν ἐκκλησιῶν, δι' αἰτίαν τοιαύτην· ἀφ' οὗ Ναυατιανοὶ τῆς ἐκκλησίας διεκρίθησαν, τοῖς ἐπταικόσιν ἐν τῷ ἐπὶ Δεκίου διωγμῷ κοινωνῆσαι μὴ θελήσαντες, οἱ ἐπίσκοποι τῷ ἐκκλησιαστικῷ κανόνι τὸν πρεσβύτερον τὸν ἐπὶ τῆς μετανοίας προσέθεσαν, ὅπως ἂν οἱ μετὰ τὸ βάπτισμα πταίσαντες ἐπὶ τοῦ προβληθέντος τούτου πρεσβυτέρου ἐξομολογῶνται τὰ ἁμαρτήματα· οὗτος ὁ κανὼν κρατεῖ μέχρι νῦν ἐν ταῖς ἄλλαις αἱρέσεσι· μόνοι δὲ οἱ τοῦ ὁμοουσίου φρονήματος, καὶ οἱ τούτοις κατὰ τὴν πίστιν ὁμόφρονες Ναυατιανοὶ, τὸν ἐπὶ τῆς μετανοίας πρεσβύτερον παρῃτήσαντο· Ναυατιανοὶ μὲν γὰρ οὐδὲ τὴν ἀρχὴν τὴν προσθήκην ταύτην ἐδέξαντο· οἱ δὲ νῦν ἐκκλησιῶν κρατοῦντες, ἕως πολλοῦ φυλάξαντες, ἐπὶ Νεκταρίου τοῦ ἐπισκό-

„ob facinus quoddam, quod in ecclesia commissum fuerat. „Mulier quædam nobilis, ad pœnitentiarium presbyterum ac- „cedens, delicta post baptismum a se perpetrata sigillatim con- „fessa erat. Presbyter vero præcepit mulieri, vt ieiuniis & o- „rationibus continuis vacaret, quo scilicet vna cum delicto- „rum confessione opus etiam pœnitentiæ ostenderet. Pro- „gressu temporis mulier aliud facinus confessa est, ecclesiæ „nempe diaconum cum ipsa stupri consuetudinem habuisse. „Id quum dixisset, diaconus quidem ecclesia eiectus est: popu- „lus vero grauiter commoueri cœpit. Neque enim solum ob „scelus, quod patratum fuerat, indignabatur, verum etiam eo, „quod labes haud mediocris atque infamia hoc facto adsper- „sa videbatur ecclesiæ. Quum igitur eam ob caussam eccle- „siastici homines dicteriis appeterentur, *Eudæmon* quidam ec- „clesiæ presbyter, *Alexandria* oriundus, episcopo *Nectario* suasit, „vt pœnitentiarium quidem presbyterum expungeret, vnum- „quemque vero pro arbitrio & pro animi sui conscientia ad „sacramentorum communionem sineret accedere. Neque a- „liter fieri posse, vt ecclesia ab omni probro libera esset„. Hæc quum ab ipso *Eudæmone* acceperit, historiæ suæ inserere minime se dubitasse profitetur; quamquam *Eudæmoni* dixerit, nescire se, vtrum hoc ipsius consilium ecclesiæ profuturum sit an non, quia ansam ex eo singulis datam esse viderit, vt deli-

πτα μετέθεσαν, τοιᾶτα τινὸς ἐπὶ τὴν ἐκκλησίαν συμβάντος· γυνή τις τῶν εὐγενῶν προσῆλθεν τῷ ἐπὶ τῆς μετανοίας πρεσβυτέρῳ· καὶ κατὰ μέρος ἐξομολογεῖται τὰς ἁμαρτίας, ἃς ἐπεπράχει μετὰ τὸ βάπτισμα· ὁ δὲ πρεσβύτερος παρήγγειλε τῇ γυναικί, νηστεύειν καὶ συνεχῶς εὔχεσθαι, ἵνα σὺν τῇ ὁμολογίᾳ καὶ ἔργον τι δεικνύειν ἔχῃ τῆς μετανοίας ἄξιον· ἡ δὲ γυνὴ προβαίνουσα, καὶ ἄλλο πταῖσμα ἑαυτῆς κατηγόρει· ἔλεγε γάρ, ὡς εἴη συγκαθευδήσας αὐτῇ τῆς ἐκκλησίας διάκονος· τοῦτο λεχθέν, τὸν μὲν διάκονον τῆς ἐκκλησίας ἐκπεσεῖν παρεσκεύασε· ταραχὴ δὲ κατέσχε τὰ πλήθη· ἠγανάκτουν γὰρ οὐ μόνον ἐπὶ τῷ γενομένῳ, ἀλλ' ὅτι καὶ τῇ ἐκκλησίᾳ βλασφημίαν ἡ πρᾶξις καὶ ὕβριν προυξένησεν· διασυρομένων δὲ ἐκ τούτου τῶν ἱερωμένων ἀνδρῶν, Εὐδαίμων τις τῆς ἐκκλησίας πρεσβύτερος, Ἀλεξανδρεὺς τὸ γένος, γνώμην τῷ ἐπισκόπῳ δίδωσι Νεκταρίῳ, περιελεῖν μὲν τὸν ἐπὶ τῆς μετανοίας πρεσβύτερον, συγχωρῆσαι δὲ ἕκαστον, τῷ ἰδίῳ συνειδότι τῶν μυστηρίων μετέχειν· οὕτω γὰρ μόνως ἔχειν τὴν ἐκκλησίαν τὸ ἀβλασφήμητον· Ταῦτα παρὰ τοῦ Εὐδαίμονος ἀκούσας ἐγώ, τῇ γραφῇ τῇδε παραδοῦναι ἐθάρρησα· -- Ἐγὼ δὲ πρὸς τὸν Εὐδαίμονα πρότερον ἔφην· ἡ συμβουλή σου, ὦ πρεσβύτερε, εἰ συνήνεγκεν τῇ ἐκκλησίᾳ, ἢ εἰ μή, Θεὸς ἂν εἰδείη· ὁρῶ γὰρ ὅτι πρόφασιν παρέσχε, τοῦ μὴ ἐλέγχειν ἀλλήλων

Eta

cta sua inuicem amplius non coarguant, nec obseruent præceptum illud apostoli: *Nolite communicare operibus infructuosis tenebrarum, sed potius redarguite.* SOZOMENVS [q] hanc narrans historiam obseruat, quod præcipue partes huius presbyteri pœnitentiarii fuerint, partim eos instruere, quibus publica pœnitentia opus esset, quid facere illos aut luere oporteret, & partim priuatæ pœnitentiæ exercitia eis imponere, qui publicam pœnitentiam subire haud necesse haberent: & quod proinde vitæ integritate ac prudentia pollere debuerit. Porro obseruat, quod, quum *Nectarius* hoc officium primus ex ecclesia *Constantinopolitana* sustulisset, eius exemplum omnes fere episcopi *Orientales* postea secuti sint; quod autem hic mos in *Occidentalibus* ecclesiis, ac præcipue in ecclesia *Romana* studiose adhuc obseruetur, ad præparandum homines ad publicam ecclesiæ pœnitentiam; quam in toto eius cursu heic describendi sumit occasionem.

HINC itaque pronum est obseruare, 1. Quod hoc officium haud institutum fuerit ad commendandam confessionem auricularem in publicæ disciplinæ detrimentum, sed præcipue ad promouendum publicæ pœnitentiæ exercitium in ecclesia. 2. Quod non fuerit diuinæ sed ecclesiasticæ tantum institutionis. Et quod propterea, 3. vti ecclesia pro sua sapientia illud in bonum finem instituit, ita, quum iste finis obtineri non posset, liberum fuerit ecclesiæ pro eadem sapientia illud abolere & destruere, vti *Nectarius* fecit in oriente. 4. Quod abolitio eius non necessario inferat abolitionem publicæ disciplinæ; cui sua adhuc vis constabat in ecclesia *Orientali*, non obstante huius officii abrogatione; licet forte aliquo modo infirmata esset, respectu priuatorum offensorum; partim quia non adeo procliues erant ad confitendum; partim autem quia, negotio disciplinæ iam penitus ad episcopos deuoluto, otium

τὰ ἁμαρτήματα, μὴ δὲ φυλάττειν τὸ τοῦ ἀποστόλου παράγγελμα τὸ, λέγον, μηδὲ συγκοινωνεῖτε τοῖς ἔργοις τοῖς ἀκάρποις τοῦ σκότους, μᾶλλον δὲ καὶ ἐλέγχετε.

(q) Sozomen. lib. VII. c. XVI. tot. cumprimis autem paullo post initium: πρεσβύτερον δὲ τῶν ἄριστα πολιτευομένων, ἐχέμυθόν τε καὶ ἔμφρονα, ἐπὶ τοῦτο τετάχασιν· ᾧ δὴ προσιόντες οἱ ἡμαρτηκότες, τὰ βεβιωμένα ὡμολόγουν· ὁ δὲ, πρὸς τὴν ἑκάστου ἁμαρτίαν, ὅ, τι χρὴ ποιῆσαι ἢ ἐκτίσαι ἐπιτίμιον θεὶς, ἀπέλυε, παρὰ σφῶν αὐτῶν τὴν δίκην εἰσπραξομένους.

cis deerat curam eius gerendi. 5. Planum hinc eſt, nullam hominibus impactam fuiſſe neceſſitatem omnia ſua peccata mortalia, quæ occulto commiſiſſent, confitendi ante, quam ad communionem accederent; ſed ſatis fuiſſe, vti ingenue fatetur VALESIVS (r), ſi conſcientias ſuas excuſſiſſent, quo ipſo ſatisfacere ſe exiſtimarint præcepto apoſtoli: *Probet autem ſe ipſum homo, & ſic de pane illo edat & de calice bibat.* Atque ita & publicam & priuatam confeſſionem conſiderate contemplati ſumus, quatenus in vſu fuit in veteri eccleſia, vltra quod non eſt mearum partium extendere diſquiſitionem, aut poſteriorum ætatum aberrationes & corruptiones inueſtigare, quod lector in polemicis noſtris auctoribus, qui contra eccleſiam *Romanenſem* ſcripſerunt, inuenire poteſt, vel diſcernere per datam heic narrationem, rebus ſingulis ad primum exemplar reductis.

LIBRI DECIMI OCTAVI
CAPVT QVARTVM
DE MAGNO RIGORE ET SEVERITATE DISCIPLINAE ET POENITENTIAE IN ECCLESIA ANTIQVA.

§. I.

Publica pœnitentia plerumque ſemel tantum cuiuſuis generis peccatoribus conceſſa.

VNVM adhuc ſupereſt, in publicæ pœnitentiæ apud veteres exercitio conſiderandum, idque eſt magnus rigor & ſeueritas eius in omnia peccata, publicæ diſciplinæ obnoxia, maxime vero in ea, quæ præ aliis odioſa erant & grauia. Vnum aliquod exemplum ſeueritatis regularum pœnitentialium erat, quod homines ſemel tantum ad publicæ pœnitentiæ priuilegium ordinarie admitterentur, nec ſecundam pœnitentiam

(r) Valeſ. in Sozom. lib. VI. c. XXVIII. Notandus eſt hic locus, ex quo concludi videtur, eos, qui ad ſacrorum myſteriorum participationem olim accedebant, abſque præuia peccatorum confeſſione id facere ſolitos eſſe. Non quod non tutius eſſet, peccata ſua prius confiteri ſacerdoti: ſed quia ſatisfacere ſe exiſtimabant præcepto apoſtoli dicentis: *Probet autem ſe ipſum homo* &c.

in

in ecclesia ab vllo relapsorum fieri sineretur. Iam capite antecedente hoc attigimus, heic autem euidentius id demonstrabimus, quod ad generalem praxin ecclesiæ in quatuor prioribus sæculis attinet; ostensuri simul, quas exceptiones id admiserit, per positam in cuiusuis episcopi manu potestatem disciplinæ exercitium, vt occasio tulerit, pro sua sapientia & arbitrio moderandi. Non equidem inuenimus generalem aliquam regulam siue canonem, quo relapsis secunda pœnitentia diserte negetur; si vero praxin considerauerimus ecclesiæ, fere vniuersalem eam fuisse deprehendemus. HERMES PASTOR, qui ineunte sæculo secundo scripsit, disertis verbis hoc adserit, *Debet* (maritus) inquiens [*a*], *recipere peccatricem* (id est adulteram vxorem) *quæ pœnitentiam egit, sed non sæpe. Seruis enim Dei pœnitentia vna est.* CLEMENS ALEXANDRINVS [*b*] iisdem vestigiis insistit, vnam tantum pœnitentiam post baptismum admittens, & HERMAE PASTORIS hanc in rem citans testimonium. TERTVLLIANVS, quando erat catholicus, cum catholicis vnam permittebat pœnitentiam post baptismum, quam secundam vocat; pœnitentiam baptismi primam, hanc autem secundam faciens. *Deus*, inquit [*c*], *collocauit in vestibulo pœnitentiam secundam, quæ pulsantibus patefaciat: sed iam semel, quia iam secunda; sed amplius numquam, quam proxime frustra.* Et deinde totum huius publicæ pœnitentiæ describens cursum, iterum ait [*d*]: *Huius pœnitentiæ secundæ & vnius, quanto in arto negotium est, tanto operosior probatio est.* Similem in modum ORIGE-

(*a*) Herm. past. lib. II. mandat. IV. n. I.

(*b*) Clem. Alex. stromat. II. c. XIII. p. 459. edit. Oxon. MDCCXV.) Τὸν οὖν εἰληφότα τὴν ἄφεσιν ἁμαρτιῶν, οὐκ ἔτι ἁμαρτάνειν χρή· ἐπὶ γὰρ τῇ πρώτῃ καὶ μόνῃ μετανοίᾳ τῶν ἁμαρτιῶν, αὕτη δ' ἂν εἴη τῶν προϋπαρξάντων κατὰ τὸν ἐθνικὸν καὶ πρῶτον βίον, τὸν ἐν ἀγνοίᾳ λέγω, αὐτίκα τοῖς κληθεῖσι πρόκειται μετάνοια, ἡ καθαίρουσα τὸν τόπον τῆς ψυχῆς ἀπὸ τῶν πλημμελημάτων, ἵνα ἡ πίστις θεμελιωθῇ. *Eum ergo, qui recepit remissionem peccatorum, non oportet amplius peccare; nam in* prima & vnica *peccatorum* pœnitentia, *ea fuerit eorum, qui prius fuerint in gentili & prima vita, ea, inquam, quæ fuit in ignorantia iis etiam, qui vocati sunt, continuo proponitur pœnitentia, expurgans locum animæ a peccatis, vt fides fundetur.*

(*c*) Tertull. de pœnit. c. VII.

(*d*) Ibid. can. IX.

NES [*e*], loquens de discrimine inter peccata grauiora & leuiora, *In grauioribus criminibus*, inquit, *semel tantum vel raro pœnitentiæ conceditur locus: Ista vero communia, quæ frequenter incurrimus, semper pœnitentiam recipiunt, & sine intermissione redimuntur.* Diuersi canones in concilio exstant *Illiberritano* in eamdem sententiam, quod relapsi non debeant admitti ad communionem secundæ pœnitentiæ beneficio. Vnus canon [*f*] ait: *Si qui post pœnitentiam fuerint mœchati, placuit vlterius non eis dandam esse communionem, ne lusisse de dominica communione videantur.* Alius [*g*]: *Si quis forte fidelis post lapsum mœchiæ, post tempora constituta, accepta pœnitentia, denuo fuerit fornicatus, placuit nec in fine eum habere communionem.* Et rursus alius [*h*]: *Si quis fidelis, habens vxorem, non semel sed sæpe fuerit mœchatus, in fine mortis est conueniendus. Quod si se promiserit cessaturum, detur ei communio. Si resuscitatus* (hoc est, sanitati pristinæ restitutus) *rursus fuerit mœchatus, placuit vlterius non ludere eum de communione pacis*, hoc est, non habere secundæ pœnitentiæ priuilegium, ad obtinendam secundam aliquam reconciliationem siue absolutionem.

NEQVE vero hæc tantum trium priorum sæculorum disciplina fuit, sed per vnum duoue sæcula subsequuta durauit. Nam AMBROSIVS & AVGVSTINVS de ea loquuntur tamquam uo adhuc tempore vsitata. *Merito reprehenduntur*, inquit AMBROSIVS [*i*], *qui sæpius agendam pœnitentiam putant, quia luxuriantur in Christo. Nam si vere agerent pœnitentiam, iterandam esse non putarent: quia sicut vnum baptisma, ita vna pœnitentia, quæ tamen publice agitur. Nam quotidiani nos debet pœnitere peccati; sed hæc delictorum leuiorum, illa grauiorum.* Similem in modum AVGVSTINVS [*k*] ait: *Caute salubriterque prouisum, vt locus illius humillimæ pœnitentiæ semel in ecclesia concedatur, ne medicina vilis minus vtilis esset ægrotis.* Hæc ecclesiæ *Romanæ* praxis fuit tempore *Siricii*, nec non *Innocentii* & *Leonis*, qui eius præscriptum communiter sequun-

(*e*) Origen. hom. XV. in Leuitic. tom. I. p. 174. (p. 109. d. edit. Paris. MDCIIII.)
(*f*) Concil. Illiberrit. c. III.
(*g*) Ibid. can. VII.
(*h*) Ibid. c. XLVII.
(*i*) Ambros. de pœnit. lib. II. c. X.
(*k*) Augustin. epist. LIV. ad Macedonium.

tur.

tur. Decretum SIRICII hac in re ita [l] habet: *De his, qui, acta pœnitentia tamquam canes & sues, ad vomitus pristinos & ad volutabra redeunt -- quia iam suffragium non habent pœnitendi, id duximus decernendum, vt sola inter ecclesiam fidelibus oratione iungantur; sacris mysteriorum celebritatibus, quamuis non mereantur, intersint: a dominicæ autem mensæ conuiuio segregentur, vt hac saltem distinctione correpti, & ipsi in se sua errata castigent & aliis exemplum tribuant, quatenus ab obscœnis cupiditatibus retrahantur. Quibus tamen, quia carnali fragilitate ceciderunt, viatico munere, quum ad dominum cœperint proficisci, per communionis gratiam volumus subueniri.* Ex variorum etiam conciliorum, eadem ætate habitorum, canonibus apparet, istiusmodi relapsos vel ecclesia penitus eiectos, aut certe a communione per omnem vitam prohibitos, nec ad vllius formalis pœnitentiæ, qua restituerentur, beneficium admissos fuisse: vti videre est in concilio secundo *Arelatensi* [m], concilio *Venetico* [n], *Turonensi* primo [o] & *Aurelianensi* primo [p], maxime autem in concilio *Toletano* tertio, in quo contrariæ consuetudinis, quæ in quasdam ecclesias *Hispaniæ* irrepere cœperit, mentio habetur, ad eamque instauratione veteris disciplinæ ecclesiæ corrigendam mandatum datur. *Comperimus*, inquiunt pa-

(*l*) Siric. epist. I. ad Himerium cap. V.

(*m*) Concil. Arelat. II. c. XXI. Pœnitens quæcumque defuncto viro alii nubere præsumserit, vel suspecta, vel interdicta familiaritate, cum extraneo vixerit, cum eodem *ab ecclesiæ liminibus arceatur*. Hoc etiam de viro in pœnitentia posito placuit obseruare.

(*n*) Concil. Venetic. c. III. Pœnitentes, qui susceptam publice pœnitentiam intermiserint, & ad prioris erroris consuetudinem reuoluti, vitæ se sæculari conuersationique reddiderint, non solum a communione dominicorum sacramentorum, sed etiam a conuiuiis fidelium submouendos.

(*o*) Conc. Turon. I. c. VIII. Si quis post acceptam pœnitentiam, sicut canis ad vomitum suum, ita ad sæculares illecebras, derelicta, quam professus est, pœnitentia, fuerit reuersus, a communione ecclesiæ vel a conuiuio fidelium extraneus habeatur, quo facilius & ipse compunctionem per hanc confusionem accipiat, & alii eius terreantur exemplo.

(*p*) Concil. Aurel. I. c. XI. De his qui suscepta pœnitentia religionem sacræ professionis obliti ad sæcularia relabuntur, placuit eos & a communione suspendi & ab omnium catholicorum conuiuio separari.
Concil. Ilerdens. c. V. Quod si iterato, velut canes ad vomitum, reuersi fuerint, non solum dignitate officii careant, sed etiam sanctam communionem, nisi in exitu, non percipiant.

tres

tres illic conscripti [q], *per quasdam Hispaniæ ecclesias, non secundum canonem, sed fœdissime pro suis peccatis homines agere pœnitentiam, vt quoties peccare libuerit, toties a presbyteris se reconciliari expostulent: Et ideo pro coërcenda tam exsecrabili præsumtione id a sancto concilio iubetur, vt secundum formam canonum antiquorum detur pœnitentia. --- Hi vero, qui ad propria vitia, vel infra pœnitentiæ tempus vel post reconciliationem relabuntur, secundum priorum canonum seueritatem damnentur.* Hoc est, non habeant libertatem toties repetendi publicam pœnitentiam, quotiescumque voluerint, in ecclesia. Non negabant hominibus priuatam pœnitentiam, siue pro levioribus peccatis quotidianæ incursionis, siue pro iteratis lapsibus in grauiora peccata; sed homines ad pœnitentiam in vtroque casu adhortabantur sub spe consequendæ misericordiæ & veniæ a Deo per sinceram contritionem & studiosum priuatæ pœnitentiæ exercitium. Nulla confessio a sacerdote in alterutro casu recipiebatur. Nam in priore haud erat necessaria, in posteriore autem fieri non permittebatur. Tantum ad extremam vitæ horam relapsi ad communionem & pacem ecclesiæ admittebantur, si quidem in omnibus priuatæ pœnitentiæ actibus diligenter sese exercuissent.

§. II.

Nonnulli peccatores sub seuera pœnitentia per omnem vitam, ad ipsam vsque mortis horam, detenti.

Et hoc ad aliud magni rigoris ac seueritatis antiquæ disciplinæ exemplum considerandum nos deducit, nimirum quod propter certa peccata homines sub publicæ pœnitentiæ exercitio, quoad viuerent, detinerentur, & tantum absoluerentur & reconciliarentur animam agentes. Ordinarius pœnitentiæ cursus homines sæpenumero decem, quindecim, vel viginti annis, dum per diuersas pœnitentiæ scenas eumdum eis erat, detinebat: propter odiosiora autem & atrociora crimina pœnitentibus haud certus aliquis annorum numerus præscriptus, sed omne reliquum vitæ eorum spatium constitutum erat; & perfecta reconciliatio & absolutio ad vltimam horam, imminente mortis periculo, ipsis impertiebatur. Ita concilium *Il-*

(q) Concil. Tolet. III. c. XI.

liber-

liberritanum [r] ſtatuit, ſi quis officium flaminis ſiue ſacerdotis gentilis in ſe ſuſcipiat, etiamſi non ſacrificet, ſed tantum ſolemnes ludos ſiue ſpectacula exhibeat populo, eum ſeueram & canonicam agere debere pœnitentiam per omnem quidem vitam, & in fine denique vitæ accipere communionem. Idem de conſecratis virginibus præcipit [s], vt ſi qua earum fornicata eſſe deprehendatur, ea omni tempore vitæ ſuæ agat pœnitentiam, nec niſi in fine accipiat communionem. Concilium *Neocæſareenſe* [t] ſimile decretum habet de muliere duobus fratribus nupta, quod eccleſia vſque ad mortem extrudi, in morte autem propter humanitatem ad pœnitentiam admitti debeat, ſi matrimonium, vbi conualuerit, ſe ſoluturam promiſerit. Concilium *Arelatenſe* primum [u] eamdem pœnam illis denuntiat, qui falſo accuſauerint fratres ſuos, iubens eos vſque ad horam mortis a communione abſtineri. Concilium *Ancyranum* [w] idem decernit de viris vxores habentibus, quod ſi annos quinquaginta nati cum rationis expertibus animalibus mixti fuerint, non niſi in vitæ exitu ad communionem admittendi ſint. Concilium *Valentinum* [x] in *Gallia* eamdem pœnam quibuſdam imponit, qui in idololatriam delapſi fuerant

(r) Concil. Illiberit. c. III. Item flamines, qui non immolauerint, ſed munus tantum dederint, eo quod ſe a funeſtis abſtinuerunt ſacrificiis, placuit eis in fine præſtari communionem, acta tamen legitima pœnitentia.

(s) Ibid. can. XIII. Si omni tempore vitæ ſuæ huiuſmodi feminæ egerint pœnitentiam, placuit eas in fine accipere debere communionem.

(t) Concil. Neocæſar. c. II. *γυνὴ ἐὰν γήμηται δύο ἀδελφοῖς, ἐξωθείσθω μέχρι θανάτου· πλὴν ἐν θανάτῳ, διὰ τὴν φιλανθρωπίαν, εἰποῦσα, ὡς ὑγιάνασα λύσει τὸν γάμον, ἕξει τὴν μετάνοιαν.* *Femina ſi duobus fratribus nupſerit, extrudatur vſque ad mortem. Sed in morte propter humanitatem, ſi dixerit, quod vbi conualuerit, ſoluet matrimonium, habebit pœnitentiam.*

(u) Concil. Arelat. I. c. XIV. De his, qui falſo accuſant fratres ſuos, placuit eos vſque ad exitum non communicare.

(w) Concil. Ancyran. c. XVI. Εἰ *δέ τινες καὶ γυναῖκας ἔχοντες, καὶ ὑπερβάντες τὸν πεντηκονταετῆ χρόνον, ἥμαρτον, ἐπὶ τῇ ἐξόδῳ τοῦ βίου τυγχανέτωσαν τῆς κοινωνίας.* *Si qui & mulieres habentes & quinquageſimum annum tranſgreſſi, peccauerunt, in vitæ exitu communionem adſequantur.*

(x) Concil. Valentin. an. CCCLXXIV. can. III. Circa eorum perſonas, qui ſe poſt vnum & ſanctum lauacrum, vel profanis ſacrificiis dæmonum, vel inceſta lauatione polluerint, eam cenſuræ formam duximus eſſe ſeruandam, vt his iuxta ſynodum Nicænam ſatisfactionis quidem aditus non negetur, ne infelicibus lacrimis vel ſolatii ianua deſperatione claudatur: acturi vero iu-

iubens eos pœnitentiam agere vſque in diem mortis, non ſine ſpe remiſſionis, quam a Deo eius largitore plene exſpectare debeant. Concilium *Ilerdenſe* [y] inferiorum ordinum clericis pœnitentiam agere permittit propter primum aliquod delictum, eaque acta officium ſuum recuperare: ſi vero velut canes ad vomitum, & velut ſues ad volutabrum reuerſi fuerint, non tantum officio, ſed ipſa etiam communione ad vltimam mortis horam priuandos eſſe pronuntiat. Iſtiuſmodi quoque decretum FELIX tertius [z] epiſcopus *Romanus* faciebat in cauſſa iſtorum epiſcoporum, presbyterorum & diaconorum *Africæ*, qui perſecutionis *Vandalicæ* tempore ab *Arianis* ſe rebaptizari paſſi fuerant: *Vſque ad exitus ſui diem in pœnitentia iacere conueniet; nec orationi modo fidelium, ſed nec catechumenorum omnimodis intereſſe, quibus communio laica tantum in morte reddenda eſt.*

§. III.

Qui in extremo mortis periculo abſoluti erant, ſolemnem pœnitentiam agere iuſſi, ſi conualuiſſent.

ALIVD rigoris et ſeueritatis antiquæ diſciplinæ exemplum conſpicitur in tractatione iſtorum pœnitentium, qui in extremo mortis periculo abſoluebantur. Quamuis ad pacem & communionem admitterentur eccleſiæ, vt viaticum ſuum habere poſſent, e vitæ iam deceſſuri: tamen ſi conualeſcerent, vniuerſam pœnitentiam peragere debebant, quam peracturi erant, ſi non talis neceſſitas abſolutionem eis procuraſſet. Atque hic vnus ſolus caſus eſt, in quo vetus eccleſia vmquam abſolutionem indulſit ante legitimam actam pœnitentiam. Quod quum extra ordinem fieret, nihil pro eis facit, qui eamdem praxin hodie in caſibus ordinariis defendere adlaborant. Sed hac de re in poſterum plura. Quod ad præſentem attinet obſeruationem, quod pœnitentes, in mortis periculo abſoluti, ſi conualuiſſent, ad eumdem ſtatum pœnitentiæ reducti fuerint,

pœnitentiam vſque in diem mortis, non ſine ſpe tamen remiſſionis, quam ab eo plene ſperare debebunt, qui eius largitatem & ſolus obtinet, & tam diues miſericordia eſt, vt nemo deſperet. Deus enim mortem non fecit, nec lætatur in perditione virorum.

(y) Concil. Ilerdenſ. c. V. vid. ſub litt. anteced. (p) p. 159.

(z) Felic. III. in concil. Roman. c. II.

quem

quem ſubire debuiſſent, ſi non eiuſmodi morbi grauitas abſolutionem eorum exegiſſet, euidenter patet ex plano diuerſorum conciliorum teſtimonio. Synodus *Nicæna* [a] eos, ſi conualuerint, orationum tantum participes fieri, hoc eſt inter quarti ordines pœnitentes, dictos conſiſtentes, referri iubet; vbi ſtare poterant ad audiendas preces fidelium, non autem participare oblationem. Concilium *Carthaginenſe* quartum duos habet canones, eo reſpicientes. Prior [b] ait, *Is qui pœnitentiam in infirmitate petit, ſi caſu, dum ad eum ſacerdos inuitatus venit, oppreſſus infirmitate obmutuerit, vel in phreneſin verſus fuerit, dent teſtimonium, qui eum audierunt, & accipiat pœnitentiam. Et ſi continuo creditur moriturus, reconcilietur per manus impoſitionem & infundatur ori eius eucharistia. Si ſuperuixerit, admoneatur a ſupra dictis teſtibus, petitioni ſuæ ſatisfactum; & ſubdatur ſtatutis pœnitentiæ legibus, quamdiu ſacerdos, qui pœnitentiam dederit, probauerit.* Poſterior ita habet [c]: *Pœnitentes, qui in infirmitate viaticum eucharistiæ acceperint, non ſe credant abſolutos ſine manus impoſitione, ſi ſuperuixerint:* Hoc eſt, ſine impoſitione manus, quæ dabatur tertii ordinis pœnitentibus, dictis ſubſtratis, quos quotidie in eccleſia adeſſe & ad genua epiſcopi ſe abiicere oportebat, ad recipiendam ſolemnem manus impoſitionem cum vſitatis pœnitentialibus precibus atque benedictione. Concilium *Arauſicanum* primum [d] vniuerſam materiam apertius explanat his verbis: *Qui recedunt de corpore, pœnitentia accepta, placuit, ſine reconciliatoria manus impoſitione eos communicare, quod morientis ſufficit conſolationi ſecundum definitiones patrum, qui huiuſmodi communionem congruenter viaticum nominarunt. Quod ſi ſuperuixerint, ſtent in ordine pœnitentium, vt oſtenſis neceſſariis pœnitentiæ fructibus legitimam communionem cum reconciliatoria manus impoſitione recipiant.* Concilium *Epaunenſe* [e] in eumdem prorſus modum loquitur: *Ne vllus*

(a) Conc. Nicæn. c. XIII. *εἰ δὲ ἀπογνωσθεὶς, καὶ κοινωνίας πάλιν τυχὼν, πάλιν ἐν τοῖς ζῶσιν ἐξετασθῇ, μετὰ τῶν κοινωνούντων τῆς εὐχῆς ἔστω. Si deploratus & communionem adſecutus rurſus in viuos relatus ſit, ſit inter eos, qui orationum ſunt tantum communionis participes.*

(b) Conc. Carth. IV. c. LXXVI.

(c) Ibid. c. LXXVIII.

(d) Concil. Arauſic. I. can. III.

(e) Concil. Epaun. c. XXXVI.

sine remedio aut spe veniæ ab ecclesia repellatur; neue vlli, si aut pœnituerit, aut se correxerit, ad veniam redeundi aditus obstruatur: Et si cuiquam forsitan discrimen mortis immineat, damnationis constituta tempora relaxentur. Quod si ægrotum, accepto viatico, reualescere fortasse contingit, statuti temporis spatia obseruare conuenier. Canon GREGORII NYSSENI [f] in eamdem sententiam decernit: *Si quis tempore non expleto a canonibus præstituto vita excedat, iubet patrum clementia, vt effectus sacramentorum particeps, non viatico vacuus ad extremam illam & longam peregrinationem mittatur. Sin autem postquam sacramenti particeps factus fuerit, rursum ad vitam reuersus sit: statutum tempus exspectet, in illo gradu exsistens, in quo erat ante communionem, illi ex necessitate datam.* Hisce omnibus addi potest decretum concilii *Romani* sub FELICE III. an. CCCCLXXXVII, quod patrum *Nicænorum* renouat definitionem [g]: *Quod si ante præfinitum pœnitentiæ tempus desperatus a medicis, aut euidentibus mortis pressus indiciis, recepta quisquam communionis gratia conualescit; seruemus in eo, quod Nicæni canones ordinauerunt, vt habeatur inter eos, qui in oratione sola communicant, donec impleatur spatium temporis eidem præstitutum.*

§. IV.

Quibusdam peccatoribus communio negata in ipso vitæ suæ exitu.

QVIDAM autem peccatores adhuc seuerius tractabantur: Communione enim in ipsa mortis hora iudicabantur indigni, sinebanturque sine vlla reconciliatione e vita discedere. Hæc disciplina generatim adhibebatur contra tria magna peccata, idololatriam, adulterium & homicidium, quæ ex communi doctorum virorum sententia [i] ad tempus fere CYPRIANI durauit.

(f) Gregor. Nyssen. epist. ad Letoium c. IV. *Εἴ τις μὴ πληρώσας τὸν χρόνον, τὸν ἐκ τῶν κανόνων ἀφωρισμένον, ἐξοδεύει τοῦ βίου, κελεύει ἡ τῶν πατέρων φιλανθρωπία, μετασχόντα τῶν ἁγιασμάτων, μὴ κενὸν τοῦ ἐφοδίου, πρὸς τὴν ἐσχάτην ἐκείνην καὶ μακρὰν ἀποδημίαν ἐκπεμφθῆναι· εἰ δὲ μετασχὼν τοῦ ἁγιάσματος, πάλιν εἰς τὴν ζωὴν ἐπανέλθοι, ἀναμένειν τὸν τεταγμένον χρόνον, ἐν ἐκείνῳ τῷ βαθμῷ γενόμενον, ἐν ᾧ ἦν πρὸ τῆς κατὰ ἀνάγκην αὐτῷ δοθείσης κοινωνίας.*

(g) Concil. Roman. c. IV. (in epist. VII. Felic. III. tom. IV. concil. p. 1076. e.)

(i) Vid. Albaspin. obseruat. lib. II. c. VII. ad XX.

Bon. rer. liturgic. lib. I. cap. XVII. §. I. In exordio christianæ religionis tantum erat pietatis studium, tantum odium improbitatis, vt quibusdam fre-

CY-

CYPRIANVS [*k*] ipse nobis adfirmat, quosdam ex antecessoribus suis in totum pœnitentiæ locum contra adulteria clausisse. Et licet hæc seueritas in pœnitentes generali conuento ætate ipsius mitigaretur, communionem tamen istiusmodi apostatis, qui in delicti & delinquendi contumacia per omnem vitam persisterent, & reconciliari tantum morte iam imminente cuperent, ad ipsum e vita discessum denegare pergebant. *Pœnitentiam non agentes*, inquit [*l*], *nec dolorem delictorum suorum toto corde & manifesta lamentationis suæ professione testantes, prohibendos omnino censuimus a spe communicationis & pacis, si in infirmitate ac periculo cœperint deprecari; quia rogare illos non delicti pœnitentia, sed mortis vrgentis admonitio compellit; nec dignus est in morte recipere solatium, qui se non cogitauit esse moriturum.* Hanc regulam de apostatis paullo post renouatam inuenimus a concilio *Arelatensi* primo [*m*], vbi decretum factum huiusmodi: *De his qui apostatant, & numquam se ad ecclesiam repræsentant, nec quidem pœnitentiam agere quærunt, & postea in infirmitate arrepti petunt communionem, placuit, eis non dandam communionem, nisi reualuerint, & egerint dignos fructus pœnitentiæ.* Et INNOCENTIVS [*n*] episcopus *Romanus* perspicue dicit, fuisse hanc priscam consuetudinem per tria priora persecutionum sæcula. „Quæstum est, inquit, quid de his obser„vari oporteat, qui post baptismum omni tempore incontinen„tiæ voluptatibus dediti, in extremo fine vitæ suæ pœnitenti„am simul & reconciliationem communionis exposcunt. De „his obseruatio prior durior, posterior interueniente miseri„cordia inclinatior est. Nam consuetudo prior tenuit, vt con„cederetur eis pœnitentia, sed communio negaretur. Nam

leribus, quæ atrociora visa sunt, omnis prorsus veniæ spes, omnis pœnitentia denegaretur; adeo vt qui ea commisisset, quamuis a diuina misericordia eorum remissionem veræ contritionis subsidio obtineret, numquam tamen posset cum ecclesia reconciliari. Ea erat idololatria, homicidium & adulterium. cetera.

Fell. not. in Cyprian. epist. VIII. p. 17. (p. 181. edit. Amstelod. MDCC.) Voces illæ, *Ab eo qui potest præstare*, subnectuntur; quia nondum ecclesia idololatras decreto aliquo ad pœnitentiam admisit, licet statim id fecerit.

(*k*) Cyprian. epist. LV. ad Antonian. p. 110. (p. 247. fin. seq. cit. edit.)

(*l*) Ibid. p. 111. (p. 248. fin.)

(*m*) Conc. Arelat. I. c. XXIII.

(*n*) Innocent. epist. III. ad Exuperium cap. II.

„quum illis temporibus crebræ persecutiones essent, ne com„munionis concessa facilitas homines de reconciliatione se„curos non reuocaret a lapsu, negata merito communio est, „concessa pœnitentia, ne totum penitus negaretur: & durio„rem remissionem fecit temporis ratio. Sed posteaquam do„minus noster pacem ecclesiis suis reddidit, iam terrore depul„so communionem dari obeuntibus placuit, & propter do„mini misericordiam quasi viaticum profecturis, & ne *Nouatia„ni* hæretici, negantis veniam, asperitatem & duritiem sequi vi„deamur„. Canones concilii *Illiberritani* hanc *Innocentii* obseruationem de prioribus persecutionis temporibus abunde confirmant. Nam ad minimum viginti canones in isto concilio exstant, communionem ad extremum vitæ momentum negantes diuersorum generum peccatoribus, quorum crimina vel dupla & tripla erant, vel singularia at atrociora, odiosiora magisque clamantia. Sic primus canon [o] definit in caussa voluntariorum idololatrarum & apostatarum, qui sine vlla coactione templum idolorum ingressi sacrificauerant. Quod quum esset peccatum grauius magisque damnabile, quam si qui vi & tormentis adacti sacrificassent; istiusmodi fidei christianæ desertoribus in ipso fine vitæ communionem negandam esse, decernit. Proximus canon [p] eamdem pœnam illis idololatris infligit, qui aliorum simul criminum rei facti erant. Verbi gratia, si quis christianus officium flaminis, siue sacerdotis ethnici, in se suscepisset, eoque ipso idololatriæ addidisset homicidium vel adulterium. Si quis alterum veneficio occidisset; quum heic idololatria homicidio iuncta esset, ad communionem nec in hora mortis [q] admittendus erat. Si quis, dum

(*o*) Concil. Illiberrit. can. I. Placuit, vt quicumque post fidem baptismi salutaris, adulta ætate, ad templum idololatricum accesserit, & fecerit, quod est crimen capitale, nec in fine eum communionem accipere.

(*p*) Ibid. can. II. Flamines, qui post fidem lauacri & regenerationis sacrificauerunt: eo quod geminauerint scelera, accedente homicidio, vel triplicauerint facinus, cohærente mœchia, placuit eos nec in fine accipere communionem.

(*q*) Concil. Illiberrit. c. VI. Si quis maleficio interficiat alterum, eo quod sine idololatria perficere scelus non potuit, nec in fine impertiendam esse illi communionem.

pro

pro idololatria vel adulterio ageret pœnitentiam, eodem [r] vel alio quodam grauiore crimine se adstringeret, hæc criminis iteratio in tali casu a communione eum ad vitæ vsque exitum reiiciebat. Alius canon [s] eamdem seueritatem iubet adhiberi in feminas, quæ, viris suis sine caussa relictis, alteris nupsissent. Idem decernitur in caussa mulierum [t], quæ ducantur a viris, quos illæ norint vxores suas sine caussa deseruisse. Vtrisque communio in ipso vitæ exitu negari iubetur. Alius canon [u] omnes lenones & adiutores impudicitiæ eidem pœnæ subiicit, siue parens fuerit siue mater, siue alius quicumque christianus, qui abominandum lenocinium exerceat: Quia corpora aliena vel potius sua ipsorum vendant, nec in fine communionem accipiendi eis copia fieri permittitur. Idem decernitur de virginibus Deo dicatis [x]: Si scortatæ fuerint, & in ista impudicitia perseuerauerint, non considerantes, quid fecerint, absolutio etiam in extremo vitæ momento illis neganda esse dicitur. Idem illis [y] fieri oportere denuntiatur, qui filias suas sacerdotibus idolorum dederint in matrimonium. Nec minus episcopis, presbyteris vel diaconis, qui in ministerio positi mœchati fuerint [z], idque propter scandalum & istius criminis prauitatem. Ita si qua mulier absente marito per adulterium conceperit, infantemque occiderit [a], com-

(r) Conc. Illib. can. III. §. VII. vid. §. I. sub litt. (f) & (g) pag. 158.

(s) Ibid. can. VIII. Feminæ, quæ, nulla præcedente caussa, reliquerint viros suos, & se copulauerint alteris, nec in fine accipiant communionem.

(t) Ibid. can. X. Si fuerit fidelis, quæ ducitur ab eo, qui vxorem inculpatam reliquit, & quum scierit illum habere vxorem, quam sine caussa reliquit, placuit, his nec in fine dandam esse communionem.

(u) Ibid. c. XII. Mater, vel parens, vel quælibet fidelis, si lenocinium exercuerit, eo quod alienum vendiderit corpus, vel potius suum, placuit, eas nec in fine accipere communionem.

(x) Ibid. c. XIII. Virgines, quæ se Deo dicauerint, si pactum perdiderint virginitatis, atque eidem libidini seruierint, non intelligentes quid admiserint, placuit, nec in fine eis dandam esse communionem.

(y) Ibid. can. XVII. Si qui forte sacerdotibus idolorum filias suas iunxerint, placuit, nec in fine eis dandam communionem.

(z) Ibid. can. XVIII. Episcopi, presbyteri, diaconi, si in ministerio positi, detecti fuerint, quod sint mœchati, placuit, & propter scandalum & propter profanum crimen, nec in fine eos communionem accipere debere.

(a) Ibid. can. LXIII. Si qua mulier per adulterium, absente marito, conce-

munio

munio in fine ei abiudicatur, eo quod crimen duplicarit. Eodem modo tractari iubetur [*b*] mulier, quæ ad mortem vsque suam cum alieno viro mœchata fuerit. Ita quoque clerici [*c*], qui vxores suas mœchari scierint, nec eas statim dimiserint: ne illi, quos bono aliis exemplo esse oporteat, peccandi rationem eos docere videantur. Eadem pœna [*d*] denuntiatur illis, qui incestu se polluerint, priuignam suam vxorem ducendo. Et iis, quorum vxores, ipsis quidem conscii & consentientibus [*e*], fuerint mœchatæ. Itemque omnibus, qui cum masculis concubuerint [*f*]; nec non feminis [*g*], quæ adulterium commiserint, & postea aliis nupserint, non eis, a quibus sint vitiatæ. Si quis fratres suos deferret, ita vt vel proscriberentur vel interficerentur [*h*], ei communio in fine negabatur. Si quis episcopum, presbyterum vel diaconum accusaret [*i*], accusationem autem probare non posset, eodem modo puniendus erat. Hæc paullo copiosius proposuimus, tum ad adsertum nostrum demonstrandum, tum ad ostendendum, quæ fuerint illa odiosa crimina, ob quæ tanta disciplinæ seueritate huius concilii patres vsi sint in homines, in ipso vitæ exitu con-

perit, idque post facinus occiderit; placuit, neque in fine dandam esse communionem; eo quod geminauerit scelus.

(*b*) Ibid. can. LXIV. Si qua mulier vsque in finem mortis suæ cum alieno viro fuerit mœchata, placuit, nec in fine dandam ei esse communionem.

(*c*) Ibid. c. LXV. Si cuius clerici vxor fuerit mœchata, & scierit eam maritus suus mœchari, & non eam statim proiecit, nec in fine accipiat communionem: ne ab his, qui exemplum bonæ conuersationis esse debent, ab eis videantur magisteria scelerum procedere.

(*d*) Ibid. can. LXVI. Si quis priuignam suam duxerit vxorem, eo quod sit incestus, placuit, nec in fine dandam esse ei communionem.

(*e*) Ibid. can. LXX. Si cum conscientia mariti vxor fuerit mœchata, placuit, nec in fine dandam esse communionem.

(*f*) Ibid. can. LXXI. Stupratoribus puerorum nec in fine dandam esse communionem.

(*g*) Ibid. can. LXXII. Si qua vidua fuerit mœchata -- Si alium duxerit relicto illo, nec in fine dandam esse communionem.

(*h*) Ibid. can. LXXIII. Delator si quis exstiterit fidelis & per delationem eius aliquis fuerit præscriptus, vel interfectus, placuit eum nec in fine accipere communionem.

(*i*) Ibid. can. LXXV. Si quis episcopum, vel presbyterum, aut diaconum falsis criminibus appetierit, & probare non potuerit, nec in fine dandam ei communionem.

stitu-

ſtitutos. Nonnulli viri docti in extrema huius concilii ſeueritate offenduntur. AVXILIVS [*k*] antehac *Nouatianiſmi Hoſtium* & vniuerſam ſynodum incuſauit. Et SVICERVS [*l*] ait: *Lapſos, ſi quidem pœnitentiam egerint, recipiendos eſſe, conſtanter docuit eccleſia orthodoxa.* Quod re ipſa nihil eſt aliud, quam huic concilio *Nouatianiſmi* notam inurere, nec vllum ei locum in eccleſia orthodoxa relinquere. Sed tunc difficile erit, *Cyprianum* & concilium *Arelatenſe* ab eadem *Nouatianiſmi* incuſatione liberare. Planum enim eſt, quod in eadem fuerint ſententia de apoſtatis, qui pœnitentiam ad horam vſque mortis neglexiſſent. Nec illi tantum, ſed patres quoque magni concilii *Sardicenſis*, qui *Athanaſium* reſtituerunt, eamdem damnationem ſubire debebunt. In hoc enim concilio canon quidam exſtat, qui non minus ſeuere hac in re decernit, quam vllus in concilio *Illiberritano*. Canon ille [*m*] ſtatuit, Si quis epiſcopus plura habendi cupiditate vel arrogantia ſuccenſus a minori in maiorem ciuitatem ſynodo non approbante tranſire ſtuduerit, eum ne in fine quidem laica communione dignum haberi debere. Vt adeo, ſi hoc ad *Nouatianiſmum* referendum eſt, hoc concilium nihilo magis quam *Illiberritanum* defendi poſſit; quia vtriuſque concilii decreta eadem ſunt, & eamdem ſeueritatem in atrociorum criminum reos adhiberi volunt. *Nouatiani* quidem hanc eccleſiæ praxin nonnumquam allegabant, vt iniquam ſuam agendi rationem contra omnia grauiora crimina, poſt baptiſmum commiſſa, defenderent. Dicebant, ſe tantum laicos tractare, vti catholici tractent clericos, quos ob diuerſa crimina ab omni communione ad finem vſque excludant. Ita enim SOCRATES [*n*] narrat, *Aſclepiadem*, *Nouatianorum* antiſtitem, argumentatum eſſe contra *Atticum*, antiſtitem *Conſtantinopolitanum*. Quum *Atticus* concederet, ad ipſam vſque mortem communionem recte negari poſſe eis, qui idolis ſacrificaſſent, ſeque ipſum hoc aliquando feciſſe diceret; *Aſclepiadem* ait reſpondiſſe: *Prater ſacrificium idolorum, ſimul & alia multa pec-*

(*k*) Auxil. de ordinat. Formoſi lib. I. c. XII. & XIV. lib. II. c. XXIII. (ad calc. Morini de ordinat. pag. 300. 301. 304. edit. Antuerp. MDCLXXXXV.)

(*l*) Suicer. theſaur. eccleſ. voce μετάνοια p. 357.

(*m*) Concil. Sardic. can. II. μηδὲ ἐν τῷ τέλει λαϊκῆς γοῦν ἀξιοῦσθαι κοινωνίας.

(*n*) Socrat. lib. VII. c. XXV. ὁ Ἀσκληπιάδης, ἐκτὸς ἔφη, τοῦ ἐπιθῦσαι, καὶ ἄλλαι

cata ad mortem, vt loquuntur scripturæ, propter quæ vos quidem clericos, nos vero etiam laicos a communione remouemus, soli Deo potestatem condonandi illis relinquentes.

§. V.

Quemadmodum hoc ab incusatione Nouatianismi *liberari possit.*

VERVMENIMVERO hæc sophistica tantum argumentatio erat & falsa schismatis *Nouatiani* defensio; quæ licet multos viros doctos deceperit magnisque implicauerit difficultatibus in explanandis multis antiquis canonibus, eosque compulerit rebus planis & perspicuis peregrinum & coactum sensum dare, ne eumdem cum *Nouatiano* errorem fouere viderentur: fallacia tamen, recte formato controuersiæ statu rebusque luci propriæ expositis, facile discerni potest. Quæstio inter ecclesiam & *Nouatianos* non erat, num communio nonnullis peccatoribus in hora mortis negari posset. In hoc enim vtrique consentiebant, & praxis ecclesiæ in multis casibus non minus seuera erat contra grauia quædam & atrocia vel multiplicata crimina, quam praxis *Nouatianorum*, quemadmodum ex hactenus dictis satis superque liquet: Sed quæstio erat de ministeriali potestate absoluendi, siue admittendi peccatores pœnitentes ad pristinam pacem & communionem ecclesiæ, posteaquam in grave aliquod flagitium post baptismum delapsi erant. *Nouatiani* confidenter statuebant, ecclesiam non habere istiusmodi ministerialem potestatem clauium sibi commissam; sed omnes istiusmodi peccatores in perpetuum a communione eius esse excludendos prohibendosque; & si eorum vllos admitteret, communionem illius contagione eorum pollui ac fieri profanam. Atque ex hac ratione & fundamento ab ecclesia, tamquam infecta communione peccatorum, faciebant secessionem. Ecclesia ab altera parte ius suum tuebatur atque potestatem, quod vi clauium, a *CHRISTO* sibi traditarum, potestatem haberet soluendi æque ac ligandi; recipiendi non minus pœnitentes in ecclesiam, si emendati essent, quam omnes fla-

πολλαὶ κατὰ τὰς γραφὰς εἰσὶν ἁμαρτίαι πρὸς θάνατον, δι' ἃς ὑμεῖς μὴν τὰς κληρικὰς, ἡμεῖς δὲ καὶ τὰς λαϊκὰς, ἀποκλείομεν, θεῷ μόνῳ τὴν συγχώρησιν αὐτῶν ἐπιτρέποντες.

gitio-

gitiosos homines, ob nota in publicum delicta, exturbandi. Et licet in extraordinariis quibusdam casibus, si vel crimina atrociora essent & copiosiora, vel hominum pœnitentia ob temporis penuriam non satis explorari posset; si in apostasia sua & animi obstinatione persisterent, vsque dum mortis eis immineret periculum, homines e vita sine reconciliatione & communione excedere pateretur; hoc tamen non faciebat, quasi potestate destitueretur recipiendi peccatores in communionem suam, sed quod magis expedire iudicaret, censuras suas in eos perpetuare, vt exemplo atque terrori essent aliis. Vt adeo, licet praxis ecclesiæ & *Nouatianorum* in quibusdam casibus esset eadem, principia tamen eorum diuersa essent & longissime ab se inuicem remota. *Nouatiani* hanc potestatem ecclesiæ omnino abiudicabant, eique conflabant schisma: Ecclesia iustam potestatem suam defendebat, eaque prudenter vtebatur, modo hac modo illa ratione, prout ad peccatorum beneficium & ædificationem omnium maxime facturum, pro sapientia sua iudicabat, non rumpens hanc ob rem vincula communionis inter rectores ecclesiæ, quamcumque viam ineundam crederent. Hoc est, quod præcipue contra *Nouatianos* [o] de admittendis & non admittendis adulteris obseruat CYPRIANVS. *Apud antecessores nostros*, inquit, *quidam de episcopis istic in prouincia nostra dandam pacem mœchis non putauerunt, & in totum pœnitentiæ locum contra adulteria clauserunt; non tamen e coëpiscoporum suorum collegio recesserunt, aut catholicæ ecclesiæ vnitatem vel duritiæ vel censuræ suæ obstinatione ruperunt; vt quia apud alios adulteris pax dabatur, qui non dabat, de ecclesia separaretur. Manente concordiæ vinculo & perseuerante catholicæ ecclesiæ indiuiduo sacramento, actum suum disponit & dirigit vnusquisque episcopus, rationem propositi sui domino redditurus.* Ex quibus CYPRIANI verbis apparet, controuersiam inter catholicos & *Nouatianos* non de nuda praxi fuisse, sed de principiis & potestate ecclesiæ, in vsu & administratione clauium disciplinæ. Quocirca licet ecclesia nonnumquam idem faceret, quod faciebant *Nouatiani*, dum nonnullis peccatoribus iam animam agentibus, communionem negabat, *No-*

(o) Cyprian. epist. LV. ad Antonian. p. 110. (p. 247. fin. seq. edit. Fell. Amstelod. MDCC.).

vatia-

vatianismi tamen argui haud poterat, quia ex diuersis rationibus & principiis agebat, & iusta tantum potestate sua prudenter vtebatur, ita vt censuras suas vel extenderet, vel contraheret, prout vniuersæ communitati, vel vni cuidam eius membro, quam maxime expedire existimabat. Atque hanc rationem viros doctos GABRIELEM ALBASPINAEVM [p], GVILIELMVM BEVEREGIVM [q], & IOANNEM BONAM [r] & alios inuenio reddidisse de hac, quæ videtur, difficultate in praxi ecclesiæ, quæ tot aliorum virorum ingenia torsit, quia non intellexerunt, in quo hæresis *Nouatianorum* proprie sita fuerit: dum alii quidem patres concilii *Eliberritani*, & qui ante illud vixerunt, manifesto *Nouatianos* fuisse; alii eos ad reconciliationem, pacem & absolutionem homines admisisse, & solam eucharistiæ communionem in hora mortis eis negasse, opinati sunt: quum tamen nihil esse possit clarius, quam quod eis non communionem tantum, quatenus eucharistiam denotat, sed omnem omnino ministerialem reconciliationem, veniam, & regressum in fidelium societatem denegarint.

§. VI.

Hæc seueritas posterioribus sæculis mitigata, pristinæ praxis nulla habita ratione.

HAEC quidem seueritas in posteriorum sæculorum praxi mitigata est, haud vlla, ne minima quidem, habita antea vsitatæ consuetudinis ratione: quod intelligerent, in libertate positum esse ecclesiæ, hanc disciplinæ partem pro sua sapien-

(p) Albasp. in. obseruat. lib. II. c. XXI. tot.

(q) Beuereg. not. ad can. VIII. concil. Nic. p. 68. Neque enim Nouatiani ea, quæ iis vulgo adtribuitur, opinione fuerunt, vt istis qui lapsi sunt, aut grauiora delicta admiserunt, nullam salutis a domino consequendæ spem superesse existimarent. Namque ipsi eos ad pœnitentiam agendam sæpius hortari soliti fuerunt & admonere, vt se colligerent, & diuinam indulgentiam supplices implorarent. Sed hoc tantum iis persuasum erat, & prædicatum, in ecclesiæ potestate non situm esse, vt quosuis post baptismum (quod vnicum pœnitentiæ genus statuerunt) delinquentes ad fidelium communionem admitteret.

(r) Bon. rer. liturgic. lib. I. c. XVII. n. III. Quum Nouatiani perperam adsererent, non esse in ecclesia potestatem peccata post baptismum dimittendi, in quo, teste Paciano, eorum hæresis sita erat, non quod simpliciter negarent lapsis pœnitentiam, cetera.

tia

tia & pro ratione temporum ac rerum ſtatu adminiſtrare; iudicantes tempora pacis a temporibus perſecutionis eſſe diuerſa, & temperationem quamdam hac in re fieri debere, quum plerique omnes chriſtianam religionem eſſent amplexi. Hinc poſteriora concilia non ita acriter horum antiquorum canonum executionem hac in parte vrgent, ſed omnibus pœnitentibus communionem in vitæ exitu indulgent, tametſi enuntiare non audeant, quem effectum abſolutio in eiuſmodi extrema neceſſitate habitura ſit. Canones bene multi hanc in rem reperiuntur. Suffecerit autem vnum tantum atque alterum ſpeciminis loco adducere. Concilium *Agathenſe* [s] verbis generalibus vtitur ſine exceptione: *Viaticum omnibus in morte poſitis non eſt negandum.* Concilium primum *Arauſicanum* [t] in eumdem ſenſum loquitur, nullam faciens diſtinctionem: *Qui recedunt de corpore, pœnitentia accepta, placuit, ſine reconciliatoria manus impoſitione communicare, quod morientis ſufficit conſolationi, ſecundum definitiones patrum, qui huiuſmodi communionem congruenter viaticum nominarunt. Quod ſi ſuperuixerint, ſtent in ordine pœnitentium, & oſtenſis neceſſariis pœnitentiæ fructibus, legitimam communionem cum reconciliatoria manus impoſitione percipiant.* Concilium quartum *Carthaginenſe* [u] ita ſtatuit: *Qui pœnitentiam in infirmitate petit, ſi caſu, dum ad eum ſacerdos inuitatus venit, oppreſſus infirmitate obmutuerit, vel in phreneſin verſus fuerit, dent teſtimonium, qui eum audierunt, & accipiat pœnitentiam; & ſi continuus creditur moriturus, reconcilietur per manus impoſitionem, & ori eius infundatur euchariſtia.* Hoc cum regula congruit, in magna ſynodo *Nicæna* [x] data; *Si quis vita excedit, vltimo & maxime neceſſario viatico,* (hoc eſt euchariſtia, vt in fine huius canonis explicatur, vbi epiſcopus de pœnitentia eorum iudicare iubetur) *ne priuetur.* Ex hoc fundamento SYNESIVS [y] ait: *Nemo, quantum in me erit, eccleſiaſticis vinculis obſtrictus moriatur. Sin conualuerit, rurſus iiſdem*

(s) Concil. Agath. c. XV.

(t) Concil. Arauſic. I. c. III.

(u) Concil. Carthag. IV. c. LXXVI.

(x) Concil. Nicæn. c. XIII. εἴ τις ἐξοδεύοι, τοῦ τελευταίου καὶ ἀναγκαιοτάτου ἐφοδίου μὴ ἀποστερεῖσθαι.

(y) Syneſ. epiſt. LXVII. ad Theophil. p. 2 2. (p. 215. b. edit. Pariſ. MDCXXXIII.) Μηδεὶς ἀποθάνοι δεδεμένος ἐμοί· ἀναῤῥωσθεὶς δὲ, πάλιν ἐπὶ τοῖς αὐτοῖς ἐπίδικος

pœnis teneatur, atque a diuina humanissimaque anima tua (ad metropolitanum *Alexandrinum*, cui suberat, scribit) *indulgentiæ tesseram exspectet.* Et hoc ea confirmat, quæ de diuersa ecclesiæ obseruatione, tempore persecutionis & tempore pacis generatim dicit INNOCENTIVS [z]: *Obseruatio prior durior: posterior interueniente misericordia, inclinatior.* Antiquis temporibus multis peccatoribus communio in extremo vitæ momento negabatur; Ipsius autem ætate pœnitentiam concedebant omnibus, eosque ad communionem, si in infirmitate resipiscerent, admittebant. Tantummodo id non tam tutum esse credebant, quam legitimæ pœnitentiæ actionem, dum salui essent & incolumes: & propterea de eorum conditione nihil certi adsirmare audebant. Vetusta quædam homilia sub nomine AVGVSTINI circumfertur, in qua res hunc in modum traditur [a]: *Agens pœnitentiam & reconciliatus, quum sanus est & postea bene viuens, securus hinc exit. Agens pœnitentiam ad vltimum & reconciliatus, si securus hinc exit, ego non sum securus. -- Pœnitentiam dare possum, securitatem dare non possum. -- Numquid dico, damnabitur? Non dico. Sed dico etiam, liberabitur? Non. Et quid dicis mihi? Nescio; non præsumo, non promitto, nescio. Vis te de dubio liberare, vis quod incertum est, euadere? Age pœnitentiam dum sanus es, & inuenerit te nouissimus dies, curre & reconcilieris: si sic agis, securus es. Quare securus es? Quia egisti pœnitentiam eo tempore, quo & peccare potuisti. Si autem vis agere pœnitentiam ipsam, tunc quando peccare non potes, peccata te dimiserunt, non tu illa.* Ex quibus omnibus manifestum est, ecclesiam libertate sua vsam esse in tractandis primi ordinis pœnitentibus, vt vel seueritatem adhiberet vel lenitatem, prout ad scopum disciplinæ, hoc est, ad salutem & ædificationem peccatorum, facere iudicaret.

ἔςω, καὶ παρὰ τῆς θεσπεσίας σε, καὶ φιλανθρώπε ψυχῆς περιμενέτω τῆς συγγνώμης τὸ σύνθημα.

(z) Innocent. epist. III. ad Exuperium c. II. vid. supra §. IV. sub litt. (n) pag. 165. in textu.

(a) Aug. homil. XLI. ex L. tom. X. p. 194. (p. 525 526. edit. Basil. MDLXIX.)

§. VII.

§. VII.

Quænam episcopis indulta sit libertas in imponenda pœnitentia, & exigenda apta satisfactione pro peccatis. Nonnullis peccatoribus bis pœnitentiam agere permissum.

EQVIDEM obseruare possumus, magnam libertatem indultam fuisse episcopis, qui primarii disciplinæ ministri erant, eam reddendi vel asperiorem vel leniorem, prout illius exercitium præscribere ipsis visum fuerit. Quamquam enim peccatores generatim necesse habebant pœnitentiam suam ecclesiæ demonstrare, ad satis ei faciendum sibique ipsis acquirendum regressum; methodus tamen hoc faciendi non ita accurate præscripta erat, sed in episcoporum situm erat potestate, in modo eam peragendi aliquid addere vel subtrahere. Quare licet generalis mos esset, peccatoribus semel tantum publicam pœnitentiam dare in ecclesia, nonnulla tamen seuerioribus & priscis temporibus exempla dantur peccatorum, qui ad hoc priuilegium bis fuerunt admissi. IRENAEVS [b] enim dicit, *Cerdonem* hæreticum sæpe in ecclesiam venisse & exomologesin fecisse. Quod de repetita pœnitentiæ actione pro erroribus suis, per publicam eorum retractationem, intelligendum est. Idem de *Valentino* & *Marcione* hæreticis adfirmat TERTVLLIANVS [c], quod semel & iterum eiecti sint ecclesia, ob inquietam eorum curiositatem, qua fratres vitiarint, antequam in perpetuum discidium eruperint & venena doctrinarum suarum disseminauerint in populo. Et postea tamen *Marcionem* pœnitentiam confessum, & pacem ecclesiæ recepturum fuisse

(b) Iren. lib. III. c. IV. Κέρδων δὲ --- εἰς τὴν ἐκκλησίαν ἐλθὼν καὶ ἐξομολογούμενος, οὕτως διετέλεσε, ποτὲ μὲν λαθροδιδασκαλῶν, ποτὲ δὲ πάλιν ἐξομολογούμενος, ποτὲ δὲ ἐλεγχόμενος ἐφ᾽ οἷς ἐδίδασκε κακῶς, καὶ ἀφιστάμενος τῆς τῶν ἀδελφῶν συνοδίας. *Cerdon autem --- sæpe in ecclesiam veniens & exomologesin faciens sic consummauit, modo quidem latenter docens, modo vero exomologesin faciens, modo vero ab aliquibus traditus in his, quæ docebat male, & abstentus est a religiosorum hominum conuentu.*

(c) Tertull. de præscript. c. XXX. Ob inquietam semper eorum curiositatem, qua fratres quoque vitiabant, semel & iterum eiecti --- nouissime in perpetuum discidium relegati, venena doctrinarum suarum disseminauerunt. Postmodum Marcion pœnitentiam confessus, quum conditioni datæ sibi occurrit, ita pacem recepturus, si ceteros quoque, quos perditioni erudisset, ecclesiæ restitueret, morte præuentus est.

dicit

dicit ea conditione, si ceteros, quos perditioni erudiisset, ecclesiæ restitueret; quod & cum facere voluisse, sed morte fuisse præuentum. SOCRATES etiam de CHRYSOSTOMO [d] narrat, quod licet a synodo episcoporum semel duntaxat iis, qui post baptismum peccassent, concessa fuerit pœnitentia, ipse pronuntiare non dubitauerit: *Licet millies pœnitentiam egeris, accede.* Ob quam doctrinam tum a familiaribus suis reprehensum esse dicit, tum etiam a *Sisinnio*, *Nouatianorum* episcopo, qui librum aduersus hoc dictum conscripserit, cumque ob id ipsum grauiter exagitarit. Postea concilium habitum est *Constantinopoli* an. CCCCXXVI vel CCCCXXVII. sub alio quodam *Sisinnio* episcopo catholico, vno ex successoribus CHRYSOSTOMI, contra hæreticos *Messalianos*, in quo decretum fuit, quod, quum sæpius post actam pœnitentiam relapsi sint, numquam postea ad pœnitentiam admitti debeant, ne si millies quidem pœnitentibus constitutas pœnas luituros se polliceantur. Epistola synodica PHOTIO [e] memoratur, ex qua discimus, relapsos hoc tempore ad secundam pœnitentiam admitti solitos, licet consultum visum fuerit, *Messalianis* hæreticis priuilegium illud in posterum negare, eo quod toties eo abusi essent.

§. VIII.

In episcoporum etiam potestate situm, terminum pœnitentiæ iusta de caussa moderari.

ALIVD potestatis episcoporum hac in re exemplum erat

(d) Socrat. lib. VI. c. XXI. *μιᾶς μετὰ τὸ βάπτισμα παρὰ τῆς συνόδου τῶν ἐπισκόπων μετανοίας τοῖς ἐπταικόσι δοθείσης, αὐτὸς ἀπετόλμησεν εἰπεῖν,* χιλιάκις μετανοήσας εἴσελθε· *ἐφ' ᾗ διδασκαλίᾳ πολλοὶ μὲν καὶ τῶν γνωρίμων αὐτοῦ κατέγνωσαν· μάλιστα δὲ Σισίννιος ὁ τῶν Ναυατιανῶν ἐπίσκοπος· ὃς καὶ λόγον ὑπεναντίον τοῦ λεχθέντος συνέγραψεν, καὶ γενναίως αὐτοῦ διὰ τοῦτο κατέδραμεν.*

(e) Phot. biblioth. col. LII. *Ἐν ταύτῃ τῇ συνοδικῇ ἐπιστολῇ καὶ Νέων ἐπίσκοπος ἐξεφώνησεν, ὡς εἴ τις μετὰ τὸν ἀναθεματισμὸν φωραθείη τῷ χρόνῳ, ἢ διὰ ῥημάτων, ἢ διὰ πραγμάτων εἰς τὴν ὑποψίαν τῆς νόσου ταύτης ἐμπίπτων,* μηκέτι λοιπὸν αὐτὸν χώραν ἔχειν, μή δ' ἂν μυριάκις ἐπαγγέλλεται, τὴν τάξιν ἀναπληροῦν τῶν μετανοούντων. *In ea ipsa synodica epistola Neon episcopus exclamauit, vt, si quis post anathematismum vllo tempore deprehensus fuerit, re aut verbo, in suspicionem malæ huius sectæ incidisse, nunquam postea locum teneat, ne si millies quidem pœnitentibus constitutas pœnas luiturum se polliceatur.*

liber-

libertas, quam ipſi canones eis concedebant, tempus pœnitentiæ moderandi & contrahendi, ſi quem inſigniorem ardorem & ſedulitatem in pœnitente quodam obſeruarent, quæ eorum indulgentiam & miſericordiam mereri poſſet. Patres *Nicæni*, tempus pœnitentiæ conſtituentes eis, qui in idololatriam inciderint, triennium inter audientes & decennium inter ſubſtratos explere debere dicunt, antequam ad communionem precum cum populo admittantur; & addunt [*f*]: *Quicumque autem metu & lacrimis & tolerantia & bonis operibus conuerſionem & opere & habitu oſtendunt, hi impleto auditionis tempore, quod præfinitum eſt, merito orationum communionem habebunt. Poſtmodum vero licebit epiſcopo aliquid humanius de his ſtatuere.* Simile decretum in concilio *Ancyrano* [*g*] inuenitur: *Statuimus, vt epiſcopi modo conuerſationis examinato, poteſtatem habeant vel humanius erga eos agendi, vel plus temporis adiiciendi. Ante omnia autem & præcedens vita, & quæ conſequuta eſt, examinetur, & ſic eis impertiatur humanitas.* BASILIVS [*h*] dicit, quod is, cui a Dei benignitate ligandi & ſoluendi credita eſt poteſtas, non minus poteſtatem habeat tempus pœnarum diminuendi, ſi ſummam eius, qui peccarit, confeſſionem videat & pœnitentiam. Et CHRYSOSTOMVS reſpondens quibuſdam, qui de diuturnitate pœnitentiæ querebantur, quod ad annum vnum, vel duo, vel tres extenderetur, dicit: *Temporis* [*i*] *moram non quæro ſed animæ correctionem.*

(*f*) Conc. Nic. can. XII. Ὅσοι μὲν γὰρ φόβῳ καὶ δάκρυσι, καὶ ὑπομονῇ, καὶ ἀγαθοεργίαις, τὴν ἐπιστροφὴν ἔργῳ καὶ ὁ σχήματι ἐπιδείκνυνται· οὗτοι πληρώσαντες τὸν χρόνον τὸν ὡρισμένον τῆς ἀκροάσεως, εἰκότως τῶν εὐχῶν κοινωνήσουσι, μετὰ τοῦ ἐξεῖναι τῷ ἐπισκόπῳ καὶ φιλανθρωπότερόν τι περὶ αὐτῶν βουλεύσασθαι.

(*g*) Concil. Ancyran. c. V. τοὺς δὲ ἐπισκόπους ἐξουσίαν ἔχειν τὸν τρόπον τῆς ἐπιστροφῆς δοκιμάσαντας φιλανθρωπεύεσθαι, ἢ πλείονα προστιθέναι χρόνον, πρὸ πάντων δὲ καὶ ὁ προάγων βίος, καὶ ὁ μετὰ ταῦτα, ἐξεταζέσθω· καὶ οὕτως ἡ φιλανθρωπία ἐπιμετρείσθω.

(*h*) Baſil. can. LXXIV. ὁ πιστευθεὶς παρὰ τῆς τοῦ θεοῦ φιλανθρωπίας λύειν καὶ δεσμεῖν, εἰ φιλανθρωπότερος γίνοιτο, τὸ ὑπερβάλλον τῆς ἐξομολογήσεως ὁρῶν τοῦ ἡμαρτηκότος, εἰς τὸ ἐλαττῶσαι τὸν χρόνον τῶν ἐπιτιμίων, οὐκ ἔστι καταγνώσεως ἄξιος. κ. τ. λ. *Si is, cui a Dei benignitate ligandi & ſoluendi credita eſt poteſtas, videns ſummam eius, qui peccauit, confeſſionem, fiat clementior ad diminuendum pœnarum tempus, non erit dignus damnatione, &c.*

(*i*) Chryſoſt. homil. XIV. in 2 Cor. p. 846. (p. 644. edit. Francof.) οὐ τοῦτο ζητῶ

Hoc itaque fac demonſtres, ſintne compuncti, ſintne in melius mutati, & res tota confecta erit. Concilium *Ilerdenſe* [k] expreſſe ait: *Maneat in poteſtate pontificis, vel veraciter afflictos non diu ſuſpendere, vel deſidioſos prolixiore tempore ab eccleſiæ corpore ſegregare.* Et concilium *Chalcedonenſe* [l], omnes epiſcopos in ſua quemque eccleſia oſtendendæ in iſtiuſmodi pœnitentes humanitatis auctoritatem habere debere ſtatuit.

§. IX.

Et hæc vera & antiqua notio indulgentiæ.

ATQVE hoc eſt, quod veterum nonnulli vocarunt indulgentiam; quæ proinde non fuit poteſtas, vti quidem nunc venditatur, liberandi animas ex pœnis ignis purgatorii, per multa & magna merita, ſiue opera ſupererogationis, quæ ſcriptores eccleſiæ *Romanenſis* theſaurum eccleſiæ vocitant, cuius ſummus pontifex vnus ſolus adminiſtrator eſſe perhibetur: Sed antiquis temporibus indulgentia nihil erat amplius, quam hæc poteſtas, quam vnuſquiſque habebat epiſcopus, moderandi pœnas canonicas, quæ in decurſu pœnitentiæ infligebantur peccatoribus, ita vt ſi quem epiſcopus in pœnitentia præ aliis videret nauum & ſtrenuum, libertatem haberet tempus pœnitentiæ eius imminuendi, hoc eſt, ab exercitationibus pœnitentialibus aliquid relaxandi, cumque citius quam reliquos ad communionem admittendi. Hæc vera & antiqua notio indulgentiæ erat. Ita vero rem ſe habuiſſe, ex epiſtola quadam VIGILII epiſcopi *Romani* condiſcimus, qui ad certum ſcribens epiſcopum de iis, qui ſub pœnitentia erant conſtituti, eo quod ab *Arianis* rebaptizari ſe ſiuiſſent, *In æſtimatione*, inquit [m], *fraternitatis tuæ, aliorumque pontificum per ſuas diœceſes relinquatur, vt ſi qualitas & pœnitentis deuotio fuerit approbata, indulgentiæ quoque remedio ſit vicina.*

χρόνου πλῆθος, ἀλλὰ ψυχῆς διόρθωσιν· τοῦτο τοίνυν ἐπίδειξον, εἰ κατενύγησαν, ἢ μετεβάλλοντο, καὶ τὸ πᾶν γέγονεν.

(k) Concil. Ilerdenſ. can. V.

(l) Concil. Chalced. can. XVI. *ὡρίσαμεν δὲ ἔχειν τὴν αὐθεντίαν τῆς ἐπ' αὐτοῖς φιλανθρωπίας τὸν κατὰ τόπον ἐπίσκοπον.*
Vid. Martin. Bracar. capitula Græc. can. cap. LXXXI. Conuerſatio & fides pœnitentis compendiat tempus.

(m) Vigil. epiſt. II. ad Eleuther. cap. III.

§. X.

§. X.

Quæ nonnumquam ex deprecatione martyrum, vel ciuilis magistratus efflagitatu data.

ET hæc quidem interdum dabatur deprecantibus in carcere martyribus, cuius rei varia exempla habentur apud CYPRIANVM; interdum vero ciuili magiſtratu efflagitante. AVGVSTINVS enim narrat, quod vt epiſcopi pro reis deprecari ſoliti ſint in iudiciis ciuilibus, ita magiſtratus ciuiles interdum deprecati ſint pro pœnitentibus in iudiciis eccleſiaſticis. Et hoc quidem tamquam argumento vtitur ad certum magiſtratum, vt ad miſericordiam peccatori cuidam tribuendam eum inducat. *Si vobis fas eſt*, inquit [n], *eccleſiaſticam correptionem intercedendo mitigare, quomodo epiſcopus veſtro gladio non debet intercedere, quum illa exſeratur, vt, in quem exſeritur, bene viuat, iſte ne viuat?* Hoc igitur indulgentiarum genus non ad futuri mundi pœnas, ſed tantum ad mitigandas pœnas canonicas in hoc mundo, ſpectat. Quod ingenue agnoſcitur a GEORGIO CASSANDRO [o] & diuerſis aliis doctis eccleſiæ *Romanenſis* ſcriptoribus, quorum nonnulli, eo quod nimium liberaliter hoc con-

(n) Auguſt. epiſt. LIV. ad Macedonium p. 93. (tom. II. opp. p. 243. c. ed. Baſil. MDLXIX.)

(o) Caſſand. conſultat. artic. XII. p. 103. (In oper. p. 949. edit. Pariſ. MDCXVI.) Ex hoc ritu canonicarum pœnarum, quæ publice pœnitentibus ad certi temporis præſcriptum imponebantur, natæ ſunt indulgentiæ. Fas enim erat epiſcopis, animaduerſa vel diligentia vel impotentia, & infirmitate pœnitentiæ, humanius & mitius cum illo agere, & de tempore illo & rigore pœnarum aliquid detrahere & imminuere: quæ pœnarum canonicarum imminutio & relaxatio, indulgentia dicebatur, quæ hodie ad priuatas quoque ſatisfactiones traducta eſt, & ab epiſcopis ad ſolum pontificem Romanum plenum indulgentiarum tribuendarum ius delatum, circa quarum vſum & praxin optimi quique correctionem & moderationem fieri deſiderarunt, vt quæ parum dextre tractata huius dilacerationis eccleſiæ præcipuam occaſionem dedere.

Ioan. Roffenſ. contr. Luther. art. XVIII. (pag. 314. edit. Argentin. MDXXIV.) Neque tam neceſſaria fuit ſiue purgatorii, ſeu indulgentiarum fides in primitiua eccleſia atque nunc eſt. Nam tunc vſque adeo caritas ardebat, vt paratiſſimi fuerint ſinguli pro Chriſto mortem oppetere. Rara fuerunt crimina, & ea, quæ contigerunt, magna fuerunt canonum ſeueritate vindicata. Nunc autem bona pars populi, magis chriſtianiſmum exueret, quam rigorem canonum pateretur, vt non abſque maxima ſancti ſpiritus

 ceſſe-

cesserunt, inquisitorum *Romanorum* subiere censuras. Inter hos POLYDORVS VIRGILIVS in *indice expurgatorio* [p] positus est, quod vsum indulgentiarum non vltra ætatem GREGORII MAGNI referendum esse dixit: Et FRANCISCVS POLYGRANVS [q], quod de iure diuino quemlibet sacerdotem posse dare indulgentias docuit; cum quibusdam aliis istiusmodi adsertis, quæ cum vera & antiqua notione indulgentiæ, prout iam explicata est, congruunt, consistere autem non possunt cum iniquo summi pontificis studio hanc potestatem sibi soli vindicandi, vel vllis aliis innouationibus in hodierna *Romanensium* praxi. Sed hæc obiter tantum. Reuertimur iam ad ecclesiam antiquam.

§. XI.

Episcopi etiam potestate præditi non minus naturam pœnæ aliquo modo mutandi, quam illius terminum.

VBI porro obseruari meretur, episcopos potestatem habuisse

dispensatione factum sit, quod post tot annorum curricula purgatorii fides & indulgentiarum vsus ab orthodoxis generatim sit receptus, cetera.

Polydor. Virgil. de inuentor. rerum lib. VIII. c. I. Gregorius certos dies constituit, quibus in præcipuis vrbis templis solemni ritu sacrificaretur, ibique pro illo sedando malo (peste videlicet) oraretur suppliciter: ac vt populus generatim simul frequentior eo illis statis diebus concurreret, proposuit delictorum veniam ad id solemne accedentibus, constitutis ad ipsa templa sacerdotibus, qui audirent volentes de peccatis suis confiteri, vt illi inde remissionem omnium delictorum consequerentur. Quæ sane consuetudo vel hodie seruatur, vbicumque publica peccatorum venia promittitur. Et quia sacerdos potestatem habet tam culpam quam pœnam tollendi, hinc factum videtur, vt talis venia delictorum vulgo appelletur indulgentia, id est, remissio culpæ & pœnæ.

Alphons. a Castro aduers. hæres. lib. VIII. pag. 572. (fol. CXLII. edit. Colon. MDXXXIX.) Tunc magis feruebat christianorum caritas, vt parum esset opus indulgentiis, plures anhelabant ad martyrium, pauca erant hominum scelera, & si quod erat, grauissima canonum punitione emendabatur; heic in præsenti vita satis facere volebant, nihil volebant in futurum puniendum relinquere, quapropter non est mentio vlla indulgentiarum.

(p) Index libror. prohibitor. ex expurgand. p. 873. Madrit. MDCLXVII. (p. 182. edit. Argentorat. MDCIX.) In indice rerum illa delenda: Indulgentiæ quo tempore frequentari cœperint. Indulgentias delictorum quis primo proposuerit, *del.* primo.

(q) Index expurg. p. 97. Salmur. MDCI. Ex Fr. Polygrani assertionibus quorundam ecclesiæ dogmatum fol. 68. deleatur glossa marginalis, quæ ait, de iure diuino quilibet sacerdos possit dare indulgentias.

buisse

buisse tribuendi indulgentiam, non tantum contrahendo tempus pœnitentiæ præscriptum, sed aliquo etiam modo mutando vel imminuendo ipsius pœnæ naturam & qualitatem. Cuius rei planum documentum habemus in concilio *Ancyrano* [r], vbi canon aliquis legitur in hanc sententiam: *Diaconi, qui immolauerint, honorem quidem habeant: cessare vero ab omni sacro ministerio, siue in pane siue in calice offerendo, vel prædicando. Quod si quidam episcoporum conscii sint laboris eorum & humilitatis & mansuetudinis, & voluerint eis aliquid amplius tribuere vel adimere, penes ipsos erit potestas.* Ex quibus videre est, magnam partem in tota hac materia episcopi arbitrio fuisse permissam, vt exercitium pœnitentiæ vel acueret vel mitigaret, tam ratione ipsarum pœnarum quam ratione temporis, prout pœnitentis peccatoris conditio & vitæ institutum requirere videretur.

§. XII.

Quid veteres intelligant per legitimam pœnitentiam.

ET hoc nobis phrasin explanat, cuius apud antiquos auctores ac potissimum apud CYPRIANVM [s] & in concilio *Illiberritano* [t] frequens est mentio, vbi pœnitentes pœnitentiam legitimam, plenam & iustam agere iubentur. Nonnulli per hoc intelligunt, quod integrum pœnitentiæ tempus, per canones præscriptum, explere debeant; alii, quod non tempus tantum explere, sed per omnes gradus pœnitentiæ, tamquam lugentes, audientes, substrati & consistentes ire debeant, ante-

(r) Concil. Ancyran. c. II. *διακόνους θύσαντας, μετὰ δὲ ταῦτα ἀναπαλαίσαντας, τὴν μὲν ἄλλην τιμὴν ἔχειν, πεπαῦσθαι δὲ αὐτοὺς πάσης τῆς ἱερᾶς λειτουργίας, τῆς τε τοῦ ἄρτον ἢ ποτήριον ἀναφέρειν, ἢ κηρύσσειν· εἰ μέν τοι τινὲς τῶν ἐπισκόπων τούτοις συνίδοιεν κάματόν τινα ἢ ταπείνωσιν πραότητος, καὶ ἐθέλοιεν πλεῖόν τι διδόναι ἢ ἀφαιρεῖν, ἐπ᾽ αὐτοῖς εἶναι τὴν ἐξουσίαν.*

(s) Cyprian. epist. LIV. al. LVII. ad Cornel. p. 116. (p. 252. edit. Fell. Amstelod. MDCC.) Statueramus -- vt qui in persecutionis infestatione supplantati ab aduersario & lapsi fuissent & sacrificiis se illicitis maculassent, agerent diu *pœnitentiam plenam* &c. Epist. LV. ad Antonian. p. 108. (p. 246. edit. cit.) Neque præiudicamus domino iudicaturo, quo minus, si *pœnitentiam plenam & iustam* peccatoris inuenerit, tunc ratum faciat, quod a nobis fuerit hic statutum.

(t) Conc. Illiberritan. c. III. -- Placuit in fine eis præstari communionem, acta tamen *legitima pœnitentia.* Can. V. Post quinquennii tempora, acta *legitima pœnitentia*, ad communionem placuit admitti. Vid. etiam can. XIV. LXXII. LXXVI.

quam

quam in communionem recipiantur. Sed horum neutri genuinum ſenſum vetuſtæ huius locutionis capiunt, quæ nec tempus pœnitentiæ, nec pœnitentium ordinem reſpicit, ſed mentem & qualitates hominum, bona fide in pœnitentia agentium, verumque animi dolorem lacrimis, gemitibus, ieiuniis, eleemoſynis ſinceraque morum ſuorum reformatione declarantium. Quæ apta pœnitentis animi indicia ſunt, & talia, vt epiſcopum poſſint commouere, vt aliquam eis manſuetudinem & indulgentiam, tempus pœnitentiæ imminuendo, tribuat; quo non obſtante id iuſta & plena pœnitentia dici poteſt, quemadmodum recte obſeruat ALBASPINAEVS [u].

§. XIII.

Quid intelligatur per phraſin, Inter hiemantes orare.

ALIA adhuc phraſis in quibuſdam vetuſtis canonibus occurrit, quæ aliqua explicatione hoc loco indiget, quia ad veteris diſciplinæ ſeueritatem reſpicit, quam iam conſideramus. Concilium *Ancyranum* loquens de his, qui cum [x] beſtiis rem haberent, vel aliis ad idem flagitium committendum auctores eſſent, (vtpote ſpirituali lepra infecti alioſque contagione ſua inficientes) iubet eos *inter hiemantes orare*; quo ipſo extraordinaria quædam pœna denotatur, qualis autem, non facile ad definiendum eſt, quia viri docti de ſignificatu vocabuli χειμαζόμενοι non ſatis conſentiunt. Veteres canonum *Græcorum* interpretes plerumque id intelligunt de energumenis ſiue dæmoniacis, qui ab immundis ſpiritibus vexabantur, & quaſi per tempeſtatem ab eis agitabantur. DIONYSIVS EXIGVVS reddidit, *Qui ſpiritu periclitantur immundo.* Et ISIDORVS MERCATOR, *Qui tempeſtate iactantur, qui a nobis furioſi ſiue energumeni in-*

(u) Albaſpin. obſeruat. lib. II. c. XXX. tot. Item not. in can. III. concil. Illiberrit. Vt *pœnitentia* cenſeretur *legitima*, non ſatis erat explere tempus conſtitutum ab epiſcopo, vt volunt Garſias & Binius, ſed ea legitima vocabatur, quam bona fide duebant pœnitentes, & cum domi, & in eccleſia noctu, & interdiu perpetuis ærumnis ſeſe exercerent, & lacrimis, fletibus & multis præterea ſignis animi dolorem clam & publice teſtarentur. Illegitima autem dicebatur, quando pœnitentes languidius eam ſubirent, & parum dolerent de peccatis, quamuis præſcriptum tempus explerent.

(x) Concil. Ancyr. c. XVII. τὰς ἀλογευσαμένας καὶ λεπρὰς ὄντας, ἤτοι λεπρώσαντας, τέτας προσέταξεν ἡ ἁγία σύνοδος εἰς τὰς χειμαζομένας εὔχεσθαι.

telli-

telliguntur. Et MARTINVS epiſcopus *Bracarenſis* in collectione canonum *Graecorum* [*y*] interpretatur *daemoniosos.* Et hæc interpretatio quodam modo probabilis redditur ex eo, quod vocabulum χειμαζόμενοι a multis *Graecis* ſcriptoribus ita exponitur. In precatione pro vniuerſo eccleſiæ ſtatu & omnibus eius ordinibus, auctori *conſtitutionum* [*z*] memorata, petitio aliqua eſt ὑπὲρ τῶν χειμαζομένων ὑπὸ τοῦ ἀλλοτρίου pro illis, qui *ab alieno*, hoc eſt, malo ſpiritu, *iactantur.* Atque hoc ſenſu CYRILLVS ALEXANDRINVS [*a*] phraſin vſurpat pro illis, qui a malo ſpiritu erant obſeſſi. Sicut & vetuſti commentatores, MAXIMVS [*b*] in DIONYSIVM, & ALEXIVS ARISTINVS in canones [*c*] & recentiores Graeci in *euchologio* [*d*] ſuo, in quo precatio habetur ὑπὲρ ἀσθενῶν χειμαζομένων ὑπὸ πνευμάτων ἀκαθάρτων καὶ ἐπηρεαζόντων, *pro infirmis, a ſpiritibus immundis & obſidentibus iactatis.* Quorum ex teſtimoniorum fide GVILIELMVS BEVEREGIVS [*e*] concludit, quod orare inter χειμαζομένους ſiue hiemantes in ſynodo *Ancyrana* denotet orare inter energumenos, ſiue agitatos malis ſpiritibus. Atque ita OSIANDER in notis ad concilium *Ancyranum* [*f*] & DODWELLVS [*g*] in obſeruationibus ſuis in CYPRIANVM, qui vocabulum *clydomeni* in epiſtola quadam CYPRIANI corrupte tantum legi putat pro

(*y*) Martin. Bracar. collect. canon. can. LXXXII. Oportet tales inter *daemoniosos* orare. al. ordinare.

(*z*) Conſtitut. lib. VIII. c. XII. circa finem. Ἔτι παρακαλοῦμέν σε καὶ ὑπὲρ τῶν κατηχουμένων τῆς ἐκκλησίας, καὶ ὑπὲρ τῶν χειμαζομένων ὑπὸ τοῦ ἀλλοτρίου.

(*a*) Cyrill. in Ieſa. XIII. p. 544. χειμαζόμενοι ὑπὸ πνεύματος πονηροῦ.

(*b*) Maxim. in Dionyſ. hierarch. eccleſ. c. VI. (p. 393. edit. Antuerp. MDCXXXIV.) τῶν χειμαζομένων καὶ ἐνεργουμένων, *De iis qui a daemone vexantur & adflantur.*

(*c*) Alex. Ariſtin. in can. XVII. concil. Ancyr. (ap. Beuereg. p. 394.) χειμαζόμενοι δέ εἰσι κατὰ τὸν μέγαν Διονύσιον, οἱ ὑπὸ πνεύματος πονηροῦ κατεχόμενοι, *Hybernantes ſunt ſecundum magnum Dionyſium, qui a ſpiritu prauo vexantur.*

(*d*) Eucholog. Goar. p. 724.

(*e*) Beuereg. not. in can. XI. concil. Nicaen. n. IV. p. 72. tot.

(*f*) Collect. canonum. Wittebergae MDCXIV. 4to.

(*g*) Dodwell. diſſert. I. in Cyprian. p. 4. (p. 7. edit. Fell. Amſtelod. MDCC.) Propius ad MSS. fidem accedet, ſi (pro *clydomeni*) *clydonizomeni* legamus, & de *energumenis* ſiue *maniacis* intelligamus, qui *lymphatici Latinis*, χειμαζόμενοι *Graecis* quoque patribus audiunt. Idem enim valet primaria quoque ſignificatione χειμαζόμενοι quod κλυδωνιζόμενοι.

cly-

clydonizomeni, κλυδωνιζόμενοι, & idem valere dicit, quod χειμαζόμενοι, & de energumenis siue maniacis intelligi, qui *Latinis* dicantur *lymphatici*, quemadmodum e nonnullis locis AMPHILOCHII [*h*] & CHRYSOSTOMI ostendit, qui coniecturam eius confirmant. Alii viri docti putant, χειμαζομένους siue *hiemantes* fuisse istiusmodi pœnitentes, qui propter grauiora delicta non tantum communione ecclesiæ, sed ipso etiam atrio ecclesiæ eiecti & pœnitentiam sub dio agere iussi sint, vbi steterint omni aëris iniuriæ expositi. Hæc opinio ab ALBASPINAEO [*i*], BONA [*k*]

(*h*) Amphiloch. homil. de pœnitent. ap. Combefis. p. 97. προσερχόμενοι γὰρ τοῖς μάντεσι καὶ τοῖς κλυδωνιζομένοις, καὶ τοῖς μάγοις, καὶ φαρμακοῖς, ἐξαιτοῦνται καὶ κατὰ ἀνθρώπων δαίμονας, *Diuinos adeuntes & vates dæmonio plenos, magosque & veneficos, etiam contra homines efflagitant dæmones.*
Chrysost. orat. I. ad Stagyrium tom. VI. edit. Sauil. p. 85. lin. 29. σαυτὸν δὲ ἐν χαλεπωτάτῳ κλύδωνι κείμενοι ἔτι &c.

(*i*) Albaspin. obseruat. in can. XVII. concil. Ancyran. Qui ob grauia delicta, verbi gratia fornicationis aut adulterii, pœnitentiam agebant, aut eam petebant; certum est sub quodam tectulo pro templi foribus eos ritus pœnitentiæ, & exomologesim peregisse, id est, presbyteris aduolutos, caris Dei & martyribus adgeniculatos, veniam deprecatos esse, ceteros denique fratres, vt sibi deprecatores essent, orasse: verum qui grauiora delicta, vt sunt ea, quæ hisce canonibus commemorantur, commiserant, quique perpetuam agerent pœnitentiam, non solum ab ecclesia, sed ab illo tectulo arcebantur, quos heic hiemantes vocari existimo, & inter eos, hos impudicos leprosos orare iuberi: hiemantes autem dici videntur, vel quia ab hoc tectulo semoti, sub dio orare & pœnitentiam agere cogerentur, vel certe quia in ecclesiæ portum numquam reciperentur, vt ait Balsamo.

(*k*) Bon. rer. liturgic. lib. I. cap. XVII. num. V. Synodus Ancyrana can. XVII. leprosos, & eos qui cum brutis rem habuerunt, inter hiemantes orare præcepit. At qui fuerint isti, dubiæ quæstionis est. Quidam putant fuisse arreptitios, quos S. Maximus in scholiis ad cap. VI. *eccles. hier.* ita vocari arbitratur, quod veluti tempestatibus agitati in continua quasi hieme versarentur. Horum vero sententiam reprobat Zonaras in notis ad citatum canonem Ancyranum: *Sed qui sint*, inquit, *haud facile dixerim.* Alii collocant eos in primo ordine pœnitentium, nullumque agnoscunt discrimen inter hiemantes & lugentes. Quibusdam magis placet hiemantium nomine illos intelligi, qui sub dio extra omne ecclesiæ tectum manebant, cuiusmodi erant maiori excommunicatione percussi, ab ecclesia prorsus præcisi: quo etiam in loco, procul scilicet a porticu, iussi sunt stare leprosi, ne ceteros inficerent; & qui cum brutis atque contra naturam luxuriabantur, quos monstra, portenta & furias nuncupabant. Horum autem coniecturam ideo censeo probabiliorem, quod illi fauere videatur Tertullianus *lib. de pu-*

et

et SVICERO [l] acceptatur & defenditur. Exſtat in TERTVLLIANO locus, qui hanc explicationem maxime probabilem reddit. Vbi enim de antiqua loquutus eſt diſciplina graduſque ac atrocitatem criminum diſtinxit, ſubiungit [m]: *Reliquas autem libidinum furias & in corpora & in ſexus vltra iura naturæ, non modo limine, verum omni eccleſiæ tecto ſubmouemus, quia non ſunt delicta, ſed monſtra.* Alterutra harum opinionum, vtpote quæ ambæ ſuas habent rationes probabiles, quibus nituntur, admitti poteſt. BALSAMONIS autem ſententia parum valet, qui hiemantes ad ſecundi ordinis pœnitentes refert, dictos audientes. Hoc autem non oſtendit maiorem aliquam ſeueritatem contra tam deteſtanda flagitia, dum eis communem cum reliquis pœnam adſignat. Si vero ſtatuamus, eorum reos aut inter arreptitios conſtitutos, aut eccleſia prorſus eiectos fuiſſe, ſeueritas eccleſiæ contra eos in propatulo eſt; quam ob cauſſam id de induſtria hoc loco attigimus, vbi de antiquæ diſciplinæ rigore & ſeueritate loquuti ſumus, quæ res vltima eſt, digna conſideratione in illius exercitio, dum homines vinculis excommunicationis deuincti & conſtricti tenebantur. Iam videamus oportet, quemadmodum hiſce vinculis, plena & legitima acta pœnitentia, ſolui conſueuerint. Et hoc ad negotium abſolutionis, ſiue ad methodum reſtituendi pœnitentes in eccleſiæ communionem, nos deducit; qua de re libro ſequenti.

---

dicitia, apud quem aliud eſt limine eccleſiæ, aliud toto tecto ſubmoueri. Vid. ſub litt. ſeq. (*m*) in textu.

(*l*) Suicer. theſaur. eccleſ. voce χειμαζόμενοι. Alii χειμαζομένους eos eſſe dicunt, *qui pro templi foribus, ſub dio, orare & pœnitentiam agere cogebantur.* Qui ob grauia delicta; vt eſt fornicatio, aut adulterium, pœnitentiam agebant, aut eam petebant, ſub quodam tecto pro templi foribus eos pœnitentiæ ritus & exomologeſin peragebant, id eſt, presbyteris aduoluebantur, caris Dei adgeniculabantur, veniam deprecabantur, ceteros denique fratres, vt ſibi deprecatores eſſent, orabat. Verum qui grauiora delicta, vt ſunt, quæ hoc canone commemorantur, commiſerant, quique perpetuam agerent pœnitentiam, non ſolum ab eccleſia, ſed ab illo etiam tecto arcebantur, qui heic χειμαζόμενοι videntur appellari. Tertulliani verba de pudicitia cap. IV. extremo: *Reliquas* &c. (vid. ſub litt. (m) in textu). Atque hæc veriſſima videtur eſſe ſententia.

(*m*) Tertull. de pudicit. c. IV.

LIBER DECIMVS NONVS

DE ABSOLVTIONE, SIVE RATIONE RESTITVENDI POENITENTES IN ECCLESIAE COMMVNIONEM.

CAPVT PRIMVM

DE NATVRA ABSOLVTIONIS ET DIVERSIS EIVS GENERIBVS; MAXIME DE EIS, QVAE AD POENITENTIALEM ECCLESIAE DISCIPLINAM RESPICIVNT.

§. I.

Omnis abſolutio eccleſiaſtica miniſterialis tantum, non abſoluta.

VIDIMVS hactenus diſciplinæ pœnitentialis exercitium in omnibus ſuis partibus, quatenus ad peccatores, vinculis excommunicationis conſtrictos, attinet; iam ſub alio adſpectu nobis conſiderandum illud eſt, quatenus abſolutionem eorum ab hiſce vinculis per poteſtatem clauium, & rationem reſtituendi pœnitentes in eccleſiæ communionem denotat, quando eorum pœnitentia erat completa. Et heic quidem primum omnium par eſt obſeruemus, veteres nullam niſi mere miniſterialem in hoc negotio ſibi arrogaſſe poteſtatem; abſoluta, ſuprema, non aliunde pendente & immutabili poteſtate ſoli Deo relicta. Cuius rei haud aliud documentum in præſenti adferri neceſſe eſt, quam hoc, Quod ſemper ex eo argumentum pro ſeruatoris noſtri diuinitate formarint, quod ſupremam peccata remittendi in terra habuerit poteſtatem. Quod argumentum nullum pondus habiturum erat, ſi homines æqualem cum ipſo partem in hac poteſtate haberent. Ita IRENAEVS contra quoſdam ſui temporis hæreticos argumentatur: *CHRISTVS*, inquiens [a], *peccata remittens, hominem quidem cura-*

(a) Iren. lib. V. c. XVII.

vit,

vit, ſemetipſum autem manifeſte oſtendit, quis eſſet. Si enim nemo poteſt remittere peccata, niſi ſolus Deus; remittebat autem hæc dominus, & curabat homines: manifeſtum eſt, quoniam ipſe erat verbum Dei, filius hominis factus, a patre poteſtatem remiſſionis peccatorum accipiens, quoniam homo & quoniam Deus, vt, quomodo homo compaſſus eſt nobis, tamquam Deus miſereatur noſtri, & remittat nobis debita noſtra, quæ factori noſtro debemus Deo. Idem argumentum a TERTVLLIANO vrgetur in libris contra *Marcionem* [*b*]; & a NOVATIANO [*c*] contra *Ebionitas*; & ab ATHANASIO [*d*] contra *Arianos*. BASILIVS [*e*] quoque illo vtitur tamquam validiſſimo telo aduer-

(*b*) Tertull. contr. Marcion. lib. IV. c. X. Quum iudæi ſolummodo hominem eius intuentes, nec dum & Deum certi, qua Dei quoque filium, merito retractarent, non poſſe hominem delicta dimittere, ſed Deum ſolum, cur non ſecundum intentionem eorum de homine eis reſpondit; Habere eum poteſtatem dimittendi delicta, quando & filium hominis nominans, hominem nominaret? niſi quia ideo ipſa voluit eos appellatione filii hominis ex inſtrumento Danielis percutere, vt oſtenderet eum & hominem, qui delicta dimitteret, illum ſcilicet ſolum filium hominis apud Danielis prophetiam, conſecutum iudicandi poteſtatem, ac per eam vtique & dimittendi delicta.

(*c*) Nouat. de trinit. c. XIII. Quod ſi, quum nullius ſit niſi Dei, peccata dimittere, idem Chriſtus peccata dimittit - - - merito Deus eſt Chriſtus.

(*d*) Athan. orat. III. contr. Arianos. (p. 590. a. edit. Pariſ. MDCXCVIII.) *ἁμαρτίας ἠφίει, λέγων τῷ παραλυτικῷ, καὶ τῇ τοὺς πόδας ἀλειψάσῃ γυναικὶ, ἀφέωνταί σου αἱ ἁμαρτίαι· καὶ νεκροὺς μὲν ἤγειρε -- καὶ ταῦτα ἐποίει, οὐ μέλλων, ἕως λάβῃ, ἀλλ' ἐξουσιαστὴς ὤν. Peccata condonauit, quum paralytico & mulieri, quæ ipſius vnxit pedes, dixit: Remittuntur tibi peccata. Mortuis præterea vitam reddidit -- quæ quidem omnia effecit, non præſtolatus donec ea agendi acciperet poteſtatem, ſed vt huiuſmodi poteſtate iam præditus.* It. epiſt. de ſynodis (p. 763. edit. cit.) *περὶ μὲν τοῦ Θεοῦ φησὶν ὁ Ἡσαΐας· τίς Θεὸς, ὥσπερ σὺ, ἐξαίρων ἀνομίας, καὶ ὑπερβαίνων ἀδικίας, ὁ δὲ υἱὸς ἔλεγεν οἷς ἤθελεν, ἀφέωνταί σου αἱ ἁμαρτίαι, ὅτε καὶ τῶν ἰουδαίων γογγυζόντων, ἔργῳ τὴν ἄφεσιν ἐδείκνυε, λέγων τῷ παραλυτικῷ· ἔγειραι, ἆρον τὸν κράββατόν σου, καὶ ὕπαγε εἰς τὸν οἶκόν σου. De Deo quidem ait Iſaias:* Quis Deus, vt tu, tollens iniquitates, & ſuperans iniuſtitias? *Filius vero dicebat, quibus placuit ipſi:* Dimittuntur tibi peccata tua: *quo tempore iudæis murmurantibus, opere illam remiſſionem comprobauit, dicens paralytico:* Surge, tolle grabatum tuum & vade in domum tuam.

(*e*) Baſil. contr. Eunom. lib. V. (tom. I. p. 781. edit. Pariſ. MDCXXXVIII.) *εἰ τοίνυν οὐδενός ἐστιν ἀφιέναι ἁμαρτίας, ὥσπερ οὐκ ἔστιν, εἰ μὴ μόνου Θεοῦ, ἀφίησι δὲ τὸ πνεῦμα ἅγιον διὰ τῶν ἀποστόλων· Θεὸς ἄρα τὸ πνεῦμα τὸ ἅγιον, καὶ τῆς αὐτῆς ἐνεργείας τῷ πατρὶ καὶ τῷ υἱῷ. Si ergo nullius eſt peccata dimittere, ſicut certe nullius eſt, niſi ſolius Dei: dimittit autem ſpiritus ſanctus*

ſus *Eunomium.* Idem faciunt HILARIVS [*f*], CHRYSOSTOMVS [*g*], HIERONYMVS [*h*], VICTOR ANTIOCHENVS [*i*] & CYRILLVS ALEXANDRINVS [*k*], qui ex hoc loco commu-

per apoſtolos: Deus ergo ſpiritus ſanctus, & eiuſdem operationis cum patre & filio.

(*f*) Hilar. comment. in cap. VIII. in Matth. (p. 646. edit. Pariſ. MDCXCIII.) Mouet ſcribas remiſſum ab homine peccatum: hominem enim tantum in Ieſu Chriſto contuebantur, Et remiſſum eſt ab eo, quod lex laxare non poterat; fides enim ſola iuſtificat. Deinde murmurationem eorum dominus introſpicit, dicitque, facile eſſe filio hominis in terra peccata dimittere. Verum enim nemo poteſt dimittere peccata, niſi ſolus Deus: ergo qui remittit, Deus eſt. Quia nemo remittit niſi Deus, Deus in homine manens curationem homini præſtabat.

(*g*) Chryſoſt. homil. XXIX. al. XXX. in Matth. (p. 371. edit. Francof. MDCXCVII.) *ἐκεῖνοι μὲν ἔλεγον, ὅτι λύειν ἁμαρτήματα Θεοῦ μόνου ἐστίν· οὗτος γὰρ οὐ λύει μόνον ἁμαρτήματα, ἀλλὰ καὶ πρὸ τούτου ἕτερόν τι ἐπιδείκνυται, ὃ Θεοῦ μόνου ἦν, τὸ τὰ ἐν τῇ καρδίᾳ ἀπόῤῥητα ἐκφέρειν. Illi murmurantes ſecum dicebant, peccatorum remiſſionem eſſe ſolius Dei. Ipſe vero non ſolum peccata dimiſit, ſed occulta etiam cordium, quæ noſſe ſolius Dei eſt, manifeſtauit.*

(*h*) Hieron. commentar. in Matth. IX. Legimus in propheta dicentem Deum: *Ego ſum, qui deleo iniquitates tuas.* Conſequenter ergo ſcribæ, quia hominem putabant & verba Dei non intelligebant, arguunt eum blaſphemiæ. Sed dominus videns cogitationes eorum, oſtendit ſe Deum, qui poſſit cordis occulta cognoſcere, & quodam modo tacens loquitur: Eadem maieſtate & potentia, qua cogitationes veſtras intueor, poſſum & hominibus peccata dimittere.

(*i*) Victor. in Marc. II. (tom. IV. biblioth. patr. pag. 374. h. edit. Lugdun. MDCLXXVII.) Quorſum ſeruator, ſignum patraturus, præmittit: *Vt autem ſciatis, quia filius hominis habet poteſtatem in terra dimittendi peccata?* Haud alia de cauſſa iſtud facit, quam vt planum hinc fiat, diuinitatis vim, propter indiuulſam vtriuſque vnionem, in humanam quoque naturam ſeſe diffundere. cetera.

(*k*) Cyrill. theſaur. lib. XII. c. IV. Not. In editione Pariſ. MDCXXXVIII., quam ego habeo, & qua vſus quoque eſt Binghamus, hic theſaurus nec libros habet nec capita, adeoque falſa allegatio. Inueni autem locum commentar. in Ioann. c. XX, 23. lib. XII. c. I. p. 1101. qui huc referri poteſt. *Δοὺς δὲ τὸ πνεῦμα Χριστὸς, ἄν τινων ἀφῆτε τὰς ἁμαρτίας, ἀφέωνται, φησίν· ἄν τινων κρατῆτε, κεκράτηνται· καίτοι μόνου τοῦ κατὰ φύσιν ὄντος Θεοῦ δυναμένου τε καὶ ἐξουσίαν ἔχοντος ἀπολύειν ἁμαρτίας τοὺς ἡμαρτηκότας· τίνι γὰρ ἂν καὶ προσήκοι τὸ χαρίζεσθαί τισι τὰ ἐφ᾽ οἷσπερ ἂν ἁλοῖεν εἰς τὸν θεῖον πλημμελήσαντες νόμον, εἰ μὴ τῷ τὸν νόμον ὁρίσαντι; Chriſtus dans ſpiritum*, Quorum peccata remiſeritis, *inquit*, remittuntur eis: & quorum retinueritis, retenta ſunt, *quamuis ſolus ſit ſecundum naturam Deus, & poteſtatem habeat peccatis reos abſoluendi. Cui enim præuaricatores legis peccatis ſoluere conuenit, niſi legis ipſius autori?*

ni

ni pro seruatoris nostri diuinitate argumentantur, quod summam & absolutam habuerit in terra peccata remittendi potestatem. Et AMBROSIVS [*l*] eodem argumento contra *Macedonianos*, ad probandam sancti spiritus diuinitatem, vtitur. Non heic vllum ex hisce testimoniis interpono, quia omnia rem eamdem loquuntur, & iam in medium producta sunt a IACOBO VSSERIO [*m*] in excellenti libro, qui in omnium manibus est: In quo porro etiam ostendit, quod veteres generatim in hoc adserto consentiant, neminem præter Deum peccata dimittere, absoluta & suprema potestate, posse; adeoque potestatem absolutionis in ecclesia pure ministerialem esse & consistere in iusto exercitio & applicatione horum mediorum, quorum in legitimo vsu Deus amat peccata dimittere: vtens quidem seruorum suorum, tamquam dispensatorum mysteriorum suorum ministerio, in externa eorum administratione; ipse autem internam gratiam siue donum remissionis per spiritus sui operationem solis digne recipientibus conferens. Hæc mysteria siue media gratiæ, quorum externa dispensatio ad ecclesiam pertinet, & quorum in recto vsu remissio peccatorum tribuitur, a veteribus plerumque sub quinque reducuntur capita, eaque esse dicuntur: 1. Absolutio siue magna indulgentia baptismi. 2. Absolutio eucharistiæ. 3. Absolutio verbi & doctrinæ. 4. Absolutio impositionis manuum & precum. 5. Absolutio reconciliationis cum ecclesia & restitutionis in eius communionem per censurarum relaxationem. Duarum priorum vtraque dici potest absolutio sacramentalis, tertia absolutio declaratiua, quarta absolutio precatoria; quinta absolutio iudicialis: singulæ autem auctoratitiæ, quatenus peraguntur ex ministeriali auctoritate & mandato, quod *CHRISTVS* ecclesiæ suæ dedit,

(*l*) Ambros. de spirit. sanct. lib. III. c. XIX. Peccata nemo condonat, nisi vnus Deus, quia æque scriptum est, *Quis potest, peccata donare, nisi solus Deus.* -- Videamus, vtrum peccata donet spiritus. Sed hic dubitari non potest, quum ipse dominus dixerit: *Accipite spiritum sanctum: quorum remiseritis peccata, donantur* &c.
Vid. Augustin. homil. XXIII. ex L. cap. VII. (tom. X. pag. 469. edit. Basil. MDLXIX.) Tenete, quia homo non potest peccata dimittere. Illa quæ sibi a Christo peccata dimitti credidit, Christum non hominem tantum, sed & Deum credidit.

(*m*) Vsher. *Answer to the Jesuit's challenge* p. 79. &c.

ad reconciliandum homines Deo per iſtiuſmodi actuum & mediorum exercitium, quæ ad iſtum finem modo quodam ſubordinato & miniſteriali ex ipſius præſcripto perducunt.

§. II.

De magna abſolutione baptiſmi. Quod hæc in pœnitentiali diſciplina non fuerit adhibita hominibus ſemel baptizatis.

VERVM hæc abſolutionis genera vniuerſa non eiuſdem omnino momenti ſunt in diſciplina pœnitentiali. Quamuis enim baptiſmus ſemper pro vniuerſali abſolutione & magna indulgentia in eccleſiæ miniſterio haberetur; vtpote generalem peccatorum veniam cuilibet vero Chriſti membro conferens, quando primum in myſticum eius corpus per lauacrum regenerationis recipiebatur: hæc tamen in pœnitentiali eccleſiæ diſciplina locum nullum habebat. Nullus enim pœnitens communioni eccleſiæ vmquam reconciliabatur, (poſt aliquem lapſum, vel cenſuram, aut actam pro eo pœnitentiam) per ſecundum quemdam baptiſmum. Et tamen procuratores myſteriorum *CHRISTI* ſemper exiſtimabantur habere miniſterialem poteſtatem tribuendi remiſſionem peccatorum per adminiſtrationem baptiſmi: & quatenus adminiſtratio eius illis commiſſa erat, eatenus poteſtatem habebant ligandi vel ſoluendi; dignos in eccleſiam admittendi, vel indignos ab ea prohibendi; hoc eſt, miniſterialiter remittendi peccata hominum, admittendo eos ad baptiſmum; aut retinendi eorum peccata, illos ab eo prohibendo; ſecundum regulas a *CHRISTO* præſcriptas. Quo reſpectu veteres baptiſmum communiter appellant indulgentiam, vel remiſſionem peccatorum, vel ſacramentum remiſſionis, quemadmodum e concilio *Carthaginenſi* [n] ſub *Cypriano* habito, & ex concilio quodam *Romano* apud COTELERIVM [o], nec non ex AVGVSTINO [p], libro quodam ſuperiore [q], vbi de baptiſmo ex inſtituto loquuti ſumus, oſtendimus. Obſeruatione etiam dignum eſt, quod veteres hanc mi-

(*n*) Concil. Carthag. ap. Cyprian. n. X. p. 234. (p. 161. edit. Fell. Amſtel. MDCC.) Vid. lib. XI. c. I. §. II. volum. IV. p. 139.

(*o*) Concil. Roman. ap. Coteler. in conſtitut. apoſtol. lib. III. c. IX. Vid. ibid.

(*p*) Auguſtin. de baptiſm. lib. V. c. XXI. ibid.

(*q*) Lib. XI. cap. I. §. II. vol. IV. p. 139.

niſte-

nisterialem potestatem remittendi peccata in baptismo ex eodem scripturæ sacræ loco deriuent, quo potestas reliquarum absolutionum omnium fundatur, nimirum Io. XX, 23. *Quorum remiseritis peccata, remittuntur eis: & quorum retinueritis, retenta sunt.* Dicunt, hoc mandatum ministros *CHRISTI* exsequi tam administratione baptismi, quam reconciliatione pœnitentium, vel alio quocumque ministerialis absolutionis exercitio. CYPRIANVS ex hoc fundamento contra baptismum hæreticorum & schismaticorum argumentatur, quod baptismus, ab illis datus, non sit beneficio recipientibus, quia non sint ex eorum numero, quibus *CHRISTVS* negotium dederit remittendi peccata, vtpote non donati spiritu sancto. *Quum in baptismo,* inquit [r], *vnicuique peccata sua remittantur, probat & declarat in suo euangelio dominus, per eos solos posse peccata dimitti, qui habeant spiritum sanctum. Post resurrectionem enim discipulos suos mittens, loquitur ad eos & dicit: Sicut misit me pater, & ego mitto vos. Hoc quum dixisset, insufflauit & ait illis: Accipite spiritum sanctum. Si cuius remiseritis peccata, remittentur illi: si cuius tenueritis, tenebuntur. Quo in loco ostendit, eum solum posse baptizare, qui habeat spiritum sanctum.* Sic iterum in alia epistola [s]: *Manifestum est, vbi & per quos remissa peccatorum dari possit, quæ in baptismo scilicet datur. Nam Petro primum dominus potestatem istam dedit, vt id solueretur in cælis, quod ille soluisset in terris. Et post resurrectionem quoque ad apostolos loquitur, dicens: Sicut misit me pater, & ego mitto vos. Hoc quum dixisset, inspirauit & ait illis: Accipite spiritum sanctum: si cuius remiseritis peccata, remittentur illi: si cuius tenueritis, tenebuntur. Vnde intelligimus, non nisi in ecclesia præpositis, & in euangelica lege ac dominica ordinatione fundatis licere baptizare, & remissam peccatorum dare.* FIRMILIANVS [t] eodem argumento cum CYPRIANO vtitur, ex iisdem scripturæ locis probans, hæreticos non habere potestatem remittendi peccata in baptismo, quia non sint

(r) Cyprian. epist. LXXVI. al. LXIX. ad Magnum, p. 185. (p. 297. edit. Amstelod. MDCC.)

(s) Id. epist. LXXIII. ad Iubaian. p. 201. (p. 309. edit. cit.)

(t) Firmilian. epist. LXXV. ap. Cyprian. p. 225. (p. 324. edit. Amstelod.) Qualis error sit, & quanta sit cæcitas eius, qui remissionem peccatorum dicit apud synagogas hæreticorum dari posse, nec permanet in fundamento vnius ecclesiæ, quum semel a Christo supra petram solidata est; hinc intel-

in

in ecclesia, nec ex eorum censu, quibus *CHRISTVS* hoc negotium dedit. Neque vero CYPRIANVS tantum & FIRMILIANVS, potestatem remittendi peccata in baptismo ad ministros *CHRISTI* pertinere, ita adseruerunt, sed in vniuersum omnes reliqui interpretes. CYRILLVS ALEXANDRINVS [u] hæc servatoris nostri verba: *Quorum peccata remiseritis &c.* exponens, ait: *Remittunt peccata vel retinent, spiritu adflati homines, duobus vt arbitror modis: Vel enim dignos ad baptismum vocant, vitæ nimirum grauitate & constantia fidei iam probatos homines, vel prohibent & a gratia diuina arcent eos, qui nondum digni sunt. Vel alio quodam modo peccata remittunt ac retinent, nempe quum filios ecclesiæ peccantes corripiunt, vel pœnitentibus ignoscunt, sicuti Paulus nimirum fornicarium illum Corinthium in carnis interitum quidem tradidit, vt spiritus saluus fieret: sed denuo ipsum complexus est, ne magnitudine doloris absorberetur.* AMBROSIVS similiter potestatem remittendi peccata administrationi baptismi non minus quam pœnitentiæ adscribit. Atque ex hoc fundamento [w] *Nouatianos* rogat: *Cur baptizatis, si per hominem peccata dimitti non licet? In baptismo vtique remissio peccatorum omnium est. Quid interest, vtrum per pœnitentiam, an per lauacrum hoc ius sibi datum sacerdotes vendicent?* GAVDENTIVS [x] ait: *Ianua regni cælorum non nisi hac sacramentorum spiritualium claue reseratur.* Consequenter existimet, oportet, quod quate-

ligi potest, quod soli Petro Christus dixerit: *Quæcunque ligaueris &c.* & iterum in euangelio, quando in solos apostolos insufflauit Christus dicens, *Accipite spiritum sanctum &c.* Potestas erga peccatorum remittendorum apostolis data est & ecclesiis, quas illi a Christo missi constituerunt, & episcopis, qui eis ordinatione vicaria successerant.

(*u*) Cyrill. lib. XII. in Ioan. XX, 23. (tom. IV. p. 1101.) *ἀφιᾶσι γε μὴν ἁμαρτίας, ἤτοι κατέχουσιν οἱ πνευματοφόροι, κατὰ δύο τρόπους, κατάγε διάνοιαν ἐμήν· ἢ γὰρ καλοῦσιν ἐπὶ τὸ βάπτισμα τοὺς, οἷς ἂν ἤδη καὶ τοῦτο τυχεῖν ὠφείλετο διὰ τὴν τοῦ βίου σεμνότητα, καὶ τὸ δεδοκιμασμένον εἰς πίστιν, ἢ διακωλύουσί τινας, καὶ τῆς θείας χάριτος ἐξείργουσιν ἔτι οὔπω τέως γεγονότας ἀξίους· ἢ καὶ καθ' ἕτερον τρόπον ἀφιᾶσί τε καὶ κρατοῦσιν ἁμαρτίας, ἐπιτιμῶντες μὲν ἁμαρτάνουσι τοῖς τῆς ἐκκλησίας τέκνοις, μετανοοῦσι δὲ συγγινώσκοντες, καθάπερ ἀμέλει καὶ Παῦλος τὸν ἐν Κορίνθῳ πορνεύσαντα παρεδίδου μὲν εἰς ὄλεθρον τῆς σαρκὸς, ἵνα τὸ πνεῦμα σωθῇ· προσίετο δὲ αὖθις, ἵνα μὴ τῇ περισσοτέρᾳ λύπῃ καταποθῇ.*

(*w*) Ambros. de pœnit. lib. I. c. VIII. tom. I. p. 157. (tom. IV. p. 391. edit. Paris. MDCXLII.)

(*x*) Gaudent. tract. XVI. die ordinat. suæ Biblioth. patr. tom. II. p. 59. (tom. V. p. 968. f. ed. Lugdun. MDCLXXVII.)

nus

nus ministri sunt ii, per quos sacramentum baptismatis confertur, eatenus quoque sint ii, per quos hominibus procuretur remissio peccatorum, quæ illi adnexa sit. Quam ob caussam CHRYSOSTOMVS officium sacerdotale magnopere extollit duplici respectu, quia sacerdotes [y] condonandorum peccatorum facultatem habeant, non solum quum nos regenerent, sed postea etiam: id est per baptismum æque ac pœnitentiam, quando homines primum admittunt in ecclesiam, aut eos post grande aliquod delictum ecclesiæ reconciliant. Huius autem rei mentionem facimus, non tam vt explanemus pœnitentialem ecclesiæ disciplinam, (in qua absolutio baptismalis nullum locum habebat) quam vt pauca quædam alia necessaria obseruemus. Et 1.) quidem, quod absolutio sacerdotalis generatim multo extendatur vlterius, quam communiter quidem intelligitur. Nam vniuersam transactionem baptismatis includit, in qua remissio peccatorum singulis veris *CHRISTI* membris ministerialiter tribuitur, vbi primum in ecclesiam ipsius admittuntur. Vnde 2.) sequitur, vt sacerdotalis absolutio non simpliciter requirat secretam siue auricularem priuatorum peccatorum confessionem; quandoquidem magna absolutio baptismi plerumque dabatur sine vlla priuata confessione. Adeoque auricularis confessionis necessitatem *Romanenses* falso vrgent ex his seruatoris nostri verbis, *Quorumcumque remiseritis peccata, remittuntur illis:* quasi nulla esse posset absolutio sine confessione arcana; quum exploratum perspectumque sit, magnam illam baptismi absolutionem (cuius potestas ex hoc ipso loco a veteribus adseritur) non requisisse eiusmodi confessionem arcanam. Hinc 3.) inferre nobis licet, potestatem cuiuscumque absolutionis sacerdotalis esse tantum ministerialem: quia administratio baptismi, (quæ maxime vniversalis absolutio est) quatenus homini in ea est negotium, non nisi ministerialis est. Omne hominis in ea officium ac potestas est, tantummodo ministrare externam formam; interna autem potestas & gratia remissionis peccatorum proprie Dei est. Atque ita res se habet in reliquis absolutionis generibus

(y) Chrysostom. de sacerdot. lib. III. c. VI. (tom IV. p. 32. edit. Francof.) *Οὐ γὰρ ὅτ' ἂν ἡμᾶς ἀναγεννῶσι μόνον, ἀλλὰ καὶ τὰ μετὰ ταῦτα συγχωρεῖν ἔχουσιν ἐξουσίαν ἁμαρτήματα.*

omnibus. Hinc licet abſolutio baptiſmalis non ſit pars diſciplinæ pœnitentialis, tamen ſi haſce res in ea obſeruamus, facilius veram indolem diſcernere poterimus reliquarum abſolutionum, quæ ad pœnitentialem eccleſiæ diſciplinam quodam modo referendæ ſunt.

§. III.

De abſolutione, data per euchariſtiam.

PRIMA harum (quam ſecundam in generali abſolutionum conſideratione dixerimus) erat abſolutio, quæ miniſterio euchariſtiæ dabatur. Hæc quodam modo ad pœnitentialem ſpectabat diſciplinam, ſed non omnino ad eam pertinebat. Nam omnibus baptizatis, qui numquam pœnitentiali diſciplinæ ſubmittebantur, æque dabatur ac iis, qui lapſi erant & communioni reſtituebantur. Et vtroque reſpectu vocabatur τὸ τέλειον, *perfectio*, ſiue conſummatio chriſtiani; ſiquidem nullum maius myſterium erat, cuius chriſtianus quiſque vulgaris particeps fieri poterat. Illis, qui numquam tam grauia crimina admittebant, quæ publicam requirerent pœnitentiam, abſolutio erat a leuioribus peccatis, quæ venialia dicebantur & peccata quotidianæ incurſionis: pœnitentibus vero, qui lapſi fuerant, abſolutio erat a grandibus illis peccatis, ob quæ cenſuram incurrerant. Hanc iſtiuſmodi generalem abſolutionem in vtroque caſu creditam fuiſſe, ex iis diſcimus, quæ de illa fuſe prædicant veteres, habito ſpecialiore reſpectu ad vim ſolvendi vincula excommunicationis. CYPRIANVS [z] in genere ait: *Epoto ſanguine domini & poculo ſalutari, exponitur memoria veteris hominis & fit obliuio conuerſationis priſtinæ ſecularis; & mæſtum pectus ac triſte, quod prius peccatis angentibus premebatur, diuinæ indulgentiæ lætitia reſoluitur.* Quod autem ſpeciatim abſolutio credita fuerit, quæ ſoluat excommunicationis vincula, ſine vllo alio ritu ſiue cærimonia recipiendi pœnitentem in communionem eccleſiæ, ex decreto diſcimus, facto in concilio primo *Arauſicano* [a]: *Qui recedunt de corpore, accepta pœnitentia, placuit, ſine reconciliatoria manus impoſitione*, (quæ, vt mox videbimus, cærimonia erat, in publica pœnitentium reconciliatione co-

(z) Cyprian. epiſt. LXIII. ad Cæcilium p. 153. (p. 279. edit. Amſtel. MDCC.)
(a) Concil. Arauſic. I. can. III.

ram

ram altari adhiberi solita) *eos communicare, quod morientis sufficit consolationi*, (al. *reconciliationi*) *secundum definitiones patrum, qui huiusmodi communionem*, (siue eucharistiam, sine impositione manuum sumtam) *congruenter viaticum nominauerunt.* Concilium quartum *Carthaginense* duos canones habet eiusdem argumenti. Prior [*b*] ait: *Is qui pœnitentiam in infirmitate petiit*, --- *si continuo creditur moriturus, reconcilietur per manus impositionem & infundatur ori eius eucharistia.* Et posterior [*c*]: *Pœnitentes, qui in infirmitate viaticum eucharistiæ acceperint, non se credant absolutos sine manus impositione, si superuixerint.* Qui canon eucharistiam, tamquam absolutionem in se, pœnitentibus in infirmitate adiudicat, si quidem moriantur; hoc solum prouidens, vt, si conualuerint, pœnitentiam compleant, quod antea facere debuissent, & tum per manus impositionem publice ad altare reconcilientur. Interim si diem suum obeant, eucharistiam sufficientem eis absotutionem esse, pronuntiat. Confirmatur hoc ipsum memorabili historia, quam ex epistola quadam DIONYSII episcopi *Alexandrini* de *Serapione* quodam sene, qui inculpate vixerat, tandem vero persecutionis tempore in idololatriam lapsus fuerat, narrat EVSEBIVS [*d*]. „Sæpenumero, inquit, veniam petie„rat; nec quisquam ei attendebat, eo quod sacrificasset. Idem „postea morbo correptus, vocis vsu sensuque omni carens „triduo permansit. Quarto demum die paullulum recreatus, „nepotem ex filia ad se vocat: & quousque tandem, inquit, „me detinetis, fili? Properate quæso, & me quantocyus absol„vite. Arcesse mihi vnum ex presbyteris. Puer ad presbyte„rum cucurrit. Iam nox erat, presbyter autem ægrotabat. „Sed quoniam in mandatis dederam, vt morituris, si peterent, „& maxime si antea suppliciter postulassent, venia indulgere-

(*b*) Concil. Carth. IV. c. LXXVI.

(*c*) Ibid. can. LXXVIII.

(*d*) Euseb. lib. VI. c. XLIV. Σεραπίων τις ἦν παρ' ἡμῖν πιστὸς γέρων, ἀμέμπτως μὲν τὸν πολὺν διαβιώσας χρόνον· ἐν δὲ τῷ πειρασμῷ πεσών· οὗτος πολλάκις ἐδεῖτο, καὶ οὐδεὶς προσεῖχεν αὐτῷ, καὶ γὰρ ἐτεθύκει· ἐν νόσῳ δὲ γενόμενος, τριῶν ἑξῆς ἡμερῶν ἄφωνος καὶ ἀναίσθητος διετέλεσε· βραχὺ δὲ ἀνασφήλας τῇ τετάρτῃ, προσεκαλέσατο τὸν θυγατριδοῦν· καὶ μέχρι τίνος φησὶν ὦ τέκνον με κατέχετε; δέομαι σπεύσατε, καί με θᾶττον ἀπολύσατε· τῶν πρεσβυτέρων μοι τινὰ κάλεσον· ἔδραμεν ὁ παῖς ἐπὶ τὸν πρεσβύτερον· νὺξ δὲ ἦν· κἀκεῖνος ἠσθένει· ἀφικέσθαι μὲν οὖν οὐκ ἠδυνήθη· ἐντολῆς δὲ ὑπ' ἐμοῦ δεδομένης τοὺς ἀπαλλαττομένους τοῦ βίου, εἰ δέοιντο, καὶ μάλιστα εἰ καὶ πρότερον ἱκε-

„tur, quo bonæ ſpei pleni ex hac vita emigrarent; exiguam „euchariſtiæ partem puero tradidit, iubens vt in aqua intin„ctam ſeni in os inſtillaret. Redit igitur puer bucellam ad„ferens. Mox bucellam intinxit, & in os ſenis infudit. Qui „ea paullatim abſorpta, continuo animam efflauit„. Quam in rem ipſe DIONYSIVS hanc addit obſeruationem: „Annon „perſpicue apparet, eum reſeruatum fuiſſe, ac tantiſper in vi„ta permanſiſſe, quoad reconciliaretur, & deleto iam crimi„ne, pro multis, quæ geſſerat, bonis operibus a Chriſto agno„ſci poſſet & prædicari?„ Non eſt, quod præterea in hanc hiſtoriam animaduertamus, quum DIONYSIVS tam aperte ſignificet, quod euchariſtiam adminiſtrare hominibus, ſit eis abſolutionem, remiſſionem peccatorum, pacem & gratiam Chriſti impertire, ſi quidem ea digne recipientibus porrigatur. Et hinc eſt, quod miniſtri *CHRISTI*, tamquam legati eius, ſemper crediti ſint habere miniſterialem poteſtatem remittendi peccata, pœnitenteſque per hanc ſacramentalem abſolutionem *CHRISTO* reconciliandi.

§. IV.

De abſolutione declaratiua & effectiua per adminiſtrationem verbi & doctrinæ.

TERTIA abſolutio eſt abſolutio verbi & doctrinæ, quæ partim eſt declaratiua, partim operoſa & effectiua; & vſum habet tam in pœnitentiali diſciplina quam extra eam. Miniſtri enim *CHRISTI*, vtpote legati eius, mandatum habent & auctoritatem declarandi hominibus generatim & publice conditiones reconciliationis gratiæ & ſalutis. Atque hæc declaratio miniſterialiter etiam operoſa eſt in efficienda fide ac pœnitentia in hominum mentibus: quæ ſunt iſtæ conditiones ſalutis, quibus remiſſio obtinetur peccatorum. Nam fides eſt ex auditu, auditus autem per verbum Dei. Poteſtatem quoque habent declarandi hominibus ſpeciatim, quod ſint in ſtatu gratiæ

τεύσαντες τύχοιεν, ἀφίεσθαι, ἵν' εὐέλπιδες ἀπαλλάττωνται· βραχὺ τῆς εὐχαριστίας ἐπέδωκεν τῷ παιδαρίῳ, ἀποβρέξαι κελεύσας, καὶ τῷ πρεσβύτῃ κατὰ τοῦ στόματος ἐπιστάξαι· ἐπανῆκεν ὁ παῖς φέρων --- ἀπέβρεξεν ὁ παῖς, καὶ ἅμα τε ἐνέχεε τῷ στόματι καὶ μικρὸν ἐκεῖνος καταβροχθίσας, εὐθέως ἀπέδωκε τὸ πνεῦμα· ἆρ' οὐκ ἐναργῶς διετηρήθη καὶ παρέμεινεν ἕως λυθῇ, καὶ τῆς ἁμαρτίας ἐξαλειφθείσης, ἐπὶ πολλοῖς οἷς ἔπραξε καλοῖς ὁμολογηθῆναι δυνηθῇ.

ac

ac ſalutis, quando ex rectiſſimo, quod ab hominibus fieri poteſt, iudicio, neceſſarias ſalutis conditiones in illis animaduertunt atque diſcernunt. Hæc clauis eſt cognitionis, cuius beneficio hominibus portam adaperiunt cæli viamque vitæ æternæ, procurantes illis peccatorum remiſſionem & omnia fœderis euangelici beneficia. Hæc eſt, quæ homines primum in gratiam Dei introducit, de eaque eos facit certiores; & ſi iſto ſtatu per peccatum voluntarium exciderint, medium eſt, æque ac pars diſciplinæ pœnitentialis eccleſiæ, reducendi eos ad deperditum ſtatum & conditionem priſtinam. Quam ob cauſſam, vt ſupra vidimus, auditio ſiue ἀκρόασις, hoc eſt, venia audiendi verbum Dei, ſtatio ſemper erat in eccleſia, initium faciens reconciliandi eos Deo, & ad magnam illam & vltimam reconciliationem coram altari introducens. Atque hoc ſenſu veteres dicunt, *CHRISTVM* dediſſe diſcipulis ſuis poteſtatem remittendi peccata. *Funibus peccatorum ſuorum*, inquit HIERONYMVS [e], *vnuſquiſque conſtringitur: Quos funes atque vincula ſoluere poſſunt & apoſtoli, imitantes magiſtrum ſuum, qui eis dixerat: Quæcumque ſolueritis ſuper terram, erunt ſoluta & in cælo. Soluunt autem eos apoſtoli ſermone Dei & teſtimoniis ſcripturarum & exhortatione virtutum.* Similiter AMBROSIVS [f]: *Remittuntur peccata per Dei verbum, cuius Leuites interpres, & quidam exſecutor. -- Leuites igitur miniſter remiſſionis eſt. Clauis eſt*, inquit MAXIMVS TAVRINENSIS [g], *quæ & conſcientiam ad confeſſionem peccati aperit, & gratiam ad æternitatem myſterii ſalutaris includit.* Ita miniſtri homines Deo reconciliare & peccata remittere dicuntur, quia verbum reconciliationis illis commiſſum eſt.

§. V.

De precatoria abſolutione, per manus impoſitionem & preces data.

QVARTA aliqua abſolutio erat, quæ dabatur per preces, quæ pleriſque aliis abſolutionibus addi ſolebant. Nam baptiſmus pariter & euchariſtia in formula precum adminiſtrabatur aut certe preces pro peccatorum venia obtinenda ſemper ad-

(e) Hieron. in Ieſai XIV, 17.
(f) Ambroſ. de Abel & Cain lib. II. c. IV.
(g) Maxim. Taurin. hom. V. de natali Petri & Pauli p. 231.

debantur: atque ita magnam quoque & ſolemnem reconciliationem pœnitentium coram altari peragebant. Precibus autem communiter iungebant manuum impoſitionem, quæ cærimonia erat in omnibus religionis officiis vſitata. Per hanc homines primum ad ſtatum catechumenorum admittebantur, & per hanc inſtruebantur in præparatione ad baptiſmum. Per hanc homines confirmabantur in clauſula baptiſmatis, Per hanc ordines dabantur clericis, & benedictiones omni populo. ALBASPINAEVS obſeruat, quod in publicæ decurſu pœnitentiæ ad minimum quatuor manus impoſitiones vſurpatæ fuerint, antequam pœnitentes perfecte reconciliarentur & ad plenam reducerentur communionem, eaſque hoc ordine recenſet: *Prima manus impoſitio*, inquit [*h*], *quam pœnitentes ſortiebantur, erat ea, qua peragendæ pœnitentiæ copia facultaſque daretur. Secunda, quam in tertio gradu pœnitentiæ conſequebantur. Quum enim ſolemne miſſæ ſacrificium inſtaurabatur, certo in eccleſiæ loco aderant, iiſque in terram deiectis ante euangelii recitationem eiuſque expoſitionem, ſi priora ſæcula reſpicias, epiſcopi manus imponebant, & ſuper eos certas precationum formulas pronuntiabant. Tertia erat ſimplex illa reconciliatio, quam a tertio gradu ad quartum diſcedentes impetrabant, qua corporis Chriſti myſtici communioni & ſocietati fidelium coniungebantur, omni adeo in re, ſi oblationem & euchariſtiam excipias. Quarta & vltima erat abſoluta reconciliatio, maxima & perfecta, qua digni, qui euchariſtiam ſumerent, oblationem præſentarent, eorumque participes fierent, reddebantur, quod vnum tantumque beneficium ſummi boni loco chriſtiani numerabant.* Iam licet precatio & impoſitio manus non haberetur abſolutio in hiſce caſibus omnibus, in quibuſdam tamen certe erat, CHRYSOSTOMVS enim loquens de multiplici poteſtate officii ſacerdotalis, & ratione expiandi peccata, dicit, ſacerdotes id facere non doctrinæ ſolum atque commonitionis, ſed etiam precum [*i*] præſidio: habere eos condonandorum nobis peccatorum facultatem, non ſolum

(*h*) Albaſpin. obſeruat. lib. II. c. XXXI.

(*i*) Chryſoſt. de ſacerdot. lib. III. c. VI. tom. IV. p. 35. (p. 32. edit. Francof.) *οἱ μὲν γὰρ εἰς ταύτην, οἱ δὲ εἰς ἐκείνην γεννῶσι· χἀκεῖνοι μὲν οὐδὲ τὸν σωματικὸν αὐτοῖς δύναιντο ἂν ἀμῦναι θάνατον, οὐ νόσον ἐπενεχθεῖσαν ἀποκρούσασθαι· οὗτοι δὲ καὶ κάμνουσαν καὶ ἀπόλλυσθαι μέλλουσαν τὴν ψυχὴν πολλάκις ἔσωσαν· τοῖς μὲν πρᾳοτέ-*

quum

quum nos regenerent, ſed poſtea etiam, citatque hanc in rem dictum illud *Iacobi* apoſtoli: *Infirmatur inter vos aliquis, arceſſat presbyteros eccleſiæ, & orent ſuper eum, vngentes eum oleo in nomine domini, & obſecratio fidei ſaluum reddet laborantem, & eriget eum dominus: & ſi in peccatis fuerit, remittentur ei.* LEO pontifex *Romanus* eodem modo abſolutionem ſacerdotalem in precibus facit conſiſtere. *Multiplex miſericordia Dei*, inquit, *ita lapſibus ſubvenit humanis, vt non ſolum per baptiſmi gratiam, ſed etiam per pœnitentiæ medicinam ſpes vitæ reparetur æternæ, vt qui regenerationis donum violaſſent, proprio ſe iudicio condemnantes, ad remiſſionem criminum peruenirent, ſic diuinæ bonitatis præſidiis ordinatis, vt indulgentia Dei niſi ſupplicationibus* [k] *ſacerdotum nequeat obtineri.* Et paullo poſt: *Multum vtile ac neceſſarium eſt, vt peccatorum reatus ante vltimum diem ſacerdotali ſupplicatione ſoluatur.* Heic peccatorum remiſſio manifeſto adſcribitur ſupplicationi & precibus. AVGVSTINVS [l] per ſanctorum in eccleſia orationes peccatorum remiſſionem tam in baptiſmo quam in pœnitentia procurari docet. Ita enim argumentatur: *An forte per orationes ſanctorum ſpiritalium, qui ſunt in eccleſia, tamquam per columbæ celeberrimum gemitum, magnum geritur ſacramentum & occulta diſpenſatio miſericordiæ Dei, vt eorum etiam peccata ſoluantur, qui non per columbam ſed per accipitrem* (hoc eſt, non per bonos ſed malos) *baptizentur, ſi ad illud ſacramentum cum pace catholicæ vnitatis accedunt? Quod ſi ita eſt, cur non ergo per eorum orationes, quum quiſque ab hæreſi aut ſchiſmate ad*

ραν τὴν κόλασιν ἐργασάμενοι, τὰς δὲ ἐδὲ παρὰ τὴν ἀρχὴν ἀφέντες ἐμπεσεῖν ἐ τῷ διδάσκειν μόνον καὶ νεθετεῖν, ἀλλὰ καὶ τῷ δι' εὐχῶν βοηθεῖν· ἐ γὰρ ὅτ' ἂν ἡμᾶς ἀναγεννῶσι μόνον, ἀλλὰ καὶ τὰ μετὰ ταῦτα συγχωρεῖν ἔχεσιν ἐξεσίαν ἁμαρτήματα· ἀσθενεῖ γάρ τίς, φησι, ἐν ὑμῖν, προσκαλεσάσθω τὰς πρεσβυτέρες, κ.τ.λ. *Parentes nos in præſentem, ſacerdotes in vitam æternam generant. Atque illi certe ne corporalem quidem interitum a liberis amoliri poſſunt, neque ingruentem morbum propulſare: quum hi laborantem ac morti iamiam propinquam animam itemtidem ſeruarint: aliis remiſſiorem pœnam reddentes, non doctrinæ ſolum atque commonitionis, ſed etiam precum præſidio: neque enim ſolum quum nos regenerant, ſed poſtea etiam condonandorum nobis peccatorum facultatem obtinent.* Infirmatur, *inquit*, inter vos aliquis &c.

(k Leo epiſt. LXXXIX. al. LXXXXI. ad Theodor. (tom. III. concil. p. 1403.)

(l) Auguſtin. de baptiſm. lib. III. c. XVII. (tom. VII. opp. pag. 410. edit. Baſil. MDLXIX.)

pacem

pacem catholicam venit, eius peccata soluuntur? Addit paullo post [m]: *Remissam peccatorum non dabant* (raptores & auari), *quæ per orationes sanctorum, id est columbæ gemitus datur, quicumque baptizet, si ad eius pacem pertinent illi, quibus datur.* Alio loco [n] *Donatistas* hortans, vt ad pacem reuertantur ecclesiæ, vbi per coniunctas duorum populorum preces remissionem peccatorum possint obtinere, ita loquitur: *Multum valet ad propitiandum Deum fraterna concordia. Si duobus ex vobis, ait dominus, conuenerit in terra, quicquid petieritis, fiet vobis. Si duobus hominibus, quanto magis duobus populis? Simul nos domino prosternamus, participamini nobiscum vnitatem, participemur vobiscum dolorem, & caritas cooperiat multitudinem peccatorum.* Hic rursus peccatorum remissionem videmus adscribi precibus. Atque ita CYPRIANVS id intelligit, quando lapsos in idololatriam sic adloquitur [o]: *Rogamus vos, vt pro vobis Deum rogare possimus. Preces ipsas ad nos prius vertimus, quibus Deum pro vobis, vt misereatur, oramus.* EVSEBIVS post CLEMENTEM ALEXANDRINVM notat, fuisse hanc methodum, qua *S. Ioannes* apostolus veniam obtinuerit cuidam adolescenti, qui pie in ecclesia educatus perditissimus latro, montibus occupatis, euaserat. *Crebris orationibus*, inquit [p], *Deum deprecans non prius abscessit, quam illum ecclesiæ restituisset, magnumque sinceræ pœnitentiæ exemplum & iteratæ regenerationis ingens documentum & conspicuæ resurrectionis tropæum omnibus ostendisset.* Ita quoque TERTVLLIANVS, catholicæ ecclesiæ adhuc addictus, *CHRISTVM* repræsentat, tamquam deprecationem suam lacrimis ecclesiæ iungentem, eaque veniam pœnitentibus peccatoribus impetrantem. *Aequi illi*, (fratres christiani) inquit [q], *quum super te lacrimas agunt, CHRISTVS patitur, CHRISTVS patrem deprecatur. Facile impetratur semper, quod filius postulat.* Concilium primum *Arausicanum* rationem præscribens reconciliandi hæreticos, in

(m) Ibid. cap. XVIII.

(n) Augustin. de bapt. lib. II. c. XIII.

(o) Cyprian. de lapsis p. 136. (p. 97. edit. Amstel.)

(p) Euseb. lib. III. c. XXIII. ex Clement. Alex. tract. Quis diues saluetur? δαψιλέσι μὲν εὐχαῖς ἐξαιτέμενος -- ὐ πρότερον ἀπῆλθε ὥς φασι, πρὶν αὐτὸν ἀποκατέστησε τῇ ἐκκλησίᾳ· διδὰς μέγα παράδειγμα μετανοίας ἀληθινῆς, καὶ μέγα γνώρισμα παλιγγενεσίας, τρόπαιον ἀναστάσεως βλεπομένης.

(q) Tertull. de pœnit. c. X.

mor-

mortis diſcrimine poſitos, ſi catholici eſſe deſiderent, ait [r]: *Si deſit epiſcopus, a presbyteris cum chriſmate & benedictione conſignari placet.* Quæ benedictio idem erat atque impoſitio manuum & precatio. Nam vt impoſitio manuum per figuram ſemper inuoluebat precationem, cum impoſitione manuum, tamquam externo ſigno ſiue cærimonia precationi annexa: Ita hæ duæ coniunctim ſumtæ illud ſunt, quod veteres ſemper intelligunt per benedictionem. Vt adeo, quando concilium eos, qui in hæreſi baptizati ſint, eccleſiæ reconciliari ſiue abſolui iubet per benedictionem, manifeſtum ſit, preces intelligi, tamquam propria abſolutionis eorum media. Et idem eſt, quod in aliis canonibus [s] ſtatuitur, quod hæretici ſic baptizati in communionem recipi debeant cum chriſmate & manus impoſitione, hoc eſt, vnctione ad obſignandum confirmandumque eos cum ſpiritu, (qui in hæretico eorum baptiſmate defuerat;) & precibus cum manus impoſitione, ad dandam eis pacem & communionem eccleſiæ. De qua reconciliandi & abſoluendi pœnitentes hæreticos, extra eccleſiam baptizatos, ratione paullo diſtinctius diſſerendi occaſionem habebimus in poſterum. Heic tantum adiicimus teſtimonium AMBROSII [t], qui dicit, ſacerdotes mandatum exſequi datum a *CHRISTO* apoſtolis *Ioan.*

(r) Concil. Arauſican. c. II.

(s) Concil. Arelat. II. c. XVII. Bonoſiacos, quos baptizari in trinitate manifeſtum eſt, --- cum chriſmate & manus impoſitione recipi ſufficit.
Leo epiſt. XCII. ad Ruſtic. c. XVI. Per manus impoſitionem, inuocata virtute ſpiritus ſancti, quam ab hæreticis accipere non potuerunt, catholicis copulandi ſunt.
Vid. Siricium epiſt. I. ad Himerium cap. I. Quos nos cum Nouatianis aliisque hæreticis, ſicut eſt in ſynodo conſtitutum, per inuocationem ſolam ſeptiformis ſpiritus, epiſcopalis manus impoſitione, catholicorum conuentui ſociamus.
Innocent. epiſt. II. ad Victricium c. VIII. Vt venientes a Nouatianis vel Montenſibus, per manus tantum impoſitionem ſuſcipiantur. Id. epiſt. XVIII. ad Alexandr. c. III. Arianos præterea ceteraſque huiuſmodi peſtes, quia eorum laicos conuerſos ad dominum, ſub imagine pœnitentiæ ac ſancti ſpiritus ſanctificatione per manus impoſitionem ſuſcipimus &c. Id. epiſt. XXII. c. IV. Noſtræ lex eſt eccleſiæ, venientibus ab hæreticis, qui tamen illic baptizati ſint, per manus impoſitionem laicam tantum tribuere communionem &c.

(t) Ambroſ. de ſpirit. ſancto lib. III. c. XIX.

XX, 23. remittendi peccata, tamquam deprecatores. *Isti* (homines) *rogant, diuinitas donat, humanum obsequium, sed munificentia* (siue condonatio) *supernæ est potestatis.* Vt adeo, si hæc non vna sola ratio est, per quam ministri Christi potestate donantur remittendi peccata, vt quidam de ipsis schismaticis definierunt; certe tamen aliqua ratio fuerit, & generatim quidem vsitata in ecclesia antiqua, quemadmodum ex adductis testimoniis euidenter apparet, & ex iis, quæ sequentur, adhuc euidentius apparebit.

§. VI.

De iudiciali pœnitentium absolutione, facta tandem per restitutionem in pacem & plenam communionem.

PRECES enim non mediocrem partem habebant in magna illa & vltima pœnitentium absolutione, quando, exacta canonica pœnitentia sua, solemniter coram altari reconciliabantur & in pacem ac perfectam communionem ecclesiæ recipiebantur. Heic celebratissima illa peccata remittendi & peccatores absoluendi ratio erat, de qua tam multa in patrum & conciliorum leguntur monumentis, vbi de pœnitentiali disciplina & absolutione peccatorum loquuntur. Hoc est, quod generatim intelligitur per vetustas illas phrases: *dare pœnitentibus pacem, restituere eos in communionem, reconciliare ecclesiæ, soluere eorum vincula, dare eis veniam & indulgentiam, remittere peccata*, qui tot diuersi modi sunt hanc vnam rem exprimendi, nempe solemnem rationem absoluendi publicos pœnitentes & admittendi eos ad plenam communionem, postquam canonicam suam pœnitentiam legitime peregissent. Atque hæc reliquas absolutionis methodos comprehendit, excepta illa absolutionis baptismalis. Nam, vti antea obseruauimus, nullus vmquam pœnitens, semel rite baptizatus, ad communionem per secundum aliquod baptisma admittebatur: Sed absolutionem habebant precum & impositionis manus, & absolutionem eucharistiæ, & declaratiuam absolutionem verbi ac doctrinæ. Solemnes enim preces pro illis ad Deum, ad absolutionem ab ipso eis procurandam, fiebant; & solemnis manus impositio, ad significandam eorum absolutionem ipsis dabatur; statimque illis eucharistia porrigebatur, ad restituendum eos in communio-

nio-

nionem altaris; & tandem fiebat declaratio, quod iam denuo in ſocietate & pace eſſent eccleſiæ & in gratia cum Deo, quantum humana intelligentia de illis iudicare poſſet. Vnde nonnulli ex vetuſtis ſcriptoribus non niſi duo agnoſcunt abſolutionis genera, abſolutionem baptiſmalem, quæ omnem pœnitentialem diſciplinam antecedit; & hanc, qua publici pœnitentes communioni altaris reconciliantur; quia hæc poſterior reliqua abſolutionis genera omnia in diuerſis actibus & cærimoniis, in eius collatione vſitatis, comprehendit. Ita ſupra audiuimus CYRILLVM ALEXANDRINVM [u] in expoſitione horum verborum mandati, *Ioan.* XX, 23. *Quorum peccata remiſeritis, remittuntur eis: & quorum retinueritis, retenta ſunt*, ediſſerentem: *Remittunt peccata vel retinent ſpiritu adflati homines duobus modis. Vel enim dignos ad baptiſmum vocant, vitæ nimirum grauitate & conſtantia fidei iam probatos homines, vel prohibent & a gratia diuina arcent eos, qui nondum digni ſunt. Vel alio quodam modo peccata remittunt ac retinent, nempe quum filios eccleſiæ peccantes corripiunt, vel pœnitentibus ignoſcunt.* Iam quum miniſtri Chriſti multa ratione apti & legitimi æſtimatores ſint ἱκανότητος hominum ad recipiendum baptiſmum pariter & euchariſtiam, magna vtique poteſtas & auctoritas data illis erat in vtroque hoc caſu examinandi hominum vitam & fidem, & iudicandi, quinam digni & quinam haud digni eſſent, vt hæc myſteria reciperent; adeoque & adminiſtrandi, vel non adminiſtrandi illis hæc ipſa, quæ media erant remiſſionem peccatorum digne recipientibus impertiendi; atque ita abſoluta quadam auctoritate iudiciali in externa harum rerum adminiſtratione præditi erant, reſpectu habito ad externam communionem eccleſiæ, etſi non abſoluta auctoritate in conſcientiam reſpectu Dei, qui vnus ſolus, proprie loquendo, peccata remittere poteſt & abſoluere peccatorem. Sic duplici ratione in his rebus agebant; tamquam iudices reſpectu ſtatus animi hominum, ſub eorum cadentis cognitionem, an ad recipienda ſacramenta idonei eſſent; & reſpectu temporis ac opportunitatis, quando ad eorum participationem admitti illos expediret; habentes poteſtatem prorogandi vel contrahendi tempus, prout de negligentia vel indu-

(u) Cyrill. lib. XII. in Ioan. XX, 23. tom. IV. p. 1101. cit. §. II. ſub litt. (u) p. 192.

ſtria petentium eis conſtabat. Agebant autem ſolum tamquam deprecatores pro illis apud Deum in rebus, directe & proprie ad purificandam a peccatis conſcientiam pertinentibus, quæ non in hominum ſitæ ſunt poteſtate, ſed tantum modo quodam miniſteriali, ad faciendum ea, quæ tamquam media gratiæ conferre poſſunt ad abſolutionem & remiſſionem peccatorum obtinendam a Deo, in cuius ſolius manu abſoluta poteſtas eſt remittendi peccata. Hic verus ſtatus eſt quæſtionis, quæ ad diuerſa abſolutionis genera, in eccleſia veteri vſitata, attinet, ſpeciatim ad eam abſolutionem, quæ publicis pœnitentibus, quum in communionem reſtituerentur, impertiebatur; cuius rationem & cærimonias, cum aliis annexis circumſtantiis, iam paullo diſtinctius explanabimus.

LIBRI DECIMI NONI

CAPVT SECVNDVM

DE CONSVETVDINIBVS, RITIBVS ET CAERIMONIIS, IN PVBLICA PECCATORVM ABSOLVTIONE OLIM OBSERVATIS.

§. I.

Nulli peccatores antiquis temporibus ante exactam legitimam pœnitentiam abſoluti, niſi in extremo mortis periculo.

QVANDO peccatores legitimam exegerant pœnitentiam & diuerſos diſciplinæ gradus, diſtinctis pœnitentium in eccleſia ordinibus praſcriptos, compleuerant, ad plenam & perfectam communionem per magnam & vltimam reconciliatoriam abſolutionem admittebantur. Hæc autem priſcis temporibus nullis indulgebatur, antequam plenum pœnitentiæ tempus abſoluiſſent, niſi imminente morte res eorum deſperata ſuaderet, vt benignius tractarentur & aliqua eis tribueretur indulgentia, quam nihil niſi hæc extrema neceſſitas procurare eis poterat. Indulgentiæ tunc temporis non emebantur & vendebantur, vti proh pudor! in poſterioribus ſæculis. Multo minus nuda confeſſio ſufficiebat ad impetrandam alicui abſolutionem, antequam formalem & ſeriam pœnitentiam, ad ſatisfaciendum eccleſiæ, egiſſet. In *Audianis* hæreticis huius

rei culpa erat, vti fidem nobis facit THEODORETVS [a]. Nam non tantum abſolutam ſibi arrogabant auctoritatem, perinde ac *Donatiſtæ*, condonandi peccata ex propria poteſtate; ſed remiſſionem etiam peccatorum tribuebant nude confeſſis, non requirentes vllos fructus pœnitentiæ, nec tempus ad eos manifeſtandos definientes, ſicut leges eccleſiæ numquam non præcipiebant. Erant etiam nonnulli presbyteri in eccleſia tempore CYPRIANI, qui gratificandi ſtudio vel turpis lucri cauſſa lapſos, nondum acta pœnitentia, ad communionem admittere præpoſtere properabant. Et martyres eorum artificiis ac fraudibus inducebantur, vt apud epiſcopos pro iſtiuſmodi peccatoribus deprecarentur, ab eiſque fere poſcerent & flagitarent, vt illos ſtatim in communionem reſtituerent. CYPRIANVS autem hanc temeritatem & abuſum, diuerſis ad clerum [b] & martyres & ipſam plebem datis epiſtolis, acriter perſtringebat, oſtendens iniquitatem & detrimentum huius praxeos; & inprimis narrans populo, quod hæc intempeſtiua in clericis indulgentia & facilitas ad dandam illis iſtiuſmodi præpoſteram pacem, re vera pacem non det ſed deſtruat; nec veram eis communionem tribuat, ſed tantum eorum impediat ſalutem. Similem animaduerſionem in eorum arrogantiam facit AMBROSIVS [c], qui eiuſmodi præpoſteram ſui reſtitutionem flagitabant. *Nonnulli*, inquit, *ideo poſcunt pœnitentiam, vt ſtatim ſibi reddi communionem velint. Hi non tam ſe ſoluere cupiunt,*

(*a*) Theodoret. de fabulis hæretic. lib. IV. c. XIII. (al. X.) *ἔτι ἄφεσιν ἁμαρτημάτων ποιεῖσθαι νεανιεύονται· διχῇ γὰρ τὰς ἱερὰς βίβλους μετὰ τῶν διελόντες, διαφερόντως γὰρ ταύτας νομίζουσιν ἀποκρύφους καὶ μυστικάς, καὶ στιχηδὸν ἔνθεν κἀκεῖθεν τεθεικότες, διαβαίνειν ἕκαστον μεταξὺ τούτων κελεύουσι, καὶ τὰ πλημμεληθέντα ὁμολογεῖν· εἶτα τοῖς ὡμολογηκόσι δωροῦνται τὴν ἄφεσιν, οὐ χρόνον ὁριζόμενοι εἰς μετάνοιαν, καθὰ κελεύουσιν οἱ τῆς ἐκκλησίας θεσμοί, ἀλλ' ἐξουσίᾳ ποιούμενοι τὴν συγχώρησιν. Hi peccatorum remiſſionem dare ſe iactant. Duas enim in partes libros ſacros cum adulterinis diuidentes (hos enim eximie arcanos & myſticos exiſtimant) & ordine hinc inde collocantes, inter hos iubent tranſire vnumquemque & peccata ſua confiteri: deinde confeſſis dant veniam, non tempus ad pœnitentiam definientes, ſicut eccleſiæ leges præcipiunt, ſed poteſtate condonantes.*

(*b*) Cyprian. epiſt. X. al. XVI. ad clerum tot. p. 37. (p. 194. ſq. edit. Amſtelod. MDCC.) Epiſt. X. al. XV. ad martyres tot. p. 34. (p. 192 - 194. cit. edit.) It. de lapſis p. 128. (p. 92. 93.)

(*c*) Ambroſ. de pœnitent. lib. II. c. IX.

quam sacerdotem ligare. Suam enim conscientiam non exuunt, & sacerdotis induunt, cui praeceptum est: Nolite sanctum dare canibus, neque miseritis margaritas vestras ante porcos. Peccare igitur magnopere sacerdotes, docet AMBROSIVS, si homines, qui nulla ediderint signa pœnitentiæ, ad communionem contra leges ecclesiæ admittant. Vnus quidem casus erat, in quo homines priuatim reconciliari poterant, etiamsi nondum vniuersum pœnitentiæ cursum confecissent; si nimirum magno & iam desperato morbo decumberent. Verum hic casus extraordinarius erat & vna sola exceptio, quam regula vniuersalis admittebat; priuataque tantum, non solemnis & publica erat reconciliatio. Quid? quod hoc ipso in casu, vt supra [*] ostendimus, canones prouiderint, vt si æger conualesceret, id quod de pœnitentia sua reliqui fecerat, in cursu, publicis pœnitentibus constituto, perficeret, antequam solemniter coram altari reconciliaretur. Vt adeo mos absoluendi peccatores, qui integri sunt & sani, ante actam pœnitentiam, non tantum pro nouitio inuento, sed grandi quoque abusu & corruptione veteris disciplinæ, posteriorum sæculorum deprauationi originem suam debente, habendus sit.

§. II.

Pœnitentes publice reconciliati in cilicio coram altari.

QVOD ad modum antiquæ reconciliationis attinet, ita plerumque solebat peragi. Quando peccator pœnitentiæ suæ cursum confecerat, ad altare adducebatur eodem, quo pœnitentiam suam peregerat, habitu, hoc est, cilicio indutus, ibique sub solemnibus precibus, lacrimis & impositione manus in plenam communionem recipiebatur. De cilicio mentio fit in concilio primo *Toletano* [*d*]; & locus reconciliationis altare esse dicitur, non tantum in isthoc concilio, sed in OPTATO [*e*] etiam, qui loquens ad *Donatistas* de eorum more reconciliandi pœnitentes (qui idem erat atque ille, qui in ecclesia

(*) Lib. XVIII. cap. IV. §. II. pag. 161.

(*d*) Concil. Tolet. I. c. II. Publicam pœnitentiam gerens sub cilicio, diuino reconciliatus altario.

(*e*) Optat. lib. II. p. 57. (p. 52. edit. Paris. MDCLXXIX.) Inter vicina momenta, dum manus imponitis & delicta donatis, mox ad altare conuersi, dominicam orationem prætermittere non potestis.

ca-

catholica obtinebat) dicit, quod eodem tempore, quo manus imponant peccatoribus eorumque donent delicta, ad altare conuersi dominicam orationem recitent. Ita quoque HIERONYMVS [f] episcopum populo orationem indicere ait, si quem satanæ traditum altario reconciliet.

§. III.

Interdum adhuc solemnius ante apsidem.

IN quibusdam tamen casibus, si crimen solito esset notius atque cum vniuersi populi scandalo patratum, is, a quo id admissum fuerat, exempli edendi caussa loco patentiore ante apsidem, in totius populi conspectu, absolutionem recipiebat. Hoc e quodam concilii tertii *Carthaginensis* [g] canone discimus, qui in codice *Africano* interpositus ita decernit: *Cuiuscumque pœnitentis publicum & vulgatissimum crimen est, quod vniuersam ecclesiam commouerit, ante apsidem manus ei imponatur*, hoc est, absoluatur. Inter viros quidem eruditos de huius canonis sensu non exacte conuenit. DV FRESNIVS [h], post BALSAMONEM & ZONARAM, apsidem pro vestibulo ecclesiæ accipit; & ZONARAS eam manuum impositionem intelligi putat, qua pœnitentiæ agendæ copia facta sit. ALBASPINAEVS [i] aspidem idem cum ambone denotare censet, vbi tertii gradus pœnitentes, dicti substrati, in terram sese abiicientes manus impositionem receperint; & ad hanc manus impositionem, ante dicto canoni me-

(f) Hieron. dialog. contr. Lucif. c. II. Sacerdos -- indicta in populum oratione, altario reconciliat.

(g) Concil. Carth. III. c. XXXII. Vid. Cod. Afric. c. XLIII. *Οὑτινοσδήποτε δὲ μετανοοῦντος, εἰ πόβλικον καὶ τεθρυλλημένον ἐστὶ τὸ ἔγκλημα, τὸ σύμπασαν τὴν ἐκκλησίαν κινοῦν, πρὸ τῆς ἀψῖδος τούτῳ ἡ χεὶρ ἐπιτεθῇ.*

(h) Du Fresne, commentar. in Paulum Silentiarium p. 537. Ita porro ἀψῖδα interpretatur Zonaras in can. XLVI. concil. Carthag. *τὸ γὰρ πρὸ τῆς ἀψῖδος, πρὸ τοῦ προπυλαίου ἐστίν.* Vnde quum in synodo III. Carthaginensi can. XXXII. cauetur, vt ii, quorum crimina publica sunt, ante apsidem manus imponatur; id videtur intelligendum de apside narthecis, vbi consistebant pœnitentes, non vero de absida, seu concha altaris.

(i) Albaspin. not. in concil. Carth. III. can. XXXII. Canonis huius veram hanc sententiam esse censeo, si, vnde omnium fidelium exulcerantur animi, quod quidem omnium oculis pateat, peccatum crimenque atrocissimum patratum sit, omnino esse præstandum, vt a quo id admissum est, is præter communem aliorum consuetudinem atque morem, supplicio quodam exquisito, quod pro exemplo sit, pœnas luat: sed ita, vt ne transuersum vnguem a

mora-

moratam, præcipue referendam esse existimat, hoc tamen cum discrimine, quod, quum alii pœnitentes manus impositione retro ambonem purgarentur, hi publicorum & vulgatissimorum criminum rei, de quibus canon loquitur, ante apsidem in omnium oculis purgati sint. Existimat enim, vltimam absolutionem eodem eis loco datam esse, & hunc verum sensum manus impositionis in hoc canone esse iudico.

§. IV.

Absolutio ad altare semper data cum impositione manuum & precibus.

QVOQVOMODO autem hæc res se habuit, certum est, quicumque sensus huius canonis esse potest, quod magna & vltima publicorum peccatorum absolutio semper peracta sit in formula supplicatoria cum impositione manuum & precibus. Manifestum hoc est ex ante citatis OPTATI & HIERONYMI testimoniis. CYPRIANVS sæpius hac de re loquitur, tamquam vsitata cum in publica tum priuata reconciliatione. *Pœnitentia*, inquit alicubi [k], *agitur iusto tempore, & exomologesis sit, inspecta vita eius, qui agit pœnitentiam; nec ad communionem venire quis potest, nisi prius illi ab episcopo & clero manus fuerit imposita.* Hoc

præscripto cærimoniarum, aut asperitatum, quæ tertio gradu comprehenduntur, in terram sese abiiciat, crebra illa manuum impositione ante apsidem purgetur, ceteraque precum ac purgationum genera non negligat, idque non illo protrito, aut vsitato, aut aliis tertii gradus pœnitentibus destinato, retro ambonem loco fiat, sed ante apsidem: hoc est in patenti ecclesia, & in loco, vnde eiusmodi pœnitentes eorumque purgationes ab omnibus conspici possent. Omnibus quidem pœnitentibus tertii gradus manus crebro imponebantur, & purgabantur retro ambonem, qui locus est extra: sed iuxta chorum, vt vocant: an vero ante apsidem idem sit, ac retro ambonem, & hoc canone nihil aliud sibi velint patres, nisi vt retro ambonem purgentur eiusmodi grauia crimina (alibi enim, si ita visum fuisset episcopo, poterat purgari) an vero ante apsidem, lectoris erit iudicium. Quæcumque tandem sit huiusce vocis, *ante apsidem*, ratio & significatio, certum est, huiusce canonis mentem esse, vt eorum grauissimorum criminum pœnitentia & purgatio in omnium oculis constituatur, exemplique cuiusdam vim rationemque propositi subeat. Nec video, cur non ea ratione explicandus sit canon ille, omissa illa & posthabita tot dissimilium explicatione mole superuacanea.

(k) Cyprian. epist. XII. al. XVII. ad plebem p. 39. (p. 196. 197. edit. Amstel.)

aliis

aliis in locis [*l*] repetit, & tum heic tum alibi de presbyteris suis quibusdam queritur [*m*], quod contra hanc regulam pœnitentibus, nondum manu eis ab episcopo & cleris imposita, dent eucharistiam. Ostendit etiam, priuatam reconciliationem pœnitentium, in mortis periculo constitutorum, in eumdem modum peragi: *Si incommodo aliquo*, inquit [*n*], *& infirmitatis periculo occupati fuerint, non exspectata praesentia nostra, apud presbyterum quemcumque praesentem, vel si presbyter repertus non fuerit, & vrgere exitus coeperit, apud diaconum quoque exomologesin facere delicti sui possunt, vt manu eis in pœnitentia imposita veniant ad dominum cum pace.* Ex quibus videmus, eum non de intermedia manus impositione loqui, quae crebro dabatur tertii ordinis pœnitentibus, dictis substratis, dum agerent pœnitentiam; sed de vltima etiam manus impositione, quae pœnitentibus, quum communioni ecclesiae demum reconciliarentur, tribuebatur. Hanc multi canones idcirco vocant reconciliatoriam manus impositionem, vt ab omnibus reliquis, tam in pœnitentia quam extra pœnitentiam dari solitis, distinguant. Ista consuetudo dandi moribundis pœnitentibus reconciliationem per huiuscemodi manus impositionem in *Africa* adhuc obtinuit tempore AVGVSTINI & concilii *Carthaginensis* quarti. Hoc enim con-

(*l*) Cyprian. epist. X. al. XVI. p. 37. (p. 195.) Quum in minoribus peccatis agant peccatores pœnitentiam iusto tempore, & secundum disciplinae ordinem ad exomologesin veniant & per manus impositionem episcopi & cleri ius communicationis accipiant, nunc crudo tempore, persecutione adhuc perseuerante, nondum restituta ecclesiae ipsius pace ad communicationem admittuntur, & offertur nomen eorum, & nondum pœnitentia acta, nondum exomologesi facta, nondum manu eis ab episcopo & clero imposita, eucharistia illis datur &c.

(*m*) Vid. Cyprian. de lapsis p. 136. (p. 97.) Epist. XII. al. XVII. p. 39. (p. 197.) Epist. XI. al. XV. ad martyres p. 34. (p. 192. 193.)

(*n*) Cyprian. epist. XIII. al. XVIII. p. 40. (pag. 197. edit. Amstel.) It. epist. XIV. al. XIX. p. 41. (p. 198.) Satis plene scripsisse me ad hanc rem proximis litteris ad vos factis credo, vt qui libellum a martyribus acceperunt, & auxilio eorum adiuuari apud dominum in delictis suis possunt, si premi infirmitate aliqua & periculo coeperunt, exomologesi facta, & manu eis a vobis in pœnitentia imposita, cum pace a martyribus sibi promissa ad dominum remittantur. Epist. XV. al. XX. p. 43. (p. 200.) mandaui vt -- si qui libello a martyribus accepto de saeculo excederent, exomologesi facta, & manu eis in pœnitentia imposita, cum pace sibi a martyribus promissa ad dominum remitterentur.

cilium ita decreuit [o]: *Is qui pœnitentiam in infirmitate petit, accipiat pœnitentiam. Et si continuo creditur moriturus, reconcilietur per manus impositionem & infundatur ori eius eucharistia.* Aliis autem in locis sola eucharistia morti vicinis pœnitentibus dabatur, tamquam viaticum, si pœnitentiam, dum salui essent & incolumes, non omnino absoluissent; & si conualescerent, pœnitentiam in cœpto cursu finire debebant; & si quando veræ pœnitentiæ signa per dignos fructus edidissent, publice in communionem recipiendi erant cum reconciliatoria manus impositione, quemadmodum hoc in casu concilium *Arausicanum* primum [p] definiuit. Iam licet nulla precum mentio in hoc genere reconciliationis facta sit, semper tamen intelligenda est secundum AVGVSTINVM [q], quando ait: *Quid aliud est impositio manus nisi oratio super hominem?* Vnde hæc ab ipso [r] aliisque scriptoribus clarius dicitur *oratio manus impositionis*. Cuius quædam formulæ pro pœnitentia & aliis benedictionibus in auctore *constitutionum apostolicarum* [s] videri possunt. Speciatim

(o) Concil. Carthagin. IV. c. LXXVI.

(p) Concil. Arausic. I. c. III. Quod si superuixerint, stent in ordine pœnitentium, vt ostensis necessariis pœnitentiæ fructibus, legitimam communionem reconciliatoria manus impositione recipiant. Vid. hunc canonem plenius citatum lib. XVIII. cap. IV. §. III. pag. 162. seqq.

(q) Augustin. de bapt. lib. III. c. XVI.

(r) Augustin. de peccator. meritis lib. II. c. XXVI. Neque vnius modi est sanctificatio: nam & catechumenos secundum quemdam modum suum per signum Christi & *orationem manus impositionis* puto sanctificari, cetera.
Clem. Alex. pædagog. lib. III. c. XI. p. 201. edit. Oxon. *τίνι γὰρ ὁ πρεσβύτερος ἐπιτίθησι χεῖρα; τίνα δὲ εὐλογήσει; Cui enim manum imponit presbyter? Cui autem benedicet?*
Euseb. histor. lib. I. c. XIII. *ὃς καὶ αὐτὸς προσελθὼν ὑπὸ τοὺς πόδας αὐτοῦ ἔπεσεν,* εὐχάς τε διὰ χειρὸς *λαβὼν ἐθεραπεύθη. Qui [Abdus] quum supplex ad Thaddæi vestigia prouolutus esset, benedictionem ab eo per manus impositionem accipiens sanatus est.* Lib. VII. c. II. *παλαιοῦ γέ τοι κεκρατηκότος ἔθους, ἐπὶ τῶν τοιούτων μόνῃ χρῆσθαι τῇ διὰ χειρῶν ἐπιθέσεως εὐχῇ. Quippe antiqua consuetudo inualuerat, vt in eiusmodi hominibus* (hæreticis ad ecclesiam redeuntibus) *sola manuum impositio cum precationibus adhiberetur.*
Constit. apostol. lib. VIII. c. IX. *χειροθεσία καὶ εὐχὴ ὑπὲρ τῶν ἐν μετανοίᾳ. Impositio manuum & oratio pro pœnitentibus.*

(s) Constit. lib. VIII. c. IX. *παντοκράτορ θεὲ αἰώνιε, δέσποτα τῶν ὅλων, κτίστα καὶ πρύτανι τῶν πάντων· ὁ τὸν ἄνθρωπον κόσμου κόσμον ἀναδείξας διὰ Χριστοῦ, καὶ νόμον δοὺς αὐτῷ ἔμφυτον καὶ γραπτὸν, πρὸς τὸ ζῆν αὐτὸν ἐνθέσμως, ὡς λογικόν·*

de

de reconciliandis pœnitentibus præcipitur, vt episcopus [t] eos recipiat in communionem cum manus impositione, & vniversæ ecclesiæ pro eis precatione. Formula huius precationis in fine liturgiæ *S. Iacobi* exstat vocaturque εὐχὴ ἱλασμοῦ, *oratio propitiationis*, quæ ad *CHRISTVM* dirigitur verbis sequentibus: *Domine* [u] *Iesu Christe, fili Dei viuentis, agne & pastor; qui tollis peccata mundi, qui debita duobus debitoribus remisisti, & peccatrici mulieri remissionem peccatorum eius concessisti, qui sanitatem paralytico, cum*

καὶ ἁμαρτόντι ὑποθήκην δοὺς πρὸς μετάνοιαν τὴν σαυτοῦ ἀγαθότητα· ἔπιδε ἐπὶ τοὺς κεκλικότας σοι αὐχένα ψυχῆς, καὶ σώματος· ὅτι οὐ βούλει τὸν θάνατον τοῦ ἁμαρτωλοῦ, ἀλλὰ τὴν μετάνοιαν, ὥστε ἀποστρέψαι αὐτὸν ἀπὸ τῆς ὁδοῦ αὐτοῦ τῆς πονηρᾶς, καὶ ζῆν· ὁ Νινευιτῶν προσδεξάμενος τὴν μετάνοιαν· ὁ θέλων πάντας ἀνθρώπους σωθῆναι, καὶ εἰς ἐπίγνωσιν ἀληθείας ἐλθεῖν· ὁ τὸν υἱὸν προσδεξάμενος, τὸν καταφαγόντα τὸν βίον αὐτοῦ ἀσώτως, πατρικοῖς σπλάγχνοις, διὰ τὴν μετάνοιαν· αὐτὸς καὶ νῦν πρόσδεξαι τῶν ἱκετῶν σου τὴν μετάνοιαν· ὅτι οὐκ ἔστιν, ὃς οὐχ ἁμαρτήσεταί σοι· ἐὰν γὰρ ἀνομίας παρατηρήσῃ, κύριε, κύριε, τίς ὑποστήσεται; ὅτι παρὰ σοὶ ὁ ἱλασμός ἐστι· καὶ ἀποκατάστησον αὐτοὺς τῇ ἁγίᾳ σου ἐκκλησίᾳ, ἐν τῇ προτέρᾳ ἀξίᾳ καὶ τιμῇ, διὰ τοῦ χριστοῦ τοῦ θεοῦ καὶ σωτῆρος ἡμῶν. δι' οὗ σοι δόξα καὶ προσκύνησις, ἐν τῷ ἁγίῳ πνεύματι εἰς τοὺς αἰῶνας· ἀμήν· *Omnipotens Deus æterne, domine vniuersorum, creator & rector cunctorum; qui hominem mundi mundum, siue ornamenti ornamentum effecisti per Christum, & legem ei dedisti innatam, & scriptam, vt legitime viueret, tamquam ratione præditus: quique ei, postquam peccauit, tribuisti bonitatem tuam, incitamentum ad pœnitentiam: respice in eos, qui ceruicem animæ & corporis inclinauerunt tibi: quia non vis mortem peccatoris, sed pœnitentiam, vt auertat se a via sua mala & viuat. Qui Niniuitarum pœnitentiam recepisti; qui vis omnes homines saluos fieri, & ad agnitionem veritatis venire; qui paternis visceribus suscepisti filium illum, bonorum suorum decoctorum prodigum ac luxuriosum, quod eum pœniteret facti: ipse nunc quoque accipe supplicum tuorum pœnitentiam; quia non est, qui non peccet tibi: Si enim iniquitates obseruaueris, domine, domine, quis sustinebit? quoniam apud te propitiatio est; & restitue illos sanctæ ecclesiæ tuæ, in priorem dignitatem ac honorem, per Christum Deum ac saluatorem nostrum; per quem tibi gloria & adoratio, in sancto spiritu, in sæcula, Amen.* Ibid. cap. XXXIX. Vid. lib. XIII. cap. X. §. VIII. volum. V. pag. 323. 324.

(t) Constitut. lib. II. c. XVIII. καὶ προσκλαύσαντα εἰσδέχου, πάσης τῆς ἐκκλησίας ὑπὲρ αὐτοῦ δεομένης, καὶ χειροθετήσας αὐτὸν ἔα λοιπὸν εἶναι ἐν τῷ ποιμνίῳ. *Et ingemescentem, vniuersa precante pro eo ecclesia, recipe, manuque imposita, permitte, vt deinceps cum grege maneat.*

(u) Liturg. Iacobi in biblioth. patr. Græc. Latin. tom. II. p. 23. Κύριε Ἰησοῦ χριστὲ υἱὲ τοῦ θεοῦ ζῶντος, ἀμνὲ καὶ ποιμὴν, ὁ αἴρων τὴν ἁμαρτίαν τοῦ κόσμου, ὁ τὰ δάνειον τοῖς δυσὶ χρεωφιλέταις χαρισάμενος, καὶ τῇ ἁμαρτωλῷ τὴν ἄφεσιν τῶν

 re-

remiſſione peccatorum eius largitus es: remitte, condona, ignoſce, Deus, peccata noſtra voluntaria & non voluntaria, quæ prudentes & imprudentes perpetrauimus, quæ per tranſgreſſionem & inobedientiam fecimus; quæ ſpiritus tuus ſanctiſſimus melius nouit, quam nos ſerui tui: & ſi quid a mandatis tuis vt homines carnem geſtantes, & mundum hunc inhabitantes, vel a diabolo ſeducti aberrarunt ſiue dicto ſiue facto; vel in maledictionem inciderunt, aut peculiari anathemate irretiti ſunt, rogo & precor ineffabilem tuam benignitatem, vt verbo abſoluantur: & vt ipſis condones & iusiurandum, & peculiare anathema, ſecundum bonitatem tuam. Age, domine; exaudi orationem meam pro ſeruis tuis, & prætermitte, vt iniuriarum immemor, omnia eorum errata: ignoſce ipſis omne delictum & voluntarium & inuoluntarium; libera eos ab æterno ſupplicio. Tu enim es, qui præcepiſti nobis, dicens; Quæcumque ligaueritis ſuper terram, erunt ligata in cælis, & quæcumque ſolueritis ſuper terram, erunt ſoluta in cælis; quoniam tu es Deus noſter, Deus, qui miſereri, ſeruare & dimittere peccata potes; ac te gloria decet, cum patre ſine principio & ſpiritu viuifico; nunc & ſemper, & in ſæcula ſæculorum, Amen.

SIMILES formulæ abſolutionis per preces adhuc in eccleſia *Græca* in vſu ſunt, quomodo videre eſt in IACOBI GOAR [w] *euchologio*

ἁμαρτιῶν αὐτῆς δοὺς, ὁ τὴν ἴασιν τῷ παραλυτικῷ δωρησάμενος, σὺν τῇ ἀφέσει τῶν ἁμαρτιῶν αὐτοῦ, ἄνες, ἄφες, συγχώρησον ὁ Θεὸς τὰ πλημμελήματα ἡμῶν τὰ ἑκούσια, τὰ ἀκούσια· τὰ ἐν γνώσει, τὰ ἐν ἀγνοίᾳ· τὰ ἐν παραβάσει καὶ παρακοῇ γενόμενα· ἃ οἶδε τὸ πνεῦμά σου τὸ πανάγιον ὑπὲρ τοὺς δούλους σου· καὶ εἴ τι τῶν ἐντολῶν σου ὡς ἄνθρωποι σάρκα φοροῦντες, καὶ τὸν κόσμον τοῦτον οἰκοῦντες, ἢ ἐκ τοῦ διαβόλου ἐπλανήθησαν, εἴτε ἐν λόγῳ, ἢ ἐν ἔργῳ· εἴτε ὑπὸ κατάραν ὑπέπεσαν, ἢ τῷ ἰδίῳ ἀναθέματι, παρακαλῶ καὶ δέομαι τὴν ἄφατόν σου φιλανθρωπίαν, τῷ μὲν λόγῳ λυθῆναι· συγχωρηθῆναι δὲ αὐτοῖς καὶ τῷ ὅρκῳ καὶ τῷ ἰδίῳ ἀναθέματι κατὰ τὴν σὴν ἀγαθότητα· ναὶ δέσποτα κύριε εἰσάκουσον τῆς δεήσεώς μου ὑπὲρ τῶν δούλων σου, καὶ πάριδε ὡς ἀμνησίκακος τὰ ἐπταισμένα αὐτῶν ἅπαντα· συγχώρησον αὐτοῖς πᾶν πλημμέλημα ἑκούσιόν τε καὶ ἀκούσιον· ἀπάλλαξον αὐτοὺς τῆς αἰωνίου κολάσεως· σὺ γὰρ εἶ ὁ ἐντειλάμενος ἡμῖν λέγων, ὅτι, ὅσα ἂν δήσητε ἐπὶ τῆς γῆς, ἔσται δεδεμένα ἐν τοῖς οὐρανοῖς· καὶ ὅσα ἂν λύσητε ἐπὶ τῆς γῆς, ἔσται λελυμένα ἐν τοῖς οὐρανοῖς· ὅτι σὺ εἶ ὁ Θεὸς ἡμῶν, Θεὸς τοῦ ἐλεεῖν καὶ σώζειν καὶ ἀφιέναι ἁμαρτίας, δυνάμενος· καὶ πρέπει σοὶ ἡ δόξα σὺν τῷ ἀνάρχῳ πατρὶ, καὶ τῷ ζωοποιῷ πνεύματι, νῦν καὶ ἀεὶ, καὶ εἰς τοὺς αἰῶνας τῶν αἰώνων. ἀμήν.

(w) Goar. euchology. p. 666. Εὐχὴ ἐπὶ τῶν ἐξ ἐπιτιμίων λυομένων· Εὔσπλαγχνε κύριε, ἀγαθὲ καὶ φιλάνθρωπε, ὁ διὰ τοὺς σοὺς οἰκτιρμοὺς ἐξαποστείλας τὸν μονογενῆ σου υἱὸν εἰς τὸν κόσμον, ἵνα διαῤῥήξῃ τὸ καθ' ἡμῶν χειρόγραφον τῶν πλημμελημάτων, καὶ λύσῃ τὰ δεσμὰ τῶν ὑπὸ τῆς ἁμαρτίας πεπεδημένων, καὶ κηρύ-

logio

logio & in THOMAE SMITHI epistola de *Graecæ ecclesiæ statu hodierno* [x].

ξῃ αἰχμαλώτοις ἄφεσιν· σὺ δέσποτα καὶ τὸν δοῦλόν σου, τὸν δεῖνα, τῇ σῇ ἀγαθότητι ἐλευθέρωσαν τοῦ ἐπικειμένου αὐτῷ δεσμοῦ, καὶ δώρησαι αὐτῷ ἀναμαρτήτως ἐν παντὶ καιρῷ καὶ τόπῳ προσιέναι τῇ σῇ μεγαλειότητι μετὰ παῤῥησίας καὶ καθαροῦ συνειδότος αἰτεῖν τὸ παρὰ σοῦ πλούσιον ἔλεος· Ὅτι ἐλεήμων καὶ φιλάνθρωπος θεὸς ὑπάρχεις, καὶ σοὶ τὴν δόξαν ἀναπέμπομεν, τῷ πατρὶ, καὶ τῷ υἱῷ, καὶ τῷ ἁγίῳ πνεύματι· νῦν καὶ ἀεὶ, καὶ εἰς τοὺς αἰῶνας τῶν αἰώνων· ἀμήν. Benigne domine, bone & humane, qui propter miserationes tuas in mundum vnigenitum filium tuum misisti, vt quod erat aduersum nos chirographum peccati deleret, & constrictorum peccatis vincula dirumperet, & captiuis libertatem prædicaret: tu domine etiam seruum tuum N. impositi ei vinculi nexu tua bonitate libera, & vt sine peccato omni tempore ad maiestatem tuam accedat, & cum fiducia, & pura conscientia, abundantem a te misericordiam exposcat, concede. Quia misericors & hominum amator Deus exsistis, & tibi gloriam rependimus, patri & filio & sancto spiritui: nunc & semper & in sæcula sæculorum. Amen.

(x) Smith's *Account* p. 181. (edit. Latin. Traiect. ad Rhen. MDCXCVIII. p. 122. 123.) Variatur absolutionis formula, quæ pœnitentiarii arbitrio & discretioni relinqui videtur, quum res vna eademque sit diuersis loquendi modis exprimenda. Talis occurrit apud Christophorum Angelum (c. XXII.) scriptorem non omnio in explicandis Græcæ ecclesiæ ritibus contemnendum, *κατὰ τὴν ἐξουσίαν, ἣν ἔδωκεν ὁ χριστὸς τοῖς ἀποστόλοις αὐτοῦ, εἰπὼν, ὅσα ἂν λύσητε ἐπὶ τῆς γῆς, ἔσι λελυμένα ἐν τῷ οὐρανῷ, καὶ κατὰ τὴν ἐξουσίαν, ἣν ἔδωκαν οἱ ἀπόστολοι τοῖς ἐπισκόποις, καὶ καθ᾽ ἣν ἐξουσίαν ἔλαβον ἀπὸ τοῦ ἐπισκόπου μου, ἔστη συγκεχωρημένος ἀπὸ τοῦ πατρὸς καὶ τοῦ υἱοῦ καὶ τοῦ ἁγίου πνεύματος ἀμὴν, καὶ μετὰ τῶν δικαίων ἡ μέρις σου. Secundum potestatem, quam Christus dedit apostolis dicens, Quæcumque solueritis in terra, erunt quoque soluta in cælo, & secundum potestatem, quam apostoli dederunt episcopis; & secundum potestatem, quam ab episcopo meo ipse accepi, eris venia donatus a patre & filio & spiritu sancto, Amen: & cum iustis portio tua.* In precibus condonatoriis, quas exhibet euchologium, *ἐπὶ μετανοούντων καὶ ἐξομολουμένων, super pœnitentes & confessos* a sacerdote recitandis, ita habetur, *αὐτὸς δέσποτα ἄνες, ἄφες, συγχώρησον τὰς ἁμαρτίας, Ipse dominus relaxa, dimitte & condona peccata: τοὺς δούλους σου λόγῳ λυθῆναι εὐδόκησον, seruos tuos verbo absolui beneuolus dignare;* item, *ὡς ἀγαθὸς καὶ φιλάνθρωπος θεὸς συγχώρησον, vt bonus & misericors Deus condona:* alias, *αὐτὸς ὁ σωτὴρ ἡμῶν καὶ κύριος Ἰησοῦς χριστὸς συγχωρῆσαί σοι πάντα, ὅσα νῦν ἐνώπιον αὐτοῦ τῇ ἐμῇ ἐλαχιστότητι ὡμολογήσω καὶ ὧν ἐπελάθου, Ipse saluator noster & dominus Iesus Christus condonet tibi omnia, quæ nunc coram ipso meæ tenuitati confessus es & quorum oblitus es:* alias, *Αὐτὸς δέσποτα συγχώρησον καὶ τὸν δοῦλόν σου, ὃ ἐπὶ τοῖς ἰδίοις οἷς ἔπραξε πλημμελήμασι δι᾽ ἐμοῦ τοῦ ἀναξίου καὶ εὐτελοῦς, καὶ διαλλάγηθι καὶ ἕνωσον αὐτὸν τῇ ἁγίᾳ ἐκκλησίᾳ, Ipse dominus condona seruo tuo propria, quæ commisit peccata, per me indignum & humilem, & ipsi reconciliatus esto, & sanctæ ecclesiæ illum adiunge;* alias, *αὐτὸς ὁ θεὸς συγχωρήσῃ σοι δι᾽ ἐμοῦ τοῦ ἁμαρτωλοῦ, ipse Deus per me peccato-*

IACOBVS VSSERIVS porro [y] ex ALCVINO, *veteri ordine Romano*, & quibusdam *Romanis* cærimonialibus & pontificalibus ostendit, quod eadem formula per multa sæcula in *Latina* etiam ecclesia adhibita fuerit. Atque hoc confirmatur ex vetusto missali *Latino* ab ILLYRICO & BONA cardinali [z] publicato, vbi absolutio sub titulo indulgentiæ habetur his verbis: *Qui mulieri peccatrici omnia peccata dimisit lacrimanti, & latroni ad vnam confessionem claustra aperuit paradisi, ipse vos redemtionis suæ participes ab omni vinculo peccatorum absoluat, & membra aliquatenus debilitata medicina misericordiæ sanata, corpori sanctæ ecclesiæ, redeunte gratia, restituat, atque in perpetuum solidata custodiat. Qui viuit & regnat, cetera.*

POTERANT aliæ etiam absolutionis formulæ addi, sed hæ abunde sufficiunt ad ostendendum, antiquis temporibus magnam & formalem publicorum pœnitentium absolutionem ad altare per manus impositionem & preces fuisse peractam; illam quidem vt medium procurans, & hanc vt ritum declarantem eorum cum Deo & ecclesia reconciliationem.

§. V.

Absolutio per formulam indicatiuam, Ego te absoluo, *ante sæculum duodecimum haud data.*

SI quæras, quando formula indicatiua absolutionis, hoc est, formula, *Ego te absoluo*, loco formulæ deprecatiuæ, *CHRISTVS absoluat te*, primum in ecclesia adhiberi cœpta sit: MORINVS [a] satis superque demonstrauit, nullum eius vsum fuisse ante sæculum duodecimum, vel decimum tertium, non multo ante ætatem THOMAE AQVINATIS, qui ex primis fuit, qui pro ea scripserunt. IACOBVS VSSERIVS, eruditus episcopus nostras [b], nouitatem eius luculenter demonstrauit ex ipso AQVINATE. Hic enim dicit [c], fuisse suo tempore eruditum doctorem, qui reprehenderit formulam indicatiuam absoluti-

rem condonet tibi. Et quandoque breuissime lingua vernacula, *ὡς εἴσαι συγχωρεμένος, sis condonatus.*

(y) Usher. *Answ. to the Challenge*, p. 88.

(z) Bon. rer. liturgic. in appendice p. 763.

(a) Morin. de pœnitent. lib. VIII. c. VIII. IX. X. XI. XII. XIII.

(b) Usher. *Answ. to the Jesuit's Challenge*, p. 89.

(c) Aquin. opuscul. XXII. de forma absolutionis c. V. Addit etiam obiiciendo,

onis

onis, tunc a sacerdotibus adhibitam: *Ego absoluo te;* eamque tantum per modum deprecationis fieri voluerit; dicens, *Guilielmum Altissiodorensem*, *Guilielmum Parisiensem* & *Hugonem* cardinalem non ita sensisse; sed etiam vix annos triginta elapsos esse, quum omnes hac forma deprecatoria vterentur: *Absolutionem & remissionem tribuat tibi omnipotens Deus.* Hoc tempus mutationis ita exacte determinat, vt viri docti [d], qui istam formulam sensu quodam apte adhiberi posse concedunt, opinionem suam de eius nouitate, antecedentibus rationibus inducti, declarare non dubitent.

§. VI.

Quo sensu ista formula admitti possit.

SI porro quæras, quo sensu indicatiua ista absolutionis formula admitti possit, respondetur, diuersis modis eam admitti posse. 1. Vt actum iurisdictionis, ab eis, quibus potestas commissa est publicos peccatores in communionem recipiendi soluendique vincula excommunicationis, quibus iudicialiter & formaliter per censuram ecclesiæ antea constricti erant. Hoc sensu non alienum est ab eo, qui clauem habet iurisdictionis & potestatis relaxandi æque ac infligendi censuras ecclesiasticas, indicatiua formula vti, dicendo, *Ego te absoluo.* Nam hoc externus tantum potestatis ecclesiasticæ actus est, qui ad externam tantum & visibilem communionem respicit, non directe autem & proxime adficit conscientiam. Vnde viri quidam docti non tantum illius vsum admittunt, sed re ipsa etiam ita eam adhibitam esse sentiunt in veteri [e] ecclesia. Exem-

quod vix triginta anni sunt, quando omnes hac sola forma vtebantur. *Absolutionem* &c. Sed quomodo de omnibus potest testimonium perhibere, qui omnes non vidit? cetera.

(*d*) Vid. Fell. not. in Cyprian. de lapsis p. 13[illegible]. (p. 97. edit. Amstelod. MDCC.) Quamuis nunc temporis formula iudiciaria & potestatiua, *Ego te absoluo*, quasi tradita a Christo per apostolos feratur; ex aduerso compertissimum habetur, per decem priora sæcula in vsu minime receptum: immo nec adhuc in ecclesia Orientali inualuisse. Qua de re videantur, quæ diligenter congessit eruditissimus Morinus in opere de administr. sacr. pœnit. lib. VIII. c. VIII. seqq. *Discours of the penitential discipline of the prim. church* cap. III. §. 4. Lond. 1614.

(*e*) Fell. in Cyprian. ibid. Notari poterit, in omni delicto duo spectanda occurrere, primo offensam aduersus Deum, de qua Dauid psalm. LI. *In te*,

pli caussa, a *Zephyrino* episcopo *Romano*, cui TERTVLLIANVS (iam *Montanista* factus) crimini det [*f*], quod dixerit: *Ego & mœchiæ & fornicationis delicta pœnitentia functis dimitto*; intelligens, quod eos ad pacem & communionem ecclesiæ admiserit, quod *Montanistæ* & post hos *Nouatiani* nullo modo volebant fieri. 2. Hæc indicatiua formula, *Ego te absoluo*, exponi potest nihil amplius denotare, quam declarationem voluntatis Dei erga pœnitentem peccatorem, quod ex optimo, quod de pœnitentia eius ferre sacerdos potest, iudicio, eum coram Deo iudicet esse absolutum, adeoque ipsum absolutum pronuntiet & declaret. Cuiusmodi quid a veteris testamenti sacerdotibus factum obseruat HIERONYMVS: *De sacerdotibus*, inquiens [*g*], *in Leuitico legimus, contaminatione contaminabit eum sacerdos; non quod contaminationis auctor sit, sed quod ostendat eum contaminatum, qui prius mundus plurimis videbatur.* Et alio loco [*h*] idem HIERONYMVS adhuc aptiorem facit obseruationem hac de re, dum quosdam sui temporis episcopos & presbyteros acrius reprehendit, quod sententiam mandati de remittendis peccatis non recte intelligentes sibi iusto plus arrogent in hoc negotio. *Istum locum* (*Matth. XVI*), inquit, *episcopi & presbyteri non intelligentes, aliquid sibi de Pharisæorum supercilio assumunt, vt vel damnent innocentes, vel*

in te solum peccaui, in cuius remedio precibus & resipiscentia vnice proficitur; iuxta illud D. Petri act. VIII, 22. ad Simonem Magum, *pœnitentiam age ab hac nequitia tua, & roga Deum:* secundo interuenire offensam aduersus fratres, de qua D. Paulus 1 Cor. VIII, 3. *Peccantes in fratres, & percutientes conscientiam eorum, &c.* Cui amoliendæ venia ab ecclesia ceu parte læsa, & illius nomine ab episcopo, qui eidem præest, omnino expetenda est, inde illud apostoli 2 Cor. II, 10. *Cui autem aliquid donastis, & ego: nam & ego quod donaui, si quid donaui, propter vos in persona Christi.* Et quidem quantum ad forum exterius, siue offensam aduersus fratres, locum fortassis habere poterit illa auctoritatiua, quæ in Occidentali ecclesia inualuit, formula, qua & vsus fuisse videtur Zephyrinus Tertulliani sæculo, *Ego mœchiæ & fornicationis debita pœnitentia functis dimitto*, lib. de pudic. c. I. Nec non illa confessorum epist. XL. ad Pam. num. XXVI. *Scias nos vniuersis, de quibus apud te ratio constiterit, dedisse pacem*, & epist. XXI. *vniuersis pacem dimisimus &c.*

(*f*) Tertull. de pudicit. c. I. Pontifex scilicet maximus, episcopus episcoporum, dicit, *Ego &c.*

(*g*) Hieron. lib. VII. in Iesa. XXIII.

(*h*) Hieron. in Matth. XVI. tom. IX. p. 49.

soluere

ſoluere ſe noxios arbitrentur: quum apud Deum non ſententia ſacerdotum, ſed reorum vita quæratur. Legimus in Leuitico de leproſis, vbi iubentur, vt oſtendant ſe ſacerdotibus, & ſi lepram habuerint, tunc a ſacerdote immundi fiant. Non quod ſacerdotes leproſos faciant & immundos, ſed quod habeant notitiam leproſi & non leproſi, & poſſint diſcernere, qui mundus, quiue immundus ſit. Quomodo ergo ibi leproſum ſacerdos mundum vel immundum facit, ſic & heic adligat vel ſoluit epiſcopus & presbyter, non eos qui inſontes ſunt vel noxii (faciens)*: ſed pro officio, quum peccatorum audierit varietates, ſcit, qui ligandus ſit, quiue ſoluendus.* Idem obſeruat magiſter ſententiarum PETRVS LOMBARDVS (ſequens ſententiam HIERONYMI) quando ait [i]: *In remittendis vel in retinendis culpis id iuris & officii habent euangelici ſacerdotes, quod olim habebant ſub lege legales in curandis leproſis. Hi ergo peccata dimittunt vel retinent, dum dimiſſa a Deo vel retenta indicant & oſtendunt. Ponunt etiam ſacerdotes nomen domini ſuper filios Iſrael, ſed ipſe benedicit, vt dicit in Numeris* [*].

3. Indicatiua formula, *Ego te abſoluo*, adhiberi poteſt in quouis externo miniſterii actu, qui tamquam medium obtinendi a Deo remiſſionem peccatorum adhibetur: Exempli gratia, in adminiſtratione baptiſmi vel euchariſtiæ. Sacerdos non minus dicere poteſt, *Abſoluo te*, quam, *Baptizo te*. Baptiſmus enim abſolutio eſt, vti antea vidimus. Verum tunc ſacerdotis partes hac in re tantum ſunt adminiſtrare externam formam; Deus autem eſt, qui internam dat gratiam, & qui ſpiritualiter baptizat peccatorum remiſſione. Verumtamen quum ſacerdos poteſtatem habeat externam formam adminiſtrandi, dicere poteſt, *Baptizo te*, vel *Lauo te aqua*. Qui lauandi actus externum a Deo præſcriptum medium eſt conferendi nobis remiſſionem peccatorum, & internam ablutionem animarum noſtrarum in ſanguine *CHRISTI* per poteſtatem ſpiritus ſancti. Ita quoque in adminiſtratione euchariſtiæ, ſacerdos dicere poteſt, *Do tibi corpus CHRISTI*, vel *Abſoluo te per corpus CHRISTI*; intellige, quod externum panis elementum ei adminiſtret, quod eſt ſacramentale corpus *CHRISTI*, adhiberi iuſſum tamquam medium, conferendi reale corpus *CHRISTI* omniaque

(i) Lombard. ſentent. lib. IV. diſtinct. XVIII. p. 334.

(*) Num. VI, 27.

eius beneficia, quorum vnum est absolutio, siue peccatorum remissio, digne recipientibus impertita. Ecclesia nostra vsum formulæ indicatiuæ in vniuersis hisce significatibus non præscripsit, nisi semel in officio ægroti, & illic quidem (secundum rationem ex HIERONYMO datam) scite potest exponi declaratio veniæ, peccatori indultæ, ad manifesta sinceræ pœnitentiæ signa, & optimum, quod de eius conditione minister ecclesiæ ferre potest, iudicium: vltra quod nemo progredi potest nisi καρδιωγνώστης, ad quem solum fallendi nescia & irrevocabilis sententia absolutionis pertinet. Sed hæc obiter tantum. Reuertimur iam ad praxin ecclesiæ antiquæ.

§. VII.

Cur chrisma seu vnctio manus impositioni in reconciliandis cum ecclesia certis hæreticis & schismaticis interdum addita sit.

VBI obseruare possumus, quod, præter communem reconciliandi pœnitentes cum ecclesia rationem, sæpe peculiare aliquid in reconciliatione hæreticorum & schismaticorum fuerit. Sub triplici enim denominatione siue distinctione considerabantur. Vel enim tales erant, qui baptizati erant in ecclesia, & postea ab illa defecerant: Vel secundo tales, qui baptizati erant in hæresi vel schismate, sed sub visitata baptismi formula: vel denique tales, qui ab hæreticis vel schismaticis baptizati erant in tam corrupta forma, quæ veram ipsius rei naturam & essentiam destrueret, & baptismum omnino nullum redderet & irritum. Qui primi generis erant, eumdem in modum vti reliqui pœnitentes reconciliabantur, confitentes solum & eiurantes errores suos. Illi vero secundi generis, eo quod eis deesset verus baptismi effectus, hoc est, gratia siue vnctio spiritus sancti, quam extra ecclesiam in hæresi vel schismate habere non potuerant, non tantum cum manus impositione reconciliabantur, sed cum sancta etiam vnctione siue chrismate illi addito, ad confirmandum eos & denotandum, quod spiritum sanctum pacis, in reditu suo ad pacem & vnitatem ecclesiæ, recepissent. Et qui tertii erant generis, quia vero destituebantur baptismo, more gentilium recipiebantur, cum nouo baptismo, quia prior eorum, quem habere se venditabant, baptismus omnino nullus erat & vacuus. Hæc distin-

ctio

ctio erat, inter diuersi generis hæreticos facta, & hæc vera fundamenta & rationes erant diuersarum obseruationum in disciplina ecclesiæ in eorum reconciliatione & receptione. Duo posteriora hæreticorum genera vix spectabantur tamquam proprie sic dicti pœnitentes in ecclesia, sed potius recipiebantur sub imagine pœnitentiæ, ab eis agi solitæ, qui aliquando ecclesiæ membra fuerant; quemadmodum INNOCENTIVS pontifex *Romanus* in epistola quadam sua docet; Vbi loquens de nonnullis, qui ab *Arianis* aliisque sectis, rectam baptismi formam retinentibus, baptizati erant, eos suscipi dicit [*k*], sub imagine pœnitentiæ ac sancti spiritus sanctificatione per manus impositionem ad perficiendum baptisma eorum, quod licet datum sit in nomine patris & filii & spiritus sancti, gratia tamen spiritus sancti destituatur, quam habere nequeant nisi ad pacem & vnitatem ecclesiæ catholicæ reuersi. Idcirco eos recipi per manus impositionem & vnctionem chrismatis, si antea vncti non sint. Hoc in diuersis locis aliis [*l*] repetit. Idem illud testimoniis confirmatur SIRICII [*m*], LEO-

(*k*) Innocent. epist. XVIII. ad Alexandr. Arianos ceterasque huiusmodi pestes, quia eorum laicos conuersos ad dominum *sub imagine pœnitentiæ* ac sancti spiritus sanctificatione per manus impositionem suscipimus, non videtur, clericos eorum cum sacerdotii aut ministerii cuiuspiam suscipi debere dignitate: quoniam quibus solum baptisma ratum esse permittimus, quod vtique in nomine patris & filii & spiritus sancti perficitur, nec spiritum sanctum eos habere ex illo baptismate illisque mysteriis arbitramur: quoniam quum a catholica fide eorum auctores descisceerent, perfectionem spiritus, quam acceperant, amiserunt. cetera.

(*l*) Innocent. epist. II. ad Victricium c. VIII. Vt venientes a Nouatianis vel Montensibus, per manus tantum impositionem suscipiantur: quia quamuis ab hæreticis, tamen in Christi nomine sunt baptizati: præter eos, si qui forte a nobis ad illos transeuntes rebaptizati sunt. &c. Conf. epist. XXII. ad episcopos Macedon. c. IV. & V.

(*m*) Siric. epist. I. ad Himer. Tarrac. cap. I. Prima paginæ tuæ fronte signasti, baptizatis ab impiis Arianis, plurimos ad fidem catholicam festinare, & quosdam de fratribus nostris eosdem denuo baptizare velle, quod non licet: quum hoc fieri & apostolus vetet, & canones contradicant, & post cassatum Arianense concilium, missa ad prouincias a venerandæ memoriæ prædecessore meo Liberio generalia decreta prohibeant, quos nos cum Novatianis, aliisque hæreticis, sicut est in synodo constitutum, per inuocationem solam septiformis spiritus, episcopalis manus impositione, catholicorum conuentui sociamus. Quod etiam totus oriens occidensque custo-

NIS [n], HIERONYMI [o], GENNADII [p], auctoris, qui sub nomine IVSTINI MARTYRIS [q] delitescit, conciliorum *Arausicani* [r] & *Epaonensis* [s]. Quæ omnia quum in alio ope-

dit: a quo tramite vos quoque posthac minime conuenit deuiare, si non vultis a nostro collegio synodali separari sententia.

(*n*) Leo epist. XXXVII. ad Leon. Rauennat. c. II. Quod si ab hæreticis baptizatum quempiam fuisse constiterit, erga hunc nullatenus sacramentum regenerationis iteretur: sed hoc tantum, quod ibi defuit, conferatur, vt per episcopalem manus impositionem virtutem sancti spiritus consequatur. Id. epist. XCII. ad Rustic. Narbon. quæst. XVIII. De his, qui in Africa vel Mauritania venerunt, & nesciunt in qua secta sint baptizati, quid circa eos debeat obseruari? Resp. Non se illi baptizatos nesciunt, sed cuius fidei fuerint, qui eos baptizauerunt, se nescire profitentur. Vnde quolibet modo formam baptismatis acceperint, baptizandi non sunt; sed per manus impositionem, inuocata virtute spiritus sancti, quam ab hæreticis accipere non potuerunt, catholicis copulandi sunt.

(*o*) Hieron. dialog. contr. Lucifer. cap. VIII. Num quid dixit (dominus), rebaptizentur, qui in Nicolaitarum fide baptizati sunt? vel imponatur eis manus, qui eo tempore apud Pergamenos crediderunt, quo disciplinam tenebant Balaam? Quin potius, age, inquit pœnitentiam &c.

(*p*) Gennad. de eccles. dogmat. cap. LII.. Si qui apud illos hæreticos baptizati sunt, qui in sanctæ trinitatis confessione baptizant, & veniunt ad nos, recipiantur quidem vt baptizati, ne sanctæ trinitatis inuocatio vel confessio annulletur: sed doceantur integre & instruantur, quo sensu sanctæ trinitatis mysterium in ecclesia teneatur: & si consentiunt credere vel acquiescunt confiteri, purgati iam fidei integritate confirmentur manus impositione. Si vero paruuli sunt vel hebetes, qui doctrinam non capiant, respondeant pro illis, qui eos offerunt iuxta morem baptizandi; & sic manus impositione & *chrismate* communiti eucharistiæ mysteriis admittantur. Id. de scriptor. ecclesiast. c. XXVII. Vrsinus monachus scripsit aduersus eos, qui rebaptizandos hæreticos decernunt, docens nec legitimum nec Deo dignum, rebaptizari illos, qui in nomine simpliciter Christi, vel in nomine patris & filii & spiritus sancti quamuis prauo sensu baptizentur: sed post sanctæ trinitatis & Christi simplicem confessionem, sufficere ad salutem manus impositionem catholici sacerdotis.

(*q*) Iustin. quæst. XIV. ad orthodox. Τῶ *αἱρετικῶ ἐπὶ τὴν ὀρθοδοξίαν ἐρχομένω τὸ σφάλμα διορθῶται, τῆς μὲν κακοδοξίας, τῇ μεταθέσει τῶ φρονήματος· τῶ δὲ βαπτίσματος*, τῇ ἐπιχρίσει τῶ ἁγίω μύρω. *Hæretici ad orthodoxiam transeuntis lapsus corrigitur, prauæ quidem opinionis, mutatione sententiæ: baptismi autem*, vnguenti sancti vnctione.

(*r*) Concil. Arausic. I. c. II. Hæreticos in mortis discrimine --- cum *chrismate* & benedictione consignari placet.

(*s*) Concil. Epaon. c. XVI. Hæreticis in lecto decumbentibus, presbytero *chrismate* subuenire permittimus.

re

re [*] plenius exhibuerim, hoc loco tantum indico, hanc vnam ſolam addens obſeruationem, quod concilium *Arauſicanum*, concilium *Epaonenſe* & auctor ſub nomine IVSTINI diſertam faciant mentionem chriſmatis, ſiue ritus vngendi ſancto oleo; qui a concilio etiam *Laodiceno* [t], concilio generali *Conſtantinopolitano* [u], concilio ſecundo *Arelatenſi* [w] & *Trullano* [x] cum manus impoſitione adhiberi præcipitur in reconciliatione eorum hæreticorum, qui baptizati ſint in hæreſi vel ſchiſmate in vera baptiſmi forma: *In nomine patris, filii, & ſpiritus ſancti.* Tales tantummodo erroribus ſuis renuntiare, & veram

(*) Scholaſt. hiſt. of bapt. part. I. chap. I. n. 20 & 21.

(t) Concil. Laodicen. c. VII. Περὶ τοῦ, τοὺς ἐκ τῶν αἱρέσεων, τοῦτ᾽ ἔστι, Ναυατιανῶν, ἤτοι Φωτεινιανῶν, ἢ Τεσσαρεσκαιδεκατιτῶν, ἐπιστρεφομένους, ἤ τε πιστοὺς τοὺς παρ᾽ ἐκείνους, μὴ προσδέχεσθαι, πρὶν ἀναθεματίσωσι πᾶσαν αἵρεσιν, ἐξαιρέτως δὲ ἐν ᾗ κατείχοντο· καὶ τότε λοιπὸν τοὺς λεγομένους παρ᾽ αὐτοῖς πιστοὺς, ἐκμανθάνοντας τὰ τῆς πίστεως σύμβολα, χρισθέντας τε τῷ ἁγίῳ χρίσματι, οὕτω κοινωνεῖν τῷ μυστηρίῳ τῷ ἁγίῳ. *Eos qui ex hæreſibus, hoc eſt, Nouatianis, ſiue Photinianis, vel Teſſaradecatitis conuertuntur, ſiue catechumenos, ſiue qui apud illos fideles dicuntur, non admitti, priuſquam omnem hæreſin anathematizauerint, & præcipue eam, in qua detinebantur; & tunc deinceps eos, qui apud illos fideles dicebantur, fidei ſymbola diſcentes &* ſancto chriſmate inunctos, *ſic ſancto myſterio communicare.*

(u) Concil. Conſtantinop. I. c. VII. Ἀρειανοὺς καὶ Μακεδονιανοὺς καὶ Σαββατιανοὺς καὶ Ναυατιανοὺς, τοὺς λέγοντας ἑαυτοὺς Καθαροὺς καὶ Ἀριστεροὺς, καὶ τοὺς Τεσσαρεσκαιδεκατίτας δεχόμεθα διδόντας λιβέλλους, καὶ ἀναθεματίζοντας πᾶσαν αἵρεσιν, μὴ φρονοῦσαν ὡς φρονεῖ ἡ ἁγία τοῦ θεοῦ καθολικὴ καὶ ἀποστολικὴ ἐκκλησία· καὶ σφραγιζομένους, ἤτοι χριομένους πρῶτον τῷ ἁγίῳ μύρῳ τότε μέτωπον, καὶ τοὺς ὀφθαλμοὺς, καὶ τὰς ῥῖνας, καὶ τὸ στόμα, καὶ τὰ ὦτα· καὶ σφραγίζοντες αὐτοὺς λέγομεν· σφραγὶς δωρεᾶς πνεύματος ἁγίου. *Arianos & Macedonianos, & Sabbatianos, & Nouatianos, qui dicunt ſe ipſos Catharos & Ariſteros [hoc eſt mundos, vel Siniſtros] & Teſſaradecatitas, ſiue Tetraditas, & Apollinariſtas recipimus, dantes quidem libellos & omnem hæreſin anathematizantes, quæ non ſentit vt ſancta Dei catholica & apoſtolica eccleſia; & ſignatos, ſiue* vnctos *primum* ſancto chriſmate, *& frontem, & oculos, & nares, & os & aures. Et eos ſignantes dicimus, ſignaculum doni ſpiritus ſancti.*

(w) Concil. Arelat. II. c. XVII. Bonoſiacos ex eodem errore venientes, quos ſicut Arianos baptizari in trinitate manifeſtum eſt, ſi interrogati fidem noſtram ex toto corde confeſſi fuerint, cum *chriſmate & manus impoſitione* in eccleſia recipi ſufficit.

(x) Concil. Trullan. can. XCV. repetit can. VII. Concil. Conſtantin. cit. ſub litt. anteced. (u).

 fidem

fidem discere, eamque publice profiteri, atque tunc recipi iubentur cum manus impositione & chrismate, quod peculiare erat hisce pœnitentibus, qui ecclesiæ catholicæ numquam antea vere vniti fuerant. Non videntur per omnes pœnitentiæ gradus iuisse, quemadmodum ceteri pœnitentes faciebant in ecclesia, sed via compendiaria reconciliati, statui & conditioni eorum tamquam peregrinorum & extraneorum, & nunc demum in ecclesiæ gremium sese recipientium, magis accommodata. Quam ob caussam INNOCENTIVS breuem eorum pœnitentiam *imaginem* tantum vocat *pœnitentiæ*, quæ alios pœnitentes sæpenumero diu sub disciplina ecclesiæ detinebat.

§. VIII.

Cur quidam hæretici non aliter nisi per nouum baptisma potuerint reconciliari.

QVOD ad eos attinet, qui ab illis hæreticis baptizati erant, qui veram baptismi formam vel prorsus reiiciebant vel magnopere corrumpebant, omnino diuersa ratio erat eos recipiendi & communioni reconciliandi ecclesiæ. Nam haud aliter, quam paganorum instar per ianuam baptismi admitti poterant; siquidem prior eorum sic creditus baptismus non solum in remotioribus quibusdam circumstantiis, sed in ipsa quoque forma & essentia, deficiebat, eaque propter simpliciter nullus & irritus habebatur & necessario iterandus, in ordine ad efficiendum eos ecclesiæ membra. Hinc est, quod concilium *Nicænum* [y] *Paulianistas* siue *Samosatenianos*, ad ecclesiam confugientes, omnino rebaptizari iubeat. Concilium *Laodicenum* [z] simile decretum habet pro reconciliatione *Montanistarum* si-

(y) Concil. Nicæn. can. XIX. Περὶ τῶν Παυλιανισάντων, εἶτα προσφυγόντων τῇ καθολικῇ ἐκκλησίᾳ, ὅρος ἐκτέθειται ἀναβαπτίζεσθαι αὐτοὺς ἐξάπαντος. *De Paulianistis, qui deinde ad ecclesiam confugerunt, statutum est, vt ii omnino rebaptizentur.*

(z) Concil. Laodic. c. VIII. Περὶ τοῦ, τοὺς ἀπὸ τῆς αἱρέσεως τῶν λεγομένων Φρυγῶν ἐπιστρέφοντας, εἰ καὶ ἐν κλήρῳ νομιζομένῳ παρ' αὐτοῖς τυγχάνοιεν, εἰ καὶ μέγιστοι λέγοιντο· τοὺς τοιούτους μετὰ πάσης ἐπιμελείας κατηχεῖσθαί τε καὶ βαπτίζεσθαι ὑπὸ τῶν τῆς ἐκκλησίας ἐπισκόπων τε καὶ πρεσβυτέρων. *Eos, qui ab eorum hæresi, qui Phryges dicuntur, conuertuntur, siue sint in clero, qui apud illos existimantur, siue maximi dicuntur; omnes eos cum omni studio catechizari seu initiari & baptizari ab ecclesiæ episcopis & presbyteris.*

ve

ve *Cataphrygorum.* Concilium primum *Constantinopolitanum* [a] idem de *Montanistis*, *Eunomianis* & *Sabellinis* statuit. Concilium secundum *Arelatense* [b] addit *Photinianos*; & concilium *Trullanum* [c] *Manichaeos*, *Valentinianos*, *Marcionitas* & reliquos talium hæresium principes; hoc est, omnes, qui debita baptismi forma non essent baptizati. Haud alia erat via catholicæ ecclesiæ eos reconciliandi, quam vt instituerentur in vera fidei cognitione, primum vt catechumeni, & tunc impertirentur absolutione baptismi, qui hoc in casu eis tribuebatur, vtpote vero baptismo antea numquam donatis. Hæ diuersæ viæ erant

(a) Conc. Constantin. can. VII. *Εὐνομιανοὺς μέν τοι, τοὺς εἰς μίαν κατάδυσιν βαπτιζομένους, καὶ Μοντανιστὰς, τοὺς ἐνταῦθα λεγομένους Φρύγας, καὶ Σαβελλιανοὺς, τοὺς υἱοπατορίαν διδάσκοντας, καὶ ἕτερά τινα χαλεπὰ ποιοῦντας· καὶ τὰς ἄλλας πάσας αἱρέσεις, ἐπειδὴ πολλοί εἰσιν ἐνταῦθα, μάλιστα οἱ ἀπὸ τῆς Γαλατῶν χώρας ἐρχόμενοι, πάντας τοὺς ἀπ' αὐτῶν θέλοντας προστίθεσθαι τῇ ὀρθοδοξίᾳ, ὡς ἕλληνας δεχόμεθα· καὶ τὴν πρώτην ἡμέραν ποιοῦμεν αὐτοὺς χριστιανοὺς, τὴν δὲ δευτέραν κατηχουμένους· εἶτα τὴν τρίτην ἐξορκίζομεν αὐτοὺς μετὰ τοῦ ἐμφυσᾷν τρίτον εἰς τὸ πρόσωπον καὶ εἰς τὰ ὦτα αὐτῶν· καὶ οὕτως κατηχοῦμεν αὐτοὺς, καὶ ποιοῦμεν αὐτοὺς χρονίζειν εἰς τὴν ἐκκλησίαν, καὶ ἀκροᾶσθαι τῶν γραφῶν· καὶ τότε αὐτοὺς βαπτίζομεν. Eunomianos, qui in vnam demersionem baptizantur; & Montanistas, qui heic dicuntur Phryges, & Sabellianos, qui eumdem esse patrem & filium opinantur, vtrumque simul confundentes, & alia grauia & indigna faciunt: & alias omnes hæreses: quoniam heic multi sunt hæretici, & maxime qui ex regione Galatarum veniunt; quicumque ex his recte fidei adscribi volunt, vt Græcos admittimus: & primo quidem die ipsos christianos facimus; secundo catechumenos; deinde tertio exorcizamus, siue adiuramus ipsos, ter simul in faciem eorum & aures insufflando. Et sic eos catechizamus siue initiamus, & curamus, vt longo tempore versentur in ecclesia, & audiant scripturas; & tunc eos baptizamus.*

(b) Concil. Arelat. II. c. XVI. Photinianos, siue Paulianistas, secundum patrum statuta baptizari oportet.

(c) Concil. Trull. c. XCVI. vbi post verba canonis concilii Constantinop. sub litt. (a) anteced. adducta, ita pergitur: *Καὶ τοὺς Μανιχαίους δὲ καὶ τοὺς Οὐαλεντίνους, καὶ Μαρκιωνιστὰς, καὶ τοὺς ἐκ τῶν ὁμοίων αἱρέσεων χρὴ ποιεῖν λιβέλλους, καὶ ἀναθεματίζειν τὴν αἵρεσιν, καὶ Νεστόριον, καὶ Εὐτυχέα, καὶ Διόσκορον, καὶ Σεβῆρον, καὶ τοὺς λοιποὺς ἐξάρχους τῶν τοιούτων αἱρέσεων, καὶ τοὺς φρονοῦντας τὰ αὐτῶν, καὶ πάσας τὰς προαναφερομένας αἱρέσεις· καὶ οὕτω μεταλαμβάνειν τῆς ἁγίας κοινωνίας. Quin etiam Manichæos, & Valentinianos & Marcionistas, & singulos hæreticos oportet libellos facere & hæresin suam anathematizare, & Nestorium, & Eutychen, & Dioscorum & Seuerum, & reliquos talium hæresium principes, & qui eadem quæ illi sentiunt, & omnes prædictas hæreses: & sic fieri sanctæ communionis participes.*

reconn-

reconciliandi pœnitentes hæreticos, pro diuersa circumstantiarum ratione diuersoque statu & conditione, in qua erant, quando corpori ecclesiæ sociari cupiebant.

§. IX.

Quaenam conditiones in reconciliatione requisitæ eorum, qui ab ecclesia in hæresin vel schisma defecissent.

Qvi in ecclesia baptizati & postea in hæresin vel schisma lapsi erant, eos reconciliandi non aliam reperimus initam rationem, quam communem & vulgatam rationem omnes reliquos pœnitentes reconciliandi cum manus impositione & precibus. Nam, vti supra adnotauimus, si primus baptismus validus esset, secundum baptismum nulli pœnitenti per modum absolutionis dari fas erat. Sed tamen duriores quidam labores & seueriores conditiones istiusmodi apostatis & desertoribus sæpenumero imponebantur, antequam ad pacem ecclesiæ eis permitteretur reditus. Si antesignani essent & propugnatores hæresis, qui alios errori & factioni implicauerant: communiter requirebatur, vt deceptam a se multitudinem reducerent, priusquam perfectam obtinerent absolutionem. Sic de *Marcione* obseruat TERTVLLIANVS [d], ita eum pacem recepturum fuisse, si ceteros quoque, quos perditioni erudisset, ecclesiæ restitueret; idque se facturum promisisse, sed morte esse præuentum. Similem obseruationem de *Trophimi*, vnius ex tribus episcopis, qui illegitimam *Nouatiani* ordinationem, episcopum contra *Cornelium* eum constituendo peregerant, & hoc ipso ingens ecclesiæ *Romanæ* conflarant schisma, reditu ad ecclesiam habet CYPRIANVS, receptionem illius hunc in modum commemorans [e]: *Quoniam cum Trophimo pars maxima plebis abscesserat, redeunte nunc ad ecclesiam Trophimo, & satisfaciente, & pœnitentia deprecationis errorem pristinum confitente; & fraternitatem, quam nuper abstraxerat, cum plena humilitate & satisfactione reuocante, auditæ sunt eius preces; & in ecclesiam domini non tam Trophimus, quam magnus fratrum numerus, qui cum Trophimo fuerat, admissus est: qui omnes regressuri ad ecclesiam non essent, nisi cum Tro-*

(d) Tertull. de præscript. c. XXX. Ita pacem recepturus, si ceteros quoque, quos perditioni erudisset, ecclesiæ restitueret, morte præuentus est.

(e) Cyprian. epist. LII. al. LV. ad Antonian. pag. 105. (pag. 244. edit. Amstelod. MDCC.)

phimo

phimo comitante venissent. Tractatu ergo illic cum collegis plurimis habito, susceptus est Trophimus; pro quo satisfaciebat fratrum reditus & restituta multorum salus: sic tamen admissus est Trophimus, vt laicus communicet, non quasi locum sacerdotis vsurpet. Interdum ab eis requirebatur tamquam absolutionis eorum conditio, vt factionis suæ reliquias detegerent. Cuius rei exemplum nobis exhibet AVGVSTINVS in inita a se ipso ratione tractandi *Victorinum* hypodiaconum, qui ad sectam *Manichæam* transfugerat. Quando hic AVGVSTINVM rogabat, postequam se *Manichæorum* auditorem fuisse confessus erat, vt se in viam veritatis doctrinæ catholicæ reuocaret restitueretque in ecclesiæ communionem, AVGVSTINVS admittere eum recusabat, nisi proderet [*], quotquot nosset eodem infectos errore. Interdum errores suos anathematizare & scripto edito eiurare iubebantur. Concilium *Nicænum* hanc conditionem [*f*] a *Nouatianis*; concilium *Gangrense* [*g*] ab *Eustathianis*; concilium secundum *Arelatense* [*h*] a *Nouatianis*; & concilia *Africana* [*i*] a *Donatistis* exigebant. Concilium *Laodicenum* [*k*] idem a *Nouatianis*, *Photinianis* & *Tessaradecatitis*; et concilium generale *Constantinopolitanum* [*l*] a *Macedonianis*, *Sabbatianis*, *Arianis*, *Nouatianis* & *Tessaradecatitis* requirebat. Interdum non tantum errorem condemnare & rectæ fidei doctrinæ subscribere, sed iusiurandum quoque interponere, maioris confirmationis gratia, de-

(*) Vid. Augustin. epist. LXXIII. tot.

(*f*) Concil. Nicæn. c. VIII. πρὸ πάντων δὲ τοῦτο ὁμολογῆσαι αὐτοὺς ἐγγράφως προσήκει, κ. τ. λ. *Ante omnia autem hoc in scriptis ipsos profiteri conuenit, cetera.*

(*g*) Concil. Gangrens. in procem. (tom. II. concil. p. 416.) εἰ δὲ μεταγνοῖεν, καὶ ἀναθεματίζοιεν ἕκαστον τούτων τῶν κακῶς λεχθέντων, δεκτοὺς αὐτοὺς γίνεσθαι. *Quod si per pœnitentiam condemnauerint omnia hæc, quæ male senserunt, tamquam a se non bene prolata, acceptabiles fiant.*

(*h*) Concil. Arelat. II. c. IX. Nouatianum in communionem recipi non debere, nisi susceptæ pœnitentiæ credulitate præteritum damnet errorem.

(*i*) Cod. Afric. can. LVII. ἀναθεματιζομένου τοῦ τῆς πλάνης ὀνόματος, διὰ τῆς ἐπιθέσεως τῆς χειρὸς ἀναδεχθῶσιν εἰς τὴν μίαν ἐκκλησίαν κ. τ. λ. *Anathematizato nomine erroris recipiantur per manus impositionem in vnam ecclesiam, cetera.*

(*k*) Concil. Laodic. can. VII. cit. §. VII. sub litt. (t) pag. 211.

(*l*) Concil. Constantinop. I. c. VII. ibid. sub litt. (u).

bebant. Quomodo, perhibente SOCRATE [m], *Constantinus Arium* facere adegit, tametsi ille per fraudem & simulationem illud præstitit. Hæc cautio erat, quam ecclesia adhibebat maxime in caussa apostatarum hæreticorum, vt eorum sinceritatem in reuocandis erroribus exploratam haberet ante, quam eos in communionem suam denuo reciperet, aut indulgeret illis absolutionem.

§. X.

De tempore absolutionis.

VNVM superest, sub hoc capite notandum, quod est vsitatum tempus absolutionis. Hoc videtur adfixum fuisse in ordinariæ disciplinæ cursu ad diem, quo passus, vel potius ad diem, quo proditus fuit seruator noster. Ita enim AMBROSIVS diserte ait, pœnitentiam in ecclesia relaxari, hoc est, pœnitentibus absolutionem impertiri consueuisse, die [n], quo dominus sese pro nobis tradiderit. In ecclesia *Romana* tempore *Innocentii* [o] eadem obtinebat consuetudo absoluendi pœnitentes feria quinta vltimæ ante pascha hebdomadis, nisi infirmitas aliqua intercederet & vita pœnitentium periclitaretur. Tunc enim quolibet tempore reconciliari potius poterant, si necessitas id exigeret, quam vt sine communionis beneficio decederent. Hoc ipso etiam tempore vel circa illud impera-

(m) Socrat. lib. I. c. XXXVIII. *ὁ βασιλεὺς ἀπόπειραν Ἀρείου ποιήσασθαι βουληθεὶς, ἐπὶ τὰ βασίλεια αὐτὸν μεταπέμπεται, ἠρώτα τε, εἰ τοῖς ὅροις στοιχεῖ τῆς ἐν Νικαίᾳ συνόδου· ὁ δὲ ἑτοίμως μηδὲν μελλήσας, ἐπ᾽ αὐτοῦ ὑπέγραψε τὰ περὶ τῆς πίστεως ὁρισθέντα σοφισάμενος· καὶ ὁ μὲν βασιλεὺς θαυμάσας, καὶ ὅρκον ἐπέφερεν· ὁ δὲ καὶ τοῦτο σοφιζόμενος ἐποίει. κ.τ.λ. Imperator quum Arii periculum facere vellet, eum in palatium accitum interrogauit, num decretis Nicænæ fidei consentiret? Ille nihil cunctatus, alacri animo coram imperatore subscripsit ea, quæ de fide in concilio statuta fuerant, callide ludificatus. Cumque imperator admiratione captus, iureiurando insuper eum adigeret, ille per fraudem & simulationem illud etiam præstitit.*

(n) Ambros. epist. XXXIII. ad Marcellin. sororem. Erat dies, quo dominus sese pro nobis tradidit, quo in ecclesia pœnitentialia relaxantur.

(o) Innocent. epist. I. ad Decent. c. VII. Pœnitentia, si nulla interueniat ægritudo, *quinta feria* ante pascha remittendum Romanæ ecclesiæ consuetudo demonstrat, &c.

Vid. Hieronym. epist. XXX. epitaph. Fabiolæ c. I. extremo. Quis hoc crederet --- vt errorem publice fateretur, &, tota vrbe spectante Romana, *ante diem paschæ* staret in ordine pœnitentium, cetera.

cores

tores (in imitationem fortassis huius consuetudinis ecclesiæ) ciuiles suas absolutiones siue indulgentias, vt vocabant, promulgare solebant, quibus in celebritate paschali veniam indulgebant omnibus, qui propter crimina sua carceribus detinebantur, exceptis quibusdam, qui atrociora & venia prorsus indigna scelera commiserant. Hæc consuetudo primum a *Valentiniano* inducta, & a *Theodosio* & sequentibus imperatoribus continuata est, qua de re integer titulus habetur in codice *Theodosiano* [*p*], vt aliorum scriptorum, qui de ea loquuntur, in præsenti ne faciamus mentionem. Monachi, qui pro *Eutyche* epistolam petitoriam ad concilium *Ephesinum* secundum [*q*] scripserant, ad vtramque consuetudinem sacram & ciuilem respiciunt. *Superuenit*, inquiunt, *& salutaris passionis dies & sacra nox & resurrectionis festiuitas, in qua quidem & plurimis peccatoribus a sanctis patribus nostris damnationes soluuntur, verum & ab imperatoribus criminalia reis vincula relaxantur*, cetera. Vt adeo hoc præcipuum tempus fuerit dimittendi tam ciuilium quam ecclesiasticorum criminum reos, & respectu vtrorumque dimissio (pro natura rei, vel in ciuili vel ecclesiastico sensu) dicta sit absolutio siue indulgentia.

§. XI.

Quemadmodum ecclesia quosdam pœnitentes absoluerit, siue in communionem restituerit post mortem.

CONSIDERAVIMVS hactenus modum & circumstantias absolutionis, quatenus omnium ordinum pœnitentibus, dum viuerent, data fuit. Præter hanc autem alia pœnitentes absoluendi hominesque in communionem post mortem recipi-

(*p*) Cod. Theodos. lib. IX. tit. XXXVIII. de indulgentiis criminum leg. III. IV. seqq.

(*q*) Acta synod. Ephes. in act. I. Vid. concil. Chalcedon. tom. IV. concilior. p. 277. *ἐπέστη καὶ ἡ τῆς σωτηρίου πάθους ἡμέρα, καὶ νὺξ ἱερὰ, καὶ ἡ τῆς ἀναστάσεως ἑορτὴ, καθ' ἣν λύεται μὲν τοῖς πλείστοις τῶν ἡμαρτηκότων τὰ ἀπὸ τῶν ἁγίων πατέρων ἡμῶν ἐπιτίμια, λύεται δὲ παρὰ τῶν βασιλευόντων ἐπὶ τῶν ἐγκλημάτων τὰ δεσμὰ τοῖς ὑπευθύνοις, κ.τ.λ.* Vid. aliud illiusmodi exemplum ex concilio Berytensi ibid. p. 642. *Ὁ ἀρχιεπίσκοπος διὰ τὴν ἑορτὴν ἀπέλυσεν αὐτοὺς τῆς ἀκοινωνησίας ἐπὶ τῷ ὅρῳ τούτῳ, ἐπὶ τῷ μὴ ἐξελθεῖν Ἀντιόχειαν κ.τ.λ.* *Qui archiepiscopus propter festiuitatem ab excommunicatione eos absoluit, sub ea tamen definitione, vt non excederent Antiochia, cet.*

endi ratio ſpectanda nobis eſt. Accidebat enim nonnumquam, vt vere pœnitentes & boni homines morerentur, excommunicationis vinculis nondum laxati, adeoque extra viſibilem eccleſiæ communionem conſtituti. Id quod fieri poterat duplici modo. 1.) Si pœnitentes ſubito morerentur, dum in pœnitentiæ actione naui eſſent & induſtrii; vel peregre agerent, vbi ſacerdotem, qui ſibi formalem abſolutionem impertiret, nanciſci non poterant. 2.) Si innocentes homines, a magna quadam & valida factione oppreſſi & iniuſte excommunicati, nec vmquam in externam eccleſiæ communionem, ob adfligentem eos potentiam, recepti eſſent. In vtramque partem eccleſia inuenerat remedia, vtendo quibuſdam cærimoniis admittendi eos in communionem, vel potius declarandi, eos eſſe in communione poſt mortem. Pœnitentibus, qui ſubita atque improuiſa morte abripiebantur, dum ſollicite agerent pœnitentiam, prouiſum erat, vt, non obſtante iſto caſu fortuito, tractari deberent tamquam in communione eccleſiæ defuncti, etſi formali reconciliatione orbati. Hanc in rem decretum [r] in concilio *Carthaginenſi* quarto factum legimus: *Pœnitentes, qui attente leges pœnitentiæ exſequuntur, ſi caſu in itinere vel in mari mortui fuerint, vbi eis ſubueniri non poſſit, memoria eorum & orationibus & oblationibus commendetur.* Et concilium *Vaſenſe* ſecundum [s] canonem habet eiuſdem argumenti, & ſpecialius adhuc definientem: *Horum, qui pœnitentia accepta, in bonæ vitæ curſu ſatisfactoria compunctione viuentes, ſine communione inopinato nonnumquam tranſitu in agris aut itineribus praeueniuntur, oblationem recipiendam, & eorum funera ac deinceps memoriam eccleſiaſtico adfectu proſequendam: quia nefas eſt, eorum commemorationes excludi a ſalutaribus ſacris, qui ad eadem ſacra fideli adfectu contendentes -- abſque ſacramentorum viatico intercipiuntur, quibus fortaſſe nec ſacerdos abſolutiſſimam abſolutionem denegandam putaſſet.* Eccleſiæ quidem *Romanæ* praxis alia erat tempore *Leonis* pontificis, vti e quibuſdam ipſius epiſtolis [t] apparet: At enim illi-

(r) Concil. Carthagin. IV. can. LXXIX.

(s) Concil. Vaſenſe II. can. II.

(t) Leo epiſt. XC. al. XCII. ad Ruſtic. cap. VI. (Inquiſit. VIII. apud Labb. tom. III. concil. p. 1407.) De his, qui animo iam deficientes pœnitentiam accipiunt, & ante communionem moriuntur. Reſponſio. Horum cauſſa Dei

us

us praxis fere ſingularis erat. Pleriſque enim omnes contrarium tuebantur, propendentes in humaniorem lenioremque ſententiam pro iſtis pœnitentibus, qui inopinato ſine reconciliatione decederent. Quod a patribus concilii *Toletani* vndecimi obſeruatum eſt, qui proinde hac de re decreuerunt in hunc modum [u]: *De his, qui accepta pœnitentia, antequam reconciliarentur, ab hac vita receſſerint, quamqvam diuerſitas præceptorum de hoc capitulo habeatur: illorum tamen nobis ſententia placuit, qui multiplici numero de huiuſmodi humanius decreuerunt, vt & memoria talium in eccleſia commendetur, & oblatio pro eorum delicto a presbyteris recipiatur.* Quod ad eos attinet, qui potentis alicuius factionis ope excommunicati erant, ratio reſtituendi eos externæ eccleſiæ communioni poſt mortem in eo conſiſtebat, vt nomina eorum diptychis eccleſiæ inſcriberentur, (quemadmodum THEODORETVS [w] *Atticum* in cauſſa *Chryſoſtomi* feciſſe dicit) quod ſatis erat ad reſtituendum eos poſt mortem communioni & ſocietati fidelium. Hactenus de circumſtantiis & cærimoniis in antiqua abſolutionis ratione obſeruatis.

iudicio reſeruanda eſt, in cuius manu fuit, vt talium obitus vſque ad communionis remedium differretur. Nos autem, quibus viuentibus non communicauimus, mortuis communicare non poſſumus. Epiſt. LXXIX. al. XCI. ad Theodor. Si aliquis eorum, pro quibus domino ſupplicamus, quocumque interceptus obſtaculo, a munere indulgentiæ præſentis exciderit, & priuſquam ad conſtituta remedia perueniat, temporalem vitam humana conditione finierit: quod manens in corpore non receperit, conſequi exutus carne non poterit.

(u) Concil. Toletan. XI. c. XII.

(w) Theodoret. lib. V. c. XXXIV. Τελευτήσαντος δὲ τοῦ μεγάλου διδασκάλου τῆς οἰκουμένης, οὐ πρότερον οἱ τῆς ἑσπέρας ἐπίσκοποι τῶν ἐν Αἰγύπτῳ καὶ τῇ ἑῴᾳ, καὶ τῶν ἐν τῷ βοσπόρῳ καὶ τῇ Θράκῃ τὴν κοινωνίαν ἠσπάσαντο, ἕως ἐκείνου τοῦ θεσπεσίου ἀνδρὸς τοὔνομα τοῖς τεθνεῶσιν ἐπισκόποις συνέταξαν· καὶ Ἀρσάκιον μὲν, ὃς μετ᾽ ἐκεῖνον ἐγένετο, προσρήσεως οὐκ ἠξίωσαν· Ἀττικὸν δὲ, τὸν Ἀρσακίου διάδοχον, πολλάκις μὲν πρεσβευσάμενον, πολλάκις δὲ τῆς εἰρήνης τυχεῖν ἀξιώσαντα, χρόνῳ ὕστερον ἐδέξαντο τὴν προσηγορίαν γράψαντα. *Poſt mortem magni doctoris orbis terrarum (Ioannis), occidentales epiſcopi, epiſcoporum Aegypti & Orientis, & Boſpori ac Thraciæ communionem non prius admiſerunt, quamdiuim illius viri nomen vna cum reliquis fato functis epiſcopis conſignaſſent. Et Arſacium quidem, qui poſt illum ordinatus eſt, ne ſalutare quidem dignati ſunt. Atticum vero Arſacii ſucceſſorem, qui multas ad ipſos legationes miſerat, & pacem cum ipſis habere poſtulauerat, tandem ſuſceperunt, poſtquam is nomen illius in ſacras tabulas retuliſſet.* Vid. concil. Conſtantinop. ſub Menna act. V. de Leone, Ephemio & aliis.

LIBRI DECIMI NONI
CAPVT TERTIVM
DE MINISTRO DISCIPLINAE ECCLESIASTICAE, ET SPECIATIM DE MINISTRO ABSOLVTIONIS.

§. I.
Omnis disciplinæ potestas præcipue episcopi manibus tradita.

VNVM tantum restat examinandum hac in re, quod ad disciplinæ exercitium in praxi ecclesiæ pertinet; nimirum quibus manibus administrata fuerit disciplina ecclesiastica? Quis vulgo habuerit spiritualis huius gladii potestatem? Et quis in specie minister absolutionis fuerit? Disciplinæ potestatem præcipue episcopi manibus fuisse concreditam, vti reliqua officia ecclesiæ vniuersa, res incontrouersa est & ex integra antecedente historia & enarratione praxis ecclesiæ apparet. Nam canones semper loquuntur de episcopo, ad minimum vt coniuncto cum senatu suo ecclesiastico, hoc est presbyterio, tamquam qui peccatores ab ecclesia auellat imponatque eis pœnitentiam; & deinde examinet eorum profectus, & tum vel proroget eorum pœnitentiam, vel pro sua indulgentia moderetur; & denique admittat eos ad communionem ecclesiæ per absolutionem.

§. II.
Hæc multis in casibus presbyteris per generale quoddam vel speciale mandatum commissa.

ET hæc, quatenus episcopus eam poterat administrare, ipsi soli reseruari pro ipsiusque arbitrio exerceri poterat. Quoniam autem necessitates ecclesiæ multis in casibus requirebant, vt huius negotii pars ad alios deuolueretur, nec episcopus per se ipse id totum indigentibus omnibus administrare valebat; propterea presbyteri, tamquam apti eius adiutores, in huius rei societatem adsciscebantur. Hi generale mandatum habebant magnam indulgentiam, siue absolutionem baptismi, eucharistiæ, verbi ac doctrinæ conferendi omnibus eius indigis.

Et

Et licet eorum poteſtas in publicæ diſciplinæ exercitio & in finali publicorum pœnitentium reconciliatione per manus impoſitionem & preces paullo magis circumſcripta eſſet; intermedia tamen manus impoſitio, pœnitentibus in quotidiano exercitio dari ſolita, ſæpius illis committebatur. Et concedente epiſcopo vltimam reconciliationem publicis pœnitentibus vel publice in eccleſia impertiri poterant, vel priuatim domi, ſi qua neceſſitas & imminentis mortis formido celeriorem abſolutionem exigeret. Hoc ex ipſis illis canonibus manifeſtum eſt, qui poteſtatem presbyterorum in reconciliandis publicis pœnitentibus reſtringunt, eamque ſoli epiſcopo reſeruant. Nam haſce limitationes & exceptiones admittunt. Concilium *Carthaginenſe* ſecundum duos habet canones, qui rem inter eos ita diuidunt. Vnus [*a*] ait: *Reconciliare quempiam in publica miſſa, presbytero non licere, hoc omnibus placet.* Alter autem ſtatim ſubiungit [*b*]: *Si quiſquam in periculo fuerit conſtitutus, & ſe reconciliari diuinis altaribus petierit, ſi epiſcopus abſens fuerit, debet vtique presbyter conſulere epiſcopum, & ſic periclitantem eius præcepto reconciliare.* Et concilium *Carthaginenſe* tertium [*c*], *Presbyter*, inquit, *inconſulto epiſcopo non reconciliet pœnitentem, niſi abſente epiſcopo & neceſſitate cogente.* Concilium *Arauſicanum* primum [*d*] ſimile decretum fecit de reconciliandis pœnitentibus, in hæreſi baptizatis: *Hæreticos in mortis diſcrimine poſitos, ſi catholici eſſe deſiderent, ſi deſit epiſcopus, a presbyteris cum chriſmate & benedictione conſignari placet.* Et concilium *Epaonenſe* [*e*] eiuſdem argumenti canonem habet: *Presbyter propter ſalutem animarum, quam in cunctis optamus deſperatis & in lecto decumbentibus hæreticis, ſi conuerſionem ſubitam petant, chriſmate ſubuenire permittimus. Quod etiam omnes conuerſuri, ſi ſani ſunt, ab epiſcopo nouerint expetendum.* Et hoc antiquæ eccleſiæ regulæ conforme eſſe, ex DIONYSII, antiſtitis eccleſiæ *Alexandrini*, epiſtola apud EVSEBIVM [*f*] apparet. Ibi enim ille dicit, dediſſe ſe presbyteris in mandatis,

(*a*) Concil. Carthag. II. c. III.
(*b*) Ibid. can. IV.
(*c*) Concil. Carthagin. III. c. XXXII.
(*d*) Concil. Arauſic. I. can. II.
(*e*) Concil. Epaonenſ. can. XVI.
(*f*) Apud Euſebium lib. VI. c. XLIV. ἐντολῆς δὲ ὑπ' ἐμοῦ δεδομένης, τοὺς ἀπαλ-

vt

vt morituris, si peterent, & maxime si antea postulassent, veniam indulgerent, quo bonæ spei pleni ex hac vita migrarent.

§. III.

Et diaconis quoque.

NEQVE hoc mandatum & licentia solis presbyteris, sed diaconis etiam dabatur. Nam vti veniam habebant dandi hominibus absolutionem baptismatis, si summa id exigeret necessitas; ita auctoritate quoque impertiti erant dandi pœnitentibus reconciliatoriam absolutionem, si quidem consimilis id postularet ratio. Ita enim concilium *Illiberritanum* videtur rem determinare, quando canone quodam [g] ita statuit: *Apud presbyterum, si quis graui lapsu in ruinam mortis inciderit, placuit pœnitentiam agere non debere, sed potius apud episcopum: cogente tamen infirmitate, necesse est presbyterum communionem præstare debere, & diaconum, si ei iusserit sacerdos.* Planius hoc a CYPRIANO [h] traditur, qui ait: *Si incommodo aliquo & infirmitatis periculo occupati fuerint* (pœnitentes); *non exspectata præsentia nostra, apud presbyterum quemcumque præsentem, vel si presbyter repertus non fuerit, & vrgere exitus cœperit, apud diaconum quoque exomologesin facere delicti sui possint; vt manu eis in pœnitentia imposita, veniant ad dominum cum pace.* Manifestum quoque est, clerum partem aliquam cum episcopo habuisse in solemnioribus absolutionibus: quia CYPRIANVS [i] sæpe de quibusdam temerariis & incautis hominibus queritur, qui eucharistiam sibi dari cupe-

λαπτομένες τȣ̃ βίȣ, εἰ δέοιντο, καὶ μάλιστα εἰ καὶ πρότερον ἱκετεύσαντες τύχοιεν, ἀφίεσθαι, ἵν' εὐέλπιδες ἀπαλλάττωνται.

(g) Concil. Illiberritan. can. XXXII.

(h) Cyprian. epist. XIII. al. XVIII. p. 40. (p. 197. edit. Amstelod. MDCC.) Vid. epist XIV. al. XIX. ad cler. p. 41. (p. 198.) Quoniam significastis quosdam immoderatos esse, & communicationem accipiendam festinanter vrgere; & desiderastis in hac re formam a me vobis dari: satis plene scripsisse me ad hanc rem proximis litteris ad vos factis credo, vt --- si premi infirmitate aliqua & periculo cœperint, exomologesi facta, & manu eis a vobis in pœnitentia imposita cum pace a martyribus sibi promissa ad dominum remittantur.

(i) Cyprian. epist. X. al. XVI. p. 37. (p. 195.) Nondum manu eis ab episcopo pio imposita, eucharistia illis datur &c. Epist. XI. al. XV. p. 34. (p. 193.) Ante manum ab episcopo & clero in pœnitentiam impositam &c. Epist.

rent

rent, antequam ſolemnem manus impoſitionem ab epiſcopo & clero in reconciliatoria abſolutione accepiſſent.

§. IV.

Quatenus & quo ſenſu abſolutio dici poſſit a laicis danda.

QVEMADMODVM autem presbyteri & diaconi nihil faciebant ſeorſim hac in re ſine epiſcopo, ſed vel coniunctim cum eo, vel ex eius auctoritate & permiſſu: ita multo minus hæc poteſtas laicis committebatur. Tantum, vrgente extrema aliqua neceſſitate, nonnulli canones permittunt catechumeno baptiſmum (qui genus quoddam abſolutionis, vti audiuimus antea, eſſe credebatur) ab homine laico potius dari, quam vt ille ſine baptiſmo decederet. Hoc ex decreto, in concilio *Illiberritano* facto, manifeſtum eſt, quod habet [*k*]: *Placuit peregre nauigantes, aut ſi eccleſia in proximo non fuerit, poſſe fidelem, qui lavacrum ſuum integrum habet, nec ſit bigamus, baptizare in neceſſitate infirmitatis poſitum catechumenum* &c. Et dicta TERTVLLIANI, HIERONYMI, AVGVSTINI pluriumque aliorum, quæ in alio libro congeſſimus [*l*], non fuiſſe hoc ſingularem iſtius concilii opinionem, demonſtrant. Quod ad alterum attinet ſacramentum, non legimus, ſiue diaconum ſiue laicum conſecrandi illud habuiſſe veniam; vtpote quod presbyterorum tantum erat officium. Neque laicis licebat vel panem vel calicem iam conſecratum publice exhibere populo: diaconorum enim hoc erat. Attamen, exigente ſumma neceſſitate, laicus portare poterat & priuatim diſtribuere conſecratum panem & vinum morientibus, & eatenus partem habere in eius abſolutione. Quemadmodum videre eſt ex celebri illa hiſtoria, quam ex DIONYSIO ALEXANDRINO refert EVSEBIVS [*m*] de quodam *Serapione*, qui euchariſtiam tranſmiſſam ſibi a ſacerdote datamque per manus ſerui eius acceperit. Sed iuſta eſt animaduerſio, quam hanc in rem habet IOANNES FELLIVS [*n*], epiſco-

XII. al. XVII. p. 39. (p. 197.) Nec ad communicationem venire quis poſſit, niſi prius illi ab epiſcopo & clero manus fuerit impoſita &c.

(*k*) Concil. Illiberrit. can. XXXVIII.

(*l*) Scholaſt. Hiſt. of Lay-Baptiſm, par. I. chap. I. n. 8. &c.

(*m*) Euſeb. lib. VI. c. XLIV. Vid. cap. I. §. III. ſub litt. (d) pag. 195. vbi tota hiſtoria plenius recitatur.

(*n*) Fell. not. in Cyprian. epiſt. XVIII. p. 40. (p. 197. edit. Amſtelod. MDCC.)

 pus

pus nostras, *Quaecumque necessitas*, inquiens, *cogit, etiam illa defendit. Nota est historia apud* EVSEBIVM *eucharistiae per puerum Serapioni transmissae: nemo tamen dixerit, fas esse pueris sacra illa mysteria distribuere.* Eamdem rationem valere putat pro reconciliatione pœnitentium per diaconos in extrema infirmitatis necessitate facta, quod extra ordinem id fuerit; neque consequentia ex necessitate & casibus extraordinariis formanda sit in fraudem statarum regularum & consuetudinum ecclesiae. Si qui accepti mandati limites migrarent, & vel excommunicarent vel absoluerent sine potestate, ipsi censurae ecclesiasticae ob istam vsurpationem obnoxii erant, & ecclesia omnes istiusmodi illegitimos actus auctoritate sua & arbitratu rescindere poterat. Hinc quum concilium *Ephesinum Nestorium* & *Celestium*, ob haeresin suam officio pulsos, ad statum laicorum reduxisset, declarabat, omnem sacerdotis functionem se illis adimere, per quam aliquibus vel nocere vel prodesse [o], hoc est, eos excommunicare vel absoluere, possent. Et quum *Nestorius* postea nonnullos clericos, quod recte sentirent, sacerdotio prohibere ausus esset, synodus istum eius actum nullum & irritum pronuntiabat, sacerdotesque ita depositos [p] in stationem pristinam restitui iubebat. Et ab altera parte, quum *Nestorius* & qui cum eo conspirabant, in communionem & gradum eos restituere conati essent, quos synodus condemnarat, declarabat synodus [q], nihil eos profecisse, sed manere & esse nihilo

(o) Concil. Ephesin. in epist. encyclica. concil. tom. III. p. 604. ὃς τινας δόγματι κοινῷ ἡ ἁγία σύνοδος πάσης μὲν ἐκκλησιαστικῆς κοινωνίας ἀλλοτρίους ἐποίησε, πᾶσαν δὲ αὐτῶν ἐνέργειαν ἱερατικὴν περιεῖλε, δι' ἧς ἠδύναντο βλάπτειν ἢ ὠφελεῖν τινάς. *Quos sancta synodus communi decreto ab omni ecclesiastica communione alienos esse statuit, & omnem sacerdotii functionem illis ademit, per quam aliquibus vel nocere vel prodesse poterant.*

(p) Concil. Ephesin. can. III. Εἰ δέ τινες καὶ τῶν ἐν ἑκάστῃ πόλει ἢ χώρᾳ κληρικῶν ὑπὸ Νεστορίου καὶ τῶν σὺν αὐτῷ ὄντων τῆς ἱερωσύνης ἐκωλύθησαν διὰ τὸ ὀρθῶς φρονεῖν, ἐδικαιώσαμεν καὶ τούτους τὸν ἴδιον ἀπολαβεῖν βαθμόν. *Si qui clerici in singulis vrbibus aut regionibus a Nestorio & cum eo conspirantibus, sacerdotio prohibiti sunt, quod recte sentirent, iustum putauimus, hos quoque proprium gradum recipere.*

(q) Ibid. can. V. ὅσοι δὲ ἐπὶ ἀτόποις πράξεσι κατεκρίθησαν ὑπὸ τῆς ἁγίας συνόδου, ἢ ὑπὸ τῶν οἰκείων ἐπισκόπων, καὶ τούτους ἀκανονίστως κατὰ τὴν ἐν ἅπασιν ἀδιαφορίαν αὐτοῦ ὁ Νεστόριος, καὶ οἱ τὰ αὐτοῦ φρονοῦντες ἀποδοῦναι ἐπειράθησαν ἢ πειραθῶσι κοινωνίαν, ἢ βαθμόν, ἀνωφελήτους εἶναι, καὶ μένειν καὶ τούτους, καὶ εἶναι οὐ-

minus

minus depoſitos. Quod ipſum oſtendit, nec laicos nec clericos, ad ſtatum reductos laicorum, per ſtatas diſciplinæ regulas in eccleſia vllam ſoluendi vel ligandi habuiſſe poteſtatem. Atque hoc certus epiſcopus *Theodoſio* iuniori, quum a quodam monacho excommunicatus eſſet, declarauit, vti auctor eſt THEODORETVS [*r*]. Bonus imperator magna ſollicitudine adficiebatur ex eo, quod iniuſtæ licet excommunicationi ſubeſſet, vtpote per illegitimam auctoritatem contra ſe pronuntiatæ, negabatque ſe prius cibum ſumturum, quam vinculis ſolutus eſſet. Idcirco vnum e familiaribus ad epiſcopum mittebat, rogans, vt mandaret ei, qui ligauerat, vt vinculum demeret. Quumque epiſcopus reſpondiſſet, non a quouis vinculum accipi oportere, ſolutumque eum eſſe renuntiaſſet, ſolutionem non admittebat, donec is, qui ligauerat, non ſine multo labore quæſitus, communionem reſtituiſſet. Reſponſum epiſcopi hoc in caſu omnino recte ſe habebat; imperator autem vtpote vir religioſus in eo acquieſcere non poterat. Agnoſcebat fortaſſis, ſe monacho iniuriam aliquam intuliſſe, adeoque ei eſſe ſatisfaciendum priuatamque veniam rogandam, ſecundum regulam a ſeruatore noſtro præſcriptam: *Si*

δὲν ἧττον καθῃρημένους ἐδικαιώσαμεν. *Quicumque autem ob turpia geſta ſunt a ſynodo condemnati, vel a propriis eorum epiſcopis, quibus præter canones Neſtorius, qui nullum rerum diſcrimen habebat, & qui cum illo eadem ſentiunt, reſtituere conati ſunt gradum vel communionem, aut conabuntur; iſtos cenſuimus nihil profeciſſe, & manere & eſſe nihilominus depoſitos.*

(*r*) Theodoret. lib. V. c. XXXXII. Ἀνήρ τις ἀσκητικὸν μὲν ἀσπαζόμενος βίον, βραδυτέρᾳ δὲ χρώμενος γνώμῃ, προσεληλύθει τῷ βασιλεῖ περί τινος δεόμενος· ἐπειδὴ δὲ τοῦτο δράσας πολλάκις οὐκ ἔτυχε, τῆς ἐκκλησιαστικῆς αὐτὸν κοινωνίας ἐκώλυσε, καὶ τὸν δεσμὸν ἐπιθεὶς, ὑπεχώρησεν· ὁ δὲ πιστότατος βασιλεὺς, παραγενόμενος εἰς τὰ βασίλεια, καὶ τοῦ καιροῦ καλοῦντος εἰς εὐωχίαν, καὶ τῶν συσσίτων παρόντων, οὐκ ἔφη πρὶν λυθῆναι τὸν δεσμὸν, μετασχεῖν τροφῆς· καὶ τούτου δὴ ἕνεκα πρὸς τὸν ἀρχιερέα τὸν οἰκειότατον ἔπεμψε, παρακαλῶν ἐπιτρέψαι τῷ δεδωκότι τὸν δεσμὸν διαλῦσαι· τοῦ δὲ ἐπισκόπου φήσαντος μὴ χρῆναι παρὰ παντὸς ὁτιοῦν δέχεσθαι τὸν δεσμὸν, καὶ δεδηλωκότος ὡς λέλυται, οὐκ ἐδέξατο τὴν λύσιν, ἕως ὁ δήσας σὺν πολλῷ τῷ πόνῳ ζητηθεὶς, τὴν κοινωνίαν ἀπέδωκεν. *Vir quidam profeſſione monachus, ſed animo audacior, ad imperatorem acceſſit, vt aliquid ab eo poſtularet. Quod quum ſæpius fruſtra feciſſet, tandem imperatori eccleſiaſtica communione interdixit, iniectoque vinculo diſceſſit. Verum fideliſſimus imperator ad palatium reuerſus, quum iam tempus inſtaret conuiuii, & adeſſent conuiuæ, negauit ſe prius cibum ſumturum, quam vinculis ſolutus eſſet. Atque idcirco &c.*

 minus

munus tuum attuleris ad altare, & illic memineris, fratrem tuum habere aliquid contra te; omitte illic munus tuum coram altari & abi: primum reconciliator fratri tuo, & tunc, vbi veneris, offer munus tuum. In hoc casu quilibet potestatem habet remittendi peccata fratri suo, iuxta ac admonendi & instituendi eum & orandi pro eo, quæ sunt priuatæ & remotæ reconciliandi eum altari viæ. De hisce AVGVSTINVS [s] loquitur, conuenienter illi præcepto apostoli *Col.* III, 13. *Condonantes vobis mutuo, si quis aduersus aliquem habuerit querelam. Sicut & Christus condonauit vobis, ita & vos.* „Inuicem nobis, inquit, delicta donemus, & pro nostris „delictis inuicem oremus, atque ita quodammodo pedes no„stros lauemus. Nostrum est, donante ipso ministerium cari„tatis & humilitatis adhibere: illius est exaudire, ac nos ab „omni peccatorum contaminatione mundare per Christum, „& in Christo, vt quod aliis etiam dimittimus, hoc est in ter„ra soluimus, soluatur & in cælo„. Hæc tam necessaria christiani officii pars est, vt nemo hanc rationem soluendi fratrem suum prætermittere possit, nisi peccata sua a Deo retineri velit. *Nam si remiserimus hominibus suos lapsus, remittet etiam nobis pater ille noster cælestis. Sin autem non remiserimus hominibus ipsorum lapsus: nec pater noster remittet nobis offensas nostras.* Quæ in verba quidam ex veteribus [t] obseruat, quod tanto grauius ipsi nectamur in peccatis nostris, si alterius vincula soluere recusemus. Neque quidquam inter patres vsitatius est, quam vt dicant, quod homines sese ipsi ligent, vel ligentur ab aliis, si illos offendant, nec vnquam petant veniam: Et quod semetipsos vel alios soluant peccatis vel dando eleemosynam, vel conuertendo peccatores, vel orando pro illis, vel condonan-

(s) Augustin. tract. LVIII. in Ioan. tom. IX. pag. 164. (pag. 401. edit. Basil. MDLXX.)

(t) Sedulius carm. paschal. lib. II. biblioth. patr. tom. VIII. p. 665.

Debita laxari qui nobis cuncta rogamus,
Nos quoque laxemus, proprii nam cautio verbi
Spondentes manifesta tenet, grauiusque soluti
Nectimur, alterius si soluere vincla negemus.
Incipietque pius decies millena talenta
Dimittens dominus, si nos adfligere propter
Denarios centum conseruum senserit vllum,
Tradere confestim tortoribus: cetera.

do

do eorum aduersus se peccata. Cum respectu ad rationem ligandi alterum [u] AVGVSTINVS ait: *Cœpisti habere fratrem tuum* (in te peccantem) *tamquam publicanum, ligas illum in terra, sed vt iuste alliges, vide. Nam iniusta vincula diminuit iustitia.* Quod ad rationem soluendi attinet, ORIGENES septem modos recenset, quibus christianus remissionem peccatorum obtinere possit, quorum quinque manifesto priuatæ priuati hominis actiones sunt. „Audisti, inquit [x], quanta sint in lege sacrifi„cia pro peccatis, audi, nunc quantæ sint remissiones pecca„torum in euangeliis. Est ista prima, qua baptizamur in re„missionem peccatorum. Secunda remissio est in passione „martyrii. Tertia est, quæ pro eleemosyna datur. Dicit e„nim saluator: *Verumtamen date eleemosynam, & ecce omnia mun„da sunt vobis.* Quarta nobis fit remissio peccatorum per hoc, „quod & nos remittimus peccata fratribus nostris. Sic enim „dicit ipse dominus & saluator noster, *quia si dimiseritis fratri„bus vestris ex corde peccata ipsorum, & vobis remittet pater vester:* et „sicut in oratione nos dicere docuit, *Remitte nobis debita nostra, „sicut & nos remittimus debitoribus nostris.* Quinta remissio pecca„torum est, quum conuerterit quis peccatorem ab errore viæ „suæ, saluat animam eius a morte, & cooperit multitudinem „peccatorum. Sexta quoque fit remissio per abundantiam ca„ritatis, sicut & ipse dominus dicit: *Amen dico, remittuntur ei „peccata multa, quoniam dilexit multum.* Et apostolus dicit: *Caritas „cooperit multitudinem peccatorum.* Est adhuc & septima, licet du„ra & laboriosa, per pœnitentiam remissio peccatorum, quum „lauat peccator in lacrimis stratum suum, & fiunt ei lacrimæ „suæ panes die & nocte, & quum non erubescit sacerdoti do„mini indicare peccatum suum & quærere medicinam„. Prima & vltima remissio, baptismus videlicet & pœnitentia, sunt publici actus, in quibus sacerdotis ministerium intercedit: Reliquæ autem omnes, martyrium, eleemosynæ, condonatio iniuriarum, conuersio peccatorum, & abundantia amoris in

(u) Augustin. de verbis domin. serm. XVI. c. IV. (tom. X. pag. 70. edit. Basil. MDLXIX.)

(x) Origen. homil. II. in Leuitic. tom. I. pag. 111. (pag. 67. fin. p. 68. edit. Paris. MDCIIII.)

Deum, priuatæ priuatorum hominum actiones ſunt, & a quibuslibet bonis chriſtianis peragi poſſunt. Et idcirco remiſſio peccatorum, quæ eis adſcribitur, non eſt peculiaris actus miniſterii, ſed actus eſſe poteſt cuiusuis chriſtiani priuati. Conſequenter eatenus laicus in remiſſione peccatorum partem habere poteſt, ſine inuaſione iuris miniſterii. Quæ vero res quum ſint priuati tantum actus, non ſunt vberioris conſiderationis in hac diſſertatione, quæ tantum ad abſolutionem miniſterialem & publicam eccleſiæ diſciplinam attinet.

Iam breuiter omnia a nobis percurſa ſunt, quæ ad pœnitentialis diſciplinæ exercitium, quod ad praxin antiquæ eccleſiæ, reſpiciunt. Quod ad capita doctrinalia attinet, cuiusmodi eſt quæſtio illa, Num pœnitentia ſit proprie ſacramentum? Et, Num abſolutio ſacerdotalis ad ſalutem neceſſaria ſit? Ad præſentem diſquiſitionem directe non pertinent, quæ tantum praxin eccleſiæ conſiderat. Quoniam vero occaſionem habui, parua quædam ſcripta componendi in quæſtionem vltimam, nec ingratum nonnullis lectoribus futurum credo, ſi ea in lucem emiſero, huic diſſertationi appendicis loco ea ſubiungere viſum eſt.



AP-

APPENDIX
CONTINENS
DVOS SERMONES,
ET
EPISTOLAS DVAS
AD
SVMME REVERENDVM EPISCOPVM
VINTONIENSEM,
DE
NATVRA ET NECESSITATE
ABSOLVTIONIS;
OSTENDENS,
QVOVSQVE ILLA NECESSITAS EXTENDATVR,
ET VBI CESSET.

EX LINGVA ANGLICANA IN LATINAM VERTIT
IO. HENRICVS GRISCHOVIVS.

HALAE, MDCCXXIX.

Notandum, duos sequentes sermones primum in ecclesia cathedrali Vintoniæ *habitos, & deinde aliquam eorum partem* Walthami *in visitatione ecclesiastica ad d. 24. Sept. MDCCXVI recitatam esse. Hæc ipsa pars tali charactere* [„] *signata heic exhibetur, curiositati eorum gratificandi caussa, qui eam solam partem publice audiuerunt, quæ initium prioris & clausula posterioris sermonis fuit.*



APPENDIX.

SERMO PRIOR.

Ioan. XX, 23.

Si quorum remiſeritis peccata, remittuntur eis; ſi quorum retinueritis, retenta ſunt.

QVAMQVAM doctrina de miniſteriali ab-„ſolutione, ſeu remiſſione peccatorum, perquam „vtilis doctrina eſt in eccleſia chriſtiana, vtpote „materia, quæ praxis noſtræ multum intereſt; ne-„ſcio tamen, quo duro fato acciderit, vt paucæ „doctrinæ ſint, quæ in maiorem abuſum abreptæ vel minus „intellectæ fuerint. Ab vna parte inſulſitas nonnullorum, „qui eam tantum non omne punctum in orbe chriſtiano fer-„re voluerunt, fecit, vt ab altera parte quidam eam nihil va-„lere exiſtimarent: Vt ſolent violentæ diſputationes habere „magnas oppoſitiones, & magnæ oppoſitiones deſinere in con-„trariis extremis. Non igitur præter rem me facturum exiſti-„mo, ſi hanc vtilem & neceſſariam doctrinam luci ſuæ expo-„ſuero, diſputando de ea modo quodam practico ſine vlla li-„tigandi libidine, initio facto ab origine illius, ſiue prima in-„ſtitutione.

„QVVM ſeruator noſter in eo eſſet, vt mundum linque-„ret, diſcipulis ſuis præcipiebat, vt nomine ſuo agerent, tam-„quam miniſtri ſui & vicarii, in omnibus rebus, ad regnum „Dei pertinentibus. Hoc regnum præcipue fundabatur pro-„miſſione veniæ ſiue remiſſionis peccatorum: Et hæc venia tri-

„buenda & confirmanda erat hominibus, interuentu eorum, „quos ille hanc in rem conſtituerat. Hoc enim pars dati illis „negotii erat, vt remitterent peccata, prout expedire ipſi iu„dicarent, agentes ſecundum regulas, quas eis dabat; cum „promiſſo, fore, vt, quod ex præſcripto in eccleſia ipſius in „terra facerent, ratum haberetur & confirmaretur ab ipſo in „cælo.

„Generatim itaque ſine vlla controuerſia manifeſtum „eſt, *CHRISTVM* poteſtatem miniſtris ſuis reliquiſſe retinendi „vel dimittendi hominum peccata. Vt autem magis diſtin„ctam & veram huius rei habeamus cognitionem, triplicem „adhuc diſquiſitionem fieri neceſſe eſt.

I. „Examinanda eſt natura huius poteſtatis, quatenus „ad hominem ſpectat. Non obſtante enim, quod homini da„tum eſt, mandato & auctoritate, ingens adhuc diſcrimen ſta„tuendum eſt inter poteſtatem dimittendi peccata, quæ a Deo „exercetur, & quæ exercetur ab homine.

II. „Inqvirendvm eſt in diuerſos actus & modos, in „quibus *CHRISTVS* miniſtris ſuis mandatum & auctoritatem de„dit hanc poteſtatem ſuam per exempla demonſtrandi.

III. „Dispiciendvm eſt, quatenus omnes homines legi„timo eius exercitio ſeſe ſubmittere debeant.

„Qvae tria ſi iuſte diſceptauerimus, futurum eſt, vt hanc „conſiderationem ad praxin deducere valeamus & facile diſ„cernere, quemadmodum hac doctrina de abſolutione, qua„tenus ad miniſtros *CHRISTI* eiuſque populum ſpectat, recte „vtendum ſit.

I. „Initivm facimus inquirendo in naturam huius po„teſtatis, quatenus ſpectat ad hominem. Vbi obſeruamus, „quod, non obſtante quæ homini commiſſa eſt auctoritate, „ingens diſcrimen faciendum ſit inter poteſtatem remittendi „peccata, quæ a Deo exercetur, & quæ exercetur ab homine. „Nam poteſtas Dei omni parte abſolutiſſima eſt & liberrima „in dimittendis peccatis; iudicium eius erroris expers & falli „neſcium circa eos, qui veniæ capaces ſunt: Et conſequenter „ſententia eius ſemper iuſta eſt, nec ab vlla alia poteſtate pot„eſt reuocari. Contra poteſtas dimittendi peccata, quæ ab homi-

„homine exercetur, non abſoluta eſt ſed tantum miniſterialis. „Auctoritas eius non tantum aliunde deſcendit, ſed certis quo„que adſtricta eſt regulis, ſecundum quas in hoc grandi nego„tio cum aliis mortalibus agere eum oportet. Vnde conſequitur, „vt iudicium eius nec falli neſcium nec ſententia eius irreuo„cabilis ſit, ſed tantum quatenus regulas obſeruat, a ſummo „domino & magiſtro præſcriptas, qui ipſe ſibi reſeruauit pri„vilegium ſententias vicariorum ſuorum iudicum in terra re„cognoſcendi, de illiſque in extremo ſuo & rectiſſimo iudi„cio decernendi. Equidem ſi miniſtri *CHRISTI* regulas, quas ille „præſcripſit, in iudicandis peccatoribus, & dimittendis peccatis „accurate obſeruant; ſi neque ex præcipitantia, neque partium „ſtudio, neque ignorantia & errore inſontem condemnant, „vel ſontem abſoluunt; tum eorum ſententia, ſiue de remit„tendis ſiue de retinendis peccatis feratur, confirmabitur ra„taque habebitur in cælo: quia agunt ſecundum tenorem „accepti mandati, & tantum vt fidi œconomi ad normam re„gularum, quas ſummus eorum dominus eis dedit. Si vero „ab his regulis vel per ignorantiam veri hominum ſtatus, vel „per ſimulationem [*a*] peccatorum, vel per aliquem negle„ctum, vel animi abiectionem, vel aſſumtam tyrannidem, vel „nimiam indulgentiam, vel alium quemcumque adfectum, quo „humana natura ducitur, deflectunt; in omnibus iſtiuſmodi „caſibus *CHRISTVS* ſupremus dominus de actis denuo cogno„ſcet, ſtatuet, iudicabit, eorumque reſcindet ſententiam, ſiue „ea iuſto ſeuerior fuerit, ſiue mitior: quia modum concreditæ

(*a*) Cyprianus epiſt. LII. al. LV. ad Antonian. p. 108. (p. 246. edit. Fell. Amſtelod.) hanc in rem ait: Neque enim præiudicamus domino iudicaturo, quo minus, ſi pœnitentiam plenam & iuſtam peccatoris inuenerit, tunc ratum faciat, quod a nobis fuerit heic ſtatutum. Si vero nos aliqui pœnitentiæ ſimulatione deluſerint; Deus, qui non deridetur, & qui cor hominis intuetur, de his, quæ nos minus perſpeximus, iudicet, & ſeruorum ſententiam emendet.

Similem in modum Pacianus epiſt. I. ad Semproniam. biblioth. patr. tom. III. p. 53. (tom. IV. p. 307. b. edit. Lugdun. MDCLXXVII.) Reddet quidem ille (epiſcopus) rationem, ſi quid perperam fecerit, vel ſi corrupte & impie iudicarit. Nec præiudicatur Deo, quo minus mali ædificatoris opera reſcindat; interea ſi pia illa adminiſtratio eſt, adiutor Dei operum perſeuerat.

„sibi auctoritatis excedunt & ad alias regulas, quam quas eis „præscripsit, iudicant. Hæc nota illa differentia est inter potestatem Dei & hominis in dimittendis peccatis; ille dimittit „ex absoluta nec aliunde pendente; hic ex subordinata certisque limitibus circumscripta auctoritate, quæ potius declaratio est voluntatis Dei, quam libera aliqua potestas ei tradita. Nemo enim mortalium cum eadem auctoritate & firma „adseueratione dicere alteri potest, quemadmodum *CHRISTVS* „pendenti in cruce latroni, *Hodie mecum eris in paradiso.* Hæc „solius Dei prærogatiua est remittere peccata cum absoluta „quadam & incontrouersa potestate. Et hoc sensu proprie „dicitur in scriptura, *quod nemo possit remittere peccata præter Deum.* „Et hinc est, quod ATHANASIVS & vniuersi vetusti scriptores [b] pro domini nostri *IESV CHRISTI* diuinitate contra *Arium* semper argumententur ex hoc loco communi, quod „ipse sibi adsumserit potestatem remittendi peccata cum absoluta quadam auctoritate, quod peculiare & proprium solius „Dei priuilegium sit.

„VERVMTAMEN hoc non impedit, quo minus homo ministerialem partem in remissione peccatorum habere possit, in „talibus actibus, qui ei per mandatum committantur. Quinam autem hi actus ministerii eius sint, proximo iam loco „considerabimus, progredientes ad disquisitionem secundam, „quæ erat:

II. „QVINAM sint speciales isti actus & modi, in quibus „*CHRISTVS* ministris suis mandatum & auctoritatem dedit „hanc suam peccata remittendi vel retinendi potestatem per „exempla demonstrandi.

„IAM vero hi, post diligenter factam disquisitionem, intelliguntur esse quatuor isti ministerii actus, per quos beneficium absolutionis mortalibus plerumque tribuitur.

1. „POTESTAS duo sacramenta, baptismum videlicet & „cœnam dominicam, omnibus illis administrandi, qui ad ea „recipienda idonei sunt. Quæ propterea vocatur sacramentalis absolutio.

2. „POTESTAS declarandi siue publicandi conditiones,

(b) Vide hoc plenius probatum *Orig. eccles.* libr. XIX. cap. I. §. I. pag. 187. seqq.

sub

„ſub quibus euangelium veniam ac peccatorum remiſſionem „promittit, quæ vocatur declaratiua abſolutio verbi ac do„ctrinæ.

3. „POTESTAS deprecandi Deum, veniamque peccato„rum ab eo petendi per merita *CHRISTI*; quæ eſt abſolutio pre„cum.

4. „POTESTAS exſequendi diſciplinam eccleſiaſticam „contra ſontes; quæ conſiſtit in excluſione flagitioſorum & „publicorum peccatorum a communione eccleſiæ, & reſtitu„tione pœnitentium in eius communionem, ſi vera reſipiſcen„tiæ ſigna ediderunt. In his quatuor actibus, legitime qui„dem exercitis, conſiſtit miniſterialis poteſtas retinendi vel di„mittendi peccata, quatenus delegata auctoritas hominum hac „in re aliquid habere negotii poteſt.

1. „IN poteſtate adminiſtrandi duo ſacramenta, baptiſ„mum & cœnam dominicam, omnibus illis, qui ad ea recipi„enda idonei ſunt. Baptiſmus eſt magna abſolutio [*] eccle„ſiæ chriſtianæ. Per hunc enim omnes homines, qui tam„quam viua membra myſtici corporis *CHRISTI*, id eſt eccle„ſiæ, admittuntur, certam & vniuerſalem recipiunt peccato„rum remiſſionem. Vnde ille antiquis temporibus vocatus „fuit indulgentia, ſalus & remiſſio peccatorum, quod hi indu„bitati effectus ſunt omnibus digne eum recipientibus. Vn„de quatenus miniſtri *CHRISTI* auctoritate pollent proſelytos „& conuerſos per ſacramentum baptiſmatis admittendi in ec„cleſiam, eatenus poteſtatem quoque habent impertiendi re„miſſionem peccatorum; quia illud adminiſtrant, cuius effe„ctus proprius eſt peccatorum remiſſio, ſicut eſt ſigillum fœ„deris Dei, & medium conferendi cunctos ſpirituales fructus „mortis & paſſionis *CHRISTI* omnibus, qui cum ſinceritate a„nimi, & præuia digna ſui præparatione, ad recipiendum illud „accedunt.

„IAM certum eſt, miniſtros *CHRISTI* poteſtate præditos „eſſe non tantum adminiſtrandi hoc ſacramentum homini„bus, ſed etiam per certas regulas probationis diiudicandi, qui„nam ad recipiendum illud idonei ſint; & prout eos ad has

(*) Vide ſententiam veterum hac de re *Origin. eccleſ.* lib. XIX. cap. I. §. II. p. 190.

„regulas tamquam obrusam experiundo idoneos vel minus
„idoneos inuenerint, vel admittendi vel reiiciendi a baptismi
„priuilegio. Quod re ipsa nihil aliud est, quam tribuere eis
„vel non tribuere remissionem peccatorum: quia illis tribui-
„tur vel non tribuitur ordinarium illud medium, quod *CHRI-*
„*STVS* sigillum remissionis peccatorum esse iussit. Veteres
„hanc potestatem dimittendi vel retinendi peccata in baptismo
„ex his ipsis verbis textus nostri vrgent, nec non ex aliis verbis
„seruatoris nostri ad *Petrum*: *Quicquid ligaueris in terra, erit li-*
„*gatum in cælis, & quicquid solueris in terra, erit solutum in cælis.*
„CYRILLVS, episcopus *Alexandrinus*, explicans verba apud *Io-*
„*annem* euangelistam ait [c]: *Remittunt peccata vel retinent spiritu*
„*afflati homines duobus, vt arbitror, modis: vel enim dignos ad bapti-*
„*smum vocant, vitæ nimirum grauitate & constantia fidei iam probatos*
„*homines, vel prohibent, & a gratia diuina arcent eos, qui nondum di-*
„*gni sunt. Vel alio quodam modo peccata remittunt & retinent, nempe*
„*quum filios ecclesiæ peccantes corrigunt, vel pœnitentibus ignoscunt.*
„CYPRIANVS et AMBROSIVS disputantes aduersus *Nouatianos*,
„qui ecclesiæ omnem peccata dimittendi potestatem post ba-
„ptismum negabant, ex hoc communi principio, ab vtraque
„parte agnito, argumentantur, quod *CHRISTVS* ministris suis
„potestatem dederit dimittendi peccata per baptismum. Nam
„*Nouatiani* hoc non negabant; vnde AMBROSIVS [d] cum ma-
„gno ingenii acumine ad absurdum eos reducit, hanc eis pro-
„ponens quæstionem: *Cur baptizatis, si per hominem peccata dimit-*
„*ti non licet? In baptismo vtique remissio peccatorum omnium est. Quid*
„*interest, vtrum per pœnitentiam, an per lauacrum hoc ius sibi datum sa-*
„*cerdotes vendicent?* Quibus verbis perspicue indicat, administratio-
„nem baptismi esse vnum quemdam modum remittendi peccata.
„Et vere quidem dici potest, veteres generatim in hac esse sen-

(c) Cyrill. lib. XII. in Ioan. XX, 23. p. [illegible]. *ἀφιᾶσι ἁμαρτίας, ἤτοι κατέχουσιν οἱ πνευματοφόροι κατὰ δύο τρόπους, κατά γε δόκησιν ἐμήν· ἢ γὰρ καλοῦσιν ἐπὶ τὸ βάπτισμα τοὺς, οἷς ἂν ἤδη καὶ τοῦτο τυχεῖν ὀφείλοιτο διὰ τὴν τοῦ βίου σεμνότητα, καὶ τὸ δεδοκιμασμένον εἰς πίστιν, ἢ διακωλύουσί τινας, καὶ τῆς θείας χάριτος ἐξείργουσι ἔτι οὔπω τέως γεγονότας ἀξίους· ἢ καὶ καθ' ἕτερον τρόπον ἀφιᾶσί τε καὶ κρατοῦσιν ἁμαρτίας, ἐπιτιμῶντες μὲν ἁμαρτάνουσι τοῖς τῆς ἐκκλησίας τέκνοις, μετανοοῦσι δὲ συγγινώσκοντες.*

(d) Ambros. de pœnit. lib. I. c. VII.

ten-

„tentia [*e*], & forte ad vnum omnes in hoc conſpirare, quod „miniſtri *CHRISTI* ii ſint, per quos in adminiſtratione baptiſmi „peccata dimittantur.

„EQVIDEM hæc poteſtas dandi vel negandi hominibus „baptiſmum non mere arbitraria & abſoluta eſt poteſtas, quæ „miniſtris *CHRISTI* auctoritatem impertiat dandi vel negandi „eum ſuo ipſorum arbitratu; ſed, vt dictum eſt, miniſterialis „eſt poteſtas, quæ certis regulis eos adſtringit, ad quas iudi- „care debent, vtrum homines ad baptiſmum recipiendum „idonei ſint, an non, & quæ conſequenter ipſos impellit, vt „eos vel admittant vel reiiciant. Examinare eos oportet, „num homines conditiones, a venientibus ad ſanctum *CHRI-* „*STI* baptiſmum requiri ſolitas, ſincere impleant, hoc eſt, num „profiteantur, fidem ſe habere neceſſariis doctrinæ chriſtianæ „capitibus, quæ eccleſia in ſymbolo ſuo plerumque ſummatim „comprehendit; et num promittant, ſe renuntiare diabolo & „omnibus eius operibus; et num re ipſa ſeruitium eius per ma- „nifeſtam planamque conuerſionem ad Deum deſerant, fœde- „re ſeſe obſtringentes ad viuendum in conſtanti & perpetua „obedientia omnium legum *CHRISTI*. Qui hæc profitentur „& iſtas conditiones re ipſa implent, ii ius habent petendi ba- „ptiſmum; atque miniſtri *CHRISTI* & poſſunt & debent ipſum „eis adminiſtrare, hoc eſt, obſignare remiſſionem peccato- „rum. At vero qui aliquam harum conditionum contumaci- „ter reſpuunt, qui vel diuerſorum fidei chriſtianæ capitum pro- „feſſionem edere, vel veteri domino ſuo renuntiare, & vni- „verſalem *CHRISTI* obedientiam promittere recuſant; vel in „manifeſto aliquo & in vulgus noto flagitio plenaque ſcanda- „li vitæ profeſſione perſeuerant; eos miniſtri *CHRISTI* non „minori iure [*f*] a baptiſmo reiicere, hoc eſt, peccata eorum „retinere poſſunt, negando illis ordinarium remiſſionis pecca- „torum medium.

(*e*) Vid. hoc demonſtratum in *Orig. eccleſ.* lib. XIX. c. I. §. II. p. 191.

(*f*) Praxis primitiuæ eccleſiæ, in reiectione omnium iſtiuſmodi a baptiſmo, qui vllam ex hic neceſſariis conditionibus recuſarent, fuſe proponitur ab Auguſtino *de fide & operibus* c. XV. XVII. XVIII. cet. & ex eo & aliis in *orig. eccleſ.* lib. XI. c. V. & VI. volum. IV. p. 223. & cap. VII. §. VI. & VIII. ibid. p. 270. & p. 274.

EA-

„EATENVS planum ad ipſam demonſtrationem eſt, quod „miniſtri *CHRISTI* poteſtate inſtructi ſint retinendi vel dimit„tendi peccata, ſicut a *CHRISTO* adminiſtratores conferendi „baptiſmatis conſtituti auctoritatemque adepti ſunt iudicandi, „quinam ad illud recipiendum idonei atque adeo admittendi „ſint. Quibus enim ordinaria adminiſtratio iſtius myſterii, „quod mortalibus confert vel obſignat remiſſionem peccato„rum, commiſſa eſt, per eos hominum peccata vere retineri „& dimitti poſſe concedendum eſt, quia auctoritate pollent „dignos admittendi indignoſque ab eius myſterii participatio„ne arcendi.

„EODEM modo res ſe habet cum poteſtate eorum in ad„miniſtrando altero ſacramento cœnæ dominicæ. Nam & hoc „medium eſt conferendi & obſignandi hominibus peccatorum „remiſſionem. In hoc tantum a baptiſmo differt; vt baptiſmus „prima huius beneficii collatio ſit, cœna autem dominica am„plior eius confirmatio & crebrior iteratio. Vt adeo, quate„nus miniſtri ex eo, quod ſunt œconomi myſteriorum *CHRI*„*STI*, poteſtate inſtructi ſunt admittendi dignos ad participa„tionem euchariſtiæ, & indignos, hoc eſt vitam agentes pro„fanam & plenam ſcandali, ab huius communionis beneficio „repellendi; eatenus poteſtatem habeant dimittendi vel reti„nendi hominum peccata, vtpote præditi auctoritate diiudi„candi, quinam idonei ſint, vt ad illud myſterium, cui in or„dinaria diuinam gratiam tribuendi methodo, peccatorum re„miſſio annexa eſt, admittantur, vel digni, qui ab eo reiician„tur.

„ATQVE in hoc primus actus poteſtatis conſiſtit, quam in „retinendis vel dimittendis peccatis miniſtri *CHRISTI* exer„cent, applicando hominibus ſacramenta eccleſiæ, quorum „in vſu remiſſio peccatorum omnibus digne ea recipientibus „donatur.

2. „SECVNDVS huius poteſtatis actus declaratiua eſt ab„ſolutio verbi & doctrinæ, quæ conſiſtit in publicatione con„ditionum, ſub quibus euangelium veniam & remiſſionem „peccatorum promittit. Hæc vel generalis eſt vel ſpecialis. „Generalis abſolutio eſt, qualem eccleſia noſtra cuilibet mi-

niſtro

„niſtro poſt generalem peccatorum confeſſionem in quotidi„ano ſuo officio pronuntiandam iniungit; vti Deus poteſta„tem & mandatum miniſtris ſuis dediſſe dicitur declarandi & „adnuntiandi populo ſuo pœnitenti abſolutionem & peccato„rum remiſſionem; vi cuius poteſtatis illi declarant, quod De„us gratiam & remiſſionem peccatorum donet omnibus, qui „ſinceram pœnitentiam agant ſanctoque euangelio ſuo vere „credant. Hoc re ipſa fit, quando miniſter publicat ſiue ad„nuntiat hominibus verbum euangelii, nomine Dei decla„rans, quibus conditionibus peccatorum remiſſio obtineri „poſſit: Et finis huius rei eſt, peccatores ſub ſpe miſericordiæ „ad pœnitendum & ad Deum ſe conuertendum excitare, ſola„tiumque impertire omnibus, qui ipſo actu ſincere ad ipſum „ſe conuertunt. Qua de cauſſa eccleſiæ viſum eſt hoc in pu„blicis ſuis officiis interponere, locumque ei dare in quotidi„ana ſua liturgia; quæ inſignis eſt publici cultus illius excel„lentia & commendatio, cuius defectus in aliis quibuſdam ec„cleſiis deploratur. CALVINVS [g] enim narrat, voluiſſe ſe „ab initio iſtiuſmodi generalem abſolutionem liturgiæ *Geneuenſi* „inſerere, non potuiſſe autem cum ſociis ſuis efficere, vt hic „mos induceretur.

„AT præter hanc generalem declaratiuam abſolutionem, „in noſtra liturgia retentam, priuata quædam abſolutio in ſpe„cialioribus quibuſdam caſibus ſingulatim dari præcipitur; hoc „eſt, quando homines præcipuo quodam dolore animi & an„goribus conſcientiæ conficiuntur ob certa quædam peccata, „de quibus coram miniſtro cum veris genuinæ pœnitentiæ ſi„gnis confitentur. Tali in caſu miniſter auctoritatem habet, „non ſolum ſpirituale eis dandi conſilium & monitum, ſed be„neficium etiam abſolutionis conferendi; hoc eſt, ſi, ſtatu co-

(g) Caluin. epiſt. de quibuſdam eccleſiæ ritibus p. 206. Confeſſioni publicæ adiungere inſignem aliquam promiſſionem, quæ peccatores ad ſpem veniæ & reconciliationis erigat, nemo noſtrum eſt, qui non agnoſcat vtiliſſimum eſſe. Atque ab initio hunc morem inducere volui: ſed quum offenſionem quidam ex nouitate metuerent, nimium facilis fui ad cedendum. ita res omiſſa eſt. Nunc vero non eſſet opportunum, heic quidquam mutare: quia, antequam ad finem confeſſionis ventum fuerit, magna pars incipit ſurgere. Quo magis optamus, dum vobis integrum eſt, populum veſtrum ad vtrumque adſuefieri.

„rum recte examinato, eos vere pœnitentes coram Deo esse „iudicat, tunc non generalem tantum veniæ promissionem eis „declarare, sed in specie etiam firmissime asseuerare potest, „quod, quoad ex externis pœnitentiæ eorum signis & indiciis „de animi illorum statu iudicare sibi liceat, ipsos coram Deo so„lutos veniamque peccatorum consequutos existimet, adeoque „absolutionem eis declaret adnuntietque. Hoc quidem non „infallibile est iudicium, quia alter alterum callida pœniten„tiæ simulatione decipere potest: Tanta tamen asseueratio est, „quanta prudens, sagax & pius *CHRISTI* minister erga alterum, „ad animum eius tranquillandum, sine peculiari inspiratione „vti potest.

„Et sane permultum ponderis ac momenti ad tranquil„landum & consolandum animum afflictum, dubium atque „abiectum habeat, oportet, experti medici habere declaratio„nem, cui innitatur; habere aliquem qui per officium suum in „talibus casibus scite iudicare, eique suam impertire absoluti„onem valeat.

„Itaqve ecclesia nostra in talium peccatorum con„solationem in duobus officiis suis (exhortatione ad communi„onem, & visitatione ægrotorum) ministro præcepit, vt eius„modi particularem absolutionem impertiat, dicens in vno „eorum [*]: *Per auctoritatem IESV CHRISTI mihi commissam ab„soluo te ab omnibus peccatis tuis.* Quæ licet non absoluta sit au„ctoritas, tamen istiusmodi declaratio voluntatis Dei est, quam „quis alteri, post accuratissime inuestigatum studiosissimeque „consideratum illius statum, facere potest. Similis est decla„rationi sacerdotis sub lege veteri de leproso, vtrum mundus „an immundus esset. Declaratio eius siue iudicium de tali „homine mundasse eum vel contaminasse; mundum vel im„mundum fecisse dicitur; tametsi proprie loquendo sacerdos „eum nec leprosum redderet, nec efficeret, vt non esset lepro„sus, sed tantum post diligenter factam examinationem decla„raret, vtrum talis esset nec ne. Simili ratione HIERONYMVS

(*) *By the Authority of* Jesus Christ *committed unto me, I absolve thee from all thy offences.*

et

„et *Magister sententiarum* aliique plures post eos obseruarunt [*], „quod ministri euangelii idem ius ac officium habeant in di- „mittendis vel retinendis peccatis, quod sacerdotes olim sub „lege habuerint in curandis leprosis. Quod remittant pecca- „ta vel retineant, dum illa a Deo remitti vel retineri osten- „dant & declarent. Et quod talis declaratio, ex ore prodi- „ens eorum, qui ministeriales iudices constituti sunt pœniten- „tiæ hominum, recte exponatur euangelica absolutio, quæ „ad suggerendam pœnitenti peccatori consolationem eiusque „animum tranquillandum satis valeat.

3. „TERTIVS huius ministerialis potestatis actus est de- „precatio apud Deum pro peccatoribus ad obtinendam per „merita *CHRISTI* peccatorum remissionem; quæ est sic voci- „tata ab ecclesia absolutio precum, iuncta absolutioni verbi „ac sacramentorum. Hæc semper vel implicite vel explicite „comitatur reliquos actus absolutionis [**], tamquam præci- „pua quædam pars officii ministri ecclesiæ, quod est orare & „precari Deum pro peccatis populi. Sacramenta nonnum- „quam administrantur sub formula apprecandi, cuiusmodi est „illa eucharistica in liturgia nostra [***]: *Corpus domini nostri „IESV CHRISTI seruet corpus & animam tuam ad vitam sempiter- „nam.* Sic [*b*] nonnulli narrant, baptismum hodie in ecclesia „*Græca* administrari simili ratione & forma, *Baptizetur seruus „Christi in nomine patris, filii & spiritus sancti*, per modum pre- „candi. Et quamuis, quæ hodie inter nos obtinet, formula, „*Baptizo te*, paullulum ab hac discrepet; semper tamen oratio- „nem sibi adiunctam habet, vt Deus baptizatum absoluere „peccatis suis eique omnia regenerationis beneficia conferre „velit. Notatu quoque dignum est, quod statim post genera- „lem declaratiuam absolutionem in nostra liturgia ecclesia o- „rationem dominicam recitari iubeat, vtpote qua generalem „veniam siue remissionem peccatorum quotidianæ incursionis

(*) Vide testimonia Hieronymi & Petri Lombardi recitata *orig. eccles. lib. XIX. cap. II. §. VI. pag. 216. 217.*

(**) Conf. *orig. eccles.* lib. XIX. cap. I. §. V. p. 197. seqq. et cap. II. §. IV. p. 208. seqq.

(***) *The Body of our Lord* Jesus Christ *preserve thy Body and Soul unto everlasting Life.*

(*b*) Decretum Eugenii ad calcem concil. Florent.

„obtinemus. Et nonnullæ formulæ abſolutionis, in eccleſiis „noſtris vſitatæ, planæ & directæ preces ſunt pro venia & re-„miſſione culpæ. Qualis illa formula eſt in officio commu-„nionis poſt generalem confeſſionem; vbi rubrica [*] habet: „*Tum ſacerdos vel epiſcopus, qui præſens eſt, ſurgat, & conuertens ſe „ad populum hanc pronuntiet abſolutionem: Omnipotens Deus, pater no-„ſter cæleſtis, qui pro magna miſericordia ſua peccatorum remiſſionem „promiſit omnibus, qui cum ſincera pœnitentia & vera fide ad ipſum ſe „ſe conuertunt, miſereatur veſtri, abſoluat vos & liberet omnibus pecca-„tis veſtris, confirmet ac corroboret vos in omni pietate, & perducat vos „ad vitam æternam per dominum noſtrum IESVM CHRISTVM.* Heic „declaratiua abſolutio & precatoria in eadem precatione eui-„denter coniunguntur. Nam precatio iſta conſiſtit partim „declaratione diuinæ promiſſionis, qua vere pœnitentibus ve-„nia promittitur, partim deprecatione apud Deum, vt re ipſa „veniam indulgeat iſtis præcipue peccatoribus, pro quibus „miniſter preces ſuas tum quidem ad thronum gratiæ dirigit. „Et ſunt multæ aliæ iſtiuſmodi formulæ abſolutionis per inte-„gram eccleſiæ noſtræ liturgiam obuiæ. Quid? quod nulla „non abſolutio in antiqua eccleſia, quum pœnitentes poſt „excommunicationem & longum diſciplinæ curſum in grati-„am & communionem denuo reciperentur, cum manus impo-„ſitione & precatione [**] facta eſt, ad denotandum, miniſteria-„lem benedictionem & deprecationem apud Deum pro pecca-„tore eſſe principalem, etſi non vnum ſolum, actum ſacer-„dotalis poteſtatis in euangelicæ abſolutionis negotio. Et „hoc ipſum regulæ benedictionis conueniebat per *Moſen* datæ „veteris legis ſacerdotibus *Num.* VI, 27. *Ponent nomen meum ſuper „filios Iſraelis; Ego autem benedicam illis.* Deus eſt, proprie lo-„quendo, qui benedicit & abſoluit: et tamen, quando ſacer-

(*) *Then ſhall the Prieſt or the Biſhop being preſent, ſtand up, and turning himſelf to the People, pronounce this Abſolution: Almighty God, our heavenly Father, who of his great Mercy hath promiſed Forgiveneſs of Sins to all them that with hearty Repentance and true Faith turn unto him; have Mercy upon you, pardon and deliver you from all your Sins, confirm and Strengthen you in all Goodneſs, and bring you to everlaſting Life, through* Jeſus Chriſt *our Lord.*

(**) Vide hoc fuſe probatum *origin. eccleſ.* lib. XIX. cap. II. §. IV. pag. 208. ſeqq.

dotes

„dotes Deo ſupplicant de his rebus, ſuo etiam modo benedi-
„cere & abſoluere dicuntur. Quæ omnia ſatis euincunt, de-
„precationem & orationem eſſe aliquam miniſterialis abſolu-
„tionis partem, quemadmodum medium eſt in hominis manu,
„per quod Deo placet benedictionem abſolutionis ſuæ in po-
„pulum ſuum deriuare atque demittere.

„QVARTVM aliquod huius poteſtatis remittendi vel re-
„tinendi peccata documentum ſupereſt, quod eſt poteſtas ex-
„ſequendi diſciplinam & pœnas eccleſiæ in delinquentes. Hæc
„conſiſtit in excluſione flagitioſorum & publicorum peccato-
„rum a communione eccleſiæ, & reſtitutione pœnitentium in
„communionem, poſtquam cenſuræ ſe ſubmiſerunt egerunt-
„que pœnitentiam. Hic proprie iudicialis quidam actus eſt.
„Nam vt miniſtri *CHRISTI* auctoritatem habent diiudicandi,
„quinam idonei ſint, vt primum admittantur per baptiſmum
„in gremium eccleſiæ, ita auctoritatem quoque habent diiu-
„dicandi, quinam digni ſint vel indigni, qui in eo perſeuerent;
„et tamquam diſpenſatores myſteriorum Dei ſeparare debent
„pretioſum a vili, eoſque, qui myſteria Dei digne recipiunt,
„diſcernere ab illis, qui ea profanant atque contemnunt. *Non
„eſt dandum, quod ſanctum eſt, canibus; nec proiiciendæ ſunt marga-
„ritæ ante porcos.* Proinde vbi homines eiuſmodi infamem,
„propudioſam ac belluinam indolem adſumſerunt, non ha-
„bent amplius ius & priuilegia communionis chriſtianæ; ſed
„reſecandi ſunt tamquam morbida facta membra, partim vt
„ſanorum membrorum deuitetur contagio, partim vt peccato-
„res ipſi pudefiant atque emendentur.

„AT ENIM VERO hæc poteſtas non eſt arbitraria in mi-
„niſtris *CHRISTI.* Non adhibenda ab illis eſt hæc ſeueriſſima
„pœna ob quamlibet formidinem & ſuſpicionem mali; nec
„propter leue quoduis & facile obrepens vitium, quod aliis
„remediis curari poteſt; nec propter grauiora & odioſiora cri-
„mina, ſine præuia admonitione & aliorum remediorum vſu,
„quæ ad corrigendos peccatores præſcripſit *CHRISTVS*; nec
„in integros hominum cœtus [*], vbi metuendum eſt, ne tri-

(*) Vide praxin primitiuæ eccleſiæ illuſtratam in omnibus hiſce caſibus, *orig. eccleſ.* lib. XVI. cap. III. §. VI. volum. VII. pag. 148. ſeqq.

„ticum vna cum zizaniis eradicetur, & plus detrimenti quam „emolumenti inferatur ecclesiæ, dum insontes cum sontibus „inuoluuntur, vel integræ ecclesiæ interdicto subiiciuntur, vel „pariuntur magna & periculosa schismata, cum manifesto ec-„clesiæ discrimine & disturbatione. Huius enim potestatis & „disciplinæ scopus est ædificare & non destruere; mundare & „purificare ecclesiam, non concutere ipsam eius constitutio-„nem, & imprudenti ac immoderato zelo pro eius conserua-„tione subruere & euertere illius fundamenta. Quapropter si „vlla in re, certe in hac, ministerialis potestas summa cum sa-„pientia & prudentia, æque ac caritate & cura pro animabus „hominum & totius communitatis salute, exercenda est. Quo-„rum omnium ministri *CHRISTI* constituti sunt periti ac intel-„ligentes iudices, præditi potestate examinandi hominum fidem „& mores, & excludendi malam vitam cum aliorum offendi-„culo agentes, & restituendi vere pœnitentes, si manifesta „sinceræ conuersionis signa ediderint, fructusque fecerint di-„gnos pœnitentia. *CHRISTI* vicarii sunt in ecclesia ipsius, li-„gantes & soluentes, aperientes & claudentes regni cælestis „clauibus: Quibus quoad vtuntur secundum præscriptas a „*CHRISTO* regulas, sententia eorum, quantumuis ministerialis „tantum, multum valet in externa communione ecclesiæ in „præsenti, & valere deprehendetur tamquam prælusio atque „præcursio sententiæ, in die nouissimo ferendæ. Nam rebus „sic limitatis, & reseruata, quæ falli nesciæ *CHRISTI* potestati „debetur, prærogatiua, dubium esse nequit, quin quorumcum-„que peccata retineant, retenta sint; et quorumcumque pecca-„ta dimittant, dimissa illis sint.

Debebamus iam ad tertiam disquisitionem pergere; quatenus omnes homines ministeriali huius potestatis exercitio in omnibus quatuor eius sic explanatis generibus sese submittere oporteat, atque vniuersam hanc considerationem ad praxin reducere. Quoniam vero iusta harum rerum tractatio præsentis sermonis modum excessura esset, hæc duo tantum in fine eius generatim obseruabimus.

I. Qvod

1. Qvod necessitas absolutionis in quocumque genere eadem sit, ac necessitas rei, per quam illa efficitur nobisque administratur. Atque adeo, si qua est necessitas recipiendi duo sacramenta, baptismi & cœnæ dominicæ, eadem necessitas est recipiendi sacramentalem absolutionem, quæ per vsum & in vsu horum sanctorum mysteriorum nobis confertur. Si qua est necessitas habendi conditiones euangelii Deique generalem veniæ promissionem nobis declaratam, & applicatam animabus nostris; par omnino necessitas est generalis eiusdem absolutionis declaratiuæ, ad excitandam spem nostram & corroborandam fidem nostram, & ad adducendum nos ad veram resipiscentiam sanctamque obedientiam. Si qua est necessitas adflictæ animæ, sub inexsuperabilibus dubiis & perturbationibus laboranti, vt onere suo leuetur & in statum consolationis & tranquillitatis plenum transferatur; similis necessitas est priuatæ absolutionis declaratiuæ. Si qua est necessitas publicarum precum ecclesiæ ad implorandam Dei misericordiam pro obtinenda publicis pœnitentibus peccatorum remissione; eadem vtique necessitas est absolutionis precatoriæ. Denique si qua est necessitas facinorosis hominibus, de ecclesia proiectis, vt in pacem & communionem ecclesiæ denuo restituantur, in ordine ad faciendam pacem cum Deo; necessitas etiam est iudicialis absolutionis. Quatenus vllum ex his officiis & ministeriis necessarium est in ecclesia, eatenus diuersa absolutionis genera, quæ ab eis pendent, necessaria etiam esse statuenda sunt. Et eatenus reuerentia aliqua eis debetur, tamquam institutis Dei: adeo, vt vbicumque rite haberi possunt, communiter non debeant omitti; multo minus contemni vel negligi; quia hoc, aliis verbis, idem est ac contemnere sacramenta *CHRISTI*, publicas preces & sermones, & disciplinam censurasque ecclesiæ, quæ res ab ipso Deo institutæ sunt.

2. Altervm, quod in huius sermonis clausula obseruare habeo, est, quod quantacumque externæ absolutionis necessitas fuerit, maior tamen necessitas sit internarum qualitatum animi hominum in ordine ad eam recipiendam. Hæ qualitates sunt

ſunt vera fides, vera reſipiſcentia & noua obedientia vitæ; quæ ſunt conditiones euangelicæ, ad quamcumque humanam abſolutionem in remiſſionem culpæ noſtræ efficacem reddendam requiſitæ. Soluere Deus poteſt, & interdum, (vbi nullus eſt contemtus) ſoluit hominem a prioris, numquam autem a poſterioris neceſſitatis lege: *Nam ſine ſanctimonia nemo videbit dominum.* Non confeſſio, non attritio, non externa abſolutio cuiuſcumque generis, ſed tantum ſincera conuerſio facit, vt ab eo ineamus gratiam. Et proinde ſi abſolui cupiamus in cælo, de his internis animi qualitatibus ſollicitos nos eſſe oportet, quæ ſolæ ſecuritatem in die iudicii præſtare nobis poſſunt. Deus pro miſericordia ſua nobis omnibus haſce maxime neceſſarias qualitates inſpiret, per deprecationem & merita maximi pontificis confeſſionis noſtræ, *IESV CHRISTI,* benedicti domini ac ſeruatoris noſtri. Cui cum patre & ſpiritu ſancto ſit honor & gloria in ſæcula ſæculorum, Amen.



SERMO

SERMO POSTERIOR.

Ioan. XX, 23.

Si quorum remiſeritis peccata, remittuntur eis; ſi quorum retinueritis, retenta ſunt.

IN priore ſermone in hæc verba triplicem diſquiſitionem de doctrina & exercitio miniſterialis abſolutionis faciendam eſſe diximus.

I. INQVIRENDVM in naturam huius poteſtatis generatim, quatenus competat homini: quia non obſtante, quæ homini data eſt, auctoritate & mandato, ingens adhuc differentia facienda ſit inter poteſtatem remittendi peccata, quæ a Deo exercetur, & quæ exercetur ab homine.

II. INQVIRENDVM ſpecialius in naturam diuerſorum generum abſolutionis, quæ ab homine exercetur.

III. DISPICIENDVM, quatenus omnes homines exercitio huius poteſtatis in diuerſis eius partibus ſe ſubmittere debeant.

DE duobus prioribus capitibus iam diſſeruimus, nunc ad tertiam progredimur diſquiſitionem. Vbi proderit quæſtionem conſiderare diſtincte, cum reſpectu ad quatuor genera abſolutionis miniſterialis, quæ ſunt: Abſolutio duorum ſacramentorum; abſolutio declaratiua verbi ac doctrinæ; abſolutio precatoria; & abſolutio iudicialis publicæ diſciplinæ. De quibus omnibus iam obſeruauimus generatim, quod quatenus vel ſacramenta, vel prædicatio verbi, vel publicæ preces, vel diſciplina publica, vllum vſum & vim habent in eccleſia; eatenus abſolutiones admitti debeant, quæ vlli harum diuinarum inſtitutionum adnexæ ſunt. Iam in ſingularum neceſſitatem inquiremus paullo curatius.

1. ORDIMVR a neceſſitate abſolutionis ſacramentalis. De qua adfirmari oportet, quod, quanta neceſſitas eſt recipiendi ſacramenta baptiſmi & cœnæ dominicæ, impoſita omnibus, qui ea recipiendi habent opportunitatem; tanta quoque ne-

necessitas sit recipiendi sacramentalem absolutionem, quæ ab eis pendet; quia res sunt ita intime vnitæ & concatenatæ, vt separari nequeant; neque Deus defectum sacramentalis absolutionis vllo in casu excusatum habet, nisi vbi ipsorum sacramentorum defectum habet excusatum. Ignoscere quidem Deus potest & sæpius ignoscit sacramentorum defectui, cumque extraordinaria gratia sua supplet, vbi illa ob ministrorum suorum morositatem vel negligentiam, vel ob improuisum aliquem casum, vel naturalem ἀδυναμίαν [*] recipi haud possunt. At enim vero si homines institutiones ipsius negligunt vel contemnunt, hoc sine vllo dubio illis dabitur crimini, de quo summo harum institutionum auctori coram magno eius tribunali reddere cogentur rationem. Ita in similibus casibus, si qui ob ineuitabilem necessitatem absolutione destituuntur, quæ in hisce duobus sacramentis exhibetur, Deus hunc defectum supplere, & per extraordinariam suam gratiam alia quadam ratione eis absolutionem impertire potest. At si qui per ministros Dei sacramentali absolutione, siue remissione peccatorum, ad hæc sacramenta pertinente, iuste prohibentur, non per vllam necessitatem, sed tantum ob contumaciam suam, dum conditiones, a digne recepturis requisitas, implendo sese rite præparare renuunt; hoc in casu actio ministri, retinentis eorum peccata, negantisque eis hanc sacramentalem absolutionem, vtpote ad quam recipiendam eos minime idoneos, sed manifesto illa indignos iudicat, sine dubio rata habebitur ac confirmabitur a *CHRISTO*, tamquam supremo iudice & adsertore datæ suæ hominibus auctoritatis retinendi peccata & negandi absolutionem iis, qui conditiones manifesto despiciunt ac contemnunt, sub quibus eam obtulit. Atque hoc plane ostendit, quæ sit necessitas absolutionis, quatenus hæc primo loco significat absolutionem duorum sacramentorum, quæ dignis, nec (quantum humanum iudicium perspicere potest) vllis aliis præter hosce, qui digni sunt, impertienda est. Quocirca homines ad hanc absolutionem præparandi sunt ex iisdem rationibus, ob quas præparandi sunt ad recipienda duo

(*) Vid. sententiam veterum hac de re *origin. eccles.* lib. X. cap. II. §. XX. XXI. volum. IV. pag. 44 - 51.

illa

illa ſacramenta, quæ in ordinaria methodo ac ratione diſpenſandi diuinam gratiam neceſſaria ſalutis media facta ſunt.

2. Proximo iam loco ſequitur declaratiua abſolutio verbi ac doctrinæ. Quam neceſſaria eſt efficax veritatis promiſſorum Dei ad hominum animas adplicatio, ad efficiendum in illis fidem & ſpem, reſipiſcentiam & nouam obedientiam: tam neceſſaria quoque eſt hæc vniuerſalis declaratiua abſolutio, ſive primum ad gignendum & excitandum, ſiue poſtea ad fovendum & ſuſtentandum haſce bonas qualitates, a quibus peccatorum remiſſio pendet. *Fides*, inquit ſcriptura, *ex auditu eſt, auditus autem per verbum Dei.* Neque vero homines ordinarie *audiunt abſque prædicante, nec prædicant, niſi miſſi fuerint.* Quemadmodum igitur neceſſe eſt, vt homines *credant & reſipiſcant obediantque euangelio*; ita quoque neceſſe eſt, vt generales veniæ declarationes audiant, quas Deus in euangelio ſuo fecit ex vna parte, & declarationes iræ reuelatæ de cælo ex altera parte, vt ad conformandum ſe hiſce conditionibus commoueantur, ſub quibus euangelium remiſſionem peccatorum pollicetur. Et ſicut præconum euangelii eſt, prædicare & declarare mentem Dei erga pœnitentes & impœnitentes peccatores; ita vniuscuiuſque hominis eſt, *audire & metuere, nec quidquam facere inſolenter*, ſi gratiam & miſericordiam Dei in die iudicii ſe conſequuturum ſperet. Hæc neceſſitas eſt & vſus declaratiuæ abſolutionis ad gignendam alendamque fidem, quæ prima ſcaturigo & fundamentum vitæ chriſtianæ eſt. Verbum Dei eſt, quo *regeniti ſumus in ſpem viuam per euangelium.* Et cum ratione credere poſſumus, fidem non diutius, quam prædicationem euangelii, duraturam in hoc mundo. Quum antichriſtus confirmatam ætatem attigerit regnumque ſtabiliuerit ſuum; quum veritatis euangelicæ loco mentes hominum erroribus impleuerit, *per ſigna ac prodigia mendacia & omnem ſeductionem iniuſtitiæ*; tunc implebuntur, quæ prædixit ſeruator noſter, *Filius hominis quum venerit, num reperturus eſt fidem in terra?* Fieri nequit, vt fides generatim conſeruetur inter mortales, ſine iugibus euangelii declarationibus ad eam ſuſtentandam. Et hoc, ſi quidpiam aliud, conuincere nos poteſt de neceſſario vſu vere euangelici miniſterii, ſiue talis ordinis hominum, qui auctorita-

tem habeant & mandatum declarandi voluntatem Dei, ad fidem ipsam sustentandam, vt nulla in re deficiat.

Enimvero præter generales euangelii declarationes non numquam paullo specialior declaratiua absolutio necessaria est ad refocillandam adflictam & vulneratam conscientiam, & ad expediendum desperatum & dubitantem peccatorem ex pauoribus & inextricabilibus retibus peccati. Et ipsa necessitas consolandi perterrefactam mentem tali in casu satis argumentum est pro necessitate istiusmodi absolutionis. Quo enim anxia & adflicta mens se recipiat nisi ad eos, quos Deus aptos iudices & adiutores in tali casu constituit? Quorum officium aliquam eis dat auctoritatem, & quorum sanctiora studia & experientia aptos eos reddunt ad inquirendum in spiritualium morborum naturam, & iudicandum postea de apta curandi methodo, applicandumque accommodata eis remedia. Num talis anima nemine mortalium consulto vnice ad Deum confugiat, oportet? Bene quidem, si satis fidei, firmitatis animi ac fiduciæ ei sit ad ipsum accedendi. Iam vero hic ipse est, quem illa offendit, et iam dies & noctes nihil nisi iram eius cogitat atque indignationem. Num ad filium Dei, magnum illum deprecatorem & mediatorem Dei & hominum? Recte omnino, si cum plena loquendi libertate ad ipsum accedere potest, tamquam misericordem & fidelem pontificem, qui & potest & vult seruare omnes, qui sincere ad ipsum se conuertunt. Verum hæc magna eius calamitas est & ipse morbus, quod non audeat tam fidenter accedere ad thronum gratiæ, vt gratiam inueniat in auxilium opportunum. Vel si venit cum precibus & lacrimis ad *CHRISTVM*, veretur, vt accepta sit; quia iam difficulter ipsum tamquam seruatorem suum adspicere potest, sed potius tamquam offensum iudicem metuit. Depressa est & pudefacta ingrati animi sui fœditate, quando considerat, olim se similem fuisse angelo lucis, puram & immaculatam in sanguine *CHRISTI*; iam vero stationem suam deseruisse & excidisse gratia. Fuisse se olim illuminatam, gustasse donum illud cæleste, & participem factam esse spiritus sancti, gustasse bonum Dei verbum ac virtutes futuri sæculi: iam vero prolapsam, rursum crucifixisse sibi filium Dei & ignominiæ exposuisse, conculcasse filium Dei, & sanguinem fœderis, per quem

fue-

fuerat ſanctificata, profanum duxiſſe & ſpiritum gratiæ contumelia adfeciſſe. Et quomodo ad *CHRISTVM* confugiet, erga quem tam indigne ſe geſſit? Quid ergo? Num in ſubſidium & conſilium ſanctos angelos vocabit? Sunt quidem hi miniſterii munere fungentes ſpiritus, qui miniſterii cauſſa emittuntur, propter hæredes ſalutis futuros: at miniſterium eorum prorſus ſpirituale eſt & inuiſibile. Non eſt eis iam viſibile aliquod cum hominibus negotium. Illi autem viſibili conſolatore opus eſt, cui ægritudinem patefaciat, & quem in mediis ærumnis ſuis adhibeat in conſilium; & hic ex rebus creatis viſibilibus, eamdem cum illa naturam a creatore ſortitis, hoc eſt hominibus, ſit oportet. Quis autem ex his tam idoneus eſt, quam quos ipſe Deus ad hanc rem conſtituit? Homines priuati amorem ſuum iſtiuſmodi languenti animæ declarare poſſunt, quouſque ſua eos cognitio & ἱκανότης dirigit: ſed tamen poſt hæc omnia maius quoddam auxilium neceſſarium fuerit. Vnde autem æquius & rectius exſpectari illud poteſt, quam ex ore eorum, quorum labia cuſtodire debent ſcientiam? Quorum ſtudia ſunt ſcripturæ ſacræ; quorum negotium eſt eas explanare mortalibus? ſoluere eorum dubia, & eximere eis ſcrupulos; examinare pœnitentiam eorum, eamque comparare cum verbi diuini regula; & inprimis eos præmunire aduerſus inſidias ſatanæ, & docere, non peruertere ſcripturas in propriam ſuam perniciem. Id enim plerumque longe difficillimum in hoc toto negotio cum adflictis mentibus eſt, corroborare eas aduerſus ſubtiles incurſiones ſatanæ, qui in lucis angelum ſe transformat, eaſque docet ſcripturas contra ſemetipſas allegare; faciens, vt, quod ad earum ſalutem & confirmationem ſpectat, occaſio ipſis fiat ruinæ; & priuans eos pace per illud ipſum inſtrumentum, quod ad erigendas earum ſpes & firmandam conſolationem erat deſtinatum. Certe hoc ſummum ſatanæ artificium in tentando eſt, vt dialecto ſcripturæ & lingua angeli nos adgrediatur & tentet. Neque vmquam tam conuenienter ſibi, hoc eſt tam artificioſe, ſubtiliter & diabolice loquitur, quam vbi apud nos loquitur lingua vtens cæleſti. Sic ipſum ſeruatorem noſtrum tentauit; dicens, Ita atque ita ſcriptum eſt. Quid igitur mirum, ſi eodem armorum ge-

nere vtatur aduersus alios homines, qui ei resistere minus valent? Quo autem infirmiores sunt homines, & quo magis obnoxii tentationi, eo magis necesse illis est, habere perfugium ad aliquem magis expertum, qui & auxilium & consilium ipsis dare valeat; qui verbum Dei animabus eorum recte applicare possit & dare illis veram Dei & sui ipsorum cognitionem; qui quemlibet scripturæ locum, quo satanas abutitur, in luce ponere sua possit; atque ita omnia argumenta illius destruere, omnesque insidias eius euertere eodem illo instrumento, quo ad decipiendum homines prosternendumque abutitur.

Bene quidem haberet, si omnes homines gladio spiritus, hoc est verbo Dei, tam dextre vti callerent, vt (perinde ac seruator noster, quum tentaretur) omnibus satanæ sophisticationibus falsisque sacri textus interpretationibus per se ipsi respondere possent, easque rectioribus commentationibus magisque idoneis allegationibus retundere. Verum si hoc ab infirmioribus exspectari nequit, necesse est, in eiusmodi casibus auxilium quærant eorum, qui vsu peritiores sunt sensusque habent magis exercitatos ad discretionem boni & mali.

Commvnis sensus & vtilitatis ratio homines docet, quidnam agendum sit, si quibus difficultatibus affecti sunt in aliis caussis quibuscumque. Qui de titulo suo ad possessiones temporales dubitat, adeundum sibi ducit aliquem iurisperitum, illiusque consiliis & monitis vtendum; & qui quodam morbi genere tentatur, is doctum & peritum medicum adhibet. Atqui heic eadem ratio in spiritualibus morbis suadet, vt homines spiritualem ducem consulant, qui æque doctus & peritus in professione sua haberi potest, ac vterque istorum. Officium eius iubet eum generalius & exactius tractare studium scripturæ; vt peritior sit & accuratior in resoluendis casibus conscientiæ, & promtior atque expeditior ad respondendum obiectionibus, dubiis ac scrupulis, quos vel naturalis debilitas cogitationum ipsorum hominum, vel subtilitas satanæ mentibus eorum iniicit. Officium eius est & munus, nosse naturam Dei, nosse eius religionem & leges, nosse amplitudinem misericordiæ illius & conditiones reconciliationis, pœnitentibus peccatoribus oblatas. Idcirco hominum peccata examinare, deque eorum

eorum resipiscentia & statu animi melius illis ipsis iudicare potest. Accedit, quod a Deo minister heic in terra hunc ipsum in finem constitutus sit; non tantum vt *CHRISTI* loco eos studeat Deo reconciliare, viamque reconciliationis eis ostendat, & pro illis oret; sed vt in conditionem quoque eorum studiose inquirat, &, si vere pœnitentes eos deprehendat, a Deo absolutione impertitos ipsiusque misericordiam consequutos esse, declaret. Negotii, quod datum ei est, ratio postulat, vt omni eis adseueratione adfirmet, quod, quidquid satan in contrarium suggerat, nulla peccata tanta sint, vt Deus veniam eis dare non possit, dummodo conditionem veniæ, hoc est veram pœnitentiam, adferant. Potest is etiam iudicare, etsi non infallibili iudicio, morali tamen certitudine, num pœnitentia eorum sincera sit & perfecta; & suppeditare monita ad supplendam eam, vbi deficit; et liberare eos omnibus iniquis scrupulis, qui mentes eorum confundere & perturbare valent. Quæ omnia non possunt non insigni fructui & vtilitati esse istiusmodi hominibus, tutissimumque eis præbere perfugium & maximam, quæ sine specialiore reuelatione ex cælo exspectari potest, adferre consolationem.

Atqve ita vsus & emolumentum spiritualium ducum in tali casu satis superque ostendit, quam æquum & quam necesse sit eos consulere in ordine ad obtinendum beneficium & solatium priuatæ declaratiuæ absolutionis.

Et hanc ob caussam ecclesia nostra, etsi hominibus non imponit necessitatem peccata sua ministris *CHRISTI* confitendi in omnibus casibus, sapienter tamen ab eis requirit, vt in hoc vno speciali casu in suum ipsorum beneficium & consolationem id faciant. [*] *Si quis vestrum est, qui hoc modo conscientiam suam tranquillare non potest*, (videlicet *confessione soli Deo facta*) *sed plus solatii quærit & consilii, is prudentem aliquem & doctum adeat verbi diuini ministrum, eique animi sui aperiat dolorem; vt sancti verbi Dei ministerio absolutionis recipiat beneficium vna cum spirituali con-*

(*) Verba lingua Anglicana ita habent: *If there be any of you, who by this means cannot quiet his own Conscience* (viz. *by Confession to God alone*) *but required further Comfort & Counsel, let him go to some discreet, and learned Minister of God's Word, & open his Grief; that by the Ministry of God's Holy Word he may receive the Benefit of Absolution, together*

solatio

silio & monito ad tranquillandam conscientiam suam, & deuitandum omnem scrupulum & dubitationem. Ita, reor, res vere se habet cum necessitate priuatæ confessionis & priuatæ declaratoriæ absolutionis. Non simpliciter necessaria omnibus hominibus est, sed iis tantum, quorum conditio est talis, vt pacem & tranquillitatem animæ sine ea habere nequeant. Et proinde ecclesia *Romanensis* summopere vituperanda est, quæ absolutam necessitatem priuatæ confessionis & priuatæ absolutionis omnibus & singulis hominibus, respectu omnium mortalium peccatorum, sub pœna damnationis imponit. Ecclesia nostra regulam scripturæ & veteris ecclesiæ praxin pressius sequitur [*], priuatam absolutionem iis tantum necessariam faciens, quibus ipsius rei necessitas eam talem facit. Hactenus de necessario vsu generalis vel specialis absolutionis declaratiuæ.

3. PROXIMA disquisitionis nostræ pars est necessitas absolutionis precatoriæ: Et huius quidem eadem est necessitas, quæ precum ecclesiæ pro condonatione peccatorum. Antea obseruauimus, quod preces reliquis absolutionis generibus omnibus adnexæ, & quorumdam ex illis quasi forma sint. Sacramenta communiter cum precibus administrantur; et preces proxime semper sequuntur declarationem diuinæ voluntatis & intentionis condonandi pœnitentibus-peccatoribus, in publica nostra liturgia; et preces communiter medium sunt, quo quis, qui cum publico scandalo peccauit, & propter crimina sua iudicialiter ecclesia eiectus, iam vero ad pacem & communionem denuo admittendus est, reconciliatur. Vt adeo, quam necessaria vlla istarum absolutionum est, tam necessaria quoque sit absolutio precum, quam istarum quæque tam necessario sibi adnexam habet. Si cui necesse est initio leuari onere peccatorum per sacramentum baptismi; non minus necesse ei sit oportet recipi tamquam membrum *CHRISTI* per preces, quas istius sacramenti administratio vel includit vel supponit. Si absolutionem habere cupit per eucharistiam; cum vsitata precum formula, quam ecclesia in distributione eius præscripsit,

with ghostly Counsel and Advice, to the quieting of his Conscience, and avoiding of all Scruple and Doubtfulness.

(*) Vide praxin ecclesiæ primitiuæ respectu confessionis auricularis *orig. eccles.* lib. XVIII. cap. III. §. I. &c.

eam recipiat oportet. Si generalem vel particularem diuinæ voluntatis condonandi peccatoribus delicta declarationem cum effectu ad sui ipsius consolationem habere cupit, cum ministro *CHRISTI*, Deo pro obtinenda ipsi peccatorum venia supplicante, se debet coniungere. Et si, posteaquam ob publicam quamdam offensionem excommunicatus est, in communionem ecclesiæ solemniter restitui desiderat, Dei misericordiam, per publicum ministerium & preces sacerdotum ipsius implorare debet, quia hic ritus & hæc cærimonia [*] est istius admissionis.

4. Atqve hinc vltimo loco sequitur, vt, quum homines potestate clauium, ob admissa cum publica offensione crimina, formaliter & iudicialiter ecclesia proiecti sunt, necesse sit, ipsos vinculis & censuris per iustam auctoritatem laxatos, formaliter & iudicialiter absolui, atque ita in pacem & priuilegia communionis ecclesiasticæ restitui. Si enim excommunicatio iusta est & ad regulas euangelii *CHRISTI* facta; aut absolutionem modo, quem ille præscripsit, petere debent, aut vincula eis imposita plenum aduersus eos robur retinebunt; eorumque excommunicatio & expulsio de ecclesia in terra, regno cælorum illos excludet. Si, inquam, excommunicatio eorum iusta est & legitima. Aliud enim est, quando homines iniuste pelluntur ecclesia & sine ratione excommunicantur per præpoperum mere tyrannicæ & arbitrariæ potestatis exercitium; Et aliud, quando legitimo modo censuræ ecclesiæ subiiciuntur ob impoenitentiam suam & perseuerantiam in grauibus & publicis criminibus, cum scandalo ecclesiæ & sanctæ religionis *CHRISTI* opprobrio. In priore casu nihil periculi ab excommunicatione metuendum est, quia iniusta est: In posteriore autem casu maxime terribilis sententia est, quæ in terra aduersus homines ferri potest; quia quod in terra factum est, in cælo ratum habebitur, hominemque ad diem vsque iudicii persequetur, nisi tempestiua & sincera pœnitentia & reconciliatio ad retractandam sententiam interueniat. Quod ipsum huiusmodi absolutionis omniumque rerum, quæ ad eam obtinendam necessario ante requiruntur, necessitatem abunde

(*) Vid. *orig. ecclef.* lib XIX. cap. II. §. IV. pag. 208. seqq.

oſtendit. Oportet homines vere pœnitere criminum, quæ ſcandalum dederunt; oportet facere ſubmiſſam & publicam peccatorum ſuorum confeſſionem coram eccleſia; oportet modeſte ſeſe ſubmittere eius diſciplinæ, & dare ſigna ſinceri doloris ac triſtitiæ de eo, quod Deum & homines offenderunt: Et tunc oportet poſt iſtiuſmodi ſatisfactionem, vt eccleſiæ veram ſuam reſipiſcentiam, edendo fructus ea dignos, teſtatam faciant, ab illis ipſis admiſſionem ſui in communionem ſuppliciter & demiſſe petere, per quos, vi acceptæ a *CHRISTO* poteſtatis, ea ipſis ademta fuit. Et hi ex eadem auctoritate, qua eos de eccleſia proiecerunt, denuo recipient; faciendo preces & deprecationes ad Deum pro illis, & declarando eos omnibus vinculis, quibus antea erant conſtricti, ſolutos, & iam in chriſtianæ religionis priuilegium plene reſtitutos. At vero ſine tali idonea ſatisfactione, qualis hæc eſt, ſi homines in peccatis ſuis, in ſecura impœnitentia, in ſuperbo cenſurarum eccleſiæ neglectu vel contemtu pertinaciter perſeuerant; perſuaſum eis eſſe debet, rationem huius mirificæ improbitatis, quam reliquis peccatis ſuis addunt, illo die requiſitum iri, vbi *CHRISTVS* ſeruorum ſuorum auctoritatem in omnibus recte factis vindicaturus, ſententiamque eorum immutabili approbatione confirmaturus eſt.

QVA indulgentia Deus ob quorumdam hominum infirmitatem vel ignorantiam hac in re vti velit, noſtrum non eſt definire. Neque cum chriſtiana caritate conſiſteret, ſi condemnare vellemus, quotquot moriuntur excommunicati in foro externo, nec dum vinculis ſuis ſolemniter ſoluti, quando vere pœnitentes fuerunt & eccleſiæ cupierunt reconciliari; caſus autem aliquis improuiſus & neceſſitas ineuitabilis bonum eorum conſilium anteuenit. Rebus ſic ſe habentibus, eccleſia generatim deſiderium reconciliationis æqui bonique faciebat, taleſque re vera in communione ſecum eſſe [*] poſt mortem declarabat: non ſecus ac illi, qui ſine baptiſmo vel euchariſtia, non per contemtum ſed per ineuitabilem quamdam neceſſitatem decedunt, non iniuſte creduntur mori in gratia Dei per fidem ſuam & reſipiſcentiam, quia præſcriptum

(*) Vid. *Origin. eccleſ.* lib. XIX. cap. II. §. XI. p. 227. ſeqq.

a Deo

a Deo ordinem non contemnunt, ſed illius ſunt cupidiſſimi. Aliter autem cum illis comparatum eſt, qui in contemtu diſciplinæ & cenſurarum eccleſiæ viuunt pariter & moriuntur. Si tales pereunt, id ſibi ipſis acceptum ferant oportet. Eccleſia non habet poteſtatem abſoluendi eos, qui abſolui nolunt. Si peccata ſua in terra retineri ſinunt, in cælo retenta erunt, eosque ſequentur ad diem iudicii.

ATQVE ita tertiam diſquiſitionem fecimus, quatenus omnes homines ſeſe ſubmittere oporteat legitimo miniſterialis poteſtatis retinendi vel remittendi peccata exercitio: Siue, quænam neceſſitas ſit abſolutionis in diuerſis iſtis, quos vidimus, caſibus.

„ILLVD ſolum ſupereſt, vt totam hanc conſiderationem „reducamus ad praxin & oſtendamus, ad quid hæc doctrina „proſit, quatenus tum ad miniſtros *CHRISTI* tum ad populum „illius ſpectat.

„QVOD ad miniſtros *CHRISTI* attinet, nulla doctrina in „vniuerſa chriſtianitate eſt, quæ eos magis adigat, vel primo, „ad puritatem & ſanctitatem vitæ; vel ſecundo, ad diligentiam „in ſtudiis & laboribus; vel tertio, ad fidelitatem in diſpen„ſandis *CHRISTI* myſteriis, & curam in ſua agendi cum pœni„tentibus vel impœnitentibus peccatoribus ratione.

1. „COMMISSA miniſtris *CHRISTI* poteſtas retinendi & „dimittendi aliorum hominum peccata, quocumque eam acci„piamus ſenſu, magna ipſorum incitatio eſt ad agendam ſan„ctam & puram vitam. Abſurdum enim in praxi videtur, & „ſæpiſſime re vera ita creditur, quod homines facti eſſe exiſti„mentur idonei ad remittenda aliorum peccata, qui ipſi culpa „& impuritate ſunt implicati. Nihil tam pronum & obuium „eſt, quam illud, *Medice, cura te ipſum:* adeoque ſi hoc ipſum „officio eorum non eſt fraudi, certe perſonis eorum ſummo „eſt opprobrio. Si non tenorem deſtruit dati ipſis negotii in „ipſa natura rei, certe auctoritatem & exiſtimationem eorum „in opinione hominum imminuit; ſi profligatus quiſque pec„cator culpam in eos retorquere poteſt & dicere: *Qui doces ali„um, te ipſum non doces? Qui prædicas non furandum, furaris? Qui „dicis non mœchandum, mœcharis? Qui abominaris idola, ſacrilegium*

„*committis? Qui de lege gloriaris, per legis transgressionem Deum adfi-*
„*cis contumelia?* Multum de reuerentia aduersus sacramentum
„baptismi deroget, necesse est, si is, qui se aliorum peccata ab-
„luere venditat, ipse pollutus sit & profanus; nec minus di-
„minuat oportet reuerentiam, tremendo eucharistiæ mysterio
„debitam, si irreligiosis manibus porrigatur. Non potest pla-
„cere hominibus, si quem minus sanctificatum audiant benedi-
„ctionem impertientem aliis, qui ipse maledictus est; precan-
„tem, vt sanguis *CHRISTI* alios conseruet ad vitam æternam,
„dum damnationem sibi ipsi edit & bibit, non discernens cor-
„pus domini. Præcipue autem talis homo haud vlla cum tolerabili
„παῤῥησία officium reprehendendi & corrigendi alios curare
„potest, qui reprehensionem & censuram ipse multo magis
„commeruit. Qua fronte arcere alios a baptismo vel eucha-
„ristia potest, qui ipse ad hanc vel illum recipiendum minus
„idoneus est? Vel alios ecclesia excludere, qui ipse haud di-
„gnus est, qui eam ingrediatur? Nihil itaque ministros eccle-
„siæ magis incendere ad agendam sanctam & puram vitam pot-
„est, quam consideratio acceptæ a *CHRISTO* potestatis reti-
„nendi aut dimittendi sacramentali, vel declaratiua, vel pre-
„catoria, vel iudiciali ratione aliorum hominum peccata:
„quia sine puritate nullo modo huius officii scopo & naturæ
„depositi respondere possunt, sed mala eius administratio in-
„surget in iudicio aduersus eos & condemnabit eos.

2. „ALTERVM, quod hoc officium retinendi & dimit-
„tendi peccata a verbi diuini ministris requirit, est magna di-
„ligentia in studiis & laboribus, sine qua illud numquam,
„quantum satis est, curare possunt. Ecclesia quidem aliquam
„huius operis partem quodam modo facilem reddidit & tolera-
„bilem, dum plures generaliores & accommodatas absolutio-
„nis formulas sapienter præscripsit; cuiusmodi sunt formulæ
„administrandi absolutionem vtriusque sacramenti, & multæ
„generales formulæ declaratoriæ & precatoriæ absolutionis;
„quibus pro sapientia sua addere poterat aptas formulas ex-
„communicationis & iudicialis absolutionis. At vero, vbi
„hoc factum fuerit, multo plura remanent ad plenam huius
„officii functionem spectantia, de quibus ecclesia sigillatim
præ-

„præcipere non poteſt: adeoque induſtriæ & diligentiæ mini-„ſtrorum in priuatis cuiuſque ſtudiis & laboribus relinquenda „ſunt. Atque hoc ipſum diffuſam cognitionem magnamque „applicationem requirit; vt apti ſint ad intelligendum omnium „diuinarum legum naturam, & cuiuslibet virtutis & vitii con-„finium ac differentiam; vt apti ſint ad reſoluendum omnes „ordinarios caſus conſcientiæ, & ad reſpondendum omnibus „dubiis ac ſcrupulis, qui in hominum animis ſuboriri poſſunt; „ad pernoſcendum ſingulorum ſtatum animi, indolemque, gra-„dus ac ſinceritatem reſipiſcentiæ eorum, vt ita dent illis re-„ſponſum, quod eorum quæſtionibus faciat ſatis, & imperti-„ant vel negent illis diuerſa abſolutionis genera, prout, poſt „fideliter exploratum eorum ſtatum ac conditionem, viſum i-„pſis fuerit. Qui hæc omnia exiſtimat fieri poſſe ſine magno „labore & ſtudio & diligenti ſacræ ſcripturæ, vtpote normæ „& monumenti voluntatis diuinæ, inueſtigatione, is profecto „nec officii ſui naturam, nec hominum neceſſitates videtur intel-„ligere; nec quid ſit, ſtare loco *CHRISTI* & pro eo iudicare in-„ter Deum & homines. Labia ſacerdotis obſeruare debent „ſcientiam: Et qui conſiderauerit, quam late pateat iſthæc ſci-„entia, vna cum magna varietate caſuum & perſonarum, qui-„bus eam applicandi forte habiturus eſt occaſionem, is potius „adigetur exclamare cum apoſtolo, *Quis ad hoc idoneus eſt?* Et „ſi hoc non eſt argumentum excitandi aliquem ad induſtriam „in ſpiritualis medici officio, difficile dictu eſt, quid demum „illud ſit.

3. „VTI autem hæc conſideratio argumentum eſt pro pu-„ritate & induſtria, ita non minus incitamentum eſt ad fideli-„tatem. *Requiritur in diſpenſatoribus*, inquit *Paulus* apoſtolus, *vt* „*quis fidus inueniatur:* maxime in iis hoc requiritur, qui ſunt diſ-„penſatores myſteriorum Dei, quia hoc negotium eſt omni-„um longe maximum. *Moſis* argumentum erat ad iudices tem-„porales *Deut. I, 17. Ne ſuſcipite perſonam in iudicio, nam iudicium* „*ipſum Dei eſt.* Atqui hoc argumentum multo magis ſtringit in „iudicio ſpirituali, quia effectus & conſequentia huius deciſi-„onis plus ponderis & momenti habet. Heic itaque medium „ſemper tenendum eſt inter adulationem & imperioſam perti-

„naciam & morositatem; inter nimiam indulgentiam ab vna „parte, & nimiam seueritatem ab altera parte. Iudicium Dei „est; adeoque homines nec absoluendi sunt nec condemnandi „ex mere arbitraria voluntate ministri, sed ad regulas a sum-„mo omnium domino præscriptas. Si qui vel in ecclesiam re-„cipiendi vel inde exterminandi sunt, id solum considerandum „est, vtrum conditiones, quas requirit euangelium, impleant „an non impleant. Nulli vere pœnitenti vllius generis abso-„lutio neganda est. Nulli impœnitenti ex vllo fauore vel „gratificandi studio beneficium eius tribuendum est. Si ho-„mines ad baptismum vel eucharistiam idonei sunt, non in „potestate est ministri, proprie loquendo, huius vel illius eis „negare priuilegium. Si prorsus non sunt idonei, non est in „potestate eius, ad illud eos admittere, si negotium sibi datum „recte & fideliter curare velit. Ita neque impœnitentem ab-„soluere, nec peccata pœnitenti retinere æquo iudicio potest. „Hoc enim est, *morte adficere animas, quæ non morerentur, & vi-„cturas prædicare animas, quæ non sunt victuræ.* Est, *animam iusti „atterere, quem Deus non erat adfecturus dolore; & confirmare manus „improbi, vt non reuertatur a via sua pessima*, vt in vita conserue-„tur; quemadmodum Deus de fallis prophetis queritur per *E-„zechielem* prophetam cap. XIII, 19. 22. Id omne manifestus po-„testatis ministerialis abusus est, ad impediendum recti veri-„que studium, & ad aperiendam portam vitiis recta via ten-„dens. Omniaque istiusmodi iudicia ipse Deus subuertet ma-„lamque perfidorum œconomorum suorum administrationem „puniet. Nam vti in omnibus casibus, ita in hoc maxime, „qui absoluit improbum & qui condemnat iustum, abomina-„tioni domino sunt æque ambo. Nihil itaque magis necessa-„rium in dispensatoribus mysteriorum Dei est, quam vt fidi in-„veniantur: dantes suum cuique; pacem iustis & terrorem im-„probis. Alias Deus eis minitatur, fore, vt portionem suam „habeant cum hypocritis, vbi erit fletus & eiulatus & stridor „dentium. Supercilium pharisaicum in episcopis vel presby-„teris, obseruante HIERONYMO [*], est, quando sub obtentu „creditarum sibi clauium regni cælestis potestatem sibi sumunt

(*) Hieron. comment. in Matth. XVI. tom. IX. p. 49. Vid. loc. cit. *orig. eccles.* lib. XIX. cap. II. §. VI. pag. 216. 217.

sol-

„ſoluendi noxios & damnandi innocentes. Qui hoc facit, „dato ſibi negotio abutitur, Deoque malæ ſuæ adminiſtratio„nis reddet rationem.

„Ita videmus, quantopere hæc doctrina diſpenſatores „myſteriorum Dei obliget, vt ſint primum ſancti, ſecundo di„ligentes, tertio fidi in officio ſuo. Videamus nunc, quem in„fluxum eadem doctrina habere debeat in omnem Dei popu„lum.

„Atqve heic haud vlli perſonali reuerentiæ, ſacerdoti„bus tamquam nuntiis & legatis *CHRISTI* debitæ, immorabi„mur, ſed tantum quatenus religioſa ratio diuerſarum partium „diuinitus demandati illis officii habenda eſt. Si Deus eos in„ſtrumenta remiſſionis peccatorum per diuerſos hoſce quatuor „abſolutionis modos effecit; ad minimum vnuſquiſque caue„at, fas eſt, ne per voluntarium neglectum vel contemtum vl„la harum methodorum expiationis ipſe ſe priuet.

„Si baptiſmus ordinarium remiſſionis peccatorum medi„um eſt, & tam neceſſarium ex diuino mandato, vt niſi quis, „cui eſt opportunitas, genitus fuerit ex aqua & ſpiritu, non „poſſit introire in regnum Dei: omnium hominum nondum „baptizatorum quam maxime intereſt, ſe ſuoſque liberos ſan„ctæ *CHRISTI* inſtitutioni offerre, vt promiſſam peccatorum „remiſſionem & ſpiritualem regenerationem recipiant. Quam„quam enim martyres, magno chriſtianæ religionis ſtudio du„cti, piique catechumeni extraordinaria quadam via ad ſalu„tem ſempiternam poſſunt pertingere, cum contemtoribus ta„men res ita ſe non habet.

„Item ſi euchariſtia aliud remedium abſolutionis eſt, æ„qualiter hominum officium eſt, non viuere in manifeſto ſan„ctæ huius inſtitutionis neglectu vel contemtu, ſed quantum „poſſint, frequenter eam recipere, niſi gratia & venia, quæ in „ſancta illa inſtitutione exhibetur & obſignatur, priuare ſe ipſi „velint.

„Si preces eccleſiæ itidem medium ſunt deriuandi bene„dictionem Dei in populum ſuum; argumentum id eſſe con„cedendum eſt, quo homines ad conſtanter illis adſiſtendum „commoueantur. Et quilibet lætabundus exclamet, oportet: „*Cogitamus, o Deus, benignitatem tuam in medio templo tuo!* (Pſalm. „XLVIII, 10.),

Si

„Si abſolutio declaratiua vllum vſum habet & conſola-
„tionem apud pœnitentes; id homines excitet oportet, vt
„inter primos in cultu Dei eſſe ſtudeant, & potius ad poſtes
„ianuarum præſtolentur, antequam ſacra capiant exordium,
„quam vt poſtea irrepant, quaſi in conſpectum Dei rapti, quan-
„do & confeſſionis ſuæ & abſolutionis ipſius perdiderunt bene-
„ficium.

„Si abſolutio declaratiua, quæ fit priuatim, quidquam
„prodeſt adflictæ conſcientiæ & animo ſcrupulis agitato; hoc
„eos, qui conſcientiam ſuam tranquillare ipſi non poſſunt,
„ſed vberiorem conſolationem & conſilium requirunt, indu-
„cat oportet, vt ad prudentem & doctum verbi diuini mini-
„ſtrum adeant eique animi ſui aperiant dolorem; vt ſancti Dei
„verbi miniſterio abſolutionis recipiant beneficium vna cum
„ſpirituali conſilio & monito, ad tranquillandam conſcienti-
„am & euitandum omnem ſcrupulum & dubitationem.

„Denique, ſi neceſſe eſt, homines, propter grandia cri-
„mina excommunicatos & proiectos de eccleſia, operam dare,
„vt Deo ipſiuſque eccleſiæ per iudicialem abſolutionem recon-
„cilientur; id omnino oſtendit, quæ reuerentia diſciplinæ &
„pœnis eccleſiæ, quæ illis iuſte infliguntur, debeatur; & quod
„voluntarius reconciliationis neglectus ac contemtus tali in
„caſu periculoſior, quam quidem ſibi perſuadent, eis fieri, & in
„iuſto *CHRISTI*, miniſtrorum ſuorum ſententiam confirmantis,
„iudicio a regno cælorum eos excludere tandem poſſit.

„Verum enim vero ſi quis vel maximam reuerentiam
„hiſce inſtitutionibus externe exhibuerit, vnum tamen ſuper-
„eſt ad reddendum eas validas & efficaces; quod ſi deeſt, ne-
„quidquam eos vel millies repetita iuuabit abſolutio: Et hoc
„eſt interna cordis & animæ conditio, per veram pœnitenti-
„am ſinceramque obedientiam ſeſe prodens; ſine qua reliqua
„omnia meræ formæ ſunt, quæ plene operari non poſſunt,
„dum homines illis obicem ponunt. Omnis enim abſolutio
„conditionalis eſt & pœnitentiam ac obedientiam ſupponit,
„antequam beneficium peccatori re ipſa conferat. Miniſter
„*CHRISTI* os tantum ſuum vel manum commodare ad exter-
„num alicuius abſolutionis actum poteſt: interne autem ab-
„ſoluere non valet, multo minus peccatorem impœnitentem.

Ipſe

„Ipſe *CHRISTVS* nobis confirmat, quod, niſi quis reſipiſcat, „pereat neceſſe ſit; & quod, niſi homines debita ſibi mutuo „dimittant, pater eorum cæleſtis non dimiſſurus ſit eis ipſorum „debita. Iam ergo abſurdum foret cogitare, quod peccator, „iſtas conditiones minime implens, veniam nihilo minus a „Deo obtenturus ſit, etiamſi in animi ſui obſtinatione perſi-„ſtat; et quod, quum ſurreptitie per errorem vel fraudem in „terra ſolutus ſit, idcirco certo futurum ſit, vt in cælo etiam ſol-„vatur. Hoc foret rem ſtolidiſſimam ſibi perſuadere, quod *CHRI-„STVS*, ad ſacerdotis ſui verba vera efficienda, ſua ipſius verba „facere velit falſa & mendacia: qualia ſint oportet, ſi qua exter-„na abſolutio, ab homine errori & deceptioni obnoxio data, „peccatorem impœnitentem in regnum cæleſte transferre poſſet.

„Non eo hoc dico, vt reuerentiam vlli ante memora-„torum generum abſolutionis debitam imminuam, ſed vt in-„ſtitutiones Dei ſuam in nobis efficaciam habeant, dum exter-„ni & interni actus coniunguntur ad efficiendum perfectum o-„pus abſolutionis; et vt ne *CHRISTVS* in nouiſſimo die nobis „dicere neceſſe habeat: *Hæc oportebat vos feciſſe, illa non omiſiſſe.* „Qui aliquam abſolutionem diuinitus inſtitutam, cuiuſcumque „illa ſit generis, contemnit, ille quidem inſtitutionem Dei con-„temnit: Qui autem ſine pœnitentia & obedientia eam recipit, „τὰ βαρύτερα τοῦ νόμου, quæ grauiora ſunt legis, contemnit, & per-„colat culicem, vt camelum deglutiat. Talis homo ne cogitet, „ſe vllam a domino abſolutionem obtenturum, qui inſtitutio-„nem eius mutilat; qui, quod Deus coniunxit, ſeiungit ſibique „ſecuritatem audet promittere, quando Deus non niſi perniciem „& interitum minatur. Si ſecuri de exitio eſſe volumus, inſtitu-„tionibus Dei ex ipſius præſcripto vti debemus, externum & in-„ternum actum coniungentes. Animarum noſtrarum reſipiſcen-„tia & obedientia miniſterio ſacerdotum ipſius viam præparet. Et „tum quæcumque peccata illi dimiſerint in terra, dimiſſa erunt in „cælo; vbi *CHRISTVS* ſeruorum ſuorum verba immutabili ſua „abſolutionis ſententia confirmaturus eſt, dicendo: *Adeſte, benedi-„cti patris mei, poſſidete regnum, paratum vobis a iacto mundi fundamento.* „Quod Deus nobis omnibus donet per merita eiuſdem domini „noſtri *IESV CHRISTI*: cui cum patre & ſpiritu ſancto ſit omnis „honor & gloria in ſæcula ſæculorum, *Amen.*

EPISTOLA PRIOR
AD SVMME REVERENDVM EPISCOPVM VINTONIENSEM
DE
NECESSITATE ABSOLVTIONIS;
OSTENDENS, QVOVSQVE NECESSITAS EIVS PROTENDATVR ET VBI CESSET.

LECTA quæſtione tua, DOMINE SVMME REVERENDE, de ineuitabili neceſſitate abſolutionis in quibuſcumque caſibus, non potui, quin hoc ad eam reſponſum, (quantum per tempus licuit) ex iis, quæ cogitanti mihi ſine tædioſa diſquiſitione ſuccurrerunt, depropeparem; vberiore rerum heic ſuppeditatarum expoſitione & confirmatione paullo diligentiori diſquiſitioni & conſiderationi reſeruata.

QVAESTIO de abſolutione referri poteſt vel I. Ad eam abſolutionem, quæ datur ad priuatam ſiue auricularem confeſſionem: vel II. Ad generalem abſolutionem, quæ ad generalem datur confeſſionem, ſicut eſt in quotidiano noſtro officio: vel III. Ad abſolutionem, quæ in adminiſtratione diſpenſatur ſacramentorum, quæ veri nominis [*] indulgentiæ ſunt & inſtitutiones Dei ad obtinendam abſolutionem & remiſſionem peccatorum: vel IV. Ad abſolutionem, quæ datur per relaxationem cenſurarum eccleſiæ. Iam abſolutam & ineuitabilem neceſſitatem diuerſorum horum generum abſolutionis in quibuſcumque caſibus, quantum ego exiſtimo, nec noſtra nec primitiua eccleſia vmquam adſeruit; tametſi eorum alia aliis ſunt magis neceſſaria.

NAM I. Quod ad abſolutionem attinet, quæ datur ad priuatam ſiue auricularem confeſſionem; ea nihilo magis neceſſaria eſſe poteſt quam confeſſio ipſa, quæ (exceptis quibuſdam caſibus peculiaribus) potius res conſilii eſt, quam rigidi officii,

(*) Vid. *orig. eccleſ.* lib. XIX. cap. I. §. II. III.

cii,

cii, quod omnibus hominibus ſub pœna damnationis iniunctum ſit; quemadmodum eccleſia noſtra cum primitiua eccleſia aduerſus iugum *Romanenſe*, mortalium conſcientiis hoc in negotio impoſitum, tuetur. Nullis veterum teſtimoniis de hoc argumento Te, DOMINE SVMME REVERENDE, demorabor, niſi quædam a me transſcribi iuſſeris, quod e CHRYSOSTOMO multiſque aliis [*] fieri facile poterit.

II. QVOD ad generalem attinet abſolutionem, ad generalem dari ſolitam confeſſionem, quæ in noſtra liturgia ſupereſt, in ea autem, quam CALVINVS conſtruxit, deficit: Etſi eam vtilem & ſalutarem partem ac formam diuini officii eſſe fatendum eſt, (quam CALVINVS [a] liturgiæ *Geneuenſi* inſertam voluit, obtinere autem non potuit) non poſſumus tamen dicere, eam tam neceſſariam diuini officii partem eſſe, vt nulla eccleſia ſine illa abſolutionis forma in liturgia ſua abſolutionem ſiue remiſſionem peccatorum habere poſſit. Hoc enim iniquiſſima condemnatio foret omnium eccleſiarum, quæ hac ſpeciali formula deſtituuntur, etiamſi eam alio modo ſuppleant, nimirum diuini verbi prædicatione, quæ eſt declaratiua applicatio veniæ, a Deo populo ſuo promiſſæ.

III. NECESSITAS abſolutionis, quæ in adminiſtratione ſacramentorum diſpenſatur, eadem quidem eſt, quæ ipſorum ſacramentorum neceſſitas. Quatenus vna neceſſaria, eatenus & altera neceſſaria eſt. Neceſſitas autem ſacramentorum non ita abſoluta & ineuitabilis eſt, quin Deus multis in caſibus (vbi nulla inſtitutionum ſuarum eſt contemtio) homines ſeruare poſſit ſine externa eorum per ſeruorum ſuorum manus applicatione. Nam in ſummo neceſſitatis caſu, vbi homines baptiſmum deſiderant, habere autem non poſſunt, Deus inuiſibiliter per ſpiritum ſuum ſanctum ſupplet, quod in externa adminiſtratione deeſt. Neque enim vllum auctorem vetuſtum eſſe credo, qui de hoc capite loquutus eſt, quin quaſdam exceptiones admiſerit reſpectu abſolutæ neceſſitatis baptiſmi: maxime in duobus caſibus: 1. In martyrio, quod ſecundum baptiſma

(*) Vid. teſtimonia contra neceſſitatem confeſſionis auricularis, collecta *orig. eccleſ.* lib. XVIII. cap. III. §. I. & II.

(a) Caluin. epiſt. de quibuſdam eccleſiæ ritibus, p. 206. Vid. ſupr. p. 249. (g).

vocabant, & baptiſmum ſanguinis. 2. In caſu veræ fidei & ſanctæ vitæ extra martyrium, ſi quis catechumenus ad baptiſmum ſe præpararet eumque deſideraret, ſubita autem morte eriperetur ante, quam illum recipiendi haberet opportunitatem. In hiſce duobus caſibus illi ſemper ſtatuebant, baptiſmum ſpiritus haberi poſſe ſine externo lauacro aquæ. TERTVLLIANVS loquens de martyrio [b], nominat illud *ſecundum lauacrum* & *lavacrum ſanguinis*, quando ait: *Eſt quidem nobis etiam ſecundum lavacrum, vnum & ipſum, ſanguinis ſcilicet: de quo dominus, Habeo, inquit, baptiſmo tingi, quum iam tinctus fuiſſet.* Et addit: *Hic eſt baptiſmus, qui lauacrum & non acceptum repræſentat, & perditum reddit.* Similem obſeruationem habet CYPRIANVS de catechumenis, qui, antequam baptizarentur, in confeſſione nominis Chriſti apprehenſi, occidebantur: *Sciant*, inquit [c], *huiuſmodi homines ſuffragatores, & fautores haereticorum, catechumenos illos primo integram fidem & eccleſiæ vnitatem tenere, & ad debellandum diabolum de diuinis caſtris cum plena & ſincera Dei patris, & Chriſti & ſpiritus ſancti cognitione procedere; deinde nec priuari baptiſmi ſacramento, vtpote qui baptizentur glorioſiſſimo & maximo ſanguinis baptiſmo, de quo & dominus dicebat, habere ſe alio baptiſmo baptizari. Sanguine autem ſuo baptizatos, & paſſione ſanctificatos conſummari, & diuinæ pollicitationis gratiam conſequi, declarat in euangelio idem dominus, quando ad latronem, in ipſa paſſione credentem & confitentem, loquitur, & quod ſecum futurus ſit in paradiſo, pollicetur.*

AVGVSTINVS crebram huius argumenti *Cyprianici* facit mentionem, illudque vrget ad oſtendendum, quod non ſolum martyrium locum baptiſmatis nonnumquam ſupplere poſſit, ſed fides etiam & vera conuerſio [d] in articulo neceſſitatis, ſi quis baptiſmum recipiendi non habeat opportunitatem: *Baptiſmi ſane vicem*, inquit, *aliquando implere paſſionem, de latrone illo, cui non baptizato dictum, Hodie mecum eris in paradiſo, non leue documentum b. Cyprianus adſumit. Quod etiam atque etiam conſiderans, inuenio non tantum paſſionem pro nomine Chriſti id, quod a baptiſmo*

(*b*) Tertullian. de baptiſmo c. XVI. p. 263. edit. Rigalt. Pariſ. MDCXLI.

(*c*) Cyprian. epiſt. LXXIII. ad Iubaianum p. 208. edit. Oxon. (p. 312. edit. Fell. Amſtelod. MDCC.)

(*d*) Auguſtin. de baptiſm. lib. IV. c. XXII. tom. VII. p. 56. ed. Pariſ. MDCXXXV. (p. 432. edit. Baſil. MDLXIX.)

dee-

deerat, posse supplere, sed etiam fidem conuersionemque cordis, si forte ad celebrandum mysterium baptismi in angustiis temporum succurri non potest. Neque enim latro ille pro nomine Christi crucifixus est, sed pro meritis facinorum suorum; nec quia credidit, passus est, sed dum patitur, credidit. Quantum igitur valeat sine visibili sacramento baptismi, quod ait apostolus, Corde creditur ad iustitiam, ore autem confessio fit ad salutem, in illo latrone declaratum est: Sed tunc impletur visibiliter, quum ministerium baptismi non contemtus religionis, sed articulus necessitatis excludit. Alibi ex eodem exemplo latronis [*e*] argumentatur, multos sanctificari inuisibili gratia sine visibilibus sacramentis: *Hoc & de latrone illo dici potest, cui secum crucifixo dominus ait: Hodie mecum eris in paradiso. Neque enim sine sanctificatione inuisibili tanta felicitate donatus est. Proinde colligitur, inuisibilem sanctificationem quibusdam adfuisse, atque profuisse sine visibilibus sacramentis.* Addit autem paucis interiectis: *Nec tamen ideo sacramentum visibile contemnendum est: nam contemtor eius inuisibiliter sanctificari nullo modo potest.*

VNDE manifestum est, quod secundum doctrinam AVGVSTINI non solus defectus externi illius instituti, sacramentalis videlicet absolutionis, vbi haberi nequit; sed contemtus eius, quum haberi possit, perniciosus sit hominibus salutemque destruat. Deus enim inuisibilem gratiam sine visibilibus mediis in vere credentibus, in istiusmodi necessitatis articulo, supplere valet.

Ex hoc fundamento AMBROSIVS solabatur amicos *Valentiniani* iunioris, qui catechumenus tantum erat, & ad baptismum præparabatur, subito autem proditione *Arbogastis* interficiebatur, antequam ad AMBROSIVM ad recipiendum baptismum venire posset. *Si*, inquit [*f*], *quia solemniter non sunt celebrata mysteria, hoc mouet: Ergo nec martyres, si catechumeni fuerint, coronantur: Quod si suo abluuntur sanguine, hunc sua pietas abluit & voluntas.*

VT adeo, vrgente istiusmodi aliqua necessitate, baptismus in voto baptismo ipso actu suscepto respondeat. Deus desiderium sacramenti pro ipso eius vsu acceptat, si homines, quod

(*e*) Augustin. quæst. LXXXIV. in Leuit. (tom. IV. p. 228. edit. Basil. MDLXIX.)
(*f*) Ambros. orat. de obitu Valentin. tom. III. p. 10. edit. Basil. MDLXVII.

poſſunt, faciant, nec contemtus ſed ineuitabilis quidam caſus impediat, quo minus illud recipiant. Iam igitur, ſi, rebus ita ſe habentibus, externum baptiſmatis miniſterium non abſolute neceſſarium eſt, nec externum abſolutionis miniſterium ſimpliciter neceſſarium eſſe poteſt. Nam iidem actus in hoc negotio ſunt. Et ſi Deus martyres & fideles ſine viſibili & externo baptiſmo ſaluos facere poteſt, abſoluere etiam eos poteſt ſine viſibili & externa abſolutione.

SEXCENTA adhuc teſtimonia [*] in huius adſerti gratiam adferri poterunt, ſi quidem id opus foret.

IV. AD abſolutionem quod attinet, quæ per cenſurarum eccleſiaſticarum relaxationem diſpenſatur: Etſi vere pœnitentes eam in omnibus caſibus ordinariis expetant, neceſſe eſt; diuerſæ tamen exceptiones locum habent in caſibus extraordinariis, in quibus venia obtineri poteſt ſine formali abſolutione. Quid enim, ſi quis epiſcopus iniuſto & iniquo conſilio vere pœnitentem abſoluere recuſet, quando & veræ reſipiſcentiæ ſigna edit & ſubmiſſe abſolutionem deſiderat? An nulla in cælo venia ei futura eſt, cui tam inique & imperioſe ea negatur in terra ab homine, qui limites egreditur poteſtatis ſuæ, quæ ei data eſt ad ædificationem, non ad deſtructionem? BELLARMINVS [**] quidem id adfirmat, *Negatur*, inquiens, *remiſſio illis, quibus noluerint ſacerdotes remittere.* Sed hoc eſt, ſacerdotis auctoritatem in abſolutum dominium & arbitrariam evehere poteſtatem, quod nullum in ſcripturis ſacris, nullum in vetuſtis eccleſiæ canonibus, fundamentum habet. Iſtiuſmodi homines ipſe GREGORIVS MAGNVS, pontifex *Romanus*, meliora docere poterat, *Epiſcopus*, inquiens [g], *ſæpe in ligandis & ſoluendis ſubditis ſuæ voluntatis motus, non autem cauſſarum merita ſequitur. Vnde fit, vt hac ipſa ligandi & ſoluendi poteſtate ſe priuet, qui hanc pro ſuis voluntatibus, & non pro ſubiectorum moribus exercet.* Quod idem eſt, ac ſi diceret, iniuſtum epiſcopi iudicium nullius valoris eſſe, & in foro poli reſcindi atque abrogari.

(*) Vid. plura huiuſmodi teſtimonia *origin. eccleſ.* lib. X. cap. II. §. XX. & XXI.

(**) Bellarmin. de pœnitent. lib. III. cap. II. tom. II. pag. 1257. edit. Lugdun. MDLXXXVII.

(g) Gregor. homil. XXVI. in euangel. tom. III. p. 83. edit. Antw. MDCXV.

Hoc

Hoc perinde est, ac si baptismus ei negetur, qui rite ad eum præparatus eiusque vere cupidus est. Ipsa iniusta sacerdotis negatio, rebus ita se habentibus, magnum crimen est; fraudi autem esse nequit ei, qui hoc modo inuitus, vel contra parentum suorum voluntatem, sine eo mori cogitur. Quemadmodum HINCMARVS [b], archiepiscopus *Rhemensis*, longe ante in consolationem eorum in *Gallia* obseruauit, quorum infantes sine baptismo mortui erant, ex peruersa animi obstinatione *Hincmari*, episcopi *Laudunensis*, qui eis baptisma conferre recusabat, parentibus & patronis ardenter id expetentibus. *Sicut in illo latrone*, (inquit, scribens ad istum antistitem,) *quod ex baptismi sacramento & communicatione corporis & sanguinis CHRISTI defuerat, compleuit omnipotentis benignitas, quia non superbia vel contemtu sed necessitate defuerat; & sicut paruulis naturali, id est alieno peccato, obnoxiis, aliorum, id est patronorum fides pro eis respondentium in baptismate fit ad salutem; Ita paruulis, quibus baptismum denegari iussisti, parentum vel patronorum corde credentium, & pro paruulis suis fideli verbo baptisma expetentium, sed non impetrantium, fides & fidelis postulatio prodesse potuerint, dono eius, cuius spiritus, quo regeneratio fit, vbi vult, spirat.* Vnde concludit respectu censurarum ecclesiasticarum, quod, si pœnitens moriatur sine absolutione, ideo tantum quia episcopus pro morositate sua vel ex alia quadam iniusta ratione eum absoluere recuset, episcopi iniustum iudicium & pertinax recusatio vere pœnitenti obesse nequeat, quo minus salutem & absolutionem in regno cælorum consequatur.

FIERI autem potest, vt quis non solum desideret absolutionem, sed minister etiam pronus promtusque sit ad illam ei tribuendam; & tamen ineuitabili quodam casu sine ea moriatur. Rebus ita habentibus canones statuunt, defectum absolutionis saluti eius non esse detrimento, nec eum tractandum vt excommunicatum, sed in communionem recipiendum ecclesiæ, & commemorandum inter fideles in officio ecclesiæ, quantumuis sine absolutione defunctum. Concilium *Carthaginense* quartum [*] & *Vasense* secundum plane hanc in rem loquuntur.

(b) Hincmar. opusc. L. capitulor. cap. XLVIII. p. 572. edit. Paris. MDCXLV.

(*) Concil. Carthag. IV. c. LXXIX. Concil. Vasens. c. II. Vid. *orig. eccles.* lib. XIX. cap. II. §. XI. pag. 228.

Ex

Ex hactenus adlegatis liquido apparet, qualis necessitas sit absolutionis: Quod non merus defectus, sed superbus neglectus & contemtus eius, quando homines censuris ecclesiasticis subiacent, perniciosus sit. Vbi autem nullus contemtus vel neglectus intercedit, salus obtineri possit sine ea. Adeoque vere pœnitens, qui disciplinæ ecclesiæ se submittit, non possit in illo versari periculo; quia, etiamsi sine absolutione moriatur, siue ex necessitate siue ex obstinata recusatione superiorum, non moriatur in neglectu vel contemtu ecclesiæ; et idcirco nullam caussam habeat dubitandi de absolutione diuina in cælo.

OBSERVATIO Tua, DOMINE SVMME REVERENDE, de formula, *Absoluo te*, recte se habet. Noua est, non paullo ante ætatem *Thomæ Aquinatis* in ecclesiam inducta. Vetustæ formulæ omnes precatoriæ erant vel declaratiuæ, vel in sacramentorum ecclesiæ applicatione consistebant. Et formula, *Absoluo te*, ad aliquam ex reliquis formulis reducenda est, quemadmodum antiquiores scholastici eam communiter reducunt. De quibus omnibus ad Te, DOMINE, proxime pluribus scribere cogito, id mihi haud exiguo honori ducens, quod a me huiuscemodi officium expetere voluisti. Vale. Dabam *Vintoniæ* ad d. 17. Febr. $17\frac{12}{13}$.

TIBI,

DOMINE SVMME REVERENDE,

deuinctissimus

IOSEPHVS BINGHAMVS.

EPI-

EPISTOLA POSTERIOR
AD SVMME REVERENDVM EPISCOPVM VINTONIENSEM
DE
NECESSITATE ABSOLVTIONIS.

AD ſupplendas nouiſſimas litteras meas de quarto abſolutionis genere, quod eſt cenſurarum eccleſiaſticarum relaxatio, obſeruaui, opinionem CYPRIANI conformem eſſe iis, quæ antea ſcripſi. Quod, ſi pœnitentes morerentur tempore pœnitentiæ ſuæ, antequam ab epiſcopo abſolutionem habere poſſent, de eorum ſalute non ſit deſperandum. Nam, *Potens eſt*, inquit [a] ille, *diuina miſericordia medelam dare: properandum tamen non puto, nec incaute aliquid & feſtinanter gerendum, ne, dum temere pax vſurpatur*, (hoc eſt, communio pœnitentibus ante completam pœnitentiam redditur) *diuinæ indignationis offenſa grauius prouocetur.* Res erat hæc: *Cyprianus* iam in exilio agebat, & nonnulli, qui lapſi fuerant, impatienter deſiderabant in communionem eccleſiæ ante ipſius reditum reſtitui; quam in rem ille conſentire recuſans, exſpectare eos iubebat, donec cum pace ad eccleſiam ipſe rediret; et tunc præſentibus omnibus cauſſam eorum examinatum iri promittebat. Si interea, dum pœnitentiam agerent, morerentur, Dei miſericordiam ſeruare eos poſſe, monebat, ſine formali abſolutione, ſiue receptione in externam eccleſiæ communionem. Eruditus epiſcopus noſtras IOANNES FELLIVS eodem modo locum illum explicat: *Recte*, inquiens, *auctor noſter hoc ſufflamen opponit lapſis, qui ad pacem feſtinarent, quod non de eorum ſalute conclamatum ſit, quibus ante pœnitentiæ decurſum mori contingeret.*

OBSERVARI porro poterit, quod ſecundum diſciplinam, aliquando in eccleſia antiqua vſitatam, nonnullis magnis & publicis peccatoribus communio & pax eccleſiæ in ipſa mortis

(a) Cyprian. epiſt. XII. al. XVII. edit. Oxon. p. 39. (p. 196. edit. Fell. Amſtelod. MDCC.)

hora negata fuerit. Quæ res non eo ſpectabat, vt ſimpliciter & abſolute cæleſti regno excluderentur: Nam adhuc eos exhortabantur ad reſipiſcendum ſuamque fiduciam collocandam in miſericordia Dei, tametſi expedire credebant, tanta in eos vti ſeueritate in excludendo eos penitus a communione eccleſiæ, vt aliis exemplo & terrori eſſent. Non minus viginti canones in concilio *Illiberritano* [b] exſtant huc referendi, quod, qui horum vel iſtorum criminum rei forent, nec in fine ad communionem admitti debeant. Patres magnæ ſynodi *Sardicenſis* canonem habent eiuſdem argumenti ad reprimendum enormes quorumdam ambitioſorum hominum auſus. *Talis*, inquiunt [c], *nec in fine laica communione dignus habeatur*. Omnes tamen iſtiuſmodi ad reſipiſcendum hortabantur, & conſequenter ad ſtatum publicæ & perpetuæ pœnitentiæ admittebant eodem tempore, quo communionem in fine eis negabant. Quemodo in epiſtola *Innocentii* primi inuenimus, qui, *Conſuetudo prior*, inquit [d], *tenuit*, *vt concederetur pœnitentia*, *ſed communio negaretur*. Ita AMBROSIVS [e], ſcribens ad virginem conſecratam, quæ peccarat, in eamdem ſententiam diſſerit: *Inhære pœnitentiæ vſque ad extremum vitæ*, *nec tibi præſumas ab humano die poſſe veniam dari*: *Quia decipit te*, *qui hoc tibi polliceri voluerit*. *Quæ enim proprie in dominum peccaſti*, *ab illo ſolo te conuenit in die iudicii exſpectare remedium*.

EAMDEM obſeruationem AVGVSTINVS facit de eis, qui poſt actam ſemel publicam in eccleſia pœnitentiam in grauia crimina relabebantur. *Quamuis*, inquiens [f], *eis in eccleſia locus humillimæ pœnitentiæ non concedatur*; *Deus tamen ſuper eos patientiæ ſuæ non obliuiſcitur*. In iſtiuſmodi ergo caſibus omnibus credebant veniam obtineri poſſe a Deo, licet nulla eis abſolutio in eccleſia impertiretur.

(b) Concil. Illiberrit. can. I. II. III. VI. VII. VIII. X. XII. XIII. XVII. XIIX. LXIII. LXIV. LXV. LXVI. LXX. LXXI. LXXII. LXXIII. LXXV. Vid. hoſce canones productos in medium orig. eccleſ. lib. XVIII. cap. IV. §. IV. pag. 166. 167. 168.

(c) Concil. Sardic. can. II. (tom. II. concil. p. 628.) *Τοιοῦτον μηδὲ ἐν τῷ τέλει λαϊκῆς γοῦν ἀξιοῦσθαι κοινωνίας.*

(d) Innocent. epiſt. III. ad Exuper. c. II. (tom. II. concil. p. 1255.)

(e) Ambroſ. ad virg. lapſam cap. VIII. tom. I. p. 137. edit. Antuerp. MDLXVII.

(f) Auguſtin. epiſt. XLIV. ad Macedon. tom. II. p. 92. Vide plura hac de re orig. eccleſ. lib. XVIII. cap. IV. §. I. pag. 156. ſeqq.

NE-

NEQVE ipsi *Nouatiani* tam duri & difficiles hac in re erant, vt adsererent, Deum non posse veniam indulgere illis peccatoribus, quos ipsi in communionem recipere recusabant, si semel post baptismum essent lapsi. Nam excitabant eos ad resipiscentiam & collocandam spem in Dei misericordia, quantumuis ecclesiam recipiendi eos potestatem habere negarent. Hoc ex iis apparet, quæ *Asclepiades* episcopus *Nouatianorum*, cum *Attico* episcopo *Constantinopolitano* colloquens, dixit (vti historiam narrat SOCRATES [g]) quod laicos tantum tractent, quemadmodum catholici tractare interdum soleant clericos, excludentes eos a communione ad mortem vsque, veniamque eorum relinquentes soli Deo. Hoc de *Nouatianis* narrant IOANNES FELLIVS [h], GVILIELMVS BEVEREGIVS [i], IOANNES BONA [k] cardinalis, GABRIEL ALBASPINAEVS [l] & alii.

(g) Socrat. lib. VII. c. XXV. p. 307. edit. Parif. MDCLXVIII. *ἐκτὸς, ἔφη, τοῦ ἐπιθῦσαι, καὶ ἄλλαι πολλαὶ κατὰ τὰς γραφάς εἰσιν ἁμαρτίαι πρὸς θάνατον, δι' ἃς ὑμεῖς μὲν [πρὸ] τοὺς κληρικούς, ἡμεῖς δὲ καὶ τοὺς λαϊκοὺς ἀποκλείομεν, Θεῷ μόνῳ τὴν συγχώρησιν αὐτῶν ἐπιτρέποντες. Præter idolorum*, inquit, *sacrificium, sunt & alia multa peccata ad mortem, vt loquuntur scripturæ, propter quæ vos quidem clericos, nos vero etiam laicos communione excludimus*, soli Deo potestatem illis condonandi relinquentes.

(h) Fell. not. in Cyprian. epist. XVII. p. 39. (p. 106. edit. Fell. Amstelod. MDCC.) *Quibus potens est diuina misericordia medelam dare.*] In illa erant sententia etiam Montani & Nouatiani sequaces, grauissimorum flagitiorum compertos, licet ab ecclesia veniam non obtineant, a Deo tamen posse obtinere.

(i) Bevereg. not. in canon. VIII. conc. Nicæn. tom. II. p. 68. Neque enim Nouatiani ea, quæ iis vulgo adscribitur, opinione fuerunt, vt istis, qui lapsi sunt, aut grauiora delicta admiserunt, nullam salutis a domino consequendæ spem superesse existimarent. Namque ipsi eos ad pœnitentiam agendam sæpius hortari soliti fuerunt & admonere, vt se colligerent, & diuinam indulgentiam supplices implorarent. Sed hoc tantum iis persuasum erat & prædicatum, in ecclesiæ potestate non situm esse, vt quosuis post baptismum (quod vnicum pœnitentiæ genus statuerunt) delinquentes ad fidelium communionem admitteret.

(k) Bona rer. liturgic. lib. I. c. XVII. n. III. Quum Nouatiani perperam adsererent, non esse in ecclesia potestatem peccata post baptismum dimittendi, in quo, teste Paciano, eorum hæresis sita erat, non quod simpliciter negarent lapsis pœnitentiam, cetera.

(l) Albaspin. obseruat. lib. II. c. XX. Quo autem minore negotio ex illis difficultatibus emergere possint, aduertant oportet, Nouatianorum errorem non in eo positum, quod dicerent, neque lapsum neque excommunicatum in morte a peccatis liberandum: sed hæreticos ideo habitos, quod opinaren-

Vnde liquet, quod, licet absolutio quibusdam negari possit in terra, vel disciplinæ caussa, vti quandoque in ecclesia factum; vel ex erronea ista opinione, quod ecclesia non habeat potestatem recipiendi peccatores, post baptismum lapsos, vti inter *Nouatianos* obtinuit; nihilo secius ex diuina misericordia gratiam & absolutionem in cælo consequi possint. Omnes isti casus, secundum sententiam veteris ecclesiæ, euidenter id ostendunt.

De formula illa, *Absoluo te*, viri docti inter se consentiunt, quod in praxi ecclesiæ haud nota fuerit, nisi paullo ante ætatem *Thomæ Aquinatis*, qui inter primos eius defensores fuit scriptoque eam propugnauit circa annum MCCL, contra alium doctorem, qui obiecerat, antiquam formulam absolutionis in ecclesia non esse hanc indicatiuam, sed impetratoriam per modum precationis, siue benedictionis, nimirum, *Absolutionem & remissionem tribuat tibi omnipotens Deus!* Hic doctor testimonia adlegabat GVILIELMI ALTISSIODORENSIS, GVILIELMI PARISIENSIS & HVGONIS cardinalis; nec esse triginta amplius annos dicebat, quando hæc noua formula adhiberi cœpta sit. Hoc ex ipsius AQVINATIS *opusculo XXII.* de forma absolutionis colligitur. Sed vero non habemus istum THOMAE librum in nostra bibliotheca, adeoque TIBI, DOMINE SVMME REVERENDE, tantum mitto, quæ MORINVS scriptor pontificius (vt ne mentionem faciam VSSERII [m] vel aliorum scriptorum protestantium) ex eo obseruauit de origine huius formulæ, *Absoluo te.* Fuse probat MORINVS [n] ex omnibus vetustis libris ritualibus & patribus, quod veteres formulæ absolutionis vniuersæ fuerint precatoriæ. Et ex cærimonia impositionis manuum id liquet, quæ semper preces sibi adiunctas habebat.

At enim vero controuersia nobis non est de nouitate huius formulæ, sed de abusibus, quæ ecclesia *Romanensis* ei adfixit. Alias enim legitime adhiberi poterat, quemadmodum ecclesia nostra in officio visitationis ægrotorum eam adhiberi præcipit. Tunc autem hæc potestas absolutionis tantummodo

tur, Deum illum ecclesiæ neque remittendorum, neque retinendorum peccatorum capitalium potestatem copiamque fecisse, cetera.

(m) Usher's *Answ. to the Challenge* p. 89. Lond. 1686.

(n) Morin. de pœnitent. lib. VIII. c. IX. X. seqq.

mini-

ministerialis est, non proprie, directe & absolute auctoritatiua, vt scriptores nostrates loqui solent. Non dat sacerdoti potestatem aperiendi vel claudendi cælum pro lubitu; absoluendi sine vera contritione per sacramentalem actum, conferendi gratiam ex opere operato, actiue, immediate, & instrumentaliter efficientem gratiam iustificationis, quemadmodum contendit BELLARMINVS; qui eam tam necessariam facit, vt homini remissio denegetur, si sacerdos ei remittere nolit. Potest esse auctoritatiua & iudicialis modo quodam ministeriali, quales sunt omnes ministerii actus sub Deo. Talis est absolutio declaratiua, talis est absolutio impetratoria, talis est absolutio applicatoria per sacramenta, talis denique est rescissio censurarum ecclesiæ. Nam hæ omnes ac singulæ fiunt vi potestatis & auctoritatis, a Deo legatis suis, tamquam ministris reconciliationis, commissæ. Modo in his absolutionibus omnibus certas regulas obseruare necesse habent, quas si non obseruant, absolutio per eos data nihil valet in foro cæli.

IAM VERO hæc formula, *Absoluo te*, intelligenda est non esse alia nisi declaratiua absolutio in speciali quodam & particulari casu; quando sacerdos ei, qui peccata sua confessus est deditque signa & indicia veræ resipiscentiæ, declarat, quod, quoad sibi ad regulam verbi diuini iudicare liceat, resipiscentia eius vera sit; adeoque vi huius denuntiat, quod apud Deum solutus sit. Si qua vero illusio vel fraus in hominis animo fuerit, (qua de re nemo mortalium iudicare potest) tum non obstante hac fauorabili sententia & iudicio sacerdotis Deus eum denuo iudicaturus, erroremque clauium infallibi suo iudicio correcturus est.

PETRVS LOMBARDVS inter scholasticos (sequens HIERONYMVM inter veteres) hunc tamquam maxime probabilem sensum huiusce absolutionis reddit. *Hoc sane dicere & sentire possumus*, inquit [o], *quod solus Deus dimittit peccata & retinet: Et tamen ecclesiæ contulit potestatem ligandi & soluendi; sed aliter ipse soluit vel ligat, aliter ecclesia. Ipse enim per se tantum dimittit peccatum, qui & animam mundat ab interiori macula, & a debito æternæ mortis soluit. Non autem hoc sacerdotibus concessit, quibus tamen tribuit pote-*

(o) Lombard. sentent. lib. IV. distinct. XVIII. p. 334. edit. Lugdun. MDXCIV.

ſtatem ſoluendi & ligandi, id eſt oſtendendi homines ligatos vel ſolutos. Vnde dominus leproſum ſanitati prius per ſe reſtituit, deinde ad ſacerdotes miſit, quorum iudicio oſtenderetur mundatus. Ita etiam Lazarum iam viuificatum obtulit diſcipulis ſoluendum. Quia etſi aliquis apud Deum ſit ſolutus, non tamen in facie eccleſiæ ſolutus habetur, niſi per iudicium ſacerdotis. In ſoluendis ergo culpis vel retinendis ita operatur ſacerdos euangelicus & iudicat, ſicut olim legalis in illis, qui contaminati erant lepra, quæ peccatum ſignat. Vnde HIERONYMVS *ſuper Matth. XVI. vbi dominus ait Petro, Tibi dabo claues &c. Hunc, inquit, locum quidam non intelligentes, aliquid ſumunt de ſupercilio phariſæorum, vt damnare ſe innoxios, vel ſaluare ſe putent noxios; quum apud Deum non ſententia ſacerdotum ſed reorum vita quæratur. In leuitico ſe oſtendere ſacerdotibus iubentur leproſi, quos illi non faciunt Leproſos vel mundos, ſed diſcernunt, qui mundi vel immundi ſunt. Ita & hic aperte oſtenditur, quod non ſemper Deus ſequitur eccleſiæ iudicium, quæ per ſurreptionem & ignorantiam interdum iudicat: Deus autem ſemper iudicat ſecundum veritatem. Et in remittendis vel retinendis culpis id iuris & officii habent euangelici ſacerdotes, quod olim habebant legales ſub lege in curandis leproſis. Hi ergo peccata dimittunt vel retinent, dum dimiſſa a Deo vel retenta iudicant & oſtendunt. Ponunt enim ſacerdotes nomen domini ſuper filios Iſrael, ſed ipſe benedixit, vt legitur in Numeris c. VI.*

MAGISTER *ſententiarum* HIERONYMVM heic citat ſed imperfecte, adeoque teſtimonium illius in ipſis illius verbis plenius recitabimus. *Iſtum locum*, inquit [*p*], *epiſcopi & presbyteri non intelligentes, aliquid ſibi de phariſæorum adſumunt ſupercilio, vt vel damnent innocentes, vel ſoluere ſe noxios arbitrentur: quum apud Deum non ſententia ſacerdotum, ſed reorum vita quæratur. Legimus in Leuitico de leproſis, vbi iubentur, vt oſtendant ſe ſacerdotibus, & ſi lepram habuerint, tunc a ſacerdote immundi fiant: non quo ſacerdotes leproſos faciant & immundos, ſed quo habeant notitiam leproſi & non leproſi, & poſſint diſcernere, qui mundus quiue immundus ſit. Quomodo ergo ibi leproſum ſacerdos mundum vel immundum facit, ſic & heic alligat vel ſoluit epiſcopus & presbyter, non eos qui inſontes ſunt vel noxii: ſed pro officio ſuo, quum peccatorum audierit varietates, ſcit qui ligandus ſit, quiue ſoluendus.*

(*p*) Hieron. in Matth. XVI. tom. IX. p. 49.

NON

Nonnihil in grammatica constructione horum verborum, *Non eos qui insontes sunt vel noxii*, deesse videtur, quæ vt cum antecedentibus cohærere faciamus, vocabulum *faciens* vel simile quoddam addendum esse videtur. Reliqua autem omnia plana sunt, quod, vt veteris testamenti sacerdotes non proprie fecerunt aliquem leprosum vel mundum, sed tantum declararunt, vtrum quis talis esset nec ne; ita noui fœderis sacerdotes ligent vel soluant homines peccatis suis, declarando, quinam ligandi quiue soluendi sint.

Ioannes quidem fellivs, singularem notionem formulæ illius *Absoluo te*, habet. Supponit [q] enim, in omni delicto duo spectanda occurrere, offensam aduersus Deum & offensam aduersus ecclesiam; quarum priori a Deo veniam impetrari existimat per preces, posteriori autem per auctoritatiuam illam formulam, *Absoluo te.*

Enimvero hoc, (etsi recte se habere potest respectu criminum, quæ sub publicam cadunt disciplinam) haud potest esse sensus formulæ, vti in nostra adhibetur liturgia, in officio visitationis ægrotorum, quæ vnus solus locus est, quod sciam, vbi ecclesia nostra eam adhiberi præcipit. Nam in priuatis peccatis non est offensa aduersus ecclesiam, & tamen priuata peccata sunt, quæ quis sacerdoti priuatim confitetur, quibus rubrica ista absolutionem dari iubet hac formula, *Absoluo te.* Licet igitur hæc interpretatio bona esse possit respectu publicæ absolutionis ecclesiæ [*] pro grandibus & publicis crimi-

(q) Fell. not. in Cyprian. de lapsis, p. 136. (p. 97. edit. Fell. Amstelod. MDCC.) Notari poterit, in omni delicto duo spectanda occurrere, primo offensam aduersus Deum, de qua Dauid Psalm. LI. *In te, in te solum peccaui*, in cuius remedium precibus & resipiscentia vnice proficitur; iuxta illud D. Petri Act. VIII, 22. ad Simonem Magum, *pœnitentiam age ab hac nequitia tua, & roga Deum:* secundo interuenire offensam aduersus fratres, de qua D. Paulus 1 Cor. VIII, 12. *Peccantes in fratres, & percutientes conscientiam eorum &c.* Cui amoliendæ venia ab ecclesia ceu parte læsa, & illius nomine ab episcopo, qui eidem præest, omnino expetenda est, iuxta illud Apostoli 2 Cor. II, 10. *Cui autem aliquid donastis, & ego: nam & ego quod donaui, si quid donaui, propter vos in persona Christi.* Et quidem quantum ad forum exterius, siue offensam aduersus fratres, locum fortassis habere poterit illa auctoritatiua, quæ in occidentali ecclesia inualuit formula, qua & vsus fuisse videtur Zepherinus Tertulliani sæculo: *Ego mœchiæ & fornicationis delicta pœnitentia defunctis dimitto.* cetera.

(*) Vid. *orig. eccles.* lib. XIX. cap. II. §. VI. pag. 215. seqq.

nibus

nibus, quibus ſcandalum datum eſt eccleſiæ; admitti tamen eam non poſſe exiſtimo, reſpectu habito ad priuata crimina, quia nulla heic offenſa eccleſiæ eſt. Vnde ſatius eſſe videtur cum HIERONYMO & PETRO LOMBARDO eam reſoluere in formulam declaratiuam, & interpretari exemplo ſacerdotum legis, qui leproſum mundauerunt, mundum eum declarando.

HABES, DOMINE SVMME REVERENDE, quæcumque in hac diſputatione alicuius momenti eſſe obſeruaui. Si quid vero heic omiſſum eſt & deficit, quod ſtudioſius conſiderari velis, præcipias quæſo, & me habebis

TIBI,

DOMINE SVMME REVERENDE,

Vintoniæ
d. 24. *Febr.*
$17\frac{12}{13}$

obſequentiſſimum ſeruum

IOSEPHVM BINGHAMVM.



